BIBLIOTECA DEL DUQUE DE OSUNA

17-2.39-3

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: B
Estante: 5
Numero: 26

131

56-3-2

4
1-3

4
21-45

i 18 5 1958

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala E
Estante 5
Tabla
Número 9

R. 2398



ANNALES ECCLESIASTICI

AB ANNO MCXCVIII

VBI CARD. BARONIVS DESINIT

AVCTORE

ODORICO RAYNALDO

TARVISINO

CONGREGATIONIS ORATORII

PRESBYTERO

TOMVS XVI

Romæ Sumptibus Ioannis Casonij. 1652

Superiorum permissu, et priuilegiis

IN PETRA EXALTAVIT ME. ET NVNC EXALTAVIT CAPVT MEVM SVPER INIMICOS MEOS



ANNALES ECCLESIASTICI.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

IESV CHRISTI
annus 1334.

BENEDICTI PP.XII. VAC. IMP. OCCID. 21.
1. ANDRONICI IVN.IMP.OR.3.

a Ben.to 2. ep.secr. pag.106. Creatus nouus Pōtifex.

EXTREMO anno MCCCXXXIV. indictione secūda inclusi a ab oratoribus Roberti Regis Neapolitani eiusdemque Auinionis & Prouinciæ principis in conclaui Cardinales, concordibus suffragijs Iacobum Nouellum, appellatum quoque Furnerium, S.R.E. tit. S. Priscæ presbyterum Cardinalem a rerum aulicarum tractatione alienum, vt aiunt, sed religione præstantem, & theologica scientia florentissimum, vigesima decembris die Pontificem renūtiarunt b, vt consentiunt eius temporis auctores, c cuius primitias, atque emensos honorum gradus describit ipsius vitæ auctor apud Bosquetum, quos subiectis verbis M. S. Vaticanum perstringit d: *Benedictus* XII. ita nempe vulgo dictus fuit, quamuis eo nomine vndecimus sit, *natione Tolosanus de Sauerduno Appamiarum diœcesis prius vocatus Iacobus, abbas Fontisfrigidi ordinis Cisterciensis, magister in theologia, deinde episcopus Appamiarum, post episcopus Mirapiscensis, demum per dominum Ioannem* XXII. *prædictum creatus fuit tit. S. Priscæ presbyter Cardinalis: deinde, mortuo domino Ioanne* IV. *die decembris anno Domini* MCCCXXXIV. *iste in papatu eligitur anno eodem mensis eiusdem die* XX. Fuisse infimę conditionis in seculo, sed moribus & sciētia clarum, refert S. Antoninus e: accepisse autem pontificium insigne solemni ritu VI. idus ianuarij proximi ineuntis anni, docet anonymus scriptor f: *Fuit*, inquit, *electus iste dominus Benedictus Papa* XII. *anno incarnationis Domini* MCCCXXXIV. XX. *die decembris, & coronatus & benedictus eodem anno incarnationis* VIII. *die ianuarij, qua die incipit primus annus sui pontificatus*. Consentit Ptolemæus Lucensis, qui plura de eius pontificatus auspicijs coniungit his verbis. g

b Nic. Min M.S. bibl. Vat. sign. n. 4008. pag. 187. & aliud sign. n. 2040. c Aucl. vit Bened. apud Bosq. Io. Vill. l. 11. c. 21. Ptol. Luc. hist. eccl. M.S. l. 24. c. 43. & alij. d M.S. bibl Vat. sign. n. 3765. in Ben. XII. Ex Card. tit. S. Priscæ. e Ant. 3. p. tit. 21. c. 7 in princ. f M.S. bibl Vat. sign. n. 3989. g Ptol. Luc. in hist. eccl. l. 24. c. 43.

2 *Anno dominicæ incarnationis* MCCCXXXIIII. *idus decembris Cardinales omnes includuntur numero* XXIV. *per comitem Noualium in palatio Auinionensi, in quo Papa Ioannes decessit. In vigilia autem Thomæ Apostoli* XIII. *kal. ianuarij anno Domini* MCCCXXXIV. *Cardinales prædicti numero* XXIV. *elegerunt in Papam vnum ex se, videlicet dominum Iacobum presbyterum Cardinalem tit. S. Priscæ, natum de prouincia Tolosana, monachum ordinis Cisterciensis, magistrum theologiæ, & vocatus est Benedictus* XII. *Qui in primo consistorio suo, quod habuit, scilicet* XII. *kal. ianuarij mandauit ecclesias reparari Romanas S. Petri, item ecclesiam Lateranensem, & alias ecclesias & palatia ibidem desolata & ad fabricam dotauit* L. *millia flor. Item ad subueniendum necessitatibus suorum fratrum collegio Cardinalium donauit* C. *millia flor. Dixit etiam, quod vellet pacem reformare in tota ecclesia. In die autem natiuitatis domini nostri Iesu Christi in publica missa, quam celebrauit dominus Petrus episcopus Prænestinus, fecit gratiam omnibus, qui interfuerunt, septem annos & septem quadragenas de iniunctis pœnitentijs: diebus autem sanctorum Stephani & Ioannis tres annos & tres quadragenas. Anno autem domini* MCCCXXXV. *Benedictus* XII. *descendit de palatio, in quo electus fuit, & iuit associatus cum Cardinalibus, vt moris est, ad locum fratrum prædicatorum* VII. *idus ianuarij: & VI. idus ianuarij in crastinum ibidem coronatus, est per dominum Neapolionem Cardinalem diaconum. Et V. idus ianuarij reascendit suum palatium & petitiones sibi oblatas primo die post coronationem recipere recusauit: voluit enim scire conditionem personæ supplicantis, & summam reddituum, & si impetrans ante fuerit beneficiatus.*

Eius patria & primitiæ.

3 Redimitus igitur pontificia tiara Benedictus, encyclicis proximo anno literis datis, præsules de sua electione fecit certiores a, atque ad coniungendas in pascendo grege dominico, ac re Christiana prouehenda curas excitauit.

Redimitæ tiara pontificia a Neapol. Card.

Eiusdem integritas in conferendis sacerdotijs.

a Ann. 1. p. 1 epist. 1.

Benedictus episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Rhemensi & episcopis, ac dilectis filijs abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, & alijs ecclesiarum prælatis, exemptis & non exemptis, per Rhemensem prouinciam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Encyclicę Benedicti literæ de ipsius electione.

Altitudo cælestis consilij supra cuncta te-

nens in excelsis imperium, sic dat esse rebus, & dispensat ineffabili prouidentia munera gratiarum; sic creaturarum conditiones & status ordinat, ac prout vult, variat & disponit, quod sensus humanus eius secreta consilia perscrutari non valens, in horum consideratione potius hebetatur, cum sint inuestigabiles viæ Domini, & sapientiæ suæ magnitudinem humani non capiunt intellectus: facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, & ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam & perfectam habens ad singula, tanquam palmo concludens omnia, potestatem. Sane felicis recordationis Ioanne Papa XXII. prædecessore nostro nuper, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, & ad cælestem patriam ab huius mundi miseria, sicut pie credimus, euocato; eiusque corpore cum exequiarum solemnitate debita tumulato, venerabiles fratres nostri episcopi, presbyteri, & diaconi S. R.E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione pastoris conuenientes in vnum sub deliberatione consilij, quam tanti negotij qualitas exigebat, habito super electionis futuri Papæ celebratione tractatu, licet consentire potuissent in alios maiorum meritorum claritate conspicuos, & plurium virtutum titulis insignitos; tandem ad personam nostram dirigentes vnanimiter vota sua, nos ad summi Pontificatus apicem, diuinæ dignationis clementia, euocarunt.

Concors fuit eius electio.

Nos igitur nostrarum insufficientiam virium, & administrationis tam arduæ sarcinam, tantique oneris grauitatem, intenta consideratione pensantes intra nostra præcordia, quid inter tot diuersas & varias seculi fluctuationes & pugnas agendum, quidue tenendum, quidue pensandum extiterit, animo duximus trepido reuoluendum. Demum vero spiritus virtute resumpta, in illo, qui aslurgit in occursum timentium & implorantium humiliter nomen suum, quique clementer in semitis suis gressus hominis perficit, inter huiusmodi cogitationum fremitus anchoram spei nostræ fiximus, ad ferendum sub eius fiducia iugum seruitutis apostolicæ imbecilles humeros humiliter submittentes. Ac subsequēter benedictionis & coronationis solemnia, & cętera recepimus secundum morem eiusdem Romanæ ecclesiæ in personis Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum hactenus obseruatum; anxiato & humiliato spiritu Domino supplicando, vt ipse, qui nos iugum huiusmodi subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram suæ virtutis robore fulciat, sicque illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo non contingat nos ex nostra debilitate deficere; sed ita sua omnipotentia nobis, & gregi dominico vigilantiæ nostræ commisso, potius proficere, quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo iudicio reddere rationem.

4 Cum autem nos ad tanti molem ponderis leuius, & salubrius perferendam, ac præfatam ecclesiam, quæ procellosis turbinibus agitari assolet, pijs & deuotis expediat orationum suffragijs adiuuari; vniuersitatem vestram rogamus, & obsecramus in domino Iesu Christo, quatenus apud ipsum sponsum eiusdem ecclesiæ suppliciter in humilitate spiritus deuotis precibus insistatis, vt tempestuosa procellarum molestia quiescente, ecclesia ipsa sub facilis auræ serenitate lætetur, luxque pacis sibi copiose resplendeat, errorum & dissensionum tenebris de medio fidelium profugatis, ac gressus nostros, dum in præsentis valle miseriæ peregrinamur a Domino, per suorum dirigat semitas mandatorum; nostræque debilitatis humeris fortitudinis robur adijciens, misericordi nobis pietate concedat præfatam ecclesiam, ad sui nominis laudem & gloriam vtiliter gubernare, vt cum domus nostræ huius habitationis terræ figmentum eius imperio, per quem in præsenti seculo iuxta originariæ conditionis cursum solitum ingressum habuimus, dissoluetur, in illa cælesti Ierusalem, ad cuius ædificationem ceu quidam expoliti lapides electorum curiæ deferuntur, gloriosam non manu factam, sed æternam dignetur concedere mansionem, &c. *Dat. Auin. v. idus ianuarij anno* 1. Transmisit easdem literas [a], immutatis extremis sententijs, ad Philippum Galliæ, Eduardum Angliæ, Robertum Siciliæ, Alfonsum Castellæ, Philippum Nauarræ, Alfonsum Aragonum, Alfonsum Lusitaniæ, Carolum Vngariæ, Robertum Sueciæ, Casimirum Poloniæ, Ioannem Boemiæ, Hugonem Cypri, Leonem Armeniæ Reges, tum ad Reginas ac præcipuos dignitate principes, duces, comites, Vrbis senatores, religiosorum ordinum magistros: quos etiam ad fundendas pro ipso preces, vt pro dignitate pontificatum gereret, tum ad operam pro augendo cultu diuini Numinis, ac re Christiana amplificanda collocandam solicitauit.

[a] *Ibid.*

Fideles fundere preces iubet pro cõmuni pace.

IESV CHRISTI

Annus 1335.

BENEDICTI PP. XII. annus 2. VAC. IMP. OCCID. 22. ANDR. IVN. IMP. OR. 4.

1 REdimitus vti dictum est, pontificia tiara Benedictus ineunte anno a partu Virginis millesimo trecentesimo trigesimo quinto indictione tertia, Siciliæ & Sardiniæ Regum fiduciarios se Apostolicæ sedis solemni ritu profitentium honores & sacramenta recepit: sacram expeditionem in Babylonios & Turcas promouere, ferre opem adductæ in discrimen Armeniæ, exorientia inter Anglos & Gallos bella extinguere, restituere Italiæ Apostolicam sedem pacemque publicam; Fridericum Regem Trinacriæ, ac Ludouicum Bauarum ad ecclesiæ sinum reuocare apostolico zelo contendit, & ratus clementia allectum iri, qui seueritate exacerbatus fuerat, indulgentissimi patris in eum studia explicuit; de quo hæc in M. S. Vaticana traduntur [b]: *Iste sententias latas per dominum Ioannem prædecessorem suum contra Ludouicum ducem Bauariæ, qui se gessit pro Imperatore, nunquam aggrauauit, sed ei legatos suos misit, monens & hortans, vt ad ecclesiæ rediret vnitatem.* At nil iuuit lenitas; vnde seueritas iudiciorum a Clemente VI. postea fuit distringenda. Vt vero res gesta sit, narrare aggrediamur. Agitatum iam ante fuerat a Ioanne Papa de Ludouico in gratiam cũ ecclesia reuocando, atque ad optatum finem perducta res esset, nisi Bauarus a suscepto abdicandi correpti imperij consilio resilijsset. Igitur Benedictus Ludouici fœderatos Austriæ duces ad nauandam pro eo ad officium & gremium ecclesiæ reducendo operam impulit: *Placeret*, ita ad Rupertũ Austrię ducẽ scribit [c], *nobis admodum, si Ludouicus de Bauaria se per viam & modos debitos reduci ad ouile, cuius est pastor æternus dominus noster Iesus Christus, disponeret se reincorporari vnitati sanctæ matris ecclesiæ, extra quam non est salus alicui procuranda:*

Præcipua Benedicti hoc anno gesta.

[b] M.S. *bibl. Vat. sign. n.* 3765. *in Ben. XII.*

[c] To. 1. *ep. secr.* 141.

Oblata Ludouico Bauaro ecclesiæ gratia.

nam

nam nos ipſum, ſi hoc faceret, vt præfertur, libenter ſicut cum Deo & honore fieri poſſet eccleſiæ, paternis reciperemus amplexibus, et tractaremus benigne. Quare, fili, ad id eundem Ludouicum, vt ſuam & aliorum multorum propter facta ipſius extra gregem prædictum errantes ſaluari procuret animas, excita, &c. Dat. Auin. VII. id. aprilis anno I. Spirant eundem paternum in Ludouicum amorem ad illum in viam ſalutis reuocandum aliæ literæ ad Albertum, a qui miſſis oratoribus officia ſua Pontifici addixerat.

a To. 1. ep. ſecr. 126.

Benedictus, &c. dilecto filio nobili viro Alberto duci Auſtriæ.

Cum nos, qui licet inſufficientibus meritis vices illius in terris gerimus, qui omnes quærit ſaluos fieri, & neminem vult perire, pericula vereamur quamplurimum animarum, gratum noſtris affectibus exiſteret & acceptum, ſi Ludouicus de Bauaria vias ſuas ſeu deuia potius recognoſcendo, ac quibus & quantis periculis tam ſua quam multorum aliorum animæ pro factis ſuis expoſitæ ſunt hactenus, & exponuntur quotidie, diligenti meditatione penſando, ſuæ ſaluti animæ conſultius prouideret, ad ſanctæ matris eccleſiæ deuotionem & vnitatem, extra quam ſalus non eſt alicui, vijs & modis debitis redeundo: nam nos ipſum, ſi ſic, vt præfertur, redire curaret, vt ſua & aliarum innumerabilium perſonarum animæ de faucibus eriperentur æternæ damnationis & mortis reciperemus, prout cum Deo & honore noſtro & eccleſiæ poſſet fieri fauorabiliter & benigne. Quare tu, fili, eundem Ludouicum, vt ſuam & aliorum multorum ſaluari procuret animas multis, vt præfertur, expoſitas periculis, & exinde tibi apud Deum perennis mercedis acquiras præmium, ad præmiſſa vijs & modis opportunis & debitis inducere non omittas. *Dat. Auin. kal. aprilis anno* I. Incitatus pariter Otho Auſtriacus b vt ad pium opus huiuſmodi incumberet.

Rogatus Auſtriac⁹ vt illum ad officiū adducat.

b Ibid. ep. 127.

2 Nec literis modo impuliſſe Germanos principes Benedictum, vt Ludouicum omneſque alios ſchiſmatis laqueis irretitos ad eccleſiam pelliceret; verum nuntios ad eum blandiſſimis monitis excitandum legaſſe in Germaniam, vitæ illius geſta c, ex antiquis manuſcriptis collecta, teſtantur: *Hic Papa*, inquiunt, *in ſui pontificatus principio miſit nuntios ſuos ad Ludouicum ducem Bauariæ rebellem & inobedientem Romanæ eccleſiæ, occupatoremque imperij; qui ipſum monerent & exhortarentur ſui parte, ab incœptis & attentatis deſiſtendo, ad dictæ eccleſiæ obedientiam humiliter redire vellet: credens & ſperans erga eum tali modo plus proficere, quam ſi continuaret proceſſus contra ipſum inchoatos per dictum Ioannem Papam* XXII. *prædeceſſorem ſuum.* Albertus vero Argentinenſis eorum temporum ſcriptor tradit d, Ludouicum certiorem factum, Pontificem & Cardinales reſtituendi illius in gratiam cum eccleſia deſiderio teneri, mox oratores ac literas ad Benedictum & Cardinalium collegium tranſmiſiſſe; eoſque edoctos a Pōtifice qua forma, quibuſq; legibus in gratiā eccleſiæ admitti Ludouicum flagitaturi eſſent.

Miſſi ad eum internuntij apoſtolici

c Bened. XII. geſta edita a Boſquet. & bibl. Vat. ſign. n. 3765. in Ben. XII. In Bauarū clementia vtitur Pont.

d Argentinen. in chron.

Cum vero hæc accepiſſet Albertus Auſtriæ dux, de quo paulo ante memoraui, ſignificauit Benedicto, ſe exagitata Ludouici reconciliatione ſummo gaudio delibutum, ſuamque operam ad rem promouendam obtulit. Cui reſpondit Pontifex e lucrandarum Chriſto animarum zelo, adducendæque in Germaniam tot laniatam bellis publicæ pacis permotum ſpe, quātum diuini Numinis & eccleſiæ honor patiatur, facilem ſe ad id oſtenſurum: præterea ſignificauit datam formulam ſuis conceptam verbis, ex qua Ludouici oratores veniam eſſent deprecaturi, diemque ad id natalitijs Virginis ſacram conſtitutam: Meminit de his Ptolemæus Lucenſis his verbis. a M. CCCXXXV. IV. *kal. maij venit Ludouicus comes de Oetingen. ad Papam Benedictum cum tribus clericis & militibus in ambaſciata domini Ludouici, qui ſe pro imperatore gerebat, licet per dominum Ioannem Papam depoſitus & excommunicatus fuiſſet. Ipſis autem in curia exiſtentibus, ambaſciatores Mediolanen. & aliarum ciuitatum eis confœderatarū Papæ obedientiam faciunt, & abſolutionem obtinent a ſententijs, quibus per Ioannem fuerant irretiti, promittentes ſe nunquam aliquem pro Imperatore receptu ros, niſi prius per Papam eſſet appellatus.* Et infra: *Item* III. *non. iulij receſſerunt ambaſciatores prædicti domini Ludouici de Auinione, portantes quæ Papa petebat pro emenda ſuorum exceſſuum: quibus adimpletis, ſperabatur ipſorum concordia.*

Ludouici oratorib⁹ venię effla gitandæ formula data.

e To. 1. ep. ſecr. pag. 126.

a Pr. l. Luc hiſt. eccl. M. S. l. 24. c. 43.

3 Repetiere itaq; Germaniam Bauari oratores, ac dat.s a Chriſti vicario cōcordiæ leges attulere. Quo tempore Benedictus Francorum Regem certiorem fecit b, non modo honori & iuribus eccleſiæ, verum ipſius Philippi ac Roberti Regum rationibus proſpectum fuiſſe; addiditque, ſi Bauarici oratores idoneis freti mandatis ad expianda ſuperiora facinora redirent, ſine mora Ludouicū conciliatū iri, ad extinguenda mala, quę veteres inimicitiæ in eccleſiam inuexiſſent: interea ſi ipſe promiſſum ad ſedem Apoſtolicam acceſſum extraheret, quanti res ſua referret literis proderet: docuitque popoſciſſe Romanorum oratores, vt ſedes Apoſtolica Vrbi reſtitueretur, eorumque preces admiſſas. Meminit de ea Romanorum legatione Ptolemæus c Lucenſis his verbis: *Inſuper legati Romanorum petebant inſtanter, vt iret ad Vrbem: quibus reſpondit ſe iturum; ſed autem certum ſuper hoc eis non aſſignauit.* Obiectæ nouæ morarum cauſæ conſulto in ea re Philippo Francorum Rege, qui varijs officiorum illecebris curiam illaqueatam trans alpes tenebat; ad quem datæ ſubiectæ literæ.

De his factus certior Francor. Rex.

b To. 1. ep. ſecr. 481.

c Ptol. Luc. in M. S. hiſt. eccl. l. 24. c. 43.

Chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Franciæ illuſtri.

Benigne receptis ſerenitatis regiæ literis de miſſis ad præſentiam noſtram pro parte Romani populi, & Ludouici de Bauaria nuncijs facientibus inter cætera mentionem, & ijs, quæ continebantur in eis, plenius intellectis, ecce fili chariſſime, quod licet magnam partem eorum, quæ circa nunciorum prædictorum acta ſunt, non ignoret regia prudentia, cum in prædictis literis exprimantur; ea tamē ſuccincte recitationis ſerie referamus regali excellentiæ per præſentes. Nuncijs namque Romani populi coram nobis & fratribus noſtris in conſiſtorio pridem proponentibus & allegantibus plures cauſas efficaces, quare deberemus Vrbem, in qua noſtri apoſtolatus ſedem diuina prouidentia ſtatuit, & baſilicas ſacras Vrbis eiuſdem, vbi ſanctorum requieſcunt corpora viſitare, ac inſtanter & ſuppliciter a nobis petentibus, vt illuc vellemus cum curia nos transferre; tandem cum eiſdem fratribus deliberatione ſuper ijs præhabita diligenti, videntes quod tam piæ ac honeſtæ petitioni non poteramus exauditionis aditum denegare, reſpondimus quod noſtræ ac prædictorum fratrum erat intentionis & voluntatis facere, diuina præeunte gratia, quod petebant: & ad declarandum vo-

Romanorum ad Pont. legatio.

Benedicti de reſtituenda Vrbi ſede promiſſa.

luntatem noſtram ſuper termini præfixione, in quo illuc eſſemus cum eadem curia * vſque ad kalendas octobris proxime futuri duximus differendum. Sane, fili dilectiſſime, quia cum hæc facta ſint in conſiſtorio, vt præfertur, non poſſet honeſte diutius vltra dictas kalendas noſtra differri ſuper eiuſdem aſſignatione termini reſponſio, niſi aliud, per quod deberet id fieri rationabile diceretur: & ideo, ſi forſan vltra prædictas kalendas aduentus ad has partes regius, quem cum gaudioſo deſiderio præſtolamur, differri contingeret, ſcribat nobis interim regalis circumſpectio, quæ ſibi honeſta ſuper ijs occurrerint, & etiam opportuna.

* profecturi

Nuntij Lud. idoneis mandatis non inſtructi.

4 Cæterum cum nuntij dicti Ludouici, ad noſtram deſtinati præſentiam, ſuper quibuſdam quæ prolocuta fuerunt cum eis, talia vtique, per quæ, ſi ad effectum peruenirent, iuri & honori conſuleretur eccleſiæ, ac tuis & chariſſimi in Chriſto filij noſtri Roberti Regis Siciliæ illuſtris indemnitatibus prouidebitur, mandatum ſufficiens non haberent, promiſerunt ſe facturos & curaturos, quod ea complerentur per Ludouicum eundem, ſeque cum ſufficienti mandato ſuper ijs in proximo ad eandem noſtram præſentiam reuerſuros. Verum quia ſi venirent, vt promiſerunt, prælibati nuntij, mandato ſufficienti ad complendum huiuſmodi prolocuta ſuffulti, eos diutius per verba cum honeſtate noſtra ducere nequiremus; ſuam intentionem regalis magnificentia, ſi ſuum perſonalem aduentum prorogari contingeret, nobis reſcribere ſuper ijs non omittat. Porro ſuper contentis in poſteriori literarum regiarum clauſula, charitatis & amoris vinculũ, quod vigere debet inter patrem & filium, delectabiliter recenſentibus, gratiarum ſerenitati regiæ referimus vberes actiones; pro certo ſciturus, fili dilectiſsime quod tenemus, vt eadem clauſula denotabat, indubie te velut ſpecialem eccleſiæ filium ad noſtrum & eiuſdem eccleſiæ honorem conſeruandum illæſum affici; & de nobis, quod tuum & regni tui honorem & commodum ſincere diligimus, volumus certitudinaliter te tenere. *Datum apud pontemſorgiæ Auinionenſis diœceſis* II. *kal. auguſti anno primo*.

Dimiſſi promittunt factũ iri ſatis a Lud.

Monitus Gallus, vt quid ſua interſit proponat.

Impedit? a Gallo Rege Põt. in Vrbem reditus.

5 Diſcuſſa ſunt præclara illa duo Benedicti conſilia de reſtituenda Romæ Apoſtolica ſede, deque Ludouico & ſequacibus eccleſiæ concilijs, aſcriptaque eſt vulgo prætermiſſæ vtriuſque rei adeo neceſſariæ cauſa Regis Francorum artibus: nã in primis Petrus S. Martini in montibus, Talayrandus S. Petri ad vincula, ac Petrus S. Clementis Cardd. regio nomine attulere varios fucos ad curiam in Gallijs diſtinendam: *Ex quibus*, inquit Benedictus, *concludi videbatur, debere curiam in his partibus perpetuo remanere*. Cumque hæc in Cardinalium ſenatũ adduci vellent ij Cardinales Philippo addictiſsimi, obſtitit Benedictus, *quia*, inquit, *ſcandaloſi periculi materiam forſitan ſuſcitarent*. Quod vero ad diſcuſſum de reconciliando in eccleſiæ gratiam Ludouico tractatum attinet; potiſsimam illius fuiſſe cauſam eiuſdem Ludouici inconſtantiam viſuri ſumus ſuo loco: in retardando autem eiuſdem tractatu Philippum culpæ non expertem, ſeries hiſtoriæ docet.

Oratores Ludouici ad Pontificem redeunt. a *Ptol. Luc. in hiſt. eccl. M.S. l. 24. c. 43.*

6 Redijſſe, vti pactum cum Pontifice fuerat Ludouici oratores ampliſsimis fretos mandatis ad aulam apoſtolicam, Ptolemæus a Lucenſis accurate deſcribit his verbis: *Eodem anno in menſe ſeptembris ſecunda die eiuſdem iterum miſit dominus Ludouicus, qui ſe pro Imperatore geſſit, prædictum comitem de Oetingen. & magiſtrum Ebrehardum de Thumenouuem, magiſtrum Marquardum de* Randegge *canonicum Auguſtenſis eccleſiæ, & magiſtrum Vlricum de Auguſta notarium ſuum, & fratrem Henricum de Cyphinegen. ad Papam Benedictum pro concordia cum pleno mandato omnia faciendi, quæ Papa petijt pro emenda: & intrauerunt ad Papam die prædicta ſimiliter Auinionem*. Et infra. *Item* IV. *kal. octobris reuerſus eſt Papa Benedictus aſſociatus Cardinalibus & ambaſciatoribus prædictis. Item* VII. *idus octobris in publico conſiſtorio, quod Benedictus ſuper hoc habuit, propoſitum fuit per dominum Marquardum de Randegge canonicum Auguſtenſis eccleſiæ, qui vnus fuit de ambaſciatoribus prædictis domini Ludouici: & legatio talis fuit, qualiter petijt abſolui a proceſſibus factis contra eum per Ioannem Papam, offerens ſe ſatisfacturum eccleſiæ & Papæ. Super hoc reſpondit, ſe deliberaturum cum fratribus ſuis, qualiter hoc perduceret ad bonum finem; licet grande eſſet, quod petebatur ab eo, quia in multis exceſſit prædictus Ludouicus: ſed per Benedictum Papam de abſolutione prædicti Ludouici nihil penitus fuit determinatum. Et fuit thema proponentis: Eripies me a contradictionibus populi, & conſtitues me in caput gentium*. Eoſdem oratores amplioribus fultos mandatis iterum a Ludouico decretos, anno proximo videbimus. Vocat in inuidiam retardatæ Ludouici Bauari reconciliationis Albertus Argentinenſis Francorum & Siciliæ Reges his verbis: *Verum prædictus Rex Franciæ, & Rex Siciliæ ſeu Apuliæ, omnes quaſi Cardinales a propoſito auerterant præconcepto: venerant enim ad impediendum factum ad curiam duo archiepiſcopi, duo epiſcopi, & duo comites ex parte Regis Franciæ, & totidem ex parte Regis Roberti, proponentes erroneum eſſe tantum hæreſiarcham præponere dominis eorum eccleſiæ fideliſſimis, Papamque cauere debere, ne fautor hæreticorum diceretur*.

Petita ei⁹ nomine venia.

Habitæ orationis argumentum.

Gallus & Siculus obſtant ne Lud. cõcilietur

7 Non Robertum modo & Philippum, verum Carolum Vngariæ, Caſimirum Poloniæ, Ioannem Boemiæ Reges, atque Henricum Bauariæ ducem Ludouici reconciliationi obſtitiſſe addit idem auctor, & pollicitos armorum potentiam ad deturbandum imperio Ludouicum, & creandum nouum Cæſarem ſe coniuncturos. Et quidem Hagecus apud Chromerum Vngarię, Poloniæ, & Boemiæ Reges aduerſus Ludouicum fœdus percuſſiſſe conſentit; quorum impetus retuſi a Bauaro fuere. At tot tantaque obſtacula abrumpenda omnino erant, ſi Ludouicus in ſuſcepta pia mente conſtans perſtitiſſet: cuius rei arcanæ ſeriem ex pontificijs literis illuſtrabimus. Ex ijs enim conſtat a, Francorum Regem, cum ad ipſum affluxiſſet fama, oratores Ludouici Bauari leges ab Apoſtolica ſede datas accepiſſe, quibus in gratiam eccleſiæ admittendus eſſet, expoſtulaſſe, Pontificem ſe inconſulto eam rem aggreſſum, preceſque adieciſſe, vt cum ſuæ Robertique Regis (fuerat is a Ludouico, vt ſupra dictum eſt, capitis ſententia damnatus) rationes in Ludouici reconciliationis cauſa implicitæ eſſent, in gratiam non reciperet, niſi prius illius reſtituendi eccleſiæ gremio leges cum ipſo communicatæ eſſent: Germanicæ enim diſſenſionis occaſione nonnullas imperij vrbes clientelæ ſpecioſo nomine Gallus occupabat. Aſſenſit petitis Philippi Benedictus, cum maxime Cardinales, qui Gallici erant ſanguinis, ad Regis gratiam omnia agerent; atque ad ipſum concordiæ leges, quæ cum Ludouico Bauaro agitatæ fuerant, tranſmiſit; ea tamen

Grauiſſimos aduerſarios patitur Ludouicus.

a *Tol. ep. ſecr. 641.*

Quis horum Regum prætextus fuerit.

reli-

religione obſtrinxit, vt ipſas in vulgus non proferret. Ad propoſitas vero de Rege non conſulto querelas reſponſum dedit, ea quæ ab eccleſia Ludouico oblata fuerant, adeo oneroſa extitiſſe, vt in dubium reuocaretur, an a Bauaro admitterentur; neque ob id eas leges ipſi explicandas ſe exiſtimaſſe, ſuffeciſſeque, vt eius ac Roberti Regis Siciliæ rationibus ac dignitati in ijs conſuleretur: appetente autem Deiparæ feſto natali veniſſe Ludouici oratores, vt oblata iam atque agitata perducerent. Quanto vero adducendi ad eccleſiam Ludouici deſiderio teneretur ſubiecit.

Significat Gallo Pōtifex ſuū de recipiē do Lud. deſideriū. Eo conciliato magnum animarum lucrum futurum.

Aeſtimamus equidem quod ſi Ludouicus prædictus, eiuſque ſequaces, fautores, et adhærentes innumeri poſſint ſaluis præmiſſis a via perditionis, per quam gradiuntur oberrantes extra ouile dominicum, reduci ad gremium eccleſiæ, maximum obſequium Deo, lucrifaciendo ſibi tot animas diabolicæ voracitati expoſitas, proculdubio præſtaretur; obuiareturque magnis periculis, quæ interdicti et excommunicationis ſententiæ, quibus illa regio Alamanniæ tot circumuoluta temporibus extitit, comminantur; præſertim cum ex ſimilibus ſchiſmata et rebelliones conſueuerint aduerſus eccleſiam et fidem catholicam periculoſe nimium alias pullulari. Audimus etiam multas terras Italiæ, in quibus propter defectum recti regiminis nec iuri paretur, nec iuſtitiæ ſed mala multiplicantur continue, quibus eſſet ſalubriter conſulendum. Super dilatione autem petita prædicti negotij, vt præfertur, nihil valemus a iua præſentialiter reſpondere, niſi quod negotium ipſum per fratres noſtros ſingulariter videtur, et examinatur mature.

Eo non admiſſo ingraueſcere hæreſes.

Addit Benedictus ſe apud Pontemſorgiæ in diſcutienda de viſione Dei, quam facialem vocant, quæſtione cum theologis & Cardinalibus occupatū, poſtea vero operam omnem ac ſtudium in reducendi ad eccleſiam Ludouici cauſa defixurum. Interim ſi occurrant aliqua, quæ ipſius ac Regis Siciliæ in illius tractatus cum Ludouico conditionibus dignitati obeſſe videantur, vel eorum rationibus ac ſecuritati minus caueatur, ſignificet. *Dat. Auin. v. kalend. nouembris anno* 1.

Ob impedimenta obiecta Francor. Rex ingētia ſibi parat pericula Reconciliatio Ludouici in aliud tēpus extracta.

Latebat Philippum Francorum Regem quantam malorum molem ex retardata Ludouici Bauari reconciliatione in ſe traheret: quam cum poſtea, mutata temporū ratione, quamuis iniuſtæ a Ludouico leges proponerentur, vrgeret repulſam paſſum viſuri ſumus. Interea Pontifex apud Ludouicum ſe excuſauit a, ſi pijs de reconciliatione ipſius cum eccleſia maturanda votis non aſſentiretur.

Benedictus, & magnifico viro Ludouico de Bauaria ad promerenaum in præſenti gratiam, & in futuro gloriam, Deum diligere veraciter & timere.

a Ep. 806.

Allata a Bened. excuſatio.

Dudum circa feſtum natiuitatis B. Mariæ virginis proximo præteritum, tunc nobis caſtro noſtro Pontiſſorgiæ Auinionenſis diœceſis exiſtentibus, venerunt ad præſentiam noſtram nuncij tui; & tua nobis procuratoria ſuper tua reductione ad gratiā ſanctæ matris eccleſiæ exhibentes, paterne audiuimus quæ ipſi tam ſuper contentis in eiſdem procuratorijs, quam alijs pro parte tua proponere curauerunt: dictorum procuratoriorum tranſumpta fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ad videndum & examinandum fecimus pro feliciori & celeriori expeditione negotij aſſignari, &c.] Addit ſe in diſcutienda de viſionis diuinæ eſſentiæ quæſtione occupatum nondum potuiſſe omne ſtudium in id intendere, contendentibus Cardinalibus controuerſiæ ſolutionē ad omnes fideles, quibus magno ſolatio futura ſit, ſpectare; nec facile, ſi abrumperetur redintegrari poſſe: quare rogauit, vt ipſum excuſatum haberet ſi eius deſiderijs non obſecundaret. *Dat. Auin. vi. id. ſeptembris anno* 1.

8 Quod ad controuerſiam de viſione beatifica ſpectat; docuiſſe Benedictum animas ſanctorum omnis noxæ labe perpurgatas ante extremū iudicium diuinæ eſſentię intuitione perfrui, refert Ptolemæus a Lucenſis: *In purificationis*, inquit, *beatæ Virginis feſto primo anno pontificatus ſui celebrans, fecit ſermonem, et erat ſuum thema: Ecce ſponſus venit, Matthæi xxi. in quo publice dixit, quod ſancti viderunt clare eſſentiam Dei contra opinionem prædeceſſoris ſui, qui de hoc dubium fecerat vt ſupra dictum eſt de eo.* Aſcripta eſt vulgo illi eiuſmodi opinio, quod argumenta pro ea parte ex patribus ad diſcutiendam veritatem diligenter collegiſſet b: *Item pridie nonas februarij fecit vocari omnes illos ad ſuum conſiſtorium, qui prædicauerunt opinionem ſui prædeceſſoris, quod viſio non eſſet eſſentialis Dei, volens ſcire motiuum ipſorum, etc.* Interiectis nonnullis ait ſe æſtate Ponriſſorgiæ receſſus petiiſſe, vt cum doctoribus diſcutiendæ quæſtioni operam daret: *Item c pridie nonas eiuſdem menſis*, nempe iulij, *ſcilicet ſequenti die proxima, Papa Benedictus iuit ad Pontemſorgæ, volendo ibi vacationes deducere, & habuit ſecum plures magiſtros in theologia: & coram illis et dominis Cardinalibus, quibus placuit intereſſe, fecit legi librum, quem ipſe Benedictus Papa compoſuit de viſione, & autoritates ibi poſitas fecit præaictos magiſtros examinare, an eſſent pertinentes, & ibi quæſtiones viſionis examinauit.*

a Ptol. Luc hiſt. eccl. M.S. l. 24. c. 42. Controuerſia de viſione beatifica diſcuſſa.

b Io. xxii. to. 9 p. 2. ep ſecr. pag. 195. & alibi & Ben. xii. M.S. bibl. Vat. ſign. n 406 in præfat. operis.

c Ead. ep. Compoſitus de eo liber a Bened. in Cardinalatu.

9 Extat earum quæſtionum volumen inſigne in bibliotheca Vaticana d, cuius operis præfationem, cum lectori nullum parere faſtidium poſſit, & maximam digniſſimarum rerum amplitudinem breui compendio colligat, attexemus: *Beatus*, inquit, *Petrus, cui Dominus poſt confeſſionem trinam ſui amoris ſuas oues paſcendas commiſit, volens Chriſti oues ſic in doctrina ſcripturæ ſacræ, qua ſpiritualiter paſcebat, eſſe inſtructas, hortatur & monet eas, dicens prima Petri* iii. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe & fide.* Et infra: *Et ſi ad hoc omnes fideles Apoſtolus exhortatur, magis hoc epiſcoporum qui eccleſiam ſanctam Dei regere ſub domino Chriſto ſuſceperunt, officium & opus eſſe debet; propter quod & Paulus ſcribens Tito de virtutibus, quæ ineſſe debent epiſcopo, inter alias dicit ad Tit.* i. *Amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* Et infra: *Idcirco cum in tali ſtatu Deus ſua gratia & miſericordia, nullis meis meritis præcedentibus, in eccleſia poſuerit, iuxta mandatum talium duorum principum Apoſtolorum illud, quod mihi videatur ſanæ doctrinæ aduerſari tam motus propria conſcientia, quam præcepto felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædeceſſoris & patris mei ac ſingularis benefactoris, quæ a tempore, quo aſſumptus fui ad Cardinalatum, in eccleſia emerſerunt, quantum Dominus dignatus fuit mihi concedere, redarguere pro poſſe & conuincere volui.* Et infra: *Inter cætera quæ inter nonnullos in quæſtionem deducta fuerunt, licet apud alios, inter quos ego vnus eram, altera pars indubitate teneretur ſecundum illa, quæ communis doctrina eccleſiæ tenebat, fuit quæſtio longo tempore agita-*

d M.S. bib. Vat. ſign. n. 4006.

Quę cauſa ad ſcribendum ipſum impuler int.

Status quæſtionis primariæ.

ta, & pro vna parte & altera hinc inde multa & sibi aduersantia dicta: an scilicet animæ sanctorum hominum defunctorum hic a peccatis & pœnis peccatorum, vel post mortem in purgatorio purgatæ ante generale iudicium, quod erit post generalem resurrectionem, diuinam essentiam videant, vel visuræ sint visione aperta & faciali. Circa quam etiam motæ fuerunt quædam aliæ, scilicet an fides, vt est virtus theologica proprie accepta maneat in dictis animabus vsque post finale iudicium: & de spe, vt est virtus theologica proprie accepta, consimilis quæstio fuit mota. Contraria etiam quæstio primæ tunc etiam extitit ventilata, an scilicet animæ hominum, in peccato mortali actuali decedentium ex hac vita sint in igne infernali de communi lege, & in infernum ponendæ, vel non. Lateraliter etiã circa hoc fuit quæstio mota, an dæmones omnes sint & futuri sint in isto aere caliginoso vsque ad diem iudicij, vel eorum aliqui sint in inferno interim vel continue vel interpolate. Super quibus quæstionibus varia & diuersa a multis & multum literatis viris dicta & scripta tunc fuerunt.

Motæ aliæ quæstiones.

10 De prima enim quæstione aliqui dixerunt, quod dictæ animæ sanctorum, licet post Domini ascensionem essent in cælo in magna claritate, & ibi essent in requie, quia de cætero non haberent mortis vel corporalis vel spiritualis timorem, nec aliquam afflictionem pœnalem de vel pro peccatis præteritis, vel ex aliqua alia causa, nec etiam timerent de cætero in peccatum quodcumque labi; tamen vsque post generale iudicium facialem diuinæ essentiæ visionem & fruitionem, in quibus beatitudo plena consistit, non habebant nec habituræ erant: sed interim stabant sub altare Dei in cælo, id est sub Christi humanitate glorificata, eam videndo, & consolationem magnam de eius visione & præsentia suscipiendo, & etiam in sanctorum angelorum consortio: & in prædictis bonis existendo, beatæ, ac in paradiso & in regno cælorum esse dicebantur: dicentes quod talis beatitudo ante corporum gloriosam resurrectionem dictis animabus a corporibus separatis congruebat; sed in generali resurrectione resumerent sua corpora gloriosa, cum quibus ad Christi iudicium venientes, data sententia per eum, dicendo eis: Venite benedicti Patris mei, &c. ad Dei visionem & fruitionem beatificam peruenirent; inducendo ad probandum dictas conclusiones multa dicta sacræ scripturæ & sanctorum doctorum, ac etiam rationes. Ex quibus videbatur eis, quod dictæ conclusiones probarentur vel simpliciter, vel ad minus quod hoc sicut opinio probabilis teneri posset. Alijs autem, de quorum numero ego eram, videbatur propter multa dicta sacræ scripturæ, glossarum sanctorum doctorum, & etiam propter auctoritatem ecclesiæ, quæ hoc videbatur tenere & tenuisse; & etiam ex illis, quæ altera pars credebat habere animas sanctas, quod dictæ animæ sic purgatæ ante generale iudicium & etiam ante corporum suorum glorioſorum resumptionem videbant, & visuræ erant post mortem Christi Dei essentiam visione faciali, & ipsa Dei essentia visa beatifice fruebantur.

Erronea aliquorũ opinio.

Fundamẽtum illius

Contraria & vera sententia.

11 Ex istis, aliquibus dicentibus probabiliter, quod post generalem resurrectionem vel iudicium generale Dei essentiam dictæ animæ perfectius, plenius, vicinius, clarius non solum extensiue, sed & intensiue visuræ essent; & quod earum beatitudo essentialis post generale iudicium magnum acciperet augmentum: quæ opinio visa fuit mihi tunc verior & magis consona dictis sanctorum, & adhuc etiam, omni assertione temeraria circumscripta, probabilior mihi etiam videtur, sicut satis apparebit in processu: & facilius difficultates contra istam secundam positionem per illos, qui tenebant primam positionem inductæ, solui possunt. Alijs autem visum fuit, quod in essentia beatitudinis nullum augmentum fieret post generale iudicium; sed quod nunc, quantum pertinet ad beatitudinis essentiam, æque perfecte & in æquali gradu perfectionis beatæ sunt, sicut erunt post finale iudicium.

Agitata quæstio an intensior visio post iudicium futura.

12 De secunda etiam & tertia quæstione, scilicet an in dictis animabus maneant fides & spes, vt sunt virtutes theologicæ proprie dictæ, & sub proprijs suis rationibus; primi qui præcedentem positionem de beatitudine animarum defendebant, dixerunt quod in dictis animabus proprie manent & manebunt vsque post finale iudicium actus fidei & spei: qui actus euacuabuntur post finale iudicium, quando Dei essentia facialiter videbitur, & beati ipsa fruentur, & ante non solum in omnibus, sed nec in singulis ipsorum: illis vero de secunda positione videbatur, quod ex quo, secundum eos, dictæ animæ Dei essentiam videbant, & visuræ etiam erant ante generalem resurrectionem, & per consequens ante generale iudicium, quod in talibus animabus, sic Dei essentiã videntibus actus fidei & spei, vt sunt proprie virtutes theologicæ, non erant, sed tales actus in eis euacuati erant.

An fides & spes desinant in beatis.

13 De quarta vero quæstione, an scilicet animæ impiorum hominum, de hac vita in peccato mortali actuali decedentium, de communi lege essent in inferno; illis de prima positione beatitudinis animarum videbatur, quod licet dictæ animæ aliquam afflictionem habeant, tamen in igne infernali nõ ponentur, nisi cum resumptis corporibus in generali resurrectione per sententiam Christi iudicis eis dicetur: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Illi vero qui secundam positionem tenebant, dicebant quod de communi lege animæ talium hominum impiorum ante generalem resurrectionem & iudicium ponebantur in inferno, & ibi igne infernali cruciabantur; sed post generalem resurrectionem & iudicium in corpore & anima in igne infernali ponentur grauius cruciandi quam ante.

An damnatorum animæ torqueantur igne ante iudicium.

Quæstio de supplicijs dæmonum.

14 De quinta vero quæstione primi dicebant quod dæmones omnes generaliter erant in isto aere caliginoso vsque ad diem iudicij, et nec continue nec interpolate aliquis dæmon esset in inferno. Sed post generale iudicium omnes dæmones in inferno igne infernali cruciandi ponentur, exinde postea nunquam exituri. Illi autem, qui secundam positionem tenebant dicebant, quod aliqui dæmones erant in isto aere caliginoso ad tentandum & exercendum homines, & essent ibi eorum aliqui vsque ad diem iudicij: aliqui vero dæmones erant in inferno vel ibi continue detenti, vt igne infernali cruciarentur propter magnitudinem peccati eorum: aliqui vero erant vt animas impiorum hominum ibi cruciarent, vel illuc adducerent, & hoc vel continue vel per vices.

Distinctio operis.

15 Et quia tam de diuersis et altis quæstionibus tunc tractabatur, ego volens distincte, quantum mihi possibile erat, in ipsis procedere, hunc libellum per sex tractatus distinxi, diuidens etiam dictos tractatus per capitula, & apponens ante dicta capitula rubricas dictorum capitulorum, sententias breuiter continentes. Præposui etiam dictis tractatibus capitula illa, quæ in quolibet de dictis tractatibus continentur, vt facilius quisque inuenire posset illa, quæ in dictis tractatibus quæreret.

16 In tractatu autem primo hunc ordinem tenui, quod primo ex illis, quæ concedebat pars aduer-

sa

Argumẽtum primi tractatus & ordo eius.

ſa, animas ſanctorum a peccatis & pœnis peccatorum purgatas habere ante generale iudicium ſicut quod erant in regno cælorum & in paradiſo cæleſti, & habebant æternam requiem, & erant cum Chriſto, eius claritatem videndo, conatus fui oſtendere, quod ex quolibet ſupradicto per eos conceſſo & magis ex omnibus ſimul ſequebatur, quod Dei eſſentiam facialiter videbant, & ipſa fruebantur. Deinde per partes oſtendi quantum potui, quod animæ ſanctorum Apoſtolorum & animæ ſanctorum patrum, qui ante Chriſti paſſionem & eius in cælum aſcenſionem deceſſerant, nihil habentes in ſe purgabile ſunt in cælo, & habent vitam æternam, & Dei viſionem: & deinde idem oſtendi de animabus ſanctorum martyrum & de animabus fidelium, nihil purgabile in ſe habentium. Ex conſequenti etiam oſtendi, quod in talibus actus fidei & ſpei ſecundum propriam rationem non manent. Oſtendi etiam illud idem de paruis baptizatis, qui in illa ætate, antequam habeant vſum liberi arbitrij ex hac vita decedunt: ſed quia prædicta & alia, de quibus agitur in primo tractatu, ratione naturali probari non poſſunt, ad probandum concluſiones poſitas in dicto tractatu auctoritatibus ſcripturæ ſacræ & gloſſæ eius ordinariæ, ac laudibus eccleſiæ, quibus vtitur in feſtis ſanctorum communiter, & dictis ſanctorum catholicorum patrum per eccleſiam approbatorum ſolum vſus fui, deducendo concluſionem meam ex dictis per eos, vtens etiam eorum verbis. Vt autem dictæ auctoritates citius inuenirentur, loca ex quibus ipſas aſſumpſi poſui.

In eo probatur ſanctos ante iudicium Deum videre.

In ſecundo impios cruciari in inferno.

17 *In tractatu vero ſecundo oſtendi quantum potui, quod animæ hominum peccatorum, in peccato mortali actuali decedentiũ; & quod etiam aliqui dæmones ante generale iudicium ſunt in inferno, & ibi etiam igne infernali cruciantur; & quod non ſolum tali igne exiſtentes in inferno cruciantur, ſed etiam, quod dæmones, qui ſunt in iſto aere caliginoſo, igne infernali cruciantur. Et iſtas concluſiones, ſicut & præcedentes, per dicta ſacræ ſcripturæ & gloſſarum ac ſanctorum patrum catholicorum probaui, prout melius potui.*

In tertio nunc a beatis aliqua ignorari, quæ ſcientur poſt iudicium.

18 *In tractatu vero tertio vt poſſem oſtendere quomodo multa, quæ neſciunt tam ſancti angeli quam etiam ſanctæ animæ nunc, in generali iudicio, & poſt ſcient plene & perfecte, diſtinxi de triplici Dei iudicio, & oſtendi, quod merita & demerita hominum, ſecundum quæ a Domino in vita præſenti iudicantur ante iudicium generale, nec ſancti angeli nec homnes ſciunt, quia neſciunt cogitationes et intẽtiones cordis humani, in quibus principaliter merita et demerita conſiſtunt: nec diuinam prædeſtinationem et præſcientiam de ſaluandis vel damnandis iſtis vel illis homnibus particulariter et diſtincte etiam ſancti angeli vſque ad generale iudicium ſciunt, nec cauſam ſcientiæ prædeſtinationis diuinæ, quare hunc vult ſaluari, alium non; et quod cauſæ iudiciorum Dei abſconditæ ſunt in præſenti et angelis ſanctis et hominibus, et quod futura contingentia, niſi eis reuelentur, nec angeli ſancti nec animæ ſanctorũ ſciunt, ſed in generali iudicio et poſt omnia prædicta tã ſanctis angelis quã ſanctis hominibus erunt nota et manifeſta. Ex quibus concluſi, quod multa ſunt, quæ beati nunc recte deſiderant ſcire, quæ tamen neſciunt: ipſa tamen ſcient in iudicio vel poſt generale iudicium, quia tunc tolletur omnis neſcientia ab eis omnium eorum, quæ ſecundum rectam rationem ſciri appetuntur ab angelis et hominibus beatis. Ponuntur etiam cauſæ, quare beatitudo ſanctorum intenſiue ſecundum me & multos alios, vel extenſiue ſecundum alios multum augebitur poſt generale iudicium, quia eorum ſcientia erit perfectior, & eorum amor intenſior multo plus quam ante fuerit. Oſtenditur etiam, quod tam dæmones quam homines impij multo plus cruciabuntur poſt generale iudicium quam ante, & quod cruciatus eorum ex multis augebitur.*

In quarto ſoluuntur difficultates cõtra viſionem beatificã

19 *In quarto vero tractatu ponuntur auctoritates & rationes factæ per illos, qui tenere videbantur, quod animæ ſanctorum purgatæ ante generale iudicium non viderent Dei eſſentiam viſione faciali. Ponendo autem dictas auctoritates & rationes, verba eorum ex integro poſui, vt melius videatur ſi auctoritates per eos inductæ, et rationes plene ſoluantur & etiam impugnentur: quaſi enim in ſolutione cuiuslibet auctoritatis hunc modum tenui, quo & eorum dictum impugnaui, et per ſanctos impugnationem probaui, & deinde eorum dicta ſolui, inducendo in dictis ſolutionibus multa dicta ſanctorum et gloſſarum, quæ ante non poſueram in primo tractatu. In ſolutione autem dictarum rationum et auctoritatum alterius partis frequenter plures ſermones poſui, aliquando ex illis ſolutionibus vnam præeligendo, quæ magis mihi videbatur dictis ſanctorum et rationi conuenire: aliquando vero nullam dictarum ſolutionum elegi, ſed ipſarũ electionem lectoris dimiſi. Et quia aliquæ rationes et auctoritates videbantur eſſe fundamenta poſitionis aliorum, illas magis proſecutus fui, ponendo multa capitula in ſolutione ipſarum, ſecundum quod mihi viſum fuit expediens eſſe, vt magis materia declararetur. Et quia a principio non omnes rationes et auctoritates induxerunt, ſed aliquas, poſtea multo plures addiderunt; idcirco primo ſolui illas, quas primo induxerũt, & ſubſequẽter alias, prout ſucceſſiue per eos inducebantur. Frequenter etiã quia in auctoritatibus, quas accipiebant, aliqua addebãt, quæ non erant in textu; aliqua ſubtrahebant, quæ erant in textu; aliqua etiam mutabant, vt ſic ad probandum eorum propoſitum valerent; vbi hoc factum per eos inuent, auctoritates tales ita per eos poſitas, vt iacent in textu, de verbo ad verbum poſui vt per hoc oſtenderem, quod non recte auctoritates prædictæ per eos poſitæ erant, & etiam vt ex hoc clare & manifeſte dictæ auctoritates ſoluerentur.*

In quinto confutantur, qui affirmant nullos dæmones in infernum adhuc eſſe detruſos.

20 *In quinto vero tractatu poſui rationes & auctoritates eorum, quas induxerunt ad probandum, quod nullus diabolus eſt in inferno, nec erit vſq; poſt finale iudicium: quam poſitionem impugnaui, addendo ad illa, quæ ſupra dixeram in ſecundo tractatu, multas auctoritates ſanctorum: & deinde ſolui impugnationes, quas faciebant contra dicta ſanctorum doctorum, qui in contrarium ſenſerunt, et deinde ſolui rationes & auctoritates, quas pro parte ſua ponebant, in hoc tenendo modum, quem tenueram in ſoluendo rationes & auctoritates, quæ poſitæ fuerunt in quarto tractatu.*

In ſexto, ſoluuntur obiectiones cõtra concluſionem tecũdam.

21 *In ſexto vero & vltimo tractatu poſui auctoritates & rationes eorum, quas inducebant ad probandum, quod animæ impiorum hominum in peccato mortali actuali decedentium non ponebantur in inferno, nec ponentur vſque poſt finale iudicium, quando in corpore & anima impij in ignem æternum ponentur: & illam poſitionem primo impugnaui, inducendo ad hoc multas auctoritates, quas ante in ſecundo tractatu non induxeram: & poſtea ſolui rationes & auctoritates factas per eos in contrarium, tenendo modum in ſoluendo, quem tenueram in quarto tractatu. Et ſic terminaui iſtum libellum, quem a potiori ſua parte intitulaui: De beatitudine animarum ſanctarum a peccatis & pœnis peccatorum purgatarum, quam habent ante generalem*

lem retributionem, & habitura sunt. Sic enim & Augustinus fecit, quando conscripserat librum de ciuitate Dei, de quo ipse loquens in retractatione dicti libri, dicit: Omnes viginti duo libri, cum sint de ciuitate Dei & diaboli conscripti, tamen titulum a meliore acceperant, vt de ciuitate Dei potius dicerentur.

Ioannes XXII. professus est, nil se in quæstione dixisse nisi conferendo.

22 *Quamuis autem supradictus prædecessor meus pro illa parte supradictarum quæstionum, quam non teneo nec tenui, solum induxerit rationes & auctoritates in sermonibus & in scriptis, & non pro parte quam teneo; tamen frequenter tã in sermonibus, quam in consistorio dixit publice corã magna multitudine populi, quod illa, quæ dicebat circa ista, non dicebat nisi conferendo; & quia pro parte illa, ad quæ inducebat rationes, & auctoritates, parum aut nihil per alios inductum fuerat, ideo vt veritas clarius appareret, ex tali collatione pro illa parte, quæ indefensa esse vsque tunc videbatur, dictas probationes inducebat: quod declarauit circa finem vitæ suæ, & etiam super hoc mandauit fieri literas suas bulla bullatas, declarando quod ipse fideliter crediderat & credebat, quod sanctorum animæ a peccatis et pœnis peccatorum purgatæ ante generalem resurrectionem & iudicium Dei essentiam facialiter videbant, secundum quod ipsarum status patiebatur. Quod dico, ne quis existimet, eum asseruisse & tenuisse cõtrarium illius, quod nunc postquam fui, licet indignus, assumptus ad apostolatum, per me extitit de consilio Cardinalium determinatum.*

Sententiam verã in extremo vitæ actu est professus.

23 *Quamuis autem supradictus libellus fuerit lectus ex integro coram multis Cardinalibus & prælatis, & magistris in theologia pluribus ac in decretis, & multis alijs intelligentibus viris, & per longum spatium temporis diligenter examinatus; quãuis etiam a multis rogatus fuerim, quod ipsum publicarem; tamen hoc facere nolui quousque tam per me quam per alios in theologia magistros iuratos iterum fuit examinatus. Nunc vero ad profectum ecclesiæ Christi ipsum publicare volo, non ad illum finem, quod reperirem talia in illo contineri, quæ digna sint cõmunicari intelligentibus & subtilibus viris, maxime in theologica facultate peritis, qui multo meliora possent inuenire & dicere; sed pro simplicibus ne, si forte in posterum talia dubia in ecclesia orirentur, possent decipi, si ista, qualiacumque sint, non præuidissent; & vt etiam ostendatur posteris, quod non sine ratione & causa determinatio supradicta ab ista sancta sede processerit.*

Reddit Bened. rationẽ suæ fidei.

24 *Quamuis autem nullum oportet per hominem non inspiratum Dei spiritu, vel si sit inspiratus de inspiratione non constet, fiat vel factum fuerit quod reprehensioni non pateat, dicente Hilario x. de Trinitate c. 1. Non est ambiguum omnem humani eloquij sermonem conditioni obnoxium semper fuisse, quia dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit sensus animorum; tamen non propter hoc amator veritatis illa, quæ ei Deus dat, quæ ad multorum profectum possunt valere, abscondere vel celare debet, iuxta illud psalmi: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi. Vbi dixit Cassiodorus: Iusti voluntas est, quando potest prodesse, non abscondere veritatem; vnde & postea statim subditur in psalmo: Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam a consilio multo. Si enim quod ad erogandum alijs a Deo accepimus, inter cordis nostri secreta retinemus, nec alijs pandimus, dono Dei male vtimur, & alios illo, quod eis debetur, defraudamus. Et ideo talia non sunt abscondenda proximis, sed propalanda, iuxta illud, quod dicitur Tobiæ XII. Opera Dei*

Cur scripta sua in vulgus edat.

reuelare & confiteri honorificum est. Vnde nec propter obloquentes talia supprimenda sunt, quia si illud, quod est reprehensibile reprehendant, datur materia emendandi illud, in quo erratum est: si autem illud, quod rectum est reprehendant, datur materia veritatem defendendi, ac etiam declarandi. Et ita eorum reprehensio siue sit iusta siue iniusta, vtilis est illi, qui doctrinam propalauit, & etiam vtilis est doctrinæ: & ideo propter talem timorem reprehensionis veritatis amator non debet celare quod Deus ei ad alijs erogandum dedit. Ista autem quæ in hoc libello per nostrum ministerium posita sunt, sic accipi volumus, exceptis conclusionibus per nos in constitutione, quæ incipit, Benedictus Deus, determinatis quæ non per modum determinationis ecclesiæ, nec vt papaliter dicta æstimentur; sed vt scholastice & magistraliter dicta habeantur sic, quod licitum sit cuique in alijs dicere, quod ei magis consonum fidei & veritati diuinæ scripturæ, ac dictis sanctorum videbitur esse dicendum. Videat tamen quilibet diligenter, qui contrarium dicere voluerit, quid et qualiter dicturus sit, et quomodo probaturus. Hoc autem opus, sicut et cætera mea scripta et dicta examinationi, correctioni, approbationi, reprobationi, si expediens videatur, suppono sanctæ Romanæ ecclesiæ et successorum meorum canonice intrantium; protestans ex nunc, velle me tenere et credere quod sancta Romana ecclesia super prædictis determinauerit secundum diuinas scripturas, et sanctorum catholicorum doctorum per ecclesiam approbatorum auctoritates et dicta.

Non vt ex Petri cathedra, sed tanquam a priuato doctore dicta vult accipi.

25 Aggressurus deinde Benedictus cõtrouersiã, in primi tractatus exordio nonnulla præmittit, de quibus apud omnes constet; ac primum animas sanctorum, quæ omni noxæ labe purgatæ sunt, cælo excipi ante generale iudicium: eas etiam corpus & animam Christi intueri, & sub eius protectione, doctrina vel illuminatione, consolatione & gaudio existere, solutas etiam omni labore & metu contrahendæ vllius noxæ; post iudicium autem diuinæ essentiæ claro intuitu potituras. Tum ex illis, quæ vulgo concedunt aduersarij, probat eriam ipsas ante iudicium generale diuina gloria perfrui: ac primum ostendit regnum cælorum & mercedem cęlestem, aut vitam æternam, aut paradisum acceptum pro præmio bonorum operum, idem esse: vel esse cum Christo in regno Dei cælesti esse idem, quod habere vitam æternam ac Dei visionẽ. His vero positionibus constabilitis, astruit sanctorum animas ante iudicium Deum facie ad faciem intueri, idque de animabus sanctorum veteris testamenti, quæ Christo ascendente in cælos penetrarunt, deque martyribus noui testamenti, multis sanctorũ, qui diuino afflati spiritu fideles docuerunt, auctoritatibus confirmat, ex quibus pauca hæc decerpimus.

Vt ex concessis ab aduersarijs suam primum astruat sẽtentiam.

26 *Quod martyres existentes sub altari Dei, quod est in cælo, diuinam essentiam videant, patet per Gregorium II. lib. moral. cap. III. vbi exponens illud, quod dicitur apocal. VI. cap. de animabus martyrum, quæ erant sub altare Dei, dicit inter alia: Cum sanctorum animæ ita interni secreti sinu Deo inhæreant, vt inhærendo requiescant, quomodo dicuntur petere quos ab interna voluntate constat nullatenus discrepare? Quomodo dicuntur petere, quas & voluntatem Dei certum est et ea, quæ futura sunt, non ignorare? et est sensus quæstionis, quare animæ martyrum petebant iudicium et vltionem de occisoribus suis, cum tamen scirent in secreto sinu Dei existentes Dei voluntatem non esse pro tunc, quod de eorum occisoribus vindicta vel iudicium pro tunc*

Quomodo animæ martyrũ dicantur esse sub altari Dei

tunc fieret, quando ipſa petebant. Cui quæſtioni reſpondens ſubdit: Sed in ipſo poſitæ aliquid ab ipſo petere dicuntur, non quod quidquam deſiderent, quod ab eius, quem cernunt, voluntate diſcordet; ſed quo mente ardentius inhærent, eo etiam de ipſo accipiunt, vt ab ipſo petant, quod eum facere velle nouerunt. De ipſo ergo bibunt, quod ab ipſo ſitiunt, & modo nobis adhuc incomprehenſibili in hoc, quod petendo eſuriunt, præſciendo ſatiantur. Diſcordarent ergo a voluntate Conditoris, ſi quæ eum vident velle non peterent; eique minus inhærerent, ſi volentem dare deſiderio pigriori pulſarent. Quibus reſponſum diuinitus datur: Requieſcite tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conſeruorum & fratrum veſtrorũ. Deſiderantibus animabus requieſcite adhuc modicum dicere, eſt inter ardorem deſiderij ex ipſa præſcientia ſolatium conſolationis inſpirare, vt & animarum vox ſit hoc, quod amantes deſiderant & reſpondentis Dei ſermo ſit hoc, quod eas retributionis magnitudine inter deſideria confirmat. Reſpondere ergo eius eſt, vt collectionem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere, vt cum carnis reſurrectionem appetunt, ex colligendorum fratrum augmento gratulentur, &c. Plura non addimus, cum iterum ſermo de his proximo anno recurrat: nunc ſuauiſſimarum rerum tractationem bellorum fragores abrumpunt.

Italia a tyrannis laniata.

27 Laniabatur ob diuturnum interregnum continuis bellis, ob quæ inter cætera admittendum in gratiam Ludouicum videri Pontifex ad Regem Francorum ſcripſerat a, tum ob Romani Pontificis abſentiam Italia, quam proceres inter ſe partiri ſanxerant, ſacramenta tamen violaturi ſi aliud ambitio & auaritia ſuaderent de quibus pluribus agunt b Ioannes Villanus, Leonardus Aretinus, S. Antoninus & alij. Inde Placentia & Lauda ab Azone occupata c, Parma & Luca proditæ Maſtino Scaligero, qui eo elatus ſucceſſu Piſas pertentauit, Rhegium in Gonzagæ Mantuani, Mutina diutina obſidione preſſa in Ateſtinorum poteſtatem ceciderunt: Redacta erat a tyrannis in ſeruitutem magna alterius ditionis eccleſiaſticæ pars: Malateſta quidem Ariminum, Forumliuium Ordelaffus oppreſſerant, potentiamque in ruinis eccleſiæ excitare ſatagebant. At Pontifex recuperandam eccleſiaſticam ditionem clementia potius quam armis ratus, Malateſtam & alios perduelles ad officium hortatorijs literis reuocare ſtuduit d: cumque tot malis Pontificis præſentia mederi poſſe videretur, ob clientum tamen eccleſiæ motus Benedictum Italicæ profectionis conſilia abiecisſe refert eius vitæ auctor e: ſeu potius cum eam rem in conſilium cum Cardinalibus adduxiſſet, ij a Philippo Rege deliniti ad ſedem Auenione conſtabiliendam auctores fuere, vt palatium pontificium magnis ſumptibus excitaret f: quippe pontificatu in Gallica gente retento, Gallicam rem amplificatum iri ſperabat Rex, ingentiaque ſe beneficia conſecuturum. In quam ſententiam Albertus Argentinenſis g alijque ſcribunt, Philippum Regem importunis poſtulatis Pontificis, & Cardinalium animos a ſe abalienaſſe; flagitaſſe nimirum Ioanni filio duci Normanniæ Viennenſe regnum attribui, ſe proregem Italiæ ſiue vicarium creari, decimas omnium vectigalium eccleſiaſticorum totius orbis, ac theſaurum eccleſiæ ampliſſimum a Ioanne relictum in belli ſacri ſumptus tradi. Vt vt res fuerit, e pontificijs certe literis cõſtat h, Philippi oratores nonnulla ad Syriam armis repetendam ineundi cum ſede Apoſtolica fœderis capita obſcura, & inuoluta magnis difficultatibus rei Chriſtianæ Regique Francorum exitialia attuliſſe, quaſi nimirum infringendi voti occaſionem quæreret. Illum porro ad ſectandas Rege dignas virtutes, cultum ſcilicet & amorem diuini Numinis, venerationem eccleſiæ, ſacerdotum obſeruantiam, libertatis eccleſiaſticæ tuitionem, æquitatem in ſubditos, liberalitatem & clementiam in miſeros excitauit a: hæc firmiſſima principum eſſe munimenta, quibus fultus hoſtes omnes facile proſterneret, ac perennem in cælo triumphum eſſet celebraturus.

a To.1.ep. ſecr. 437.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

Pontificia ad Phil. monita.

28 Non dubitamus quod, ſi te in timore & amore Domini tenueris, honorando ſanctam eccleſiam vnicam ſponſam ſuam, qua in honore habita, ipſe noſcitur honorari, eiuſque miniſtros fauore proſequendo beneuolo, ac in ſuis iuribus & libertatibus confouendo; nec non colendo, obſeruando, & obſeruari faciendo pacem & iuſtitiam in ſubditis, pauperibus, orphanis, pupillis, & viduis miſerando, & ab oppreſſionibus indebitis defendendo; quodque conſiliarij & officiales regij, ſinceram in hac parte voluntatem regiam ſentientes, exequantur præmiſſa fideliter, & obſeruent; Deus ipſe, per quem regnas & regeris, qui malorum & præſumptorum nouit infatuare conſilia, tuos & regni prædicti æmulos & aduerſarios tibi ſubijciet, vel ad tuum adducet beneplacitum, tibi & eidem regno votiua tranquillitate conceſſa, dies tuos, cum honoris augmento longiores efficiet; & tandem poſt laborum decurſum præſentium de temporali regno, quod obtines, ad gloriam prouehet ſempiterni, &c. *Dat. apud pontem Sorgiæ Auinionenſis diœceſis xv. kal. auguſti anno* 1. Subiecit etiam Reginæ Francorum pios ſtimulos Benedictus b, vt virtutum ſtudio ſe addiceret: vt enim moribus ornatiſſimus erat, ita in principes virtutes transfundere exoptabat; neque ſolum in dignitate, verum in zelo quoque propagandæ religionis, tuendæque aduerſus infideles Ioanni prædeceſſori ſucceſſerat, cumque Regis Francorum, Helioni Rhodiorum equitum magiſtri, ac Franciſci Danduli oratoribus egit c, vt ad Turcas comprimendos valida claſſis hoc anno inſtrueretur.

b Ib.ep.ſec 438 Agitata de inſtruẽda in Turcas claſſe conſilia.

c Ib.ep.ſec 108.

29 Traxerat antea Ioannes in eam armorum ſocietatem Robertum Siciliæ Regem, quem XII. kal. aprilis roganit Benedictus d, vt auxiliares triremes cum cæteris coniungeret.

d Ibid. ep. ſecr. 108.

Roberto Regi Siciliæ illuſtri.

Rogatus Siculus, vt in belli ſacri ſocietatem veniret.

Diris afflictionibus, quas infideles Turci moliuntur inferre; ſicut intulerunt hactenus, Chriſticolis partium Romaniæ, non ſine magna mentis amaritudine intellectis, nos & nuntij chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Regis Franciæ illuſtris, ac gentes hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani, & ambaxiatores dilectorum filiorum ducis & communis Venetorum apud ſedem Apoſtolicam præſentialiter conſtituti, de certa galearum armata pro defenſione Chriſticolarum ipſorum, præfatorumque Turcorum repreſsione ſub certis modis & formis pro anno iſto (ſicut pro præterito factum extitit) ordinatum extitit, ordinauimus tranſmittenda. Et licet negotium huiuſmodi cunctos Chriſti fideles tangere dignoſcatur, quia te tamen, fili chariſsime, concernit principaliter, ſicut regia circumſpectio non ignorat,

Philippi Regis importuna poſtulata.

a To.1.ep. ſecr. 641. blo. Vill.l. 11.c.31. &c. Ant. p.3.tit.21. c.7. Leonar. Aret. hiſt. Flor. l.6.

b Io. Vill.l. 11.c.30. & 40. Ant.3 p. tit.21.c.7. Leon. Are. hiſt. Flor. l.6.

c To.1.ep. ſecr. 251. Quæſita ex his motibus pro fectionis Italicæ abijciendæ occaſio.

d Geſta Bened. ex M. S. vet. apud Boſq. l.b. & M. S. bib. Vat ſignat. n. 3765. in Ben. XII.

e Argent. in chr.

f To.1.ep. ſecr. 508.

rat, confidimus quod tu, qui plus quam quicumque princeps alius potes in hac parte proficere, circa hæc promptis & efficacibus subsidijs & auxilijs vberius te impendes. Quocirca regalem magnificentiam attentius deprecamur, quatenus ad subueniendum eisdem Christicolis vna nobiscum ac Rege, hospitalarijs & Venetis supradictis dictorumque Turcorum furentem superbiam conterendum sic te, prout statum condecet regium, præpares & disponas, quod apud Deum crescas propterea cumulo meritorum, & apud homines famæ tuæ claritas augeatur, nos de intentione super ijs regia redditurus quantocyus commode fieri poterit nihilominus certiores. *Dat. Auin.* XIII. *kal. aprilis anno* 1. Extant etiam literæ [a], quibus pontificio sumptu quatuor triremes ad coercendas Turcicas grassationes instrui in portu Massilienſi iussæ sunt. Verum maximo rei Christianæ exitio fœdus illud aduersus fidei Christianæ hostes dissolutum ob nostrorum dissensiones innuit Nicephorus Gregoras, dum ait, Andronicum Imperatorem Constantinopolitanum; quem anno superiori ad armorum societatem cum occidentalibus pellectum vidimus, viginti triremes instruxisse, ac frustra expectata fœderata Latinorum classe, impetus aduersus Rhodios equites, quorum suspecta erat sibi potentia, conuertisse.

[a] *To. 1. ep. secr. 137.* Arma in Rhodios equites a Græcis vertuntur

30 Si vero Asiatica expeditio haud felicem exitum nacta est, ab omni criminis vel negligentię labe purus extitit Benedictus, quem pontificium studium pro ea promouenda explicuisse ex ipsius literis exploratum est. Creato Philippo vniuersarum Christianarum copiarum, quæ in Syriam nauigaturæ erant, supremo duce, data [b] fuerat a Ioanne Papa præsulibus prouincia, vt fideles ad sacra arma pro eripiendo e manibus impiorum sepulchro dominico corripienda accenderent; & quos diuinus amor ad subeundos impigre bellicos labores inflammasset, symbolo crucis insignirent, & alios, qui arma non capesserent, ad stipem pro tolerandis sumptibus conferendam propositis indulgentiarum præmijs pellicerent. Quæ a Ioanne constituta prouehere omni opera studuit Benedictus, datis ea de re ad vniuersos præsules encyclicis literis [c] quos omnia Ioannis diplomatibus contenta perficere, ac subsidiarium aurum in belli sacri sumptus tantummodo deriuandum cogere iussit. Cum vero Ioannis literæ ob varias occupationes a pontificijs scriniarijs transmissę non essent Balearium episcopo, Benedictus anno extremo munus eidem imposuit [d], vt Baleares ad sequendum in Babylonios Philippum Francorum Regem concitaret.

Benedicti studia pro expeditione Asiatica vrgēda

[b] *An. p. 1. ep. cur. 33.*

[c] *Ib. ep. cur 1.*

[d] *Ib. ep. cur. 31.*

Baleares ad sacram militiam inuitati.

Benedictus, etc. venerabili fratri episcopo Maioricarum salutem.

Dudum charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris velut Christianissimus princeps, claræ memoriæ Christianissimorum Regum Francorum antecessorum suorum (qui charitatis & deuotionis feruore succensi, tanquam fideles pugiles, & Christi athletæ constantissimi terræ sanctæ negotium per retroacta iam tempora cordi specialiter habuerunt, illudque fuerunt feruentius & fauorabiliter prosecuti) vestigia imitando, volens Redemptori nostro, qui eum sublimauit in Regem, per debitum obsequium in hoc seculo gratitudinem exhibere, ac se sibi reddere acceptabilem in excelsis, cunctisque fidelibus ad dictæ terræ sanctæ succursum exemplum præbere, ac viam etiam præparare; nec non suum desiderium, quod longo tempore habuit, etiam priusquam orthodoxi regni Franciæ gubernacula suscepisset, subueniendi calamitatibus & miserijs dictæ terræ, ac in eius subsidium transfretandi, cupiens ducere in effectum; per suos solemnes procuratores & nuntios, ad sedem Apostolicam pluries destinatos, solicitis & continuis instantijs felicis recordationis Ioanni Papæ XXII. prædecessori nostro tunc viuenti fecit humiliter supplicari, quod pro pleniori dictæ terræ succursu passagium generale indicere, ac pro illo celebrius & vtilius peragendo verbum crucis cunctis Christifidelibus cum indulgentijs consuetis prædicari mandare, eiusque passagij & totius exercitus Christiani, qui in illo, inspirante Domino, transfretabit, præfatum Regem generalem rectorem, & capitaneum constituere, ac pro huiusmodi faciendo passagio certa concedere subsidia dignaretur. Dictusque prædecessor sanctam intentionem eiusdem Regis, & feruentem compassionis affectum, quem ad statum, proh dolor! miserabilem dictæ terræ habere noscebatur, in Domino commendans; nec non gaudens, & exultans in eo, sibique gratias & laudes humiliter exoluens, quia dignatus est tam pium tamque salubre propositum regalibus præcordijs inspirare; cupiens quoque vt huiusmodi sanctum negotium Deo, cuius agitur causa, fauente felicibus prosperaretur euentibus, & votiuis proficeret incrementis; super ijs per eum cum fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, matura & diligenti deliberatione præhabita, ipsius Regis pijs & sanctis affectibus annuens, & supplicationibus inclinatus, ad honorem omnipotentis Dei, exaltationem & dilatationem catholicæ fidei, cunctorum fidelium animarum profectum, liberationem terræ, ac exterminium hostium prædictorum, eisdem nuntijs & procuratoribus, nec non prælatorum in curia Romana existentium, & aliorum fidelium multitudine copiosa præsentibus, auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio passagium generale ad terram ipsam indixit; ac præfatum Regem ipsius & totius exercitus Christiani, qui transfretaret in illo, rectorem constituit, & capitaneum generalem; & nihilominus per vniuersas mundi partes decimam ecclesiasticorum reddituum imposuit sexennalem, colligendam certis modis & formis, ac in vtilitatem dicti passagij terræ prædictæ subsidium, & alias contra infideles ac inimicos fidei conuertendam, nec non quædam alia subsidia pro ipso passagio fieri per alias suas literas ordinauit & leuari, quæ in eisdem literis plene & particulariter exprimuntur.

De indicta a Io. XXII. sacra expeditione.

Dictiq; procuratores & nuncij Regis eiusdem, ad hoc per ipsius patentes literas coram prædecessore & fratribus prædictis per ipsos exhibitas, sufficiens & speciale mandatum habentes, pro Rege ipso, & eius nomine in prædecessoris, fratrum, & aliorum prædictorum præsentia, ipsum passagium per eundem prædecessorem, vt præfertur, indictum illico assumpserunt, & capitaneatum & rectoriam illius & dicti exercitus acceptarunt, & in animam dicti Regis, prout poterant, ex eodem mandato, tactis sacrosanctis euangelijs, iurauerunt, quod ipse Rex in kal. augusti, quæ essent anno Domini millesimo trecentesimo * sexto, quas tam eidem Regi, quam cæteris crucesignatis & crucesignandis pro termino ad transfretandum in dicto passagio assignauit, iter arriperet

* trigesimo

di-

dicti paſſagij, illudque deinde proſequeretur realiter & perſonaliter, iuſto ac legitimo impedimento ceſſante, ſub certis nempe conditionibus, modis, & formis in alijs dicti prædeceſſoris literis inde confectis ſerioſius annotatis.

31 Et quia dictus prædeceſſor, conſiderans decimam ac alia ſubſidia memorata ad tanti proſecutionem negotij non ſufficere, ipſumque negotium longe maioris ſubuentionis beneficio indigere, ac ad illud conducendum cunctorum fidelium grata ſubſidia exiſtere opportuna, fideles eoſdem ad hoc quibuſdam ſpiritualibus munificentijs, indulgentijs videlicet ac remiſſionibus inuitauit; ac venerabilibus fratribus noſtris patriarchis, archiepiſcopis, & cæteris epiſcopis in diuerſis mundi partibus de dictorum fratrum conſilio per apoſtolica ſcripta commiſit & mandauit, eos nihilominus obſecrans per aſperſionē pretioſi ſanguinis Ieſu Chriſti, vt ſinguli eorum cōmemorantes attente ſtatum lugubrem dictę terræ; ac proinde conſiderantes, quod cum fidelium ſuorum regimini ipſos, velut in ſolicitudinis partem aſſumptos, præfecerit Dominus, ad promotionem huiuſmodi ſancti negotij plus cęteris tenebantur ex officio paſtorali, tanquam præcones fideles, & fortes athletæ fidei contra prædictos perfidos hoſtes Chriſti in ſuis ciuitatibus & diœceſibus per ſe & alias perſonas eccleſiaſticas, ſeculares & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas fore cognoſcerent, cunctis Chriſtifidelibus iuxta datam eis a Deo prudentiam proponerent publice verbum crucis, & venerabile ſignum eius quibuſuis fidelibus, illud deuote ſuſcipere volentibus, quos ad hoc vtiles fore crederent, ipſorumq; humeris imponerent; fideles eoſdem, quos ad audiendam propoſitionem ipſam, quotiens expediret, ad loca idonea conuocare poſſent, ſolicitis exhortationibus, & opportunis inſtantijs inducentes, vt ſuſcipientes cum reuerentia ſignum crucis, ipſumque ſuis cordibus imponentes contra hoſtium prædictorum perfidiam, & ad eiuſdem terræ ſanctæ ſuccurſum aſſurgerent viriliter, & negotium ipſum feruenter aſſumerent, & proſequerentur fauorabiliter & feruenter, ac inſuper quia dignus erat operarius mercede ſua, ſingulis eorundem patriarcharum, archiepiſcoporum, & epiſcoporum, & eis, quos ad prædicationem crucis, vt dictum eſt, ipſi ducerent aſſumendos in hoc diuino fideliter laborantibus opere, præter mercedem æternam, quam merito ſperare poterant, quotieſcumque populis ad hoc ſpecialiter conuocatis proponerent verbum crucis, vnius anni & quadraginta dierum, nec non fidelibus ipſis, qui ad verbum huiuſmodi audiendam deuote conuenerint, centum dierum, vere tamen pœnitentibus & confeſsis indulgentiam extitit elargitus; nos &c. ampliſsima omnium noxarum condonatio religioſam militiam profeſſuris ſumpto crucis ſymbolo, eamque traiecto mari in Aſia obituris propoſita eſt: quæ literæ xvi. kal. ianuarij pontificatus anno 1. conſignatæ.

Iuſſi præſules populum ad ſacrum bellum accēdere.

Crucis ſymbolo inſignire milites.

32 Edixit præterea a, vt in omnibus regnis ſexennales decumæ cogerentur, vti fuerat a prædeceſſore decretum, quibus fideles ex ijs prouincijs in Aſiam traiecturi, eo ſubſidiario auro ad tolerandos ſumptus inſtruerentur. Tonante autem minis Gallo Rege & ſacris concionatoribus in occidente cruceſignatā expeditionem promulgantibus, Saraceni in oriente illius apparatus terrore laceſsiti, ſuas in Chriſtianorum reliquias vires effuderunt.

a Bod an. 1 p. 1. ep. cur 39.

Supererat poſt innumeras clades in Aſia Chriſtianis Armenia, e qua reliquorum regnorum recuperandorum ſpes affulgebat. Verum ſoldanus Babylonius, ob indictam in occidente expeditionem furore exæſtuans, impetus in illam effundere conſtituit: non enim latere illum poterant noſtrorum conſilia, cum totus occidens ſacri belli apparatu, oſtentatæque a Gallo Rege pollicitationis fragore perſonaret, vt ex ſubiectis Ben dicti verbis a colligitur: *Intonuit hactenus per mundi climata, & recenti memoriæ commendatur, qualiter felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædeceſſor noſter ad eripiendum terram ſanctam, funiculum quidem hereditatis dominicæ, de Agarenorum ſpurciſſimorum (qui eam iamdiu detinuerunt & detinent viliter peſſumdatam, & infeliciter conculcatam) manibus, feruidum zelum habens; & piæ ac prudentis intentionis affectu conſiderans chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Franciæ illuſtrē adeo fore cœleſtis inſpiratione gratiæ feruore fidei & deuotionis accenſum, quod ad felicem & glorioſam recuperationem dictæ terræ, ac vlciſcendas per Agarenos ipſos nefandiſſimos Redemptori noſtro illatas contumelias proponebat, & offerebat in manu forti & brachio excelſo perſonaliter transfretare; ad ipſius Regis inculcatam inſtantiam cum fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, plena proinde collatione prahabita, & digeſta deliberatione ſecuta, generale paſſagium ad terram prædictam de fratrum eorundem conſilio cum ſolemnitate congrua prout tanti negotij qualitas requirebat, duxit auctoritate apoſtolica indicendum, &c. Dat. Auin. xvi. kal. iulij anno 1.*

a An. 1. p. 1 ep. cur. 29

Babylonij in Armeniam irruptio.

Orta mali labes ex occidentaliū iactantia.

33 Nocuit itaq; rei Chriſtianæ horum conſiliorum promulgatio, abruptis enim inducijs ſoldanus ingentem Armenis cladem intulit: cum impar barbarorum potentiæ Leo Rex, munitiſsima arce ſe incluſit, atque implorandæ opis cauſa legationem ad Pontificem Regemq; Francorum miſit. Triſtiſsimo igitur caſu permotus Benedictus, Philippum Regem ſolicitauit b, vt adductæ in extremum diſcrimen Armeniæ ſuccurreret.

b To. 1. ep. ſecr. 622.

Philippo Regi Franciæ.

Ad noſtram his diebus veniens præſentiam dilectus filius nobilis vir Bramondus de Luſignano comes Curchenſis chariſsimi in Chriſto filij noſtri Leonis Regis Armeniæ illuſtris ambaxator & nuncius, nobis pro parte ipſius Regis exponere procurauit, quod licet adhuc treugæ dudum inter eundem Regem & ſoldanum Babyloniæ indictæ inuicem perdurarent; pridem tamen idem ſoldanus ad Chriſticolarum, præſertim in partibus tranſmarinis commorantium, exterminium & confuſionem aſpirans, ſumpta occaſione, quod Rex & Chriſticolæ prædicti contra eundem ſoldanum ſuoſque ſubditos indici procurauerant paſſagium generale, quendam ammiratū ſuum cum exercitu infidelium magno & terribili aduerſus Regem præfatum eiuſque regnum tranſmiſit. Qui quidem ammiratus cum eodem exercitu regnū prædictum, in quo catholicæ fidei viget cultus, per vim & potentiam armorum ingreſſus, præter vaſtationes, depopulationes, rapinas, & alia damna innumera ibidem illata, multos de regno prædicto catholicę fidei profeſſores vſque ad numerum ſex millium perſonarum vel circa, omni humanitate depoſita, non parcendo ſexui vel ætati, oppreſsit; quoſdam captiuando miſerabiliter, ſecumque

Saracenorum in Chriſtianos ſæuitia.

que captiuos ducendo, & alios crudeliter in ore gladij, quod cum ingenti cordis dolore mentisque compassione anxia referimus, trucidando; memorato Rege paucis associatis aliquibus in quodam fortalitio, vt captiuitatis vel mortis vitaret dispendium, cum nequiret tantæ infidelium multitudini, quanta erat in exercitu prædicto resistere, se recepto.

34 Sane, fili charissime, cum prefatus ambaxator & nuntius ad regalis excellentiæ præsentiam se conferat, super præmissis consilium & auxilium vt intelleximus petiturus, magnificentiam regiam rogamus & in Domino attentius exhortamur, quatenus ipsum benige recipiat, fauorabiliter audiat, & ne regnum prædictum pro dicto passagio multipliciter opportunum, & Christicolæ in eo degentes desolationis extremæ patiantur excidium, velit de celeri ac opportuno consilio & remedio prouidere. *Dat. Auin. IV. id. octobris anno* 1. Decretos ad Pontificem oratores a Gallo Rege, qui cumulatum a Ioanne thesaurum pro bello gerendo exposcerent, datumque illi a Pontifice responsum narrat hisce verbis Ptolemæus Lucensis a: *Rex Franciæ ad Papam misit suos ambasciatores, et petijt thesaurum ecclesiæ pro passagio faciendo: sed Papa dare recusauit, nisi intraret mare et passagium initiaret, et promissionem impleret, quam fecerat sub Ioanne Papa XXII.* Non hac subsidiarij auri pollicitatione adduci Philippus potuit, vt succurreret lugentibus Armenis, in quos soldanum minaci iactantia asperarat.

35 Ea porro barbarorum in Armeniam excursio videtur Cyprios abduxisse a promulganda sacra aduersus Saracenos expeditione, vt a Ioanne XXII. primum, tum a Benedicto XII. recenter gubernacula ecclesiæ adepto, fuerat imperatum; ne in se infidelium iras exasperarent, impetusque conuerterent. Proinde Hugo missis ad nouum Pontificem oratoribus, quibus eximiũ, quo in sedem Apost. studium regnique felicem statum exposuit b, flagitauit suo atque omnium regni ordinum nomine, vt excitandis pro concione ad induendam crucem populis præsules supersedere æqui bonique consuleret, antequam occidentales classem adornassent, cum ea res nullam vtilitatem, ingentia vero pericula afferret. Cui Benedictus, collaudato ipsius in ecclesiam studio, atque in administrando regno commendata solertia, scripturum se ea de re ad regni antistites significauit; quæ literæ Nicosienſi archiepiscopo alijsque Cyprijs præsulibus inscriptæ extant, in quibus ita Benedictus sequenti ineunte anno respondit. c

Regni prædicti et adiacentium regionum statu et conditione consideranter attentis, præsentisque temporis qualitate pensata, visum vobis extitit præuia deliberatione in hac parte matura, quod ex prædicatione crucis in eodem regno Cypri præsentialiter facienda nulla dicto passagio vtilitas prouenire poterit: quinimo ex ea, si fieret antequam transfretantes in præfato passagio mare pro transfretando intrassent, sæpefato regno et fidelibus in eo commorantibus grandia, et non faciliter reparanda damna et pericula formidari probabiliter poterant prouentura; propter quod a prædicatione huiusmodi prouidistis, quousque a nobis prius consultis super hoc reciperetis in mandatis aliud, desistendum. Nos igitur præmissis et alijs, quæ nobis, cum hac supradicti explicarunt nuntij, in examine rectæ deliberationis adductis; et attento etiam, quod in regno iam dicto prædicatio crucis, cum expedierit, fieri faciliter poterit, et memorati regnicolæ parati ad arma esse valebunt post prædicationem huiusmodi satis cito, quamobrem in dilatione prædicationis huiusmodi nequaquam, prout etiam sæpefati adiecerunt nuncij, periculum imminet passagio antedicto; volumus et placet nobis, quod a prædicatione supersedeatis præfata, donec dictus exercitus, mare pro transfretando ad partes transmarinas intrauerit, etc. Dat. Auin. III. non. ianuarij anno 1. Decreta sunt hæc prudentissime, cũ potius armis quam verbis res gerenda fuisset, tantoq; apparatu decreta deinde expeditio illa, exitu caritura, non alios fructus allatura esset, quam vt infideles inanibus minis exasperati plura Christianorum millia traderent neci, vel seruituti.

36 Dedere hisce malis occasionem Scotiæ conuersiones: coniuncta fuerat Angliæ ab Eduardo I. Scotia, illamque Robertus Brusius diuturno bello, quo Angliam exagitauit, sibi subiecerat: adeo vt Eduardum II. ad supremum ius, quod Anglorum Reges in Scotiam obtinere contenderant, abdicandum compulerit. At Eduardus III. licet sororẽ suam Brusij filio Dauidi nuptui dedisset, iuncto cũ Eduardo Baliolo Ioannis Balioli sanguine sato, qui ab Eduardo I. Scotiã beneficio accepisse olim agnouerat, fœdere Dauidem regno depellere armis nitebatur. Cumque ad id bellum Philippus Francorum Rex ob inita inter Scotos & Francos fœdera traheretur, imminentium malorum præscius Benedictus, vt ijs occurreret, conquestus plurimum pacem affinitatibus contractis firmatam dæmonum astu dissolutam, nuntios apostolicos, Hugonem scilicet episcopum Tricastrinum & Rolandum Astensem canonicum Laudunensem, capellanum pontificium & causarum sacri palatij auditorem transmisit a instruxitq; b auctoritate, vt Reges ad inducias ineũdas adducerẽt, iniustas coitiones rescinderent, conuellerent fœdera concordiæ publicæ exitialia. Reges vero Eduardum c Angliæ & Dauidem d Scotiæ exaratis XI. kal. augusti literis ad pacem grauissimis sententijs est adhortatus, cum ex eo bello sacra expeditio disturbanda esset.

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Et si nos, qui licet immeriti, vices in terris gerimus Regis patifici & excelsi, pacem inter cunctos Christicolas curæ nostræ commissos intensis optemus desiderijs abundare; illam tamen eo vigere vberius inter Reges & principes cupimus, odiorum fomitibus extirpatis, quo eorum concordia vtilior pluribus redditur, & dissensiones maiora pericula secum trahunt. Intelleximus siquidem dispicenter, quod licet olim inter te, fili charissime, ex parte vna, & charissimum in Christo filium nostrũ Dauid Regẽ Scotię illustrem, seu patrem suum, dum viueret, ex altera, post calamitates & fremitus guerrarũ varios pacis concordia reformata fuerit, & solemnibus affinitatis & parentelæ nexibus roborata; hostis tamen humani generis, pacis & charitatis æmulus, paci huiusmodi & bonis ex ea secuturis inuidens, eam sic turbare, sicque charitatiua fœdera inter te ac Regem eundem inita dissoluere procurauit, quod tu & Rex ipse, huiusmodi violatis fœderibus, & antiquis suscitatis rancoribus, ad offensiones & congressus bellicos, non sine magnis animarum ac personarum & rerum periculis, inuicem redijstis. Nos igitur ex ijs lapsus rerum, strages corporum, & animarum amarius plangenda pericula, nec non impedimenta instantis transmarini passagij,

Monitus Philippus vt Armeniæ succurreret.

a Ptol. Luc hist. eccl. M.S. l. 24. c. 43.

Cyprij barbaros in se asperare metuunt.

b To. I. ep. secr. 797.

c lib. ep. 748.

Retardata prudẽter crucis prædicatio.

Laudatũ eorum cõsilium.

Philippi Regis iactantia ingentia mala peperit.

Ex Scotię dissensionibus ena ta bella.

Missi ad ea pacanda internuntij.

a Eod. to. I ep. secr. 474.

b Eod. ep. c lib. ep. sec 472. 476.

d lib. ep. sec 473.

Pacis & affinitatis propositæ fœdera.

Additæ preces, vt concordiam redintegret.

gij, & alia innumera diſpendia probabiliter formidantes, deſideranter affectamus, vt ſpretis hoſtis prædicti ſuggeſtionibus, ad reformanda & redintegranda pacis & concordiæ fœdera, Deo grata vtique, ac vtrique veſtrum accommoda; nec non ſubditis & amicis fructuoſa & gaudioſa plurimum, cum eodem Rege Scotiæ redire, regia prouidentia procuraret. Quocirca regalem rogamus excellentiam, & in Domino attentius exhortamus, quatenus pacis commoda, & diſſenſionis incommoda conſideranter attendens, ad ceſſandum & abſtinendum a guerris prædictis, paciſque reformanda & redintegranda violata fœdera, initis interim, vt ad hæc quietius & melius intendi valeat, aliquibus treugis, regium coaptes animum, & inclines, &c. *Datum apud Pontemſorgiæ Auinionenſis diœceſis* 11. *kal. auguſti anno* 1. Tum Francorum Regem, auxilia Scoto ſubmittere meditantem, ab eiuſmodi conſilio auocare eſt conatus. a

a *Ib. ep. ſecr.* 480.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

Monitus Phil. ne contra Eduard. mittat auxilia.

37 Fili chariſſime, quia ex literarum tuarum ſerie collegimus regiæ intentionis exiſtere propter certa conuentiones & pacta, inter tuos & Regis prædicti Scotiæ prædeceſſores pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus habita, Regi eidem fauores & auxilia exhibere, quamquam tibi ſuadere vel exhibere contrarium, cum conuentiones & pacta ignoremus huiuſmodi, nequeamus præciſe; ex ſincera tamen dilectione, qua te regnumque tuum proſequimur, quæ nobis ad præſens occurrunt circa hoc, nolumus præſertim cum imminere pericula conſpicimus, ſubticere. Veremur ſiquidem, quod ex impenſione auxilij huiuſmodi negotium tranſmarini paſſagij, ſi mittatur gens belligera Francorum in Scotiam, turbari non parum valeat vel etiam impediri: nec id ſine ſumptibus magnis fieri poterit, qui forſan forent vtiles & neceſſarij pro negotio prælibato. Et vlterius, cum belli dubius ſit euentus, ſi contingeret eundem Regem Scotiæ a Rege præfato Angliæ ſuperari, non poſſes cum honore tuo illum, quem admiſiſſes dimittere, quin fortius in eius auxilium aſſurgere procurares: ſicque multiplicare oporteret gentem belligeram, ac labores, odia, & expenſas.

Grauiori bello ſe implicaturum.

Ad hæc non dubitamus, quod regnum tuum, quia illud Deus facit proſperum, æmulos habet & inuidos, qui ſi poſſent, quod auertat Altiſſimus, libenter offenderent & nocerent: & cum iam aliqui circumuicini magnates, vt intelleximus, accedant vel mittant ad ſubueniendum Regi Angliæ memorato, poſſet inter te gentemque tuam, ac ipſos ex tui aſſiſtentia dicti Regis Scotiæ contraria, inimicitiarum periculoſum odium (quod vitare videtur potiſſime his temporibus expediens) ſuboriri. Diſplicenter percepimus inſuper, in certa parte regni tui fuiſſe inter aliquos turbationis materiam ſuſcitatam, qui ſi ſe cum æmulis dicto regno vicinis, confingentibus forſitan ex aſſiſtentia prouocatos prædicta, confœderarent, quod abſit, periculoſum non modicum videretur. Præterea non videmus, quod per aliquem principem ſecularem ſicut per te, fili dilectiſſime, inter Reges diſſidentes prædictos ſic commode poſſit pacis concordia reformari: & ſi te contingat partem cum illorum altero facere, de te poſtmodum ille, contra quem partem facies, non confidet: ſicque perdentur quoad te tam deſiderabiles tamque meritorij & honorabiles fructus pacis, &c.] Hortatur vt in re gerenda eam rationem ineat, vt ſine diuini Numinis iniuria & conſcientiæ periculo neutram partem amplectatur: fore ipſius prudentiæ diſcutere, conſiliumque in re ancipiti optimum explicare. *Dat. apud Pontemſorgiæ Auin. diœceſis* 11. *kal. auguſti anno* 1.

Propoſita oritura bella inteſtina.

Pacem conciliare nitatur

38 Irrupit in Scotiam Eduardus Rex Angliæ a ducto ſecum Eduardo Baliolo, quem ſacramento in ſua verba adegerat: collatiſque cum Roberto Scotiæ Rege ſignis, inſignem & ſpectabilem victoriam reportauit. Prona ad victoris obſequium fuit vniuerſa pene Scotia, exceptis arcibus, quæ in editioribus collibus, vel paludibus, aut nemoribus ſitæ erant. Conſternatum ea clade Regem Dauidem in Gallias ad opem flagitandam confugiſſe, refert Ioannes Villanus b. Quo triſti caſu perturbatus valde eſt Philippus Francorum Rex, atque ancipiti curarum æſtu fluctuauit: fidem obligarat Scotis? at etiam Regi Armeniæ illam obſtrinxerat, illiuſque cauſa Armenia a Saracenis fuerat deuaſtata: addixerat ſe ſolemni voto reſtituendæ in Syria religioni Chriſtianæ, ſymbolum crucis induerat, inchoatum iam erat in Turcas feliciter bellum, ac ſi bene cœpta proueherentur, diuini Numinis hoſtes forent proſternendi. Suadebat etiam ei Chriſti vicarius, ne Scotico bello ſe implicaret: ſi Dauid Rex vi & iniuria ab Eduardo regno pellebatur, Dauidis parens pari iniuria & vi Eduardi auo illud eripuerat. Vicit demum apud Philippum Regem fœderati principis iniuriæ, quam Chriſti ignominiæ vlciſcendæ cupiditas; ſeque bello infeliciſſimo implicuit. Illum hoc anno claſſem egregie milite inſtructam immiſiſſe in Scotiam ad excitandas proſtratas res Dauidis, Thomas Vvalſinghamus refert c.

Eduardus Baliolum in Scotiã inducit.

a *Io. Vill. l. 11. c. 38. Vvalſing. in Ypodig. Neuſt. hoc ann. & in Eduar. III Hect. Boet hiſt. Scot. l. 15.*

b *Vill. eod. c. 38.*

c *Vvalſing in Ypodig. Neuſtr.*

Antequam vero penitus Philippus Scotico bello contra Pontificis conſilia ſe non ſine rei orientalis exitio addiceret, triſtiaque ſuperiorum Regum exempla ſecutus Chriſti cauſæ mortalis hominis cauſam aperte præferret, hortatus eſt d alios principes, vt expeditionis Aſiaticæ a ſe ſuſceptæ cauſa a mutuis bellis abſiſterent: cumque Genuenſes cum Alfonſo Aragonum & Iacobo Balearium Regibus bellum gererent, inſtitit apud Benedictum Gallus, vt ipſos in mutuam concordiam adduceret: cuius pijs votis aſſentiens Pontifex, Alfonſum e, & Iacobum f Reges, ac Genuenſes g monuit, vt ad ineundum fœdus oratores ad aulam Apoſtolicam mitterent. Aſſenſere h omnes pontificijs votis: ac ſequenti anno ineunte, vt Folieta refert i, firmatæ ſunt inter eos induciæ.

d *To. 1. ep. ſecr.* 650.
e *Ead. ep.* 650.
f *Ep.* 651.
g *Ep.* 652.
h *An. 1. p. 1. ep. com.* 751. 752.
i *Folieta. hiſt. Gen. l. 6.*

Alfonſus Arag. Rex Sardiniæ & Corſ. regn. Pontifici accepta refert.

39 Interea acceptũ retulit ſolemni ritu Benedicto Alfonſus Aragonius Sardiniæ & Corſicæ regnum l; cumque excurrente primo ab adepto pontificatu anno ſingulis Romanis Pontificibus fidem ſolemni ritu deuincire, aduerſaq; valetudine implicitus teneretur m, Ferrarium e Caneto oratorem, vt regio nomine ob accepta Sardiniæ & Corſicæ regna beneficio ſedis Apoſtolicæ clientem ſe profiteretur, ac Pontificem vt laborem itineris remitteret, exorauit ſubiectis literis n, quibus inita a Iacobo parente cum Bonifacio pacta confirmauit.

l *Apud Ben. to. 1. ep. ſecr. pag. 739.*
m *Ibid.*
n *Ext. in arce S. Angeli & lib. priuil. to. 3 pag. 307. & inter collect. Plat. to. 2. pag. 279. & in M. S Vall ſign. lit. B n. 12 pag. 332.*

Sanctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto patri et domino, domino Benedicto, diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Alfonſus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ et Corſicæ, ac comes Barchinon. humilis eius filius pedum oſcula beatorum.

Alfonſi Regis litera.

Sanctitati veſtræ tenore literarum noſtrarum præſentium patefiat, quod viſo ac plenarie intellecto papali reſcripto ſuper collatione, conceſſione, & donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor veſter fecit illuſtri domino Iacobo felicis memoriæ Regi Aragonum patri noſtro, ſuiſque heredibus in perpetuum feudum de regno Sardiniæ & Corſicæ cum iuribus omnibus & pertinentijs ſuis ſub certo ſeruitio ſub certiſque conditionibus largius conſcriptis in prædicto reſcripto continentiæ ſubſequentis: *Bonifacius &c.* [Inſeric Bonifacij VIII. literas a, quibus datæ Iacobo Regi iure beneficiario Sardiniæ leges contentæ, ſubditque:] idcirco attendentes prædictum dominum Regem Iacobum felicis recordationis genitorem noſtrum, tempore donationis præmiſſæ memorato domino Papæ Bonifacio recolendæ memoriæ iuxta continentiam dicti reſcripti, ex cauſis in eo ſcriptis, iuramentum, fidelitatem, vaſſallagium, & homagium perſonaliter præſtitiſſe; & poſtmodum per procuratores ſuos & nuncios ſpeciales iuramentum fidelitatis, vaſſallagium, & homagium prædicta renouaſſe, feciſſe, & præſtitiſſe alijs Romanis Pontificibus, qui dicto domino Papæ Bonifacio in apoſtolatus præeminentia ſucceſſerunt, & per eoſdem nuncios dediſſe literas ſuas aurea eius bulla bullatas, recognitionis & acceptationis contentorum in reſcripto prædicto iuxta eiuſdem tenorem; & nos etiam, qui dicto domino Regi genitori noſtro in prædicto Sardiniæ & Corſicæ regno & alijs regnis & terris ſuis ſucceſſimus, prædictum iuramentum, fidelitatem, vaſſallagium, & homagium, quæ domino Ioanni felicis recordationis Papæ XXII. prædeceſſori veſtro perſonaliter ſecundum formam dictæ donationis facere tenebamur, fecimus, & præſtitimus perſonaliter domino Ioanni bonæ memoriæ patriarchæ Alexandrino fratri noſtro, recipienti nomine & vice dicti domini Papæ Ioannis, qui hoc ipſi domino patriarchæ cum ſpeciali ſuo reſcripto commiſit, & dedimus inde ſimiles literas noſtras aurea bulla bullatas recognitionis & acceptationis in reſcripto prædicto contentorum, conſiderantes etiam nos nunc ex eiuſdem reſcripti ſupra inſerti ſerie inductos noſtrum procuratorem ad eadem iuramentum, fidelitatem, vaſſallagium, & homagium ſanctitati veſtræ præſtanda & facienda conſtituiſſe cum publico ſcripto noſtro; prouidimus propterea, ſanctiſſime pater, has fieri literas bulla noſtra aurea bullatas, ſanctitati veſtræ per dictum procuratorem noſtrum tradendas & dandas, prout fieri debere iamdicti ſuperius inſerti reſcripti apoſtolici tenor inducit.

Bonifacianum diplom. repetitum.

a Ext. in annal. to. XIV. ann. Chr. 1297 n. 3.

Vt præſtita ſit Io. Papæ clientelaris ſpõſio.

Per quas ſiquidem literas nunc & ex tunc modos, conuentiones, conditiones, tenorem, & formam in ipſo papali reſcripto conſcriptos acceptamus expreſſe; & per quas etiam fatemur & recognoſcimus expreſſe præfatum dominum Regem genitorem noſtrum recepiſſe in feudum dictum Sardiniæ & Corſicæ regnum a domino ſummo Pontifice & Romana eccleſia, noſque illud pro eadem Romana eccleſia tenere in feudum ſub conditionibus, conuentionibus, modo, & forma, atque tenore, quæ in dicto papali reſcripto continentur; quos tenorem, modum conditiones, conuentiones, & formam, promittimus nos inuiolabiliter ſeruaturos. Pro quorum obſeruantia obligamus nos & dictum regnum Sardiniæ & Corſicæ, iura, & bona nobis competentia & competitura in eo. Humani generis Conditor & redemptor perſonam veſtram ad ſua ſancta ſeruitia conſeruare dignetur per tempora longiora. *Dat. Barchinone* IV. *nonas octobris anno Domini* MCCCXXXV.

Superiora geſta confirmata.

40 Admiſit Benedictus Alfonſi Regis oratorem ad clientelare officium pro Sardinia & Corſica exhibendum, de quo hæc habet Ptolemæus Lucenſis a: *Item* XIV. *kal. ianuarij in publico conſiſtorio inueſtiuit procuratorem* Regis Aragonum *nomine* Regis *de regno Sardiniæ & Corſicæ, recepto ab eo homagio conſueto.* Proximo die ab eo præſtito ſubiectas literas b, vt iuribus regijs caueret, eidem Regi tranſmiſit.

Admiſſa hæc a Põt. fidei ſponſio.

a Ptol. Luc. in hiſt. eccl. M. S. l. 24. c. 43.

b An. 1. p. 1. ep. com. 960.

Alfonſo Aragoniæ, Sardiniæ & Corſicæ Regi *illuſtri.*

Nuper infra annum poſtquam, diuina faciente clementia, in Romanum fuimus electi Pontificem, tu qui claræ memoriæ Iacobo Aragoniæ, Sardiniæ & Corſicæ Regi genitori tuo in huiuſmodi regnis, vtpote eius heres legitimus ſucceſſiſti, prudenter attendens, quod iuxta formam & conditiones contentas in literis felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri confectis de collatione, conceſſione, & donatione dicti regni Sardiniæ & Corſicæ, dicto Iacobo Regi ſuiſque heredibus ex ſuo & heredum ſuorum corporibus legitime deſcendentibus factis per prædeceſſorem eundem, fidelitatem, vaſſallagium plenum, & homagium ligium, ac iuramentum facere & præſtare nobis & Romanæ eccleſiæ tenebaris; dilectum filium nobilem virum Ferrarium de Caneto militem, procuratorem, nuntium, ambaſciatorem, & conſiliarium tuum, ad hoc a te ſpeciale mandatum habentem, propter hoc ad ſedem Apoſtolicam ſpecialiter deſtinaſti; nobis & Romanæ eccleſiæ per dictum procuratorem pro eo, quod fidelitatem, vaſſallagium, & iuramentum huiuſmodi piæ memoriæ Ioanni Papæ XXII. prædeceſſori noſtro in perſona bonæ memoriæ Ioannis patriarchæ Alexandrini tunc viuentis, ex ſpeciali commiſſione prædeceſſoris eiuſdem per eius ſpeciales literas ſibi facta illa recipientis perſonaliter, præſtiteras huiuſmodi fidelitatem, homagium facturus, & iuramentum huiuſmodi ſecundum prædictam formam in tuam animam præſtiturus.

Obſtrictio Aragoni præſentē exhibere clientis officia.

41 Licet igitur propter præmiſſa te a perſonali præſtatione huiuſmodi non credamus immunem, cum prædictam fidelitatem & homagium in præſentia eiuſdem Ioannis Papæ prædeceſſoris noſtri perſonaliter non præſtiteris, prout formam dictarum literarum eiuſdem Bonifacij videtur expreſſius contineri; quamuis illa eidem Ioanni patriarchæ remotus & abſens a præſentia Romani Pontificis præſtanda & facienda duxeris, vt præfertur; nos tamen deliberatione ſuper his cum fratribus noſtris prahabita, de ipſorum conſilio de ſpeciali gratia, quam hac vice perſonæ tuæ facere intendimus, in hac parte a prædicto militem procuratorio nomine tuo infra dictum annum, quo electi fuimus in Romanum Pontificem, videlicet XIIII. kal. ianuarij in conſiſtorio publico, præſentibus eiſdem fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus & de ipſorum conſilio, præſente quoque prælatorum & aliorum fidelium multitudine copioſa, fidelitatem, vaſſallagium, homagium ligium, & iuramentum prædicta iuxta formam in eiſdem literis eiuſdem prædeceſſoris Bonifacij contenta, per dictum militem nobis præſtita & fa-

Admiſſus eius orator ex in. dulg.

facta, recipimus: ac nihilominus poſtmodum infra menſem, prout iuxta formam & conditiones contentas in dictis literis tenebaris (prout per patentes literas tuas aurea tua bulla munitas, quas nobis ad cautelam noſtram & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum & eiuſdem Romanæ eccleſiæ deſtinaſti, confeſſus es & recognouiſti expreſſe) ex gratia & liberalitate eiuſdem prædeceſſoris Bonifacij & Romanæ eccleſiæ dictum regnum Sardiniæ & Corſicæ eidem Iacobo Regi genitori tuo ac tibi tuiſque heredibus fuiſſe conceſſum in feudum: & ſic dictum genitorem tuum illud recepiſſe, teque illud tenere ſub conditionibus, conuentionibus, ſiue pactis, modo & forma atque tenore, qui in eiuſdem prædeceſſoris Bonifacij literis continentur. Quos tenorem, modum, conditiones, conuentiones, & formam promiſiſti te inuiolabiliter ſeruaturum: pro quorum obſeruantia obligaſti te, & idem regnum Sardiniæ & Corſicæ, & bona tibi competentia, prout in eiſdem literis tuis aurea tua bulla munitis plenius continetur.

42 Nos autem ſuper præmiſſis omnibus tuis & heredum tuorum præcauere diſpendijs & vtilitatibus conſulere intendentes, tenore præſentium recognoſcimus & fatemur prædicta homagium ligium, ac plenum vaſſallagium, & fidelitatis iuramentum pro dicto regno Sardiniæ & Corſicæ per dictum Ferrarium militem, procuratorem, & nuntium tuum ad hoc ſpecialiter conſtitutum, & ſpeciale mandatum habentem, infra tempus debitum nobis & eidem eccleſiæ, procuratorio nomine tuo, fuiſſe fideliter præſtita, & a nobis recepta de gratia ſpeciali; nec non huiuſmodi confeſſionem & recognitionem, promiſſionem & obligationes per dictas patentes literas tuas, aurea tua bulla munitas, infra tempus debitum te feciſſe: quas quidem literas tuas, nobis ex parte tua per dictum militem aſſignatas, recepimus eaſque mandabimus & faciemus in archiuo eiuſdem Romanæ eccleſiæ cuſtodiri. Per præmiſſam vero receptionem homagij ligij, ac pleni vaſſallagij & fidelitatis iuramenti, præſtitorum & factorum per dictum militem nomine tuo nobis & eidem Romanæ eccleſiæ, vt præfertur, non intendimus dictis conuentionibus, conditionibus, ſiue pactis, modo, formæ, & tenori in literis eiuſdem prædeceſſoris Bonifacij comprehenſis aliquatenus derogare. Nulli ergo &c. *Dat. Auin. xiii. kal. ianuarij anno* 1. Affert in alijs litteris [a] rationem, cur oratorem ad id munus admiſerit: *Quia*, inquit, *oppreſſus infirmitate venire, quoad præſens, ad noſtram commode nequibas præſentiam (pro præſtandis nobis & eccleſiæ Romanæ pro regno Sardiniæ & Corſicæ homagio ligio, pleno vaſſallagio, & fidelitatis iuramento in tua perſona propria.* Interiectiſque nonnullis eo argumento ſententijs, conteſtatur id beneficium in exemplum ac fraudem non trahendum. Profeſſus vero orator Alfonſi nomine clientelari iure Sardiniæ & Corſicæ regna a ſede Apoſtolica obtineri, proximo ab ea celebritate die cēſum pro ijs regnis nempe duo millia marcarum argenti perſoluit, qua de re pontificia ſyngrapha exarata [b].

43 Intulit [c] pariter pontificio ærario pro Sicilia citeriore iure fiduciario accepta vectigal annuum octo millium vnciarum auri Robertus Siciliæ Rex, qui cum ex pactis cum Carolo I. initis ad aulam apoſtolicam, vt clientem ſe noui Pontificis ſolemni ritu agnoſceret, iuraretque in illius verba, adeundam euoluente ſe primo Benedicti Pontificatus anno obſtrictus eſſet, magnaque rerum gerendarum moles illi incumberet (bellum in Fredericum Regem Trinacriæ apparabat) flagitauit a Benedicto [a], vt oratores, quos idonea ad referendam acceptā Pontifici Siculam coronam auctoritate inſtruxerat, ad fidem ſacramento regio nomine deuinciendam admitteret. Pontifex itaq; vt iuribus Romanæ eccleſiæ cōſuleret, parceretque Roberti Regis laboribus, cum in legibus a Clemente IV. latis contineretur, vt vel Romanus Pōtifex Siculum Regem accerſeret, vel legatum Cardinalem aliumue tranſmitteret, qui Pontificis vice honores debitos fideique ſacramentum exigeret; Benedictus Bertrando Ebredunenſi archiepiſcopo, quem ad maximas res tractandas in Italiam miſſum vidimus, ac Ioanni archiepiſcopo Neapolitano adigendi in apoſtolica verba Robertiprouinciam dedit [b], ipſumque Regem eius ſe votis aſſenſiſſe, hiſce literis fecit certiorem. [c]

Benedictus &c. chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Siciliæ illuſtri ſalutem.

44 Nuper venerabilis frater noſter Bartholomeus archiepiſcopus Tranenſis, & dilecti filij nobiles viri Bertrandus Montiscaueoſi ac Iacobus Clarimontis comites nuncij & procuratores tui, tunc apud ſedem Apoſtolicam conſtituti, coram nobis & fratribus noſtris in conſiſtorio pro parte tua reuerenter exponere curauerunt, quod licet tu iuxta conuentiones & pacta in conceſsione per eandem eccleſiam de regno Siciliæ ac tota terra, quæ eſt citra pharum vſque ad confinia terrarum ciuſdem eccleſiæ (ciuitate Beneuentana cum toto territorio ac omnibus diſtrictibus & pertinentijs ſuis per Romanum Pontificem diſtinctis, vel in poſterum diſtinguendis dumtaxat exceptis, quæ præfata eccleſia ſibi ſpecialiter reſeruauit) claræ memoriæ Carolo Regi Siciliæ auo tuo eiuſque heredibus facta, inter ipſos eccleſiam & auum habita, nobis & cuilibet nouo Romano Pontifici in aſsumptione ſua ad ſummi apoſtolatus apicem, ac eidem eccleſiæ infra certum terminum pro regno & tota terra citra pharum prædictis ligium homagium, ac plenum vaſſallagium facere, nec non iuramentum fidelitatis præſtare ſolitum perſonaliter tenearis; & in optione ac beneplacito Romani Pontificis, & eiuſdem eccleſiæ iuxta pacta & conuentiones prædicta fore noſcatur te ad faciendum ligium homagium, vaſsallagium huiuſmodi, dictumque iuramentum præſtandum vocare perſonaliter, vel ad te aliquem S. R. E. Cardinalem vel alium, qui vice Romani Pontificis & eccleſiæ prædictorum homagium ac vaſsallagium, & iuramentum huiuſmodi recipiat deſtinare; tamen propter certas cauſas rationabiles per eos ex parte tua coram nobis & dictis fratribus allegatas, ad ſedem Apoſtolicam perſonaliter hac vice commode venire nequibas, homagium, vaſsallagium, & iuramentum huiuſmodi preſtiturus. Quare præfati tui procuratores & nuntij nobis humiliter ſupplicarunt, vt te a perſonali aduentu propter hoc ad ſedem prædictam excuſatum hac vice habere; nec non ab ipſis procuratoribus & nuncijs adhæc a te, vt aſserebant, ſufficiens & ſpeciale mandatum habentibus, homagium, vaſsallagium, & iuramentum prædicta pro te ac tuo nomine illa præſtare offerentibus, recipere de ipſius ſedis benigna clementia dignaremur.

45 Nos igitur deliberatione ſuper ijs cum eiſdem noſtris fratribus habita diligenti, honorem

Exacta ab Aragone rei geſtæ monumēta.

Solutus Sardiniæ cenſus.

[a] Lib. ep. ſecr 110. Trinacriæ bello implicitus Siculus Rex.

Orat, vt labore ad eundæ curiæ leuetur.

[b] Ib ep ſec 26. & M.S bibl. Vall. ſign. lit. D. n. 1. pag. 163. & ſign. lit. B. n. 12. pag. 120.

[c] An. 1 p. 1 ep. cur. 25.

Quæ propoſuerint Roberti oratores.

[a] To. 1. ep. ſecr. 739.

[b] Ibid. ep. ſecr. 653.

[c] Ib. ep. ſecr. 370.

Exhibendæ clientelaris ſponſionis mandato fulti.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

rem & iura eiuſdem eccleſiæ ſponſæ noſtræ, ſicut tenemur ex debito ſeruare, teque prædictis cauſis, conditionibus temporum, & alijs, quæ attendenda vidimus in hac parte, paterne penſatis, a veniendo perſonaliter ad ſedem prædictam pro homagio, vaſſallagio, & iuramento huiuſmodi exhibendis, excuſatum hac vice, de ipſius ſedis benignitate habere volentes; venerabiles fratres noſtros Bertrandum Ebredunenſem, quem ad te ſuper hoc deſtinamus, & Ioannem Neapolitanum in ipſis partibus exiſtentem archiepiſcopos; de quorum circumſpectionis induſtria, & fidelitate probata fiduciam in Domino gerimus ſpecialem, ad recipiendum a te homagium, vaſſallagium, & iuramentum huiuſmodi hac vice noſtro & eccleſiæ Romanæ nomine antedictæ prouidimus deputandos. Quocirca, &c. *Dat. Auinione* 11. *non. maij anno* 1.

Decreti legati ad Robertū.

46 Profeſsus eſt ſolemni ritu Robertus Siciliæ Rex a, Siculum ſceptrum ſedis Apoſtolicæ beneficentia & auctoritate ſe ſuſcepiſſe, Regiſque ſtipendiarij officia Ebredunenſi & Neapolitano archiepiſcopis pontificijs legatis detuliſſe: quæ de re regias literas, hoc anno MCCCXXXV. XV. iunij III. indictione regnorum XXVII. Neapoli conſignatas, ad Pontificem tranſmiſit b, quæ in molis Adrianæ ſanctiore archiuo conditæ ſeruantur, & a Platina inter inſignia monumenta iuris pontificij iuſsu Sixti IV. repoſitæ ſunt.

Addicta illis a Robetro fides ſolemni ritu.

a *Apud Bened. to.* 1. *ep. ſecr.* 450. 251.

b *Ext. in arce S. Angel. & inter collect Plat. to.* 2. *pag.* 261. *& in lib priuil. Roecc. to.* 2. *pag.* 167. *&* M. S. *Vall ſign. lit. B. n.* 12 *pag.* 120.

In nomine Domini. Amen. Nouerint vniuerſi hoc præſens inſtrumentum publicũ inſpecturi, quod anno Domini MCCCXXXV. *indictione* III. *die* XXV. *menſis iunij pontificatus ſanctiſſimi patris et domini noſtri, domini Benedicti diuina prouidentia Papæ* XII. *anno primo, exiſtens in præſentia reuerendorum patrum dominorum Bertrandi Ebredunenſis & Ioannis Neapolitani archiepiſcoporum, ac mei notarij & teſtium ac perſonarum infraſcriptarum, nec non diuerſorum aliorum clericorum & laicorum multitudinis copioſæ, ſereniſſimus princeps dominus Robertus Rex Ieruſalem & Siciliæ illuſtris in aula magna ſui regij palatij noui* Neapolitani *requiſitus fuit publice & ſolemniter per ipſos dominos archiepiſcopos, ad hoc per ſanctiſſimum patrem & dominum noſtrum dominum Benedictum Papam prædictum commiſſarios ſpecialiter deputatos, prout de commiſſione eis ſuper hoc facta apparebat per quaſdam literas* c *apoſtolicas, quæ ſic incipiunt:*

c *Ext. in reg. Bened an.* 1. *p.* 1. *ep. cur.* 26. Vt lectæ ſint Pont. literæ.

(Benedictus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus Bertrando Ebredunenſi & Ioanni Neapolitano archiepiſcopis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Romani Pontificis prouidentia circumſpecta diuerſitatem negotiorum, quæ in alueum ſedis Apoſtolicæ vndique confluunt, attente diſcutiens, circa eorum ordinationem ſalubrem vigilanter intendit, ac prout perſonarum & temporum qualitas exigit illa ſic recte diſponit, vt in his, quæ conſeruationem iurium & honoris ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſuæ ſponſæ contingunt, & commoda reſpiciunt aliorum, conſulte prouideat & præcaueat vt poteſt de ſua ſolita clementia incommoditatibus ſpecialium ipſius eccleſiæ filiorum. Nuper ſiquidem, &c. *& finiunt:* Datum Auin. 11. *non. maij pontificatus noſtri anno* 1.) *quæ ibidem publice & alta voce lecta fuerunt, quod idem dominus* Rex *homagium ligium, & plenum vaſſallagium, ac iuramentum fidelitatis, quod præfato domino ſummo Pontifici & eccleſiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra citra pharum vſque ad confinia terrarum* Romanæ *eccleſiæ (ciuitatis Beneuentanæ cum eius territorio & totis diſtrictibus & pertinentijs per Romanum Pontificem diſtinguendis dumtaxat exceptis, quæ præfata Romana eccleſia ſibi pleno iure ſpecialiter reſeruauit) in nouitate ſummi Pontificis tenebatur facere ac præſtare, in præſentia ipſorum dominorum archiepiſcoporum, nomine ipſius domini ſummi Pontificis & Romanæ eccleſiæ recipientium & ad hoc, vt præmittitur, deputatorum, prout aſtrictus erat; & tam progenitores ſuis quibus ſucceſſerat, quam ipſe præſtiterant, faceret & præſtaret; ac pactiones & conuentiones inter* Romanam *eccleſiam & claræ memoriæ dominum* Carolum Regem Siciliæ *auum ſuum dudum habitas & initas, quarum tenor inferius continetur, iuxta tenorem & continentiam earundem ſolemniter promitteret & iuraret fideliter & inuiolabiliter obſeruare.*

Poſtulat' ſit Rex de præſtanda clientelari ſpõſione.

Qui dominus Rex, facta in continenti per ipſum quadam propoſitione materiam huiuſmodi contingente, de ſede ſua ſurgens, in præſentia ipſorum dominorum archiepiſcoporum, infraſcripta nomine prædictorum domini Papæ & Romanæ eccleſiæ recipientium, deuote & reuerenter homagium & vaſſalgium ligium iunctis manibus intra manus ipſorum dominorum archiepiſcoporum, & dato eis oſculo ſucceſſiue, fecit & fidelitatis; & de obſeruandis plene, fideliter, & inuiolabiliter pactionibus, conuentionibus, & conditionibus inter Romanam eccleſiam & prædictum dominum Carolum Regem Siciliæ auum ſuum habitis & initis, iuxta modum & continentiam infraſcriptos ſuper ſancta quatuor Dei euangelia, inuiolabiliter in manibus ipſorũ dominorum archiepiſcorum poſita, corporaliter manutacta præſtitit iuramentum. Forma autem præſtationis homagij ligij & vaſſallagij & iuramenti fidelitatis, ac tenor conuentionum & pactionum, quas idem dominus Robertus Rex Siciliæ *ſeruare promiſit ſolemniter & iurauit, in hæc verba ſequuntur.*

Prompte aſſenſerit & quis ritus ſeruatus.

47 *In nomine* a Domini. Amen. *Ego Robertus Dei gratia* Rex Siciliæ *ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, beatorum quoque Apoſtolorum Petri & Pauli, & eccleſiæ Romanæ, in præſentia venerabilium in Chriſto patrum Bertrandi Ebredunenſis & Ioannis Neapolitani archiepiſcoporum ad homagium ligium, & vaſſallagium, ac fidelitatis iuramentum, & omnia alia & ſingula infraſcripta a me recipienda, per ſanctiſſimum in Chriſto patrem dominum meum, dominum* Benedictum *diuina prouidentia Papam* XII. *ſpecialiter deputatorum, illaque domini mei & eccleſiæ Romanæ prædictorum nomine recipientium, ligium homagium facio dicto domino meo Papæ eiuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, & ipſi eccleſiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra, quæ eſt citra pharum vſque ad terrarum confinia eiuſdem eccleſiæ: quæ vtique regnum & terram (excepta ciuitate Beneuentana cum toto territorio & omnibus diſtrictibus & pertinentijs ſuis ſecundum antiquos fines territorij, pertinentiarum, & diſtrictus ciuitatis eiuſdem per* Romanos Põtifices *diſtinctos vel in poſterum diſtinguendos) claræ memoriæ domino Carolo Regi Siciliæ auo meo & heredibus ſuis, quorum ego heres exiſto, prædicta eccleſia Romana conceſſit. Et recognoſco & fateor, quod inter* Romanam *eccleſiam & prædictum auum meum conditiones, modus, & forma, ac pacta infraſcripta interuenerunt, & fuerunt appoſita in conceſſione regni, ſibi ſuiſque heredibus per* Romanam *eccleſiam facta, ſeu auctoritate ipſius in prædicta conceſſione, pertinentia ſeu ſpectantia ad perſonas eorum, qui ſucceſſuri erant ipſi auo meo ſuiſque heredibus in ter-*

a *Ext. etiã apud Ben. an.* 1. *p.* 1. *in ep. cur.* 26. *&* in M.S. *bibl. Vallicel. ſign. lit.* D. *n.* 1. *pag.* 163.

Sponſionis formula.

terra & regno prædictis, & eorum qui in eisdem ſucceſſuri ſunt, mihi meiſque heredibus; nec non ad ſucceſſionem vel formam ſeu modum ſuccedendi ipſi auo meo ſuiſque heredibus, & mihi meiſque heredibus in regno & terra prædictis. Quæ omnia & ſingula tam me quam meos in regno & terra heredes ſeruaturos promitto, & contra ea non venturos, quæ talia ſunt. Si in noſtro vel heredum noſtrorum obitu legitimum, prout ſequitur, heredem nos aut ipſos, quod abſit, non habere contigerit, regnum ipſum ad Romanam eccleſiam eiuſque diſpoſitionem libere reuertatur, &c. Prætermittimus reliquas pactiones, quibus cliētelæ cauſa Robertus ſe obſtrinxit, cum ijſdē verbis concepta ſit earum formula atq; ea, quam a Carolo I. & Carolo II. repetitam ſuperiori tomo a attulimus. Ad confirmanda vero conuenta addit Robertus.

Inſtauratæ veteres pactiones.

a Ann. Chr. 1265 n. 14. & an. 1289. n. 2. &c.

Datæ ab eodem Rege publicæ litetæ.

48 *Ego etiam do hoc priuilegium ſeu literas præſentes domino Papæ & Romanæ eccleſiæ memoratis, aurea bulla bullatum ſeu bullatas, in quo vel in quibus proprio iuramento fateor & recognoſco expreſſe, regnum Siciliæ & totam terram, quæ eſt citra pharum vſque ad confinia terrarum Romanæ eccleſiæ (excepta ciuitate Beneuentana cum territorio & pertinentijs eius quæ, vt dictum eſt, eccleſiæ remanebit eidem) ex ſola gratia & mera liberalitate ſedis Apoſtolicæ ſæpedicto auo meo, mihi, meiſque heredibus in feudum fore conceſſa, meque habere & tenere regnum & terram huiuſmodi a dicta Romana eccleſia in feudum pro me meiſque heredibus in dictis regno & terra ſub pactis & conditionibus, forma, modo, & conuentionibus prædictis, & ſub alijs, quæ in literis felicis recordationis Clementis Papæ* V. *plenius continentur, illibata perpetuo remaneant, & inconcuſſam ſemper obtineant firmitatem. Ipſa omnia et ſingula iuro (duobus exceptis capitulis, vno de quinquaginta millibus marchis ſterlingorum, & earum ſolutione ſanctæ eccleſiæ debitis, & conuentionibus memoratis per iam dictos parentes meos & me heredem ipſorum remiſſis mihi meiſque heredibus in perpetuum, & donatis per ipſam eccleſiam ac felicis recordationis dominum Clementem Papam* V. *cum conſilio & aſſenſu dominorum Cardinalium de mera liberalitate ipſorum ex ſpeciali gratia relaxatis; & de eis ſumus ego et mei heredes de nexu cuiuslibet obligationis, aut pœnalis promiſſionis, quibus eſſemus aſtricti, propterea in perpetuum abſoluti et exinde quietati: alioque capitulo de perſonalibus iam dicto auo meo impoſitis, de habendis per eum mille militibus vltramontanis cum certo equitaturarum et baliſtariorum numero, et ad veniendum ad proſecutionem negotij dicti regni in ſubditis terminis et præfixis, et ſub certarum interminatione pœnarum, quia hæc eſſe conſtat impleta) et per ſtipulationem promitto ſolemnem, quod plenarie adimplebo, et inuiolabiliter obſeruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet. In prædictorum autem teſtimonium perpetuamque memoriam præſens ſcriptum exinde confici iuſſi, et aurea bulla regiæ maieſtatis impreſſa typario communiri. Acta et habita fuerunt prædicta Neapoli in prædicto palatio regio, præſentibus ibidem ſereniſſima domina domina Sancia Regina Ieruſalem et Siciliæ illuſtri, ac illuſtribus & magnificis viris domino Carolo duce Dyrrachij, Ludouico et Roberto eius fratribus, præfati domini Regis nepotibus, ac reuerendis patribus dominis Bartholomæo Tranenſi regni Siciliæ vicecancellario, Rogerio Capuanno, fratre Landulpho Amalphitano, Petro Surrentino et Idrontino archiepiſcopis, etc.* Adduntur alia epiſcoporum & procerum, qui teſtes fuere adhibiti, ac tabellionum nomina.

Inſertæ publicis monumētis.

49 Detrectabat Fridericus Trinacriæ Rex Apoſtolicæ ſedis fiduciarius clientis officia Benedicto exhibere, & Alfonſi Robertique Regum exempla ſequi: decreuit tamen Pontifex tentare obſtinatum in perfidia illius animum, & clementia ad obſequium allicere: inſtantique Roberto Regi, qui Fridericum regno, quod tyrannide corripuerat, deturbare moliebatur, vt grauioribus pœnis cenſuras apoſtolicas iamdiu obterentem percelleret; reſpondit a manſuetudinem priusexperiri, vtque rediret ad officium illum prouocare ſe decreuiſſe.

Friderici Trinacrij contumacia.

a To. 1 ep. ſecr. 111.

Benedictus, &c. Quia illius locum, licet immeriti, tenemus in terris, qui non mortem peccatorum, ſed vitam ſemper inquirit, deſiderijs optamus intenſis, & adhuc etiam expectamus, ſi Rex idem ab illo, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, inſpiratus a deuijs pedes ſuos ſtudeat retrahere, ac in viam veritatis & iuſtitiæ dirigere greſſus ſuos, redeundo corde contrito & humiliato ſpiritu ad noſtram & eccleſiæ deuotionem & obedientiam, ſuos propterea nuncios ad noſtram præſentiam deſtinando. Interim autem proceſſus alias contra eum habitos perquiri facimus, ordinare niſi ad deuotionem redire, vt præfertur, curauerit, quod matura deliberatione præuia faciendum cognouerimus, intendentes. *Dat. xiii. kal. aprilis anno* 1.

Pertentat Benedictus illum flectere clementia.

50 Explicuit itaque in Fridericum Regem Trinacriæ clementiam Benedictus, paterniſque monitis ab exitio imminenti errantem reuocare niſus eſt: grauiſſimis enim literis atrocia eius ſcelera ante ipſius oculos ſtatuit, vt ad pœnitentiam flecteret; ductoque altius rei exordio expoſuit, vt Petrus Aragonum Rex eius parens nequiter inuaſiſſet Trinacriam, illeque paternum flagitium imitatus tyrannidem exercuiſſet donec pax inter Carolum II. & ipſum ſancita firmataque affinitatibus nouis fuiſſet: verum aliquanto poſt tempore percuſſum ſanctiſſime fœdus iniuſte fregiſſe, inuaſiſſeque Calabriam: indictas poſtea, obiectis violatoribus grauioribus pœnis, inducias fregiſſe, cenſuriſque ſe irretiſſe; nec tamen, vt catholicum principem decuerat, ea religione exolui flagitaſſe; ſed nouo cumulato ſcelere cenſum pro Trinacria debitum pluribus annis intermiſiſſe, ac non modo anathema nouum contraxiſſe, verum omni iure antea adepto ex pacis tractatu excidiſſe. Huic improbitati rapinas eccleſiarum, atque eccleſiaſticorum iniurias grauiſſimas adieciſſe; denique apoſtatis, hæreticis, ac ſchiſmaticis fauiſſe, vt e ſuggeſtu infandos errores euulgarent. Obiecit demum infelici principi Benedictus, quanto dedecore ſe ac ſuos reſperſiſſet, ac beneuolentiam apoſtolicam ſpopondit, ſi gremium eccleſiæ repeteret: ſi vero crimina quibus obnoxius erat expiare abnuerer, eccleſiæ cauſæ ſe non defuturum. Exemplum literarum apoſtolicarum infraſcriptum eſt. b

Admonet officij.

b An. 1. p. 1. ep. cur. 28.

Magnifico principi Frederico Regi Trinacriæ ſpiritum conſilij ſanioris.

Datæ ijs de rebus ad eum lit.

51 Diuinus amor nos admonet, & charitas proximi nos inuitat, nec non officij noſtri debitū nos perurget, vt quæ animæ tuę ſalutem, honoris augumentam, tuique ſtatus claritatem reſpiciunt, tibi paterno ſuadeamus affectu: quæ, ſi deuotus illa ſuſceperis, & ad eorum executionem, velut ager purgatus ſpinis & tribulis, praueris mentem tuam, fructum tibi multiplicem

honores, & commodi germinabunt. Nosti siquidem, & euidentia facti toti mundo notoriat, quod post commotionis amaræ diffidium in insula Siciliæ ex calore præsumptionis exortum, quondam Petrus Rex Aragonum pater tuus dictam insulam in ecclesiæ Romanæ contemptum & iniuriam temeritate propria occupauit, ipsamque insulam vsque ad eius obitum detinuit occupatam; tuque postmodum eidem Petro in eiusdem insulæ illicita occupatione succedens, eam vsque ad tempus pacis inter te ac claræ memoria Carolum Regem Siciliæ reformatæ, ac per sedem Apostolicam confirmatæ, occupatam de facto & indebite tenuisti; quodque huiusmodi pace & concordia initis, & pro ipsarum roboratione maiori inter te ac chariſſimam in Christo filiam nostram Alionoram Reginam Trinacriæ illustrem consortem tuam dicti Regis Caroli filiam matrimonio celebrato, tu post aliqualem obseruationem pacis huiusmodi fœdus ipsius violasti, & terram chariſſimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris citra pharum inuadere præsumpsisti, & nonnullas ciuitates & castra ibidem indebite occupasti; & subsequenter, treugis inter te & dictum Regem Robertum, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum postmodum pro pace inter te & ipsum tractanda commodius sub grauibus spiritualibus sententijs atque pœnis indictis durantibus, eas, inuadendo iterum terram dicti Regis citra pharum, nulla causa expoſcente rationabili violasti, propter quod tu excommunicationis sententiam in infringentes treugas ipsas per eundem prædecessorem prolatam incurristi; & Siciliæ & aliæ insulæ ei adiacentes suppositæ interdicto ecclesiastico extiterunt, quodque cum tu iuxta status tui decentiam tenereris & debuisses per satisfactionem debitam, tanquam catholicus eiusdem ecclesiæ filius, relaxationem sententiæ ac interdicti huiusmodi procurare, id facere non curasti; sed præmissis contemptum adijciens, a solutione census trium millium vnciarum auri a te nobis & ecclesiæ Romanæ pro dictis insulis annis singulis debiti, ad cuius solutionem etiam iuramento teneris astrictus, per annos plurimos cessauisti, propter quod excommunicationis sententiam in personam, & priuationis pœnam iuris, quod tibi in retentione prædictæ Siciliæ & aliarum insularum ei adiacentium in vita tua ex forma pacis huiusmodi competere poterat, incurristi.

Nec his contentus, ad ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum grauamina & iniurias te conuertens, bona & iura ecclesiarum & personarum earundem multipliciter occupasti, ipsarumque redditus & prouentus pro maiori parte tuis vsibus applicasti pro libito voluntatis; & quod deterius est, & pungit acriter mentem nostram, vt dictam ecclesiam matrem tuam offenderes grauius, personas quamplurimas in errorum deuium prouolutas, nec carentes fermento hereticæ prauitatis, apostatas, & schismaticos in dicta insula Siciliæ admisisti hactenus & admittis, ac permisisti quod personæ huiusmodi multa illicita in dicta insula prædicarent, aliaque indecentia & voluntaria facerent, quæ non videntur de catholicorum mentibus processisse: & præter hæc & alia plurima per te non commendabilia temporibus modernis commissa, quæ singulariter exprimere præsentibus ex certis causis omittimus, interdictum ecclesiasticum in dictis insulis hactenus obseruatū feciſti, sicut accepimus, violari.

Vescelere parta sit a patre Trinacria.

Retenta ab ipso flagitio.

Violatum iniquę fœdus.

Illatum contra fas Calabriæ bellum.

Intermissa census solutio.

Bona ecclesiastica occupata.

Profanata sacra.

52 Considera igitur quantum Deum, nos, & Apostolicam sedem in præmissis offenderis, & offendas; ac paueas, & timorosus expectes diuinum tremendumque iudicium, per quod bonis præmia & malis supplicia irrogantur, tarditasque pœnæ grauitate iudicij compensatur. Quia igitur illius, licet immeriti, vices in terris gerimus, cuius proprium est misereri; ac tum ob hoc, tum quia etiam dum nos minor status haberet ad inclytam domum Aragoniæ, tuamque personam, priusquam sic grauiter Deum & ecclesiam prædictam offenderes, gessimus specialis dilectionis affectum, & postquā diuina gratia fuimus ad apicē summi apostolatus assumpti, domum prædictam paterna dilectione prosequimur, summo desideramus affectu, vt te a præmissis culpis ex lapsu tantorum excessuum nostra exhortatio reuocet, & paterna charitas oberrantem filium reducat salubribus monitis ad deuotionem sanctæ matris ecclesiæ, communionemque fidelium, a quibus es, vt præmittitur, separatus; ideoque magnitudinem tuam requirimus, monemus, & hortamur in domino Iesu Christo, quatenus infra clausura tuæ conscientiæ debita consideratione reuoluens, quam indecenter ex præmissis neglexeris famam tuam, quam periculose salutem animæ tuæ contempseris, ac conditionem tui generis offuscaris; mentem tuam per debitæ omnium præmissorum reparationis & satisfactionis euidentiam præpares ad salutem; deuote audiens, diligenter intelligens, ac pro timore & amore Regis æterni, qui dat regnare principibus, Apostolicæ sedis reuerentia atque nostra, honoreque catholicæ fidei, ac salute propria effectualiter exaudiens monitoria & salutifera verba patris.

Prouocatur ad posscendam scelerum veniam.

Alioquin volumus tuam magnificentiam non latere, quod si forte, quod absit, non acquiescas paternis exhortationibus huiusmodi, & per inobedientiæ, ac indeuotionis zelum in huiusmodi tamdiu continuato proposito vlterius perseueres, non poterimus, salua conscientia, conniuentibus oculis pertransire, quin super præmissis de opportuno prouideamus remedio, prout secundum Deum honori nostro & eiusdem ecclesiæ viderimus expedire. Super his autem & nonnullis aliis præmissa tangentibus, tibi ex parte nostra coretenus serioſe ac particulariter enarrandis, venerabilem fratrem nostrum Bertrandum archiepiscopum Ebredunensem, quem propter suæ probitatis expertam constantiam grandiaque dona virtutum ad hæc vtilem per experientiam nouimus, ad tuam præsentiam prouidimus destinandum: quem tua magnitudo ob sedis eiusdem & nostram reuerentiam benigne recipiat, prosequatur honorificentia debita, sibique referenda super præmissis pro parte nostra credat, ac illa deducat ad votiuæ ac speratæ executionis effectum, sciturus pro firmo, quod si tu monitionibus & exhortationibus paternis huiusmodi acquieueris cū effectu, & de præmissis omnibus satisfactionem debitam, prout tui status decentia exigit, nobis & ecclesiæ Romanæ prædictæ impenderis, aperte cognosces, nos & dictam ecclesiam adesse tibi, quantum cum Deo poterimus, fauoribus & præsidijs opportunis. *Datum Auinione* IV. *non. maij anno* I. Conceptæ sunt ijsdem pene verbis literæ ad Bertrandum archiepiscopum Ebredunensem datæ a quibus Frederico præterita scelera exponere iussus est.

Intentata iudiciorū acerbitas.

[a] *Ben. an. p. 1. ep. cur. 27.*

In-

Roberti in Trinacriam expeditio. a To. 1. ep. secr. 450. b Io. Vill. l. 11. c. 29.

53 Instructam a Roberto a Siciliæ Rege classem ad recuperandam Trinacriam, refert Ioannes Villanus b, ac licet maritimæ oræ Trinacriæ magna sint illata damna, nullas tamen arces ob Aragonicã classem expugnari potuisse. At Benedictus, Roberti Regis querelis pulsatus, publicę pacis alẽdæ, belliq; inter Robertũ & Aragonios extinguendi cupidus, Alfonsum Regem grauissimis monitis solicitauit c, vt classis suę prefectum, quem sine iussu regio temerarium facinus aggressum putabat, merita mulcta afficeret.

Benedictus, etc. Alfonso Regi Aragonum illustri.

Fili dilectissime, non sine admiratione c. disp. licibili ad nostram notitiam fuit deductum, quod pridem, armata charissimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ iliustris in Siciliæ insula existente, Raimundus de Peralta quarundam galearum tunc amiratus seu capitaneus cum quatuordecim tuis seu subditorum tuorum & duabus Siculorum eis associatis galeis ad insulam accesit eandem, se contra prefatum Regem Sicilię ad protectionem & defensionem terrarum quas tenet magnificus princeps Fredericus Rex Trinacrię, ac fidelium & terrarum Regis sepefati Sicilię, quę per ipsum a nobis & ecclesia supradicta tenentur in feudum, offensionem & inuasionem hostiliter, sicut Regem eundem Sicilię scripsisse tuę magnificentię seriosius intelleximus, se accingens.

Damnata a Pont. ea res.

Violati fœderis arguitur Alfonsus Arag. Rex

54 Verum cum in pactis & conuentionibus insertis in literis concessionis regni Sardinię & Corsicę inter cætera contineatur expresse, quod tam dictus genitor tuus, quam eius heredes in regno predicto pro amicis & deuotis amicos & deuotos ecclesię, ac pro inimicis & indeuotis inimicos & indeuotos eiusdem perpetuo tenerentur habere, nec æmulis seu inimicis ipsius ecclesiæ darent auxilium, consilium, vel fauorem; tuamque serenitatem non lateat, cum sit manifestum & notorium tam prope quam longe positis, quod dictus Fredericus extra gratiam & communionem ecclesiæ, quod dolenter & displicenter referimus, persistebat tunc temporis & adhuc animo pertinaci persistere in suæ salutis & famæ dispendium non veretur; & vlterius quod de censu annuo, ad quem eidem tenetur ecclesiæ, ipsam quantum in eo est exheredatam detinet ac etiam spoliatam: sicque, si Fredericus ipse inimicus, rebellis, & æmulus ecclesiæ Romanæ prædicta reputari merito debeat; dictusque Rex Siciliæ, qui ecclesiam ipsam, cuius vassallus & fidelis existit, reueretur velut matrem & dominam, eidem tam debita quam deuota præstando iugiter obsequia, deuotus & amicus ipsius ecclesiæ sit censendus, deducere potest tua regalis circumspectio in debitæ considerationis examen.

Nullum ipsi obiectum obicem in comparãda Sardinia.

55 Insuper conuentiones & pacta, dudum inter tuum & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ dicti Roberti Regis genitores super eorum inuicem pace habita, quæ præfatum Roberrum Regem tam circa guerram tuam Sardiniæ, quam casus exigentes alios obseruasse inuiolabiliter hactenus audiuimus, ad tuam prouidimus memoriam serie præsentium reducenda, vt ex his & alijs, quæ tibi circa hæc possunt occurrere, tua perpendat clarius prudentia, quam grauis, præsumptuosus, & temerarius ex præmissis & alijs diuersis capitulis fuerit dicti Raimundi, sibique in hac parte adhærentium subditorum tuorum excessus, nequaquam de tua conscientia sicut credimus attentatus: quem sic velit regalis sublimitas corrigere ac punire, quod talia vel similia non attententur in posterum, sed tibi attentata displicuisse huiusmodi prompta & debita excessus eiusdem correctio atteſtetur; tuque fili amantissime nostram & Apostolicæ sedis benedictionem & gratiam tibi ex ijs & alijs tuæ deuotionis meritis vendices copiosius & vberius non indigne. *Dat. Auin. 11. kal. ian. an. 1.*

Vngarus Rex in barbaros bellum gerit.

56 Gerebat sanctiora bella Carolus Vngariæ Rex, qui arma aduersus infideles ad propagandam religionem conuerterat. Fauitque athletæ suo fortissimo diuinum Numen, glorioſa illi de hoste collata victoria: de qua certior factus Benedictus, Carolo est gratulatus, atque ad proferendos fidei limites ac Dei hostes debellandos ipsum incitauit a.

a Eod. to. 1 ep. secr. 483.

Benedictus, &c. Carolo Regi Vngariæ illustri.

Gratulatur illis de parta victoria Pont.

Fili charissime, audita victoria, quam tibi aduersus hostes fidei Christianæ Altissimus de cælo ijs temporibus præteritis contulit, cor nostrum exultat in Domino; exinde sibi labiorum vitulum in humilitate spiritus exoluentes, & cernui supplicantes eidem, vt collatam tibi virtutem & gratiam corroborare & augere ad conterendos inimicos nominis Christiani dignetur. Tu vero, fili dilectissime, non tuæ ac tuorum, sed diuinæ potentiæ potius victoriam ipsam, & alia dona virtutum, quæ tibi largitur Altissimus, cum actionibus gratiarum aſcribens, circa eius obsequia, præsertim ad cultum fidei orthodoxæ dilatandum in illis partibus, tanquam athleta Christi strenuus, quoties opportunitas aderit, vt inde tibi apud Deum acquiras meritum vberius, & fama tui nominis dilatetur per orbem diffusius, te impendas; sciturus, quod nos super tuis opportunitatibus, quantum cum Deo poterimus, propitios reperies & benignos, &c. *Dat. apud Pontẽ sorgiæ Auinionensis diœcesis non. augusti anno 1.*

Fœdus inter Vngar Boem. & Polon. Reges. b Bonif. in l. 9. dec. 2. Dubr. hist. Boem. l. 21 Crom. l. 12. ex Hageco. c Mich. l. 4 c. 17. Crõ. l. 12 in Casimiro Bonfin. dec. 2. l. 9.

57 Vt bellũ in infideles glorioſe verterat Carolus Vngariæ Rex, pari laude pacem inter principes Christianos, Ioannem scilicet Boemiæ & Casimirum Poloniæ Reges conciliare studuit: firmatumque fœdus b ijs legibus inter ipsos arbitro eodem Carolo Rege, referunt auctores, vt Boemus Regis Poloniæ nomen, quod hactenus gesserat abijceret: Casimirus vero Silesiam Boemis relinqueret. Extitit c etiam Carolus Vngarię Rex vna cum Ioanne Rege Boemiæ pacis inter Polonos & cruciferos equites arbiter; quæ ijs conditionibus percussa, vt cruciferi Pomeraniam, quam Ioannem Regem Boemiæ ijs vendidisse vidimus retinerent (de quo Poloni queruntur admodum Carolum Regis Boemiæ verborum lenocinijs victum ab æquitate deflexisse) Cuiauiam vero & Dobrinensem ditionem Casimiro Poloniæ Regi restituerent. Agitata hæc sunt Vissegradi mense nouembri, in quibus celeberrimis conuentibus fœdus inter tres eos Reges Vngarię, Polonię, & Boemiæ arctissimum sancitum d, eosdemque amicos & hostes habituros sacramento spoponderunt: addunt etiam bellum in Ludouicum Bauarum decreuisse e, de quo superius actum est.

d Bonfin. vbi supr.

e Hagecius apud Crõ. l. 12 Chõ. Mich. vbi sup. Cruciferorum cum Polono discordia.

Cum sententia a Ioanne & Carolo Regibus arbitris inter Polonos & cruciferos operi maudanda esset, exortę sunt nouę controuersię: Cuiauiam enim & Dobrinensem tractum restituere detrectarunt cruciferi, nisi Casimirus regio diplomate iure omni, quod in Pomeraniam, Chmensem & Michalouiensem terras obtinere conten-

de-

debat, cedere profiteretur. Iniqua a cruciferis expoſci Polonis viſum eſt, ac Ioannem Grothonis Stupezam epiſcopum Cracouienſem ad ſedem Apoſtolicam miſere, vt iniuriarum iudicium cruciferis intenderent: dataque eſt Galhardo e Carceribus ac Petro Geruaſio apoſtolicis internuntijs cognoſcendę cauſę prouincia a. Legarat antea in Poloniam Galhardum Pontifex b, vt denariũ S. Petri a Polonis finitimarumq; prouinciarum populis c exigeret: cui etiam munus iniunxit, vt de apoſtolicis internuntijs, qui pręceſſerãt, Andrea ſcilicet e Verulis & P.. de Aluernia inquireret: accuſati enim fuerant profligatam vitam duxiſſe, improbe geſſiſſe munus, locaſſe fœnori pontificij ęrarij pecunias ad lucra captanda, Romanam denique eccleſiam auaritię ſordibus inuidiam adduxiſſe. His adiungimus Pontificem tuendorum eccleſię iurium ſolicitum ad exigendum in Anglia, Scotia, Vvallia, & Hibernia conſuetum cenſum, qui vulgo denarius S. Petri dicitur, Bernardum d e Siſere, miſiſſe, de quo plures ad Regem, Reginas, & clerum Anglię extant ſcriptę literę e.

a Micheu. cap. ſup.
b To. 1. ep. ſecr. 589.
c Ib. ep. 162.
Cenſus pendendi Rom. eccl a plur, regnis.
d Bad. to 1 ep. ſecr. 516. 518. ad ep. 526
e Ib. ep. 93 94.

58 Contigiſſe hoc anno in Anglia inſignę pœnitentis fœminę exemplum, quę tantum dolorem ob anteactę vitę ſcelera concepit animo, vt illius magnitudine oppreſſa feliciter animam exhalarit, Vvalſinghamus refert f his verbis: *Hoc anno in eccleſia de Edeligh Vvintonenſis diœceſis, & decanatu de Aulton, in die palmarum poſt prædicationem cuiuſdam ſacerdotis literati, Ioannis de Vvecca nomine, mulier quædam Ioanna coram populo a iuuentute ſua corpus ſuum libidini & obſcœnitati fuiſſe expoſitum, ac alia facinora lachrymabiliter confeſſa eſt inaudita; obnixe flagitans pœnitentiam a ſacerdote prædicto ſibi imponi ſalutarem. Sacerdos quoque de diuina miſericordia confidens, poſt ſacræ ſcripturæ nominata * ... ne deſperaret, ſed in Domino, peccatores ad pœnitentiam miſericorditer expectante, ſpem poneret, ſex dierum in * pane & aqua in ſuorum remiſſionem * dixit delictorum. Illa quoque pœnitentiam talem ſuorum reſpectu facinorum parum fore ſeu nihil aſſerente, pœnitentiam qualemcumque agere poſſet ſibi * iungi ſuppliciter exorauit. Ille vero, diebus poſtea tribus in petitione muliere perſeuerante, in expiationem omnium peccaminum ſuorum indixit ieiunium. Proſtrata vero illa coram imaginibus eccleſiæ flens & eiulans, ac preces ad Deum deuote fundens, pronamque in terra ſe proſternens, in corporis Chriſti elevatione exanimis & albiſſima eſt reperta.* Traducit illuſtre hoc diuinæ miſericordiæ in peccatricem exemplum, vt inane commentum, vir hæreticus, qui notas Vvalſinghamo in margine appoſuit, vtpote cui ex inſita ab hæreſi impietate Chriſtiana pœnitentia non placeat. Sed auctori potius quam notularum ſcriptori fidem adhibendam, cordatus lector agnoſcet. Subijcit aliud diuerſum Vvalſinghamus diuinæ inſtitiæ in mulierem impudicam exemplum, atque infelix mortis genus, cum illa dæmonis, qui ſpeciem amaſij induerat, inſidijs abiecto diuino timore deluſi ſe paſſa eſſet.

f Vvalſin hiſt. Angl. in Eduard III.
Inſignis pœnitentis contritio.
* exempla
* ieiuniũ * indixit
* iniungi

59 Emergebant in eccleſia varia hæreſeon genera, quæ humani generis hoſtis ſparſerat: graſſabantur enim in Hibernia magi g: Vvaldenſes h in Gallia Lugdunenſi: in Italia Fraticelli i, alijque impudicitiæ effrænatæ dediti l: ſchiſmatici in Germania m, in Dalmatia n & Boemia o alij, qui nouos errores ſimplicibus afflabant. Pugnauit apoſtolico zelo aduerſus hæc monſtra Pontifex, ac Regum & principum potentiam, opem magiſtratuum, epiſcoporum zelum, cenſorum fidei diligentiam ad ea abolenda implorauit. Atque in primis aduerſus nonnullos ſceleſtiſſimos homines, qui pactum cum morte & inferno inierant in Hibernia, ac diuino Numini terga verterant, edoctiq; fuerant a dæmonibus Euchariſtię nullum cultum exhibendum (tantis doctoribus noſtrorum temporum nouatores poſſunt gloriari) Eduardum Anglorum Regem incitauit a.

g An. 1. p. 1 ep. com. 909. 910.
h To. 1. ep. ſecr. 344.
i Ep. 410.
l Ep. 274. Noui hæretici pullulant.
m An. 1 p. 1. ep. com. 763.
n To. 1. ep. ſecr. 462.
o Ep. 441.

a An. 1. p. 1 ep. com. 910.

Chariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri.

60 Sicut nuper ad apoſtolatus noſtri, proh dolor! peruenit auditum, dum venerabilis frater noſter Richardus epiſcopus Oſſorienſis ſuam diœceſim iure ordinario viſitaret, apparuerunt in medio catholici populi homines & eorum fautores hæretici, cœno prauitatis hæreticæ labefactati, quorum quidam aſſerebant Ieſum Chriſtum fuiſſe hominem peccatorem, & iuſte crucifixum pro ſuis extitiſſe peccatis. Alij vero, factis per eos homagijs dæmonibus & eis ſacrificijs impenſis, ad dictorum informationes dæmonum de ſacramento corporis Chriſti aliter ſentiebant, quam de illo catholica & Romana eccleſia ſentit, dicentes non eſſe colendũ, nec adorandum vllo modo ſacramẽtum prędictum; & etiam aſſerentes, quod decretis, & decretalibus, etiam mãdatis apoſtolicis, credere vel obedire minime tenebantur; nec non ad conſulendũ dæmones in agendis iuxta ritus & ſectas gẽtilium & paganorum, ſpretis eccleſiæ catholicę ſacramentis, Chriſti fideles ſuis ſuperſtitionibus attraxerunt. Hæc profecto labes hæretica intermixta fidelium cœtibus fœdat illos: hic morbus ſui pudore cõtagij proximos fideles inficit adhærentes; & hoc peſtiferũ aconitum ſerpens interimit animas illius peſtilentia infectorum. Vnde cum, ſicut accepimus, in eadem Hibernia & regno aliaque terra tui dominij Angliæ non ſint inquiſitores hæreſeos, nec ex officio inquiſitionis ſuæ prauitatis hæreſes ibidem inueniri & puniri ſoleant, propter quod iura & priuilegia inquiſitionis eiuſdem prauitatis incognita, & inuſitata inibi exiſtere dignoſcuntur; ad tui fauoris clypeum, fili chariſſime, in quo ſplendor longe lateque irradiat fidei orthodoxæ, velut ad ſtrenuiſſimum Chriſti & eiuſdem fidei pugilem pro huiuſmodi prauitate & eius cultoribus cõfundendis & extirpandis recurrit ſancta mater eccleſia confidenter.

Demones nefarium dogma de Euchariſtia propagant.
Inducunt gẽtilitios ritus in Hibernia.

Quapropter ſerenitatem regiam attente requirimus, attentius exhortamur in Domino, & obnixius deprecamur, cum in fulcimentum eccleſiaſticæ poteſtatis temporalis fortitudinis ſit gladius inſtitutus, quatenus pro diuina reuerentia, honore ipſius fidei & populari ſalute, tam iuſtitiario tuo Hiberniæ prælibatæ, quam cæteris miniſtris tuis per ipſam Hiberniam conſtitutis, dare cures peruigil feruenter & efficaciter per tuas literas in mandatis, vt dicto epiſcopo cęteriſque antiſtitibus Hiberniæ ſupradictæ, quotiens & quando ab eis fuerint requiſiti, viriliter & potẽter aſſiſtant auxilio brachij ſecularis ad capiendum, puniendum, & extirpandum præfatos hæreticos, & alias hæreſes in illis partibus nouiter pullulantes; ac etiam cæteros credentes, fautores, receptatores, & defenſores eorundem hæreticorum iuxta canonica inſtituta, quæ etiam ad præſidentes regimini regni, prouinciæ, ſiue loci obligant, & aſtringunt. Ex hoc enim æternæ maieſtati offeres gratitudinis debitæ holocauſtum, fidem exaltabis eandem, ſanctam eccleſiam honorabis,

Monitus Rex Eduard. vt hæc mala comprimat.

re-

requisitioni, exhortationi, & deprecationi nostris huiusmodi acquiescens, tuique regalis nominis titulus extolletur altius, & continuus tibi prosperitatis & salutis proueniet vsusfructus. *Datum Auin. VIII. idus nouembris anno* I.

a Au. 1. p. 1 ep. com. 909. Osiorien. epist. regijs ad ministris male habitus

61 Solicitatus b quoque Ioannes Boemiæ Rex, vt potentiam ad prosternendos hæreticos, qui simplices pestiferis irretiebant erroribus in Boemia, conuerteret; datũ enim principibus Christianis a Deo gladium, vt pro retinendo fidei splendore exerant ad imperia sacerdotum: *Potentiæ*, inquit, *secularis & præsertim catholicorum Regum et principum, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis aut flatus, materialis gladius in firmamentum ecclesiasticæ potestatis institutus extitit tam diuinitus quam humanitus, prouisione videlicet canonica & ciuili; vt quicumque iudicium vel censuram ecclesiasticam damnabiliter vilipendunt, per brachij temporalis auxilium potentialiter compellantur. Est ergo exerendus promptius ipse gladius, & vigorosius exercendus contra quoslibet hostes crucis dominicæ: ac non minus, sed potius contra hæreticos, credentes, fautores, defensores, & receptatores eorum, qui Maiestatem æternam periculosius offendere non expauent.* Accendit Pontifex alijs literis c principem Carolum Boemici heredem sceptri, cui sua virtute imperiale coniunxit, vt fidei censores sua auctoritate ad infectandos hæreticos fulciret: tum regiæ Boemicæ procuratorem d. Instituit vero in Olomucensi prouincia Petrum e Naczeracz Minoritam, & in Pragensi Gallum f e Nouocastro ordinis Prædicatorum inquisitores, viros virtute & scientia conspicuos, quos summum studium in excindenda e Boemia nouarum hæreseon lue collocare iussit; de hæreticorum fraudibus impijs his verbis conqueritur. *Dolentes accepimus, quod in ciuitate, & diœcesi Pragensi adeo hæreticæ infidelitatis diuersimode error inualuit, quod ibidem quamplurimi a via veritatis prorsus auersi cunctos post deuium falsitatis, ac se ipsos diuersis & varijs hæresibus maculantes, pestiferas ad concutiendum orthodoxæ murum fidei machinas construunt, molientes ipsos fallacium argumentationum dolosis, falsis, et vulpinis impulsibus demoliri, etc.*

b Ib. ep. com. 742. & 764. Boem Rex ad hæreticos ex cindedos excitatus.

c Ead p. 1. ep. com. 743.

Religiosi viri comprimendę hæresi nauant operam.

d Ibid.

e Ib. ep. 769.

f Ibid. ep. 740.

62 Fidei censori studia episcopi Pragensis ac præsulum prouinciæ conciliare nisus est Pontifex, hosque grauissime monuit g, vt pastorum munere strenue fungerentur, impiosque comprimerent. Olomucensis præterea episcopus cæterique ecclesiastici præcipui auctoritate in ea prouincia Petro e Naczeracz Minoritæ operam explicare iussi. Eruperant ij hæretici ex Germania, quam Ludouici Bauari patrocinio, vt superius vidimus, admodum inquinarant; atque inde ad Boemiam ac finitimas prouincias inficiendas excurrerant, vt hisce verbis deplorat Pontifex h: *Cum, sicut accepimus, in regno Boemiæ hostes crucis de remotis tam Alemanniæ quam circumpositis regionibus frequenter latenter simplices et catholicos dicti regni, inficere, atque a veritatis lumine deuiare fallacium argumentorum impulsibus moliantur.* Laborabat eadem lue Dalmatia: ad quam expurgandam a Benedicto archiepiscopus Spalatensis a, ac Tragurienſis b & Sinimensis c episcopi summo conatu incumbere; fideique censores ad iustis hæreticos pœnis afficiendos sua auctoritate fulcire iussi.

g Ead. p. 1. ep. com. 741.

Hæretici grassantur in Germania.

h Ib. ep. 763.

a To. 1. ep. secr. 462.
b Ib. ep. 463.
c Ib. ep. 464.

In italia vero, serpebat, præcipue apud Reatinos, impura hæresis, quæ ad laxandum in omnes voluptates frænum cupiditati fauebat, Dulciniſtarum sectæ affinis. Pōtifex enim de Zoppio Reatino locutus, quem a causarum fidei cognitore ait comprehensum, subdit hæc verba d: *Dogmatizantem quandam periculosam hæresim, cuius speciem per ipsum nobis expositam inferere præsentibus causa honestatis ad præsens omittimus, in illis partibus, præsertim ciuitate Reatina, quibusdam sathanæ ministris procurantibus.*

Dulcini hæresis repullulat.

d Ep. 574.

63 Dum voluptatum illecebris alios dæmon in exitium trahebat, alios pietatis specie deludere nitebatur. Aucupati ex plurium populorum ab ecclesia defectione occasionem Fraticelli, vires omnes ad subornandos fideles collocabant e; cum Benedictus, qui antecessorem pontificatum sub Ioanne commentarios in eos scripserat, in quibus eorum argumenta dissoluebat (nonnulla ex ijs decerpsit Aymericus f quibus Pegna notas accuratas adiecit) g vt ecclesiam ab impijs hypocritis liberaret, Piceni, Æmiliæ, ducatus Spoletani marchiæ Taruisinæ, Etruriæ, Insubriæ, Siciliæ, ac Trinacriæ fidei censores h in illos animaduertere, earumque prouinciarum archiepiscopos, episcopos, & alios ecclesiarum præsules operam ac zelum coniungere iussit i. Aliud autem improbissimum hæreticorum in Gallia Lugdunensi genus serpebat, Vvaldensis nimirum sectæ impij homines: ad quos abolendos a Benedicto episcopus Valentinus incitatus l, censores fidei zelum explicare iussi, denique Humbertus m delphinus Viennensis & Ademarus n e Pictauia, vt ad excindendas eas mali reliquias potentiam adhiberent, sunt admoniti.

Fraticellorum in ecclesiam impij conatus.

e Ep. sec. 410.

f Aymer. in direct. inquis. p. 2 q 17

g Pegn. comment. 42. in q. 17

h To. 1. ep. secr. 410. & ab ep. 411. ad 419.

Vvaldensium germina in delphinatu.

i Ib. ep. 422. ad 431.

l Ib ep. secr. 344.

m Ib. ep. 345.

n Ib. ep. 346.

Nec modo ad hæreticorum, verũ etiam schismaticorum nefaria consilia elidenda nauata est a Pontifice opera o. Miserat in Cretam Græcus patriarcha Cōstantinopolitanus (Latinus erat Gotius, quem hoc anno Benedictus XVIII. kal. iulias illi ecclesiæ vita functo Cardinale patriarcha cui Cardinalis nomen erat præfecerat) episcopum schismacum, vt eos populos inficeret. Cum vero is rei catholicæ perniciem afferret, ac multa impie gereret, inter quæ legem de gradibus consanguinitatis ad plurium gratiam temere soluere gloriaretur; Pontifex Franciscum Dandulum ducem ac senatum Venetum exorauit p, vt nefarium hominem pellerent, fideique dignitatem tuerentur: *Vobis equidem filij*, inquit, *ac saluti et honori vestro conuenit, quod in eadem insula et terris dominio vestro temporali subiectis honor ecclesiæ Romanæ prædictæ seruetur debitus, et fidei catholicæ cultus expulsis erroribus amplietur. Dat. apud Pontem sorgiæ Auin. diœcesis XIII. kal. augusti anno* I.

o Ead. to. 3 ep. secr. 458.

Patriarcha schismaticus Cretã inficere molitur.

p Super ep 458. Pelli iubetur a Venetis.

64 In Castella impuritas libidinum ecclesiasticos ac laicos infecerat, ac plerique vitam inquinatissimam, abiecto omni pudore, ducebant. Contrahebantur passim vetitæ nuptiæ, patrabantur adulteria: effrænata licentia concubinas induxerat; potentiores imbellium opes diripiebant, ac sæpe incendijs in eos, quos habebant exosos, grassa-

Ecclesiasticus ordo in Hisp. fœdatus impudicitia.

fabantur. Quæ mala vt emendaret Pontifex Christianamque restitueret disciplinam, subiectas literas ad Castellæ ac Legionis antistites dedit [a].

[a] Eod. to. 1. ep. secr. 86.

Benedictus, etc. archiepiscopis et episcopis in regno et terris Alfonsi Regis Castellæ constitutis.

Non sine displicentia magna & mentis turbatione percepimus his diebus, quod nonnullæ personæ tam ecclesiasticæ quam seculares illarum partium, etiam in dignitatibus & alijs ecclesiasticis & secularibus præeminētijs constitutę ad quædam horrenda & detestanda in suarum animarum periculum & aliorum perniciem suas damnatas non metuentes, instigante diabolo qui saluti humanæ inuidet, dirigere actiones, adulteria, incestus, & contubernia committere, nefarias & incestuosas nuptias contrahere, seu potius præsumere: deprædationes, incendia, & rapinas, ac exactiones illicitas, aliaque similia, ex quibus diuinæ maiestatis grauiter offenduntur oculi, præcepta transgrediendo diuina, statuta canonica, & salubres ordinationes sanctæ matris ecclesiæ contemnendo, patrare ausibus damnandis & temerarijs non verentur. Supponimus equidem indubie, quod si cultores perfidi Mahometi, qui vicini in partibus illis existere dignoscuntur, puritati vitæ prælatorum & aliorum Christicolarum alijs prę̃sidentium nequirent veraciter detrahere sic licenter, infideles ipsi Christum dominum nostrum blasphemare, cultum Christianæ religionis vilipendere, ac Christicolas inuadere in eisdem partibus non auderent; nec Deus, in quo est totius misericordiæ plenitudo, fideles suos, si eum præmissis & alijs nequaquam tam turpiter prouocarent offensis, ab eisdem infidelibus sic dure affligi permitteret & vexari.

Vitia in Castella pullulantia.

Pontificia pro eis ex purgādis monita.

Quocirca fraternitatem vestram rogamus, monemus, & in Domino attentius exhortamur, vobis nihilominus in virtute obedientiæ districtius iniungendo mandantes, quatenus considerantes attente, quod manum, quæ sordes alienas diluit, expedit esse mundam; status vestros discutientes primitus, & si quidem vobis forsan, quod Deus auertat, indecens fuerit, abijcientes omnino; circa reformationem morum, & correctionem debitam excessuum subditorum, inserendo virtutes, ac præmissa & alia vitia vijs & modis, quibus salubrius et melius faciendum fuerit, extirpando, operosam per vos et alios curetis diligentiam adhibere, etc. *Dat. Auin.* IV. *id. martij anno* I.

65 Monitus etiam Castellæ Rex [b], vt ad excindenda laicorum vitia, qui contempto matrimonio in concubinatus & adulteriorum cœno volutabantur, atque innoxium fundebant cruorem, & rapinas exercebant, regiam auctoritatem admoueret.

[b] Ibid. ep. secr. 180.

Charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

Quanto te, fili charissime, regnumque tuum ampliori dilectionis affectu prosequimur, tāto ea per quæ maiora pericula & scandala tibi & regno prædicto prouentura formidantur probabiliter, cautius & studiosius ibidem cupimus euitari. Sane ad nostri apostolatus auditum perduxit rumor implacidus & infestus, & ad diuersas mundi partes etiam vulgata nimium, proh dolor! infamia dicitur pertulisse, quod nonnulli regni prædicti nobiles & magnates, nec non & quamplures inferioris status alij, eorum exempli ducti pernicie, Deum offendere, famam suam lacerare crudeliter, seque ac status suos grauibus exponere periculis non verentes, concubinatibus, adulterijs, & (quod est horrendum amplius) incestibus alijsque fœditatibus carnalibus, vtique damnatis & illicitis, contemptis matrimonijs legitimis, abutuntur; & abiecta iustitiæ regula, quæ pacis conseruatrix existit, ad rapinas, violentias, & homicidia, non absque grani Dei offensa & lęsione proximi, impias extendere non metuunt manus suas. Ex quibus turbationes in partibus illis insurgunt & scādala; & Agareni perfidi regno prædicto vicini, Christicolarum contemplantes turpitudines, violentias, & iniustitias, se audacius erigunt in blasphemiam nominis Christiani: & deducentes eos propter præmissa nihilominus in contemptum, persecutiones & oppressiones aduersus Christicolas, Domino permittente, multiplicantur propter peccata & scelera huiusmodi prouocato.

Castellæ Rex monitus, vt excindendis e regno scelerib. det operam.

Cum autem te, fili dilectissime, talia in offensam summi Regis in regno & terris tuis ferre non deceat nec expediat, maxime quia tibi, qui præesse regali dignitate dignosceris, possent a Domino, si manum correctionis non apponeres, imputari; & est verendum quamplurimum, quod si detestandæ sordes carnales & talia prædicta non abstergerentur, sed continuarentur (quod absit) diuina potentia, in cuius opprobrium committuntur, grauius irritata vltricem terribiliter & irremediabiliter, sicut alias quasi similibus peccatis exigentibus ibidem contigisse dicitur, extenderet manum suam; excellentiam rogamus regiam, & in Domino attentius exhortamur, per viscera misericordiæ Dei nostri & sub obtestatione diuini iudicij eandem nihilominus obsecrantes, quatenus vltionem diuinam in hac parte per correctionem & emendationem condignam præueniens, tam de domo regia, si quid forsan contagionis vel culpæ de prædictis fuerit, quam de regno & terris tuis fœditates & sordes, aliaque prædicta abstergi ac totaliter exulari, quantum ad te pertinuerit; ac casta & legitima matrimonia iuxta diuinæ & humanæ legis præcepta honorari facias & seruari; raptores, violatores, & homicidas a rapinis & oppressionibus pauperum & itinerantium ac aliorum per viam iustitiæ nihilominus taliter coercendo, quod Rex a recto & iusto regimine merito possis dici; ac per hæc & alia facta virtuosa & commendabilia, statum regni condecentia, Regem æternum, per quem regnas & regeris, tibi propitium constituas, qui tibi honorem concessum conseruet & ampliet, diesque tuos in longa proroget tempora, & tandem post decursum vitæ præsentis instabilis de terreno ac temporali regno, quod obtines, te feliciter, meritis tuis exigentibus, ad gloriam promoueat sempiterni. *Dat. Auin.* II. *non. maij anno* I.

Obiectus diuinæ vltionis terror.

66 Ad abolendos quoque nefarios abusus, qui irrepserant, Ioannem episcopum Anagninum suum in Vrbe vicarium, ac Philippum e Cambarlhaco iussit a animaduertere in eos, qui cum a peregrinis e remotioribus oris ad lustranda limina Apostolorum accedentibus interpretes adhibiti essent ad sacras exhomologeses, confitentium crimina euulgabant, vel ad extorquendas pecunias illa se in publicum edituros minitabantur: *Quia*, inquit, *pro confessionibus laicorum, qui de barbaris nationibus ad Vrbem eandem causa deuotionis proficiscuntur, sæpius tales interpretes deputantur, qui confessiones ipsas quandoque damna-*

[a] To. 1. ep. secr. 505.

nabiliter & periculoſe detegunt, & interdum ne hoc faciant, vel ex alijs cauſis illicitis extorſiones recipiunt præſumptione damnabili a barbaris ſupradictis; nos talia merito deteſtantes, & attendentes nihilominus, quod officium ſupradictum, & omnia illud contingentia magna aebent puritate clarere; ac propterea volentes, quoa interpretes tales & taliter de cætero eidem officio deputentur, quod per eos potius decorari & fulciri, quam vilipendi & vituperari valeat in animarum ſalutis diſpendium; diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus, &c. prouinciam ipſis dat, vt in illos, qui eo ſcelere ſe inquinarint, ſine iudiciorũ forma ac ſtrepitu inquirant, ſedemq; Apoſtolicam, vt coerceantur, faciãt de re tota certiorem. *Dat. apud Pontemſorgiæ Auinionenſis diœceſis kalen. ſeptembris anno* I. Conſultum eſt huic rei inſtitutis in Vrbe ab Apoſtolica ſede pœnitentiarijs, quorum ſinguli varia idiomata callerent. Addendumque hic viſum eſt, in rotulo pergameno [a] inter alia, quæ in ſupplice libello porrecto Pontifici Olaui archiepiſcopi Vpſalenſis petita continentur, hæc reperiri: *Cum idioma illorum trium regnorum Daciæ ſcilicet, Sueciæ, & Norvvegiæ adeo ſit ab omni alio idiomate extraneum & diſtinctum, quod nec ab Alamannis poſſit intelligi etiam in communibus, nec venientes de illis partibus ad curiam poteſt quoquo modo, nec per interpretes vt plurimum minus prouidos confiteri, qui etiam vt ſæpius vix inueniuntur: & ideo pluries coguntur vel defectuoſe nimis confiteri, vel etiam ſine confeſſione redire de fonte miſericordiæ tanquam de venia deſperati; ſupplicant prædictus archiepiſcopus & ſuffraganei ſui humiliter & deuote, quatenus animarum ſaluti paterne conſulendo, regnis prædictis prouidere dignemini de pœnitentiario illius linguæ, ſicut habere conſueuerant ab antiquo, & illi ſicut alijs veſtræ ſanctitatis pœnitentiarijs ſtipendia miniſtrare.*

Comprimi iuſſi a Pont. infidi exhomologeſeon interpretes.

[a] Rotul. perg. arch. Vat. inſcr. Petitiones pro D. Olauo archiep. Vpſalen.

Pœnitentiarij linguarum ſeptentrionaliũ petiti expetiti.

67 Conſulturus porro Benedictus etiam eccleſiarum ſplendori, qui facile obſoleſcebat, cum alienæ fidei commendatæ eſſent, omnium ſacerdotiorum commendas, vt vocant, reſcidit [b], Cardinales tamẽ priſtino priuilegio potiri voluit; de quo vitæ illius geſta hæc referunt [c]: *In conſiſtorio publico primo vel ſecundo, quod tenuit, reuocauit omnes commendas factas per prædeceſſores ſuos de eccleſijs cathedralibus & abbatijs quibuſcumque perſonis, Cardinalibus & patriarchis dumtaxat exceptis.* Eadem tradit Ptolemæus Lucenſis [d], qui plura a Benedicto hoc anno ad reſtituendam diſciplinam eccleſiaſticam recenſet his verbis: *Item* XV. *idus ianuarij in conſiſtorio ſuo, quod habuit, licentiauit omnes prælatos & curatos, vt poſt feſtum purificationis irent ad ſua beneficia: alioquin iuris remedijs vteretur erga eos, niſi cauſam legitimam ſtandi haberent in curia, quam inſuper ſcire volebat ab eis.* Et infra: *Item pridie kal. iunij Benedictus Papa reuocauit in conſiſtorio omnes commendas per ſuos prædeceſſores factas, exceptis Cardinalibus, quorum commendas nondum reuocauit.* De eiuſdem ſeueritate in coercẽdis fraudibus hęc habet: *Papa intellexit, quod quidam de ſuis familiaribus, tam clericis quam laicis, petitiones ſignabant vt Papa, & eas ſic ſignatas cum alijs per Papam ſignatis miſcuerunt; & ſic in cancellaria tranſibant cum veris petitionibus: quos Papa capi mandauit menſe prædicto circa feſtũ crucis ſanctæ exaltationis.*

Commẽdæ abrogatæ.

[b] An. 1. p. 1 ep. cur. 34.

[c] Geſta Ben. apud Boſquet.

[d] Ptol. Luc. in hiſt. eccl. M.S. l. 24. c. 43.

Eiuſdem Pontificis integritatem in iuribus præſulum non præripiendis commendat idem auctor: *Item* XV. *kal. ianuarij Papa Benedictus reuocauit omnes gratias factas a ſuis prædeceſſoribus illis, qui nondum ius in re habebant, &c.* Interiectis nonnullis Ptolemæus Lucenſis M. S. hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ imponit finem, cui temporis notam his verbis adijcit: *Finitus eſt liber iſte anno Domini* MCCCXXXVII. *die* XIV. *ianuarij*. De reſtituto porro in priſtinum ſtatum conferendorum ſacerdotiorum iure ijs, ad quos ſpectaret, extat diploma [a]: quo tamen creandi Rhodiorum equitum ſupremi magiſtri poteſtatem ſedi Apoſtolicæ, vt pericula ex equitum diſſenſione imminẽtia anteuerteret, reſeruauit. Si quę vero ſacerdotia iuſtas ob cauſas reſeruanda fuerint, in ijs conferendis viris idoneis virtutibus excultis admodum religioſum circumſpectumque extitiſſe, narratur ſubiectis verbis in M.S. Vaticano [b]: *Hic iuſtus & durus erat: beneficia, quæ diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ reſeruauit, vix conferre voluit, timens vt diceba-tur, ne conferrentur indignis.*

Finis hiſtoriæ Ptolemæi Lucenſis.

[a] An. 1. p. 1 ep. cur. 35.

Integritas Bened. in conferendis ſacerdotijs.

[b] M.S. bib. Vat. ſign. n. 3765. in Ben. XII.

68 Explicuit etiam apoſtolicas curas Pontifex, vt clerum et religioſos viros, Benedictinos præcipue, Auguſtinianos, Cluniacenſes, Præmonſtratenſes, ad ſanctiorem vitam reuocaret. Commiſit [c] itaque prouinciam magiſtro Arnaldo e Verdala et Hedeſio Electenſis diœceſis decano eccleſiæ S. Pauli e Fenoleſio, vt Narbonenſis et Arelatenſis archiepiſcopatuum eccleſias cathedrales et collegiatas, ac memoratorum ordinum domos luſtrarent, et componerent quæ male conſtituta eſſent. Cum uero docuiſſet experientia, plures turbas in religioſis ordinibus excitari a nonnullis inquietis hominibus, qui ab aliqua ſacra familia ad aliam transfugerent, præcepit ne quis e mendicantium ſodalitijs ad Benedictinorum vel Ciſtercienſium familias admitteretur. Temperauit etiam optimis legibus Ciſtercienſem ordinem, vt in eo priſtinum ſanctitatis ſplendorem reſtitueret, eaque de re apoſtolicum abbatibus ad ſolemnia comitia congregatis diploma tranſmiſit [d], vt illud promulgarent, eoſque ad fundendas preces, vt ipſe eccleſiæ optime præeſſet, ſolicitaret. Hauſerat in ea religioſa familia Benedictus vitæ ſanctioris ſpiritus, atque in Bolbonenſi monaſterio, in quo fuerat ad pietatem excultus, ſuæ beneuolentiæ ac liberalitatis veſtigia ampliſſima reliquit: *Monaſterium*, inquit vitæ auctor, [e] *Bolbonenſe, in quo prius monachus extiterat, magnis & altis muris claudi & circui fecit cum ſuis magnis ſumptibus & expenſis.*

[c] To. 1. ep. ſecr. 134. 135. 495. ad 499.

[d] Eod. to. 1 ep. ſecr. 591.

[e] Geſt. Bened. apud Beſquet.

Præterea ad inſtaurandam baſilicam principis Apoſtolorum, ac pontificia in Vrbe palatia Ioannem de Piſcis miſit [f], ijſque iudicium intendi iuſſit, qui vim auri a Ioanne XXII. ad perducendum opus collatam in ſuos vſus auerterant, data eidem idib. martij pontificatus anno tertio prouincia, vt ligna pro reficiendis eccleſiæ Lateranenſis ſartis tectis compararet [g]; Robertuſque Siciliæ Rex [h], ac Sancia Regina [i] & alij rogati, vt e regno ea educi ſinerent. Denique fideles propoſitis indulgentiarum præmijs ad ſtipem in id conferendam excitati [l]. Vaticanæ porro baſilicæ tecta magno ſumptu & opere inſtaurata Benedicti magnificentia, referunt ſubiectis verbis eius acta [m]: *Eccleſiã inſuper B. Petri de Vrbe pro tunc in tectis valde demolitam & deſtructam fecit miro & ſumptuoſo opere reparari, prout ad eius perpetuam memoriam in ea literis groſſis & patentibus ſcriptum reperitur.* Perfectum denique opus excurrente ſeptimo pontificatus anno vt inſcriptio docet: *Benedictus Papa XII. Toloſanus fieri de nouo tecta huius baſilicæ anno ab incarna-*

Inſtauratis Vrbis eccleſijs data opera.

[f] An. 1. p. 1 ep. cur. 10.

[g] To. 3. ep. ſecr. 113.

[h] Ib. ep. 146.

[i] Ep. 117. 118. 119

[l] Ep. 120.

[m] Geſta Ben. apud Boſquet.

natione Domini MCCCXLI. *Benedictus* PP. *XII. magister Paulus de Senis me fecit.*

IESV CHRISTI

Annus 1336.

BENEDICTI PP.XII. annus 3. VAC. IMP. OCCID. 23. ANDRONICI IVN.IMP.ORIEN.5

alo.V.ll.l. 11. c.47. & alij.

1 DIremit Benedictus XII. a eo singulari fultus Spiritus sancti præsidio, quod Petro & eius successoribus a Christo domino promissum est, nunquam ipsos in fidei quæstionibus decidendis aberraturos, ineunte anno millesimo a Virginis partu supra trecentesimum trigesimum sextum indictione quarta, veterem controuersiam, quæ theologos antea in contrarias distraxerat sententias, an animę a corporibus segregatę, atque ab omni criminis labe purę claro Dei intuitu ante vniuersorum hominum & angelorum iudicium potirentur. Quanta autem diligentia & consilij maturitate a Pontifice agitata sit hęc quęstio, ex subiectis literis datis b anno superiori dignoscetur.

Quæstio de animarum beatitudine ante resurrect.

b To.1.ep. sess. 497.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Vt ad elucidandam, & determinandam veritatem circa opinionem illam, an scilicet animę a corporibus exutę ac purgatę, diuinam essentiam ante diem vniuersalis iudicij visione videant faciali, & quasdam alias opiniones & quęstiones ab ea resultantes, seu circa eam emergentes, nostrum & fratrum nostrorum ac tuum, fili, charissime, quod circa hæc habuimus & habemus desiderium, ad laudem & honorem Dei, consolationemque fidelium possit melius & efficacius diuina cooperante gratia adimpleri, & determinatio subsequi valeat Deo grata; ecce, fili dilectissime, quod nos cum nonnullis sacrę theologię professoribus, dare intendentes circa hęc operam efficacem, a ciuitate Auinionensi, vbi propter concursus impediebamur multorum, decessimus & ad castrum nostrum Pontissorgię Auinionensis diœcesis, vbi nunc moram trahimus & intendimus trahere, maxime pro præmissis, aliquo tempore, duximus declinandum, &c. *Datum in eodem castro Pontissorgiæ* VIII. *id. iulij anno primo.*

Adhibita in ea discutienda consilij maturitas

2 Postquam accuratissime ea quæstio discussa fuit, a Benedicto demum pronuntiatum est, certissime tenendum ab omnibus Christianis, animas corporeis exutas vinculis, atque noxarum omnium sordibus liberas, cælesti felicitate, sanctissimæque Trinitatis intuitiua visione perfrui: pariterque sentiendum, infelices animas, quæ peccato lethali deuinctæ obirent, inferorum supplicijs mox ab obitu discruciari; de quo hæc M.S. Vaticanum c: *Hic anno Domini* MCCCXXXVI. *& pontificatus sui anno secundo* IV. *kal. februarij decretalem, quæ incipit, Benedictus Deus in sanctis suis, &c. desiorem quæstionis seu altercationis, tempore domini Ioannis inter theologos agitatæ de visione faciali sanctorum ante diem iudicij, quam idem dominus Ioannes morte præuentus nō determinauit, sed indecisam reliquit, edidit & declarauit; videlicet quod animæ sanctæ, nihil habentes purgabile, statim vt decedunt faciem Dei vident: & publicari fecit, mandans sub pœna anathematis & incursionis hæresis, ne quis contra huiusmodi determinationem dogmatizaret, aut crederet.* Eadem repetunt vitæ Benedicti apud Bosquetum auctor & Ptolemæus Lucensis d, cuius hæc verba sunt: *Anno Domini* MCCCXXXVI. *pontificatus sui anno quinto Benedictus Papa in publico consistorio, quod habuit in palatio Auinionensi* IV. *kal. februarij determinauit opinionem visionis essentialis, videlicet quod sancti in patria tūc clare vident et gaudent illa visione faciali et eadem numero, de qua loquitur Paulus in epistola sua: Tunc autem facie ad faciem; & contrarium sentientes puniri decreuit vt hæreticos.* Exigit dignitas controuersiæ, ad quam maturius discutiendam anno superiori ad secessum Pontissorgiæ se contulisse vidimus, vt Apostolicum decretum a in medium adducamus.

c M.S.bib Vat. sign. n.3765.in Ben. XII. Dirimitur a Ben.XII

d Ptol.Luc hist.eccl. M.S.l.vlt. c.vlt.

a Ext. in bull. in Ben. XII. const.4. & in direct. inquis.2.p. c.2.

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

3 Dudum tempore felicis recordationis Ioannis XXII. prædecessoris nostri inter nonnullos etiam theologicæ facultatis magistros super visione animarum iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc seculo decesserunt, vel si fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an diuinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem & iudiciū generale, et super nonnullis alijs orta materia quæstionis, ipsorum aliqui negatiuam, aliqui affirmatiuam, alij vero secundum suas imaginationes de visione diuinæ essentiæ ab animabus huiusmodi diuersa & diuersimode ostendere nitebantur, prout ex dictis & scriptis ipsorum nosci tur apparere. *Et infra:* Cumque idem prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet in suo consistorio publico, tam fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam prælatis & magistris in theologia, qui multi aderant præsentes, iniungendo districtius & mandando, vt super materia de visione prędicta, quādo requirerentur ab eo, deliberate vnusquisque diceret quod sentiret, tamē morte præuentus, sicut Domino placuit, perficere illud nequiuit; habita prius super prædictis solicita examinatione, & diligenti deliberatione cum fratribus nostris, dictę Romanę ecclesiæ Cardinalibus, de ipsorum fratrum consilio hac in perpetuum valitura constitutione auctoritate Apostolica diffinimus, quod secundum communem Dei ordinationem animę sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante domini nostri Iesu Christi passionem decesserunt; nec non sanctorum Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, & aliorum fidelium defunctorum post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit quando decesserunt, nec erit quando decedent etiam in futurum; vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatę; ac quod animę puerorum eodem Christi baptismate renatorum & baptizandorum, cum fuerint baptizati ante vsum liberi arbitrij decedentium, mox post mortem suam, & purgationem præfatam in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant; etiam ante resumptionem suorum corporum & iudicium generale post ascensionem saluatoris domini nostri Iesu Christi in cælum fuerunt, sunt & erunt in cælo, cælorum regno, & paradiso cælesti cum Christo sanctorum angelorum consortio aggregatæ, ac post domini Iesu Christi passionem & mortem, viderunt & vident diuinam essentiam visione intuitiua & etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed diuina essentia immediate se nude, clare, & aperte eis ostendente; quodque sic videntes eadem diuina essentia perfruuntur, nec non quod ex tali

Vt diu a Ioanne fuerit agitata.

Decretū fidei a Benedicto editum.

Deus nulla mediāte creatura in ratione obiecti videtur.

rali visione & fruitione eorum animæ, qui iam decesserunt, sunt vere beatæ, & habent vitam & requiem æternam, & etiam illorũ, qui postea decedent, cum eandem diuinam videbunt essentiam, ipsaq; perfruẽtur ante iudicium generale; ac quod visio huiusmodi diuinæ essẽtiæ, eiusq; fruitio actus fidei & spei in eis euacuant, prout fides & spes proprie theologicæ sunt virtutes; quodque postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiua ac facialis visio & fruitio in eisdem, eadem visio & fruitio sine aliqua intercisione seu euacuatione prædictæ visionis & fruitionis continuata extitit & continuabitur vsque ad finale iudicium, & ex tunc vsque in sempiternum.

Fides & spes ex visione discussæ.

De pœnis inferni.

Diffinimus insuper, quod secundum Dei ordinationem communem animæ decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, vbi pœnis infernalibus cruciantur; & quod nihilominus in die iudicij omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propris rationem, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum, &c. *Dat. Auin* IV. *kal. februarij pont. nostri anno* II.

4 Ad illustrandam controuersiæ, quam diremit, veritatem in superiori decreto, de quo meminere auctores a, propositam Benedictus egregium volumen b, perspicuis refertum argumentis, & sanctorum auctoritatibus insignibus stipatum conscripsit: in quo etiam theologico more omnia, quæ allata fuerant, contraria argumenta dissoluit, & ad ea quæ offerrentur soluenda paratum se exhibet. Ex eo nos plura decerpsimus, quę veluti annalium lumina producemus: & quæ si forte cuipiam prolixiora videantur, is facile veniam dabit, si ab alijs ampliorem tractationem ob rerum dignitatem desideratum iri perpenderit. Præteritis ergo septemdecim primis capitibus primi tractatus a nobis iam ante delibatis c proximum his verbis conceptum est.

a Aymer. in direct. Barcin. in pref. Pegn. 2. p. direct. comm. 21. Alf. a Castr. l. 3 aduer. verb. beatitud. hær. 6. Bart. b Medina a Pud. S. Tho. 1. 2. q. 4 art. 5. & alij.

b Ext. M. S. in bib. Vat. sign. n. 4006.

c Ann. 1335. n. 25. 26.

Quod animæ fidelium Christi perfectorum ante generale iudicium cælum ingrediuntur, vbi Dei essentiam vident, cap. XVIII.

Probatur animas sanctorũ potiri diuina visione

Quod animæ sanctorum et perfectorum virorum, in quibus nihil est purgabile, ad cælum ascendunt, vt ibi pro bonis operibus remunerentur etiam ante generale iudicium habetur ex dictis & sententia Apostoli. Ad Hebræos enim IX. *cap loquens de Christo dicit, quod tempore veteris legis in priori tabernaculo, quod vocatur sancta, sacerdotes semper introibant, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia; hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Per tabernaculum vero, quod dicitur sancta, in quod introibant sacerdotes continue ritum sacrificiorum explentes, secundum glossam super illud ad Hebræos* IX. *Tabernaculum autem factum est primum; intelligitur præsens ecclesia, quæ recte dicitur tabernaculum, quia in eo militatur Domino antequam veniatur ad cælum: tabernaculum enim proprie belligerantium est, sed tabernaculum, quod dicebatur sancta sanctorum, quod est post velamentum, & dicitur secundum tabernaculum, est ecclesia cælestis, quæ velatur quandiu viuimus: & in hoc secundo tabernaculo, in quo introibat summus Pontifex cum sanguine semel in anno, introiuit Christus verus & summus sacerdos semel in anno benignitatis, effuso sanguine in remissionem peccatorum, quando introiuit interiora cæli, ianuam paradisi ante clausam fidelibus patulam faciens; vnde, vt ait glossa super illud eo cap. Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, donec Christus venit; nondum licebat ad cælestia homines introire. Post cuius etiam aduentum adhuc inaccessibile est mortalibus secundum corporis conditionem, ante vero etiam secundum animas: sed patienter expectanda est responsio, in qua etiam corporibus per Christum patebit in cælum accessus. Ex quibus verbis Apostoli & glossæ habetur, quod ante Christi passionem nulli animæ humanæ patebat accessus ad cælum: sed postquam Christus, effuso sanguine suo in redemptionem peccatorum hominum, intrauit in cælum, tunc propalata fuit via intrandi cælum animabus hominum electorum, & si nondum sit aperta corporibus hominum ante gloriosam resurrectionem: hæc autem porta cæli per Christum hominum electorum animabus aperta manet, & manebit aperta a Christi passione vsque ad finem mundi, vt per eam electorum animæ in cælum intrare possint, dicente eodem Apostolo eadem epistola cap. x. Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi: quam initiauit nobis nouam viam & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus, etc. Vbi dicit glossa: Habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, id est certi sumus, quod intrabimus in sancta sanctorum cælestia per sanguinem Christi, quam viam, id est quem introitum initiauit nobis Christus, qui primus ascendit: & per hoc certi sumus de nobis: viam dico nouam, quia nullus ante illum intrauit, & viuentem, id est permanentem, peruiam, quia postea nulli fidelium clausa fuit, & illam viam Christus aperuit, & peruiam conseruauit per velamen, id est per carnem suam, quæ dicitur velamen, quia ipsa caro celabat & velabat deitatem.*

Vt paradisi ianua clausa fidelibus aperta sit.

5 *Quia ergo viam intrandi cælum Christus aperuit animabus fidelium suorum, & illam viam peruiam & apertam omnibus suis fidelibus conseruat; ideo animæ fidelium Christi intrauerunt, & intrabunt etiam ante corporum resurrectionem in ipsum cælum, dicente Beda primo libro super cantica, exponendo illud: Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis: Hæc noui testamenti heredibus congruunt, qui proprie per lauacrum gratiæ adoptionis in filios Deo generantur, qui eo magis illum diligunt, quo maiora illius dona percipiunt, ita vt mox soluti carne, si recte vixerunt, cælestis regni gaudia conscendant. Et eodem libro, exponendo illud: Nardus mea dedit odorem suum; dicit: Odor nardi fragrantiam designat bonæ actionis. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus, inquit, mea dedit odorem suum; quia cum Dei Filius in carne apparuit, ecclesia in virtutum feruore cælestium excreuit, non quia & ante eius incarnationem spiritales ac Deo deuotos viros non habuit; sed quia absque vlla dubietate tunc arctioribus se virtutum studijs mancipaut, cum regni cælestis aditum cunctis recte viuentibus, mox vt carnis vincula soluerent, patere cognouit. Et sexto libro super cantica, exponens illud: Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi; dicit idem: Poma noua & vetera iusti sunt testamenti noui & veteris, quorum nullus potuit, quamuis esset nimia sanctitate insignis, regni aditum cælestis ante incarnationem, passionem, resurrectionem, & ascensionem domini Saluatoris intrare. Dixit ergo ecclesia temporis illius, id est veteris testamenti, quæ nunc discretionis gratia synagoga vocatur. Omnia poma noua & vetera*

Nullum pie morientibus obstaculum in cælum obest.

Interpretatio text. cantic. poma noua & vetera, &c.

dilecte mi, seruaui tibi; ac si aperte dicat, scio certissime, quia nemo nisi per gratiam tuam potest saluari, nemo mortalium potest perfecte iam beatus fieri, priusquam tu mortalis effectus, iter veræ beatitudinis ad cælestia pandas: illi autem, qui intrant in cælum, & cælestis regni gaudia conscendunt, & perfecte & vere beati sunt, Dei essentiam vident, dicente etiam Apostolo eadem epistola ad Hebræos cap. IX. de Christo, quod ipse introiuit in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Vbi dicit glo. Probat quod Christus mundauit cælestia, id est homines suo sanguine mundatos fecit cælestes, id est cælestium participes: nam ipse per hostiam suam introiuit in cælum pro nobis, & ita constat, quod nos sequimur. Ad quid autem introiuit in cælum, ostendit dum dicit: Vt nunc, id est post consummationem, appareat vultui Dei, id est præsentiæ Dei; pro nobis interpellet ibi, vbi Dei præsentia videtur sicut est, & nos post se trahat ad eandem videndam.

Quod fides & spes secundum suas proprias rationes non manent in animabus sanctorum, Deum facialiter videntibus. cap. 19.

Fides & spes desinunt in sanctis.

6 *Hanc autem Dei visionem, ad quam Christus nos trahit, fideles habebunt postquam finitæ erunt fides & spes, quæ durant in eis solum in vita præsenti, dicente eodem Apostolo de spe ad Hebræos VI. Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introuit Iesus. Vbi dicit glossa, quod in omni aduersitate nos facit fortes ipsa spes beatitudinis, quæ est nobis proposita, id est omnibus oblata. Quam spem habemus sicut anchoram animæ: sicut enim anchora nauem, sic spes tenet animam, ne mergatur in salo huius mundi, consentiendo iniquitati. Anchora ergo spes est, quæ tribulationum impulsu non destruitur nec titubat, quæ nos incedere facit, quia introducit nos in rem, scilicet vsque ad interiora velaminis, id est ad interiorem & nunc velatam beatitudinem, quam nemo vidit, sicut est, in hac vita: vbi, id est in quæ interiora Christus intrauit pro nobis introducendis. Et ita patet, nos posse sequi ad hoc eum; ipse enim præcucurrit, vt nos sequamur. Qui bene dicitur cursor, quia nulla culpa eum impediuit; & præcursor, quia ante nos & pro nobis cucurrit, iuxta illud quod Dominus dicit Ioannis XIV. Vado parare vobis locum: & si abiero & præparauero vobis locum iterum venio, & accipiam*

Comparatio spei cũ anchora.

vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Sicut autem anchora nauis necessaria est quandiu nauis est in profunditate aquarum, quia tunc per ventos & aquarum fluctus huc & illuc agitaretur, & quandoque si per anchoram non teneretur in certo loco ad saxa vel terram percutiens frangeretur; quando autem iam nauis & nautæ sunt in terra solida, vsus anchoræ superfluus esset & onerosus; ita quandiu fideles sunt inter fluctus tentationum huius seculi, necessariam habent spem, vt in ea se firmiter tenentes a tentationibus huius vitæ non superentur: sed postquam de hoc seculo exierunt, & ad portum regni cælestis peruenerunt, in quo nullarum tentationum fluctus passuræ sunt, iam non indigent spe, ad quam se, vt ad anchoram teneant, quia sunt in terra firma viuorum, in qua vident bona Domini.

Ipsa autem spes manet in præsenti vita, sicut & fides, dicente Apostolo prima ad Corinthios XIII. Nunc autem manent fides, spes. Vbi dicit glossa, quod fide & spe decedentibus charitas permanebit aucta, cui fides & spes hic non possunt deesse: sed fides & spes sine charitate possunt esse. Et ad Romanos VIII. dicit idem Apostolus: Spes quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus. Et quod solum in vita præsenti fides & spes maneant in animabus electorum, quæ iam ad cælum sunt assumptæ, & in eis esse desinant post hanc vitam, dicit Augustinus in libro de gratia noui testamenti versus finem: Dei agricultura, Dei ædificatio estis: hoc totum agitur cum in hac nostra peregrinatione fideles per dilectionem operantur: in futuro autem seculo perfecta & plena charitas sine vlla malorum tolerantia non fide credit quod non videt, nec spe desiderat quod non tenet; sed in æternum veritatis incommutabilem speciem contemplatur, cuius sine fine quietum opus erit laudare quod amat, & amare quod laudat. Et infra: *Perfecta saturitas in illa vita æterna erit, cum ex ista peregrinatione venerimus ex fide ad speciem, ex speculo ad faciem, ab ænigmate ad perspicuam veritatem. Vbi clare Augustinus ponit, quod solum in ista peregrinatione, id est dum in hoc mortali corpore sumus, fide & spe indigemus ad promerendum vitam æternam: sed hac peregrinatione finita Deum facie ad faciem videbimus, dicente eodem Augustino XIV. lib. de Trinitate cap. 11. Ista peregrinatione finita, qua peregrinamur a Domino, vt per fidem ambulare necesse sit, species illa succedet, per quam videbimus facie ad faciem, sicut modo, non videntes tamen, quia credimus, videre meremur; atque ad speciem nos per fidem perductos esse gaudebimus: neque enim iam fides erit, qua credantur quæ non videntur; sed species, qua videantur quæ credebantur. Tum ergo & si vitæ huius temporalis transactæ meminerimus, & credidisse nos aliquando, quod non videbamus, memoriter recoluerimus, in præteritis atque transactis deputabitur ista fides, non in præsentibus rebus semperque manentibus. Vbi clare dicit Augustinus, quod ista peregrinatione finita non manebit in sanctis perfectis fides; sed transibit, & succedet visio Dei.*

Probatur ex Apost. eas virtutes in cælo euacuari.

Augustinde eo auctoritas.

7 *Vnde & idem Augustinus super psalmum CXIX. exponens illud: Heu me, quia incolatus meus longinquus factus est; dicit: Multum a te recessi, peregrinatio mea longinqua facta est, quia nondum veni in patriam illam, vbi cum nullo malo victurus sum: nondum veni ad illam societatem angelorum, vbi scandala non timebo. Quare autem nondum ibi sum? quia incolatus meus longinquus factus est: incolatus peregrinatio est, quicumque de cælesti Ierusalem peregrinatur inter malos est, nec recedere potest a malis, nisi cum redierit ad societatem angelorum, vt ibi sit, vnde peregrinatur: ibi omnes iusti & sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine literis; quod enim nobis per paginam est scriptum, per faciem Dei illi sentiunt. Ista autem vox: Longinqua facta est peregrinatio mea; maxime eorum est, id est ipsius ecclesiæ, quæ laborat in hac terra. Et primo libro soliloquiorum cap. XIV. cum quæsiuisset, an cũ anima Deum videre, hoc est intelligere cõtigerit, ei sint necessaria illa tria, de quibus supra locutus fuerat, scilicet fides, spes, charitas; huic quæstioni, respondens subdit: Fides quare sit ibi necessaria, cum iam vt deat? spes nihilominus, quia iam tenetur.*

Sola charitas non minuẽda sed augenda in cælo.

Charitati vero non solum nihil detrabetur, sed addetur etiam plurimum, nam & illam singularem veramque pulchritudinem cum viderit plus amabit, & nisi ingenti amore oculum infixerit, nec ab inspiciendo vspiam declinauerit, manere in illa beatissima

ma

ma visione, non poterit: sed dum in hoc corpore est anima, etiam si plenissime videat, hoc est intelligat Deum; tamen qui etiam corporis sensus vtuntur opere proprio, si nihil quidem valent nisi ad fallendum, tamen nonnihil ad ambigendum: & potest adhuc dici fides ea, qua ijs resistitur & illud potius verum esse creditur. Item quia in ista vita quamquam Deo intellecto anima iā beata sit, tamen quia multas molestias sustinet, sperandum est post mortem omnia ista incommoda non futura. Ergo nec spes, dum in hac vita est, deserit animam: sed cum post hanc vitam totam se in Deum collegerit, charitas restat qua ibi teneatur: nam neque dicenda est fidem habere, quod illa sint vera, quando nulla falsorum interpellatione solicitatur; nec quidquam sperandum ei restat, cum totum secura possideat. Tria igitur ad animam pertinent, vt sana sit, vt aspiciat, vt videat: alia vero tria fides, spes, charitas primo illorum trium & secundo semper sunt necessaria, tertia vero in hac vita: omnia post hanc vitam sola charitas, &c. Interiecta Bedæ auctoritate, hanc magistri sententiarum subijcit.

Obiectio proposita a magistro sent.

8 *Et magister tertio libro sententiarum distinct. xxvi. cap. Post hoc, dicit quod quibusdam non indocte videtur fidem virtutem, & spem in Christo non fuisse, sicut in sanctis iam beatificatis vel in angelis non sunt, & tamen sancti credunt & sperant resurrectionem futuram, & angeli, eadem credunt, nec tamen in eis fides vel spes virtus est, quia & Deo per speciem contemplando fruuntur, & in Dei verbo resurrectionem futuram siue iudicium non per speculum & in ænigmate, sed praclarissime inspiciunt. Si enim quia credunt resurrectionem futuram, ideo verum est, eos fidem habere. Ergo ea consummata erit post iudicium.* Eius soluti-

Eius soluti-

Similiter & fidem habere dicentur, quia credent eam præteritam: sed sicut tunc credent eam præteritam, nec tamen fidem, quæ fideles facit habebunt, quia non credent absque scientia, quæ non erit ænigmatica, sed per speciem; ita & modo credunt & sperant resurrectionem, nec tamen fidem habent, quia credendo cognoscunt, venit enim eis quod perfectum est, & euacuatum est quod ex parte est: venit enim cognitio, & fides euacuata: venit spes, & desijt spes; vnde cum animæ sanctorum noui testamenti in cælum assumptæ sunt, & intrauerunt vsque ad interiora velaminis, quia Deum contemplantur, & in illo vident clarissime futuram suam resurrectionem & iudicium generale, licet credant & sperent illa se habituros, non tamen fidem habent & spem, quia talis eorum credentia & expectatio coniuncta sunt cum visione & re, quæ duo excludunt fidem & spem proprie dictam, qua fide & spe fideles nunc dicuntur esse fideles & sperantes. Cum igitur ipsa spes, ad quam nos tenemus, fecerit nos incedere vsque ad interiora velaminis, id est vsque ad ipsum cælum & æternam beatitudinem, deficiet ipsa: & sic nos non tenebimus ad ipsam, sed adhærebimus rei speratæ iam in se, quod clare dicit hic magister esse sanctorum animas assecutas.

a Cap. 20.

Proximo capite a confirmat fidem exinaniri in beatis animabus, quæ diuina iam specie sunt collustratæ; et Aymonis, Bedæ, et glossematis in Apostolum auctoris sententias cumulat, quarum postrema hæc est. *Scimus quoniam dum sumus in hoc corpore mortali peregrinamur a Domino, id est remoti sumus a Domino, spem tamen in mente ipsam habentes per fidem. Dicimur autem ab eo hic peregrinari, quia vbique est Deus: non tamen hic videtur sicut in cælis. Peregrinamur ergo non fide, sed specie: per fidem enim inuisibilium ambulamus, id est ad Deum tendimus, & non per speciem, id est per præsentiam eorum. Qui peregrinatur & per fidem ambulat, nondum est in patria, sed iam est in via. Est ergo illuminatio per fidem, & est illuminatio per speciem: modo per fidem tantum illuminatur, non per speciem: homini enim vitam mortalem adhuc agenti non potest contingere vt dimoto atque discusso omni nubilo phantasiarum corporalium serenissima incommutabilis veritatis luce potiatur, & mente penitus a consuetudine vitæ huius alienata constanter & indeclinabiliter illi hæreat: audemus autem, id est opere ab actu non quiescimus, & bonam voluntatem habemus, quia non contristamur, nec murmuramus in aduersis: nos dico cupientes magis peregrinari, id est remoueri a corpore, & præsentes esse ad Deum, quam hic morari. Vbi clare dicit Apostolus, quod dum sumus in hac peregrinatione, mortali corpore per fidem ambulamus, id est ad patriam contendimus, & non Deum per speciem videmus; propter quod cupimus ab hoc mortali corpore erui, vt præsentes simus Deo, vt sic eum per speciem videamus, deficiente fide.*

Qua ratione peregrinemur a Domino.

Quod animæ sanctorum ex eo, quod sunt cum Christo in cælo, habent Dei visionem. Cap. xxi.

9 *Apostolus ostendens, quod post corporis mortem Deum erat visurus, dicit ad Philippenses i. Coarctor e duobus: desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multo melius est. Vbi dicit Aymo: Lucrum est mihi mori, quia si mortuus fuero, maximum lucrum percepturus sum, id est vitam æternam: & licet bonum quidem sit manere hic propter vos, melius tamen & optimum est regnare cum Christo. Vita autem æterna, quam percepturus erat, si mortuus esset, non est nisi Dei visio, quam statim post mortem carnis consecutus est, dicente Bernardo super cantica, sermone lvi. Si Dominus non custodiat exitum meum, secure non exeo: ero enim ludibrio dæmonum intercipientium me, non assistente, qui redimat, neque qui saluum faciat. Nil tale verendum erat animæ Pauli, cui a conspectu & amplexu dilecti vnus tantummodo paries obsistebat, videlicet lex peccati, quam inueniebat in membris suis: ipsa est carnis concupiscentia, qua carere omnino non potuit, dum in carne fuit: hoc sane vno interiecto pariete non longe peregrinabatur a Domino; vnde & optat clamans: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Sciens se mortis compendio peruenturum.*

Probatur Apostolum speraſſe post mortem Deum intueri.

Ex interpretatione Bernardi.

Idem etiam in quodam sermone de vigilia natiuitatis Domini, qui incipit, Hodiernum quidem sermonem, dicit: Vis nosse quam prope est Dominus? audi sponsam de sponso canentem, quoniam existat post parietem: parietem istum corpus tuum intellige, quod obstaculum impedit, vt eum, qui prope est nondum valeas intueri. Propterea Paulus ipse dissolui cupit & cum Christo esse, & exclamat: Quis me liberabit de corpore mortis huius? vnde & glossa dictum verbum Apostoli exponens dicit: Ego desiderium vel concupiscentiam habeo dissolui ab ijs miseriis, quibus quasi compedibus vinctus sum; & cum Christo esse præsentialiter: tædium enim illi erat manere in carne. Vnde passioni appropinquans vehementer exultabat, & gloriabatur dicens: Bonum certamen certaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ; esse autem præsentialiter

cum Chriſto, & eſſe præſentem Deo, propter quod mori cupiebat & diſſolui ab iſto corpore, non eſt aliud niſi Chriſti humanitatem & eius deitatem facialiter videre, dicente Domino Io. XVII. Pater quos dediſti mihi volo, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Si ergo Chriſtus vult ſuos eſſe, vbi ipſe eſt, ipſe autem eſt in cælo, oportet quod ipſi ſint in cælo. Vult etiam eos eſſe ſecum non ob aliud, niſi vt videant eius claritatem, quæ claritas ſecundum diuinam naturam non eſt aliud niſi eius diuinitas, quia iſtam claritatem dedit ei Pater diligendo eum ante mundi conſtitutionem. Vnde Auguſtinus II. *parte ſuper Ioannem ſermone* LVII. *hoc dictum Domini exponens, dicit; Fidelis homo & pius, nondum tamen ad intuendum ſapientiæ lumen idoneus, etiamſi eſſe nuſquam poſſit vbi non ſit & Chriſtus, non eſt tamen ipſe cum Chriſto dumtaxat per ſpeciem, ſed per fidem. Sed cum Chriſtus Patri Deo dicebat: Quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum; de ſpecie illa omnino dicebat, in qua videbimus eum ſicuti eſt. Vnde cum dixiſſet: Volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum, continuo adiunxit: Vt videant claritatem meam. Vt videant, dixit, non vt credant: fidei merces eſt iſta, non fides: Et ſic patet, quod ſi vult ſuos eſſe in cælo & cum eo, vt eius claritatem videant, quod animæ ſanctorum, quæ in cælo ſunt, & cum Chriſto Dei eſſentiam vident, non per fidem, ſed per ſpeciem.*

Alia Bernardi auctoritas perſpicua.

Cõfirmatur ex dicto Chriſti Volo vt vbi ego ſum, &c.

Quod autem etiam ſanctorum animæ, quæ in cælo ſunt cum Chriſto, Chriſti humanitatem glorificatam & diuinitatem videant, dicit Beda lib. VI. *ſuper cantica, exponens illud: Dextera illius amplexabitur me. Per dexteram ea, quæ in futuro percipiunt electi præmia figurantur, in quibus non ſolum viſione diuinæ maieſtatis ſed & gloria eius glorificatæ humanitatis vnius eiuſdemque mediatoris Dei & hominum manifeſta viſione perpetuo fruuntur, quia diuina præſentia maieſtatis vndique electi in cæleſti regno circumtegentur, ne aliqua infelicitas vel memoria miſeriæ vitæ, vel metus furis anguſtet. Et Auguſtinus in ſermone de aſſumptione B. Mariæ ſuper dictum verbum Domini deducens, dicit: Videndum eſt quid de his, quos ſecum per gratiam vnum eſſe voluit. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi. O magnam & inæſtimabilem bonitatem Dei, qui habere ſecum ſuos in gloria vult, vt ſua claritate fruantur, qui hic ſua fide vincli vnum cum eo eſſe iudicantur. Si ergo eos ſecum habere vult, ac hoc poteſt, qui omnia poteſt, quid exiſtimandũ eſt de matre, vbi digna ſit haberi, ſi non in præſentia filij? Quantum igitur contueor, quantum intelligo, quantum credo Mariæ anima claritate fruetur Chriſti, & glorioſis conſpectibus eius, ſemper videre ſitiens & ſemper conſpiciens.* Hanc de B. Virgine theſim Hieronymi et Auguſtini auctoritatibus confirmat.

Ex Cantic. & expoſitione Bedæ.

Quod animæ hominum iuſtorum exutæ corporibus, & mundatæ ab omnibus peccatis & pœnis peccatorum Dei eſſentiam vident Cap. XIII.

10 *Vide quod electorum animæ a corpore ſeparatæ actu Dei eſſentiam videant. Dicit Hugo primo libro de ſacramentis part.* X. *cap.* IX. *iuſtus, quandiu in hoc corpore exiſtens peregrinatur a Domino, viuere habet ex fide: ſed cum eductus de hoc ergaſtulo fuerit, & introductus in gaudium Domini ſui, viuere habebit ex contemplatione. Quid autem ſit viuere ex contemplatione, declarat Proſper* I. *lib. ſententiarum ſuarum cap.* II. *dicens. Contemplatiua vita, in qua Creatorem ſuum creatura intellectualis ab omni peccato purgata, atque ex omni parte ſanata viſura eſt, a contemplando, id eſt videndo nomẽ accepit: quod ſi ita eſt, illa vita, vbi Deus videri poteſt, ipſa cõtemplatiua credenda eſt. In præſenti autẽ vita miſeriæ erroribuſq; pleniſſima Deum ſicuti eſt videri non poſſe, dubium non eſt. In futura igitur, quæ ab hoc appellatur contẽplatiua, videndus eſt, nec immerito: ſi enim videre Deum ſummum ſolidumq; eſt gaudium, ſummum vero gaudium præmium bene creditur beatorum & primum, non adhuc pugnantibus, ſed iam vincentibus dabitur poſt triumphum, quis non videat, quod omnes ſancti Deum in illa vita æterna videbunt, vbi ſine fine gaudebunt: vbi* * *præmium reportauerint, ibi recepturi ſunt præmium: vbi non ſolum deuictis, ſed etiam finitis hoſtibus triumphabunt: ibi triumphabunt, vbi vlterius aduerſarium non habebunt? Cæterum in hac vita quamuis ſtrenuè dimicemus, & adiuuante Domino cateruas hoſtium, quibus circumfundimur, proſternamus; tamen ſi ab eis nolumus vinci, nunquam pugnare deſinimus, nec vincentes ſecuros faciunt viriliter iam defudata prælia, ſed magis ſolicitant aduerſariorum recidiuiua certamina: ſed tunc eſt tentatio finienda, quando finitur & pugna: & tunc finienda eſt pugna, quando poſt hanc viam ſuccedit pugnæ ſecura victoria, vt omnes milites Chriſti, qui vſque in finem vitæ præſentis diuinitus adiuti hoſtibus ſuis infatigabiliter reſtiterunt, laborioſa iam peregrinatione tranſacta, regnent felices in patria, in qua humana natura ita reparanda eſt, & ab omni prorſus infirmitate ſananda, vt nec peccata ei vltra remaneant: nec peccare iam valeat, cuius hoc erit totum præmium, vt vitæ contemplatiuæ ſemel compos effecta inexplicabiliter auctorem beatitudinis ſuæ conſpiciat; de illo gaudeat, quod ſperauit obtineat, & in eo, quo ſancte viuendo peruenit, ſine fine permaneat. Et cap.* VII. *idem dicit: Attende quam diuine ſanctus Apoſtolus ſpeciem fidemque diſtinxit, vt diceret: Per fidem ambulamus, non per ſpeciem. Fides eſt ergo, per quam ambulatur, & ſpecies per quam videtur: quia in hac vita, vbi per fidem bene viuendo proficimus, bonorum operum quodammodo paſſibus ambulamus; in futura peruenientes ad ſpeciem, iam non erit quo velut proficiendo ambulemus, ſed ipſam ſpeciem, ad quam per fidem ſpiritualiter ambulando peruenimus, inſatiabili delectatione videbimus.* Et infra.

* victoriã

Hugonis auctoritas

Alia Proſperi.

Et Ambroſius ſuper: Beati immaculati; exponens illum verſum: Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo; vbi litera, quam exponit habet: Deprecor vultum tuum Domine in toto corde meo, dicit: Deſiſte hominis habere peccata, & videbis faciem meam: qui enim faciem meam videt debet eſſe non polutus, ideo vt in Dei appellationẽ poſſit excreſcere commonetur. Et quid Dei appellationem dicam? Eſto angelus, hoc eſt diuini miniſter imperij, obſequere mandatis Domini, cum fueris angelus videbis faciem Dei. Magnum eſt videre Dei vultum. Sed ipſe Dominus ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Aduertis quid a te exigatur, vt videas Deum, cum in te propoſita ſit prærogatiua videndi Deum. Emunda igitur cor tuum, quaſi nouus creeris: renouato ſpiritu, omnes pollutas cogitationes de corde tuo abÿce: nihil ſit quo, tuus inquinetur affectus: ſimplex mens, pura ſinceritas ſit. Talibus Dominus, cum inuolucrum corporis depoſuerint, ſe demonſtrare dignatur.

Alia Ambroſij.

11 *Et Auguſtinus in quodam ſermone de vanitate huius ſeculi dicit: Iuſti anima, cum ſeparatur a corpore, non timet nec expaueſcit, ſed magis cum ma-*

Alia Auguſtini.

magno gaudio egreditur, et cum exultatione pergit ad Deum, aeducentibus se angelis ſanctis: et ideo ſæper parati eſtote, vt quãdo Domini præceptũ fuerit miſſum liberi omni labe peccati ad requiem tranſire poſſitis: poſt dominicum enim miſſum præceptum nec minus horæ momentum conceditur in hac vita conſiſtere. Cauete igitur ne in exitu veſtro triſtitiam faciatis angelis, & gaudium inimicis: ſcitote vero quia cum anima a corpore euellitur, ſtatim aut in paradiſo pro bonis meritis collocatur, aut certe pro peccatis in inferni tartara præcipitabitur. Vbi clare dicit Auguſtinus, quod cum anima iuſti a corpore ſeparatur ſtatim cum exultatione pergit ad Deum, & quod in paradiſo pro bonis meritis collocatur: pergere autem ad Deum in vita futura, & in paradiſo pro bonis meritis collocari includunt Dei viſionem per eſſentiam, dicente Auguſtino XIV. lib. de Trinitate cap. XVI. Renouatur hic in agnitione Dei in iuſtitia & ſanctitate veritatis, & in his de die in diem proficiendo transfert amorem a temporalibus ad æterna, a viſibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad ſpiritualia, atque ab iſtis cupiditatem frænare atque minuere, illiſque ſe charitate alligare diligenter inſiſtit, in quo prouectu & acceſſu tenentem Mediatoris fidem, cum dies vitæ huius vltimus quemquam compererit, perducendus ad Deum eſt, quem coluit, & ab eo perficiendus excipietur ab angelis ſanctis incorruptibile corpus in fine ſeculi non ad pœnam, ſed ad gloriam recepturus.

SS. morię tium felicitas.

Quid autem ſignificet iſta perfectio, qua perficiendus eſt, cum ad Deum perductus fuerit, ſubdit: In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando Dei perfecta erit viſio. Et *XV. lib. de Trinitate cap. XXIV. dicit: Ad Agnum, qui tollit peccata mundi pertinentes, quando in fine huius vitæ reſoluuntur a corpore, cum in eis retinendis non habent immundæ poteſtates, quas ille Agnus ſine vllo ab eis peccati debito occiſus, non potentia poteſtatis prius, quã iuſtitia ſanguinis liberauit: proinde liberi a diaboli poteſtate ſuſcipiuntur ab angelis ſanctis a malis omnibus liberati, & conſtituuntur purgati ab omni contagione corruptionis in placidis ſedibus donec recipiant corpora ſua, ſed iam incorruptibilia, quæ ornent, non onerent: hoc enim placuit optimo & ſapientiſſimo Creatori, vt ſpiritus hominis Deo pię ſubditus habeat feliciter ſubditum corpus; & ſine fine permaneat ipſa felicitas, vbi veritatem ſine vlla difficultate videbimus, eaque clariſſima & certiſſima perfruemur: nec aliquid quæremus mente ratiocinante, ſed contemplante cernemus, quare non ſit Filius Spiritus ſanctus, cum de Patre procedat: in illa luce nulla erit quæſtio. Vbi clare dicit Auguſtinus, quod in animabus fidelium Chriſti, qui Chriſtum ſunt ſecuti, cum a corpore egrediuntur, nullam habent immundæ poteſtates poteſtatem retinendi eas; ſed ſuſcipiuntur ab angelis ſanctis, & ad Deum perducuntur ab omnibus malis liberati per Chriſtum: a quo purgati ab omni contagione peccati & corruptionis conſtituuntur in placidis ſedibus donec recipiant corpora ſua incorruptibilia. Quid autem in dictis ſedibus agant non ſolum poſt corporis reſurrectionem, ſed etiam ante; dicit quod ibi veritatem ſine vlla difficultate vident, & ipſa clariſſima perfruuntur, vbi vident Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & cognoſcunt proceſſiones diuinarum perſonarum.*

Vt potiãtur Trinitatis viſione.

12 *Sed ne iſta auctoritas Auguſtini dubia videatur, quia diceretur forte, quod loquitur de animabus iuſtorum poſt reſurrectionem, quod tamen in veritate non facit, ſi diligenter attendatur; idcirco, vt oſtendatur hoc eſſe de intentione Auguſtini, induco illud quod ipſe dicit* VIII. *lib. de ciuitate Dei cap. XXXI. quod nos oneratos obrutoſque peccatis, & a contemplatione ſuæ lucis auerſos, ac tenebrarum, id eſt iniquitatis dilectione cœcatos non omnino Deus deſeruit, miſitque nobis Verbum ſuum, qui eſt eius vnicus Filius, quo pro nobis aſſumpta carne nato atque paſſo, quanti Deus hominem penderet noſceremus, atque illo ſacrificio ſingulari a peccatis omnibus mundaremur, eiuſque ſpiritu in cordibus noſtris dilectione diffuſa, omnibus difficultatibus ſuperatis, in æternam requiem, & contemplationis eius ineffabilem dulcedinem veniremus; quæ corda, quæ linguæ ad agendas ei gratias ſatis eſſent? Vbi clare dicit Auguſtinus, quod ſanguine Chriſti ab omnibus peccatis mundati fideles Chriſti, & Dei dilectionem adepti, cum ſuperauerint omnes difficultates huius mundi, in æternam requiem & in contemplationis eius ineffabilem dulcedinem veniunt: conſtat autem, quod difficultates omnes, quibus fideles impediuntur, ſuperantur cum Dei adiutorio per eos in hac vitã; fides enim noſtra eſt victoria, quæ mundum vincit, vt dicitur prima Ioannis V. Et ſancti per fidem vicerunt regna, vt dicitur ad Hebr. XI. Fides autem neceſſaria eſt pro vita præſenti, dum a Domino peregrinamur, vt ſupra dicebatur. Et ideo, ſi ſuperatis difficultatibus iſtis, quod fit in vita præſenti, & mundatis omnibus peccatis, & charitate Dei accepta, quæ omnia fiunt in vita præſenti, vel per ignem purgatorij quantum ad mundationem peccatorum venialium, fideles veniunt ad requiem æternam, & ad Dei contemplationem; manifeſtum eſt, vt videtur, quod ante generale iudicium animæ fidelium & maxime perfectorum Deum vident.* Et infra.

Non ſolũ poſt reſurrect. ſed etiã ante.

Hugo II. *lib. de ſacramentis part. XVI. cap. IV. dicit: In igne ab initio mundi dæmonibus eſſentialiter cruciandis præparato, etiam homines maligni cum dæmonibus æternam pœnam paſſuri ſunt, quia eis in hac vita poſiti ad culpam conſenſerunt. Ad hunc infernum animæ ſceleratorum a corporibus egreſſæ ſtatim retrudi exiſtimantur: ſicut e conuerſo perfectorum iuſtorum, & qui ab hac vita purgati exeunt, ſine mora ad cælum, vbi ſecundum humanitatem ſuam Ieſus Chriſtus in dextera Dei ſedet in gloria, continuo deduci creduntur. Et infra: Boni, qui cum culpis de hoc ſeculo exierunt, quibuſdam manſionibus detinentur, ne ſtatim ad gaudia cælorum aſcendant: ſed de perfectis bonis non dubium eſt, quin egredientes ſtatim ad gaudia tranſeant.*

Hugonis auctoritas

13 *Et Gregorius* XIII. *lib. moralium cap. XIV. exponens illud Iob XVII. Et rurſum poſt tenebras ſpero lucem, dicit: Lux poſt tenebras ſperatur, quia poſt noctem vitæ præſentis æternum lumen percipitur: quia enim Auctoris noſtri gratia redempti ſumus, hoc iam cæleſtis muneris habemus, vt cum a carnis noſtræ inhabitatione ſubtrahimur, mox ad cæleſtia præmia ducamur, quia dum Conditor aut Redemptor noſter, clauſtra inferni penetrans, electorum animas exinde eduxit, nos illuc non patitur ire, vnde iam alios deſcendendo liberauit. Ii vero, qui ante aduentum in hunc mundum venerunt, quantumlibet virtutem iuſtitiæ haberent, ex corporibus educti in ſinu patriæ cæleſtis ſtatim recipi nullo modo potuerunt, quia necdum ille venerat, qui inferni clauſtra ſua deſcenſione ſolueret, & iuſtorum animas in perpetua iam ſede collocaret. Vnde beatus Iob & afflictionem ſentiens, & adhuc differri retributionem iuſtorum ſciens, aperte ſubiungit: Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt, & in te-*

Et Gregorij.

tenebris ſtraui lectulum meum: priores etenim ſancti & ſuſtinere aduerſa poterant, & tamen e corporibus eaucti adhuc ab inferni locis liberari non poterant, quia necdum venerat, qui illuc ſine culpa deſcenderet, & eos, qui ibi tenebantur ex culpa, liberaret. Et quia in ipſis inferni quoque locis iuſtorum animæ ſine tormento tenebantur, vt & pro originali culpa adhuc illuc deſcenderent, & tamen ex propriis actibus ſupplicium non haberent, quaſi in tenebris lectulum ſtrauiſſe, & in inferno ſibi requiem præparaſſe, dicuntur: graue enim tædium electis fuit poſt ſolutionem carnis adhuc ſpeciem non viaere Creatoris. Et infra: Quia igitur tunc electi ante aduentum Domini & in labore vitæ præſentis ſe eſſe cernebant, & tamen poſt præſentem vitam necdum cæleſtia bona percipere, multis cogitationibus vrebantur.

Et infra exponens illud: Et patientiam meam quis conſiderat? dicit: Ipſa humani generis, quæ venit in fine mundi redemptio, ab iis, qui ab initio mundi præceſſerunt, tarda credebatur, quia longo temporis ſpatio a cæleſtium remuneratione diſiuncti ſunt. Vbi clare dicit Gregorius, quod poſt Domini paſſionem per eius gratiam habemus, vt ſtatim cum a carnis inhabitatione ſubtrahimur per mortem, mox ad cæleſtia præmia ducimur, nec permittimur duci ad clauſtra inferni: cuius contrarium contigit ante mortem Chriſti animabus electorum, qui tunc deceſſerunt. Ex quo etiam animæ ſanctorum patrum in inferno poſitæ, licet ſupplicia non ſuſtinerent, tædium tamen graue habebant, quia nondum poterant videre ſpeciem Creatoris, id eſt diuinam eſſentiam, nec præmia cæleſtia recipere: & ex hoc etiam vrebantur, & tarda eis videbatur eſſe eorum ſaluatio, cuius contrarium nunc contingit animabus electorum perfectorum, quæ ſtatim, vt de corpore eaeuntur, ad Dei viſionem & ad cæleſtia præmia perducuntur. Propter quod & illi, qui ab hora diei prima vel tertia laborauerunt in vinea, videntes quod illi, qui non laboraverant niſi ab vndecima hora, acceperant æquale præmium cum ipſis, & quod poſt illos remunerati fuerant, dicuntur murmuraſſe contra patremfamilias, quia pares fecerat illos eis, qui nouiſſima hora venerant, vt patet Matth. xx. & tamen illi, qui nouiſſima hora venerant, non leguntur murmuraſſe; cuius diuerſitatis cauſam aſſignans idem Gregorius prima parte quadragenary homilia xix. dicit.

Eiuſdem interpretatio de his, qui murmuraſſe dicũtur in acceptione denarij.

Sed poteſt quæri, quomodo murmuraſſe dicti ſunt qui ſaltem ſero ad regnum vocantur cælorum, etenim regnum nullus murmurans accipit, nullus qui accipit murmurare poteſt. Cui quæſtioni reſpondens ſubdit: Sed quia antiqui patres vſque ad aduentum Domini, quantumlibet iuſte vixerunt, ducti ad regnum non ſunt, niſi ille deſcenderet, qui paradiſi claſtra hominibus interpoſitione ſuæ mortis aperiret eorum, hoc ipſum murmuraſſe eſt, quod etiam & recte pro percipiendo regno vixerunt, & tamen diu a percipiendo regno dilati ſunt: quod enim poſt peractam iuſtitiam inferni loca quamuis tranquilla ſuſceperunt, eis profecto & laboraſſe fuit in vinea & murmuraſſe. Quaſi ergo poſt murmurationem denarium accipiunt, qui poſt longa inferni tempora ad gaudia regni peruenerunt. Nos autem, qui ad vndecimam venimus, poſt laborem non murmuramus, & denarium accipimus, quia poſt Mediatoris aduentum in hoc mundo venientes, ad regnum ducimur mox, vt de corpore eximus, & illud ſine mora percipimus, quod antiqui patres cum magna percipere dilatione meruerunt.

Quæ autem ſint regni cæleſtis gaudia, quæ dicit ſtatim percipere animas electorum, vt ſunt exutæ a corporibus, magis ipſemet declarat ſecunda parte quadragenarij homilia xix. dicens: Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficit, illa ſupernæ ciuitatis quanta ſint gaudia, angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ Conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum cernere, incircumſcriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Cum ergo dicat in præcedentibus auctoritatibus, quod animæ perfectorum virorum mox, vt egreſſæ ſunt de corpore perueniunt ad regnum cæleſte & ad cæleſtia gaudia, illa autem cæleſtia gaudia includant Dei eſſentiæ viſionem, manifeſtum eſt, vt videtur, quod electorum animæ exutæ corporibus Dei eſſentiam vident etiam ante iudicium generale.

Bernardi auctoritas

Bernardus etiam in ſermone de tranſitu S. Malachiæ loquens de eo, dicit: Mors ipſa dilectis domini ſomnus refrigerij eſt, propheta teſtante, qui ait: Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini. Peſſima quidem mors peccatorum, quorum & natiuitas mala, & vita peior: ſed pretioſa eſt mors ſanctorum tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conſummatio, tanquam vitæ ianua, & perpetuæ ſecuritatis ingreſſus. Congratulemur itaque fratres, vt dignum eſt, patri noſtro, quia & pium eſt defunctum plangere Malachiam, & pium eſt, magis Malachiæ congaudere viuenti. Nunquid non viuit & beate? nimirum viſus eſt oculis inſipientum mori, ille autem eſt in pace. Denique iam conciuis ſanctorum & domeſticus Dei pſallit pariter, & gratias agit dicens: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Tranſit plane viriliter, & feliciter pertranſiuit. Et in epiſtola ad Ibernenſes de tranſitu ſancti Malachiæ dicit idem: Exultandum nobis ſuggerit & lætandum, quod tam potens nos patronus ad cæleſtem curiam, tam fidelis præceſſit aduocatus, cuius & feruentiſſima charitas obliuiſci nequeat filiorum, & probata ſanctitas obtineat gratiam apud Deum. Quis enim nunc Malachiam ſanctum, aut minus poſſe prodeſſe, aut minus ſuos diligere audeat ſuſpicari? Profecto cum diligeretur prius, certiora nunc ſuæ dilectionis adeo capit experimenta, & cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos. Abſit autem vt tua nunc, o anima ſancta, minus efficax æſtimetur oratio, quando præſenti mundius ſupplicare eſt maieſtati: nec iam in fide ambulas, ſed in ſpecie regnas. Abſit vt imminuta necdum exinanita tua illa tam operoſa charitas reputetur, cum ad fontem ipſum charitatis æternæ percurras pleno hauriens ore, cuius & ipſa prius ſtillicidia ſitiebas. Vbi clare dicit Bernardus, quod mors ſanctorum eſt finis laborum, cõſummatio victoriæ, vitæ ianua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus; & quod anima Malachiæ viuit beate, & eſt conſcia ſanctorum & domeſtica Dei; & quod præſenti maieſtati Dei ſupplicat, nec iam in fide ambulat ſed in ſpecie regnat; & quod ad fontem charitatis æternæ percurrit pleno eam hauriens ore: quæ omnia clare ſignificant, quod anima Malachiæ Dei eſſentiam videt, & ipſa fruitur.

Proximo capite a xxiv. Gregorij Papæ, magiſtri ſententiarum, & Hugonis auctoritatibus probat Benedictus, ſanctorum animas Dei eſſentiam intueri ex eo, quod in Deo aliqua, quæ hic aguntur, videant: confirmatque in cap. xxv. b ex eo, quod in paradiſo, vel in regno Dei verſentur, & cum Chriſto vita æterna potiantur. Vbi maxime hanc Luc. xxiii. Chriſti ad latronem vocem *Hodie mecum eris in paradiſo*, perpendit, ac paradiſi nomine non hortum, in quo ſepultus, cum ani-

a Cap. 24. Argum. grauiſſimum ex verbis Chriſti ad latronem. b Cap. 25.

animę data ſit pollicitatio; non infernum, ad quem anima Chriſti penetrauit, cum carcer paradiſus dici nequeat; non ipſam animæ Chriſti ſocietatem, cum anima Chriſti non ſit regnum Dei, in quo beati, vt in fine ſuo conquieſcant, & felicitate cumulatiſſima potiantur. Quid ergo a latrone petitum, quidue illi promiſſum fuerit, ſubijcit.

Quid paradiſi voce promiſſum.

Oportet quod intelligatur per paradiſum aliquid iucundum & lætum, quod conſecutus eſt illa die latro: propter quod non locus corporalis, in quo anima Chriſti deſcendit, eſt intelligendus ſignificari nomine paradiſi, ſed ſpiritualis. Iſte autem locus ſpiritualis Deus eſt, in quo ſanctorum animæ cum immenſa iucunditate lætantur, & cum eo, vt Chriſtus Deus eſt, anima latronis fuit, quia ſuam deitatem Chriſtus latroni dicta die oſtendit. Nõ enim anima Chriſti eſt regnum Dei, in quo beati, vt in fine ſuo quieſcunt & iucundantur, ſed Chriſti deitas eſt tale regnum, quod regnum petierat latro, quod poteſt oſtendere cum vult, & quibus vult, in quocunque loco ſint: vnde etiam in inferno patribus ſuam deitatem oſtendit. Vnde & Thomas in tertia parte ſummæ q. LII. art. IV. ad tertium dicit, quod illud verbum, quod Dominus in cruce pendens dixit latroni: Hodie mecum eris in paradiſo; intelligendum eſt non de paradiſo terreſtri corporeo, ſed de paradiſo ſpirituali, in quo eſſe dicuntur quicumque diuina gloria perfruuntur. Vnde latro loco quidem cum Chriſto ad infernum deſcendit, vt cum Chriſto eſſet, quia dictum eſt ei: Hodie mecum eris in paradiſo; ſed præmio in paradiſo fuit, quia ibi deitate Chriſti fruebatur, ſicut & alij ſancti.

Promiſſa fruitio deitatis.

14 *Dominus etiam Bonauentura in ſcripto ſuo ſupra tertium lib. ſententiarum diſt. XXII. q. VI. in ſolutione ad primum articulum ſic dicit: Ad illud, quod obijcitur de auctoritate Domini in Lucam: Hodie mecum eris in paradiſo; dicendum, quod, ſicut dicit Auguſtinus hoc verbum exponens, paradiſus ibi dicitur non locus empyrei, nec locus paradiſi terreſtris, ſed ipſa Dei viſio: vbicumque enim homo ſit, dum tamen aperte videat, poteſt dici eſſe in paradiſo. Hanc autem deductionem iſtius promiſſionis Domini facit Auguſtinus in lib. de præſcientia Dei ad Dardanum circa principium dicens: Cum Chriſtum dicas hominem perfectum; non eſt autem homo perfectus, ſi vel anima carni, vel animæ ipſa mens humana defuerit. Si igitur ſecundum hominem, quem Verbum Dei ſuſcepit, putamus dictum eſſe: Hodie mecum eris in paradiſo; non ex his verbis in cælo exiſtimandus eſt eſſe paradiſus, neque enim ipſo die in cælo futurus erat homo Chriſtus Ieſus; ſed in inferno ſecundum animam, in ſepulcro autem ſecundum carnem. Et de carne quidem, quod eo die in ſepulcro ſit poſita, manifeſtum eſt per euangelium; quod vero illa anima in infernum deſcenderit, apoſtolica doctrina prædicat: ſed in ſepulcro paradiſum nullus intelligit; & ſic ſi quiſquam ita eſſet abſurdus, vt hoc ſæpe conaretur, eo quod illud ſepulcrum in horto erat, certe hinc ab iſta opinione reuocaretur, quia ille, cui dictum eſt: Hodie mecum eris in paradiſo; nullo die cum Chriſto fuit in illo ſepulcro, nec eius fidei pro magno munere offerretur ſepultura carnis, nihil gaudij vel doloris in morte ſentientis, cum ille de requie, vbi ſenſus eſt, cogitaret.*

Non ſepulchrũ, non infernus ea voce promiſſa.

Præſtat igitur, vt ſi ſecundum hominem dictum eſt: Hodie mecum eris in paradiſo, in inferno intelligatur eſſe paradiſus, vbi erat ea die futurus ſecundum humanam animam Chriſtus. Vtrum autem ſinus ille Abrahæ, vbi dives impius cum in tormentis eſſet inferni, requieſcentem pauperem vidit, vel paradiſi cenſendus vocabulo, vel ad inferos pertinere exiſtimandus ſit, non facile dixerim: non enim facile alicubi ſcripturarum inferorum nomen poſitum in bono inuenitur. Ex quibus poſtea concludit, quod cum ſecundum hominem, vel eius partes non poſſit rationabiliter intelligi, quod Dominus dixit latroni: Hodie mecum eris in paradiſo; quod intelligatur, quod cum eo erat futurus, oportet quod fuerit cum Chriſto dicta die ſecundum deitatem. Vnde dicit quod ſenſus iſte eſt multo expeditior, & ab omnibus ambiguitatibus liber, ſi non ſecundum id quod homo erat, ſed ſecundum id quod Deus erat Chriſtus, dixiſſe accipiatur: Hodie mecum eris in paradiſo. Homo quippe Chriſtus illo die ſecundum carnem in ſepulcro, ſecundum animam in inferno futurus erat: Deus vero idem ipſe Chriſtus vbique ſemper eſt; eſt enim virtus & ſapientia Dei, quæ attingit a fine vſque ad finem fortiter. Vbicumque ſit ergo paradiſus, quiſquis beatorum ibi eſt cum illo, vbi eſt, qui vbique eſt. Concluſio argumenti.

Et infra: Recte dici potuit: Hodie mecum eris in paradiſo; cum iuxta humanam humilitatem per carnem in ſepulcro, per animam in inferno illo die futurus erat: iuxta diuinam vero immobilitatem nunquam de paradiſo, quia vbique ſemper eſt, receſſiſſet. Ex quibus verbis Auguſtini clare habetur, quod anima latronis illa die fuit cum Chriſto ſecundum eius deitatem: eſſe autem cum Chriſto ſecundum eius deitatem, non eſt niſi eius deitatem videre, & frui ipſa, quod eſt vere & in re beatum eſſe, dicente Domino Ioannis XVII. Pater quos dediſti mihi volo, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum: vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Eandem ſententiam reliquo capite et proximo XXVI. a corroborat Benedictus, eoq; falſas hęreticorum verba Chriſti in alienum ſenſum detorq ientiũ interpretationes ex Caſſiano refellit, adiectis alijs octo capitibus b, quibus animas ante iudicium, conquiſitis ſanctorum patrum auctoritatib is, diuinæ eſſentiæ viſione potiri confirmat. Hiſque primum commentarium abſoluit.

a Cap. 26.

b Cap. 27. &c.

In ſecundo tractatu agit Benedictus de ſtatu animarum, quæ lethali noxa defunctæ e corpore exceſſerunt, ac primis ſex capitibus tum illas tum aliquos dæmones in inferno inferiore cruciari flammis oſtendit, ſiue eæ animæ in teſtamento veteri ſiue in nouo e corpore abierint: nulla vero temporis mora retardari illarum ſupplicium ita demonſtrat.

Quod c animæ impiorum hominum ſtatim poſt mortem ad infernum perducantur cap. VII.

c Tract. 2. c. 7.

Animæ impior poſt mortem præcipites in infernum ruunt.

Et ne dicatur quod deſcenſus eorum ad inferos retardetur per aliqua ſpatia temporis, Iob oſtendit, quod ſtatim ad infernum deſcendunt, qui loquens de impijs diuitibus XXI. cap. dicit: Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt; quod exponens Gregorius XV. libro moralium cap. XXIII. dicit: Ecce beatus vir eorum gaudia diu narrauerat. Quomodo nunc aſſerit, quod in puncto ad inferna deſcendant, niſi quod omnis longitudo temporis vitæ præſentis punctus eſſe cognoſcitur cum fine terminatur? cum enim ad extremum quiſque perducitur, de præterito iam nihil tenet, cui tempora cuncta dilapſa ſunt: in futuro nihil habet, quia vnius horæ momenta non reſtant. Vita ergo, quæ ſic anguſtari potuit, punctus fuit: vt enim iam prædiximus, in puncto ſtylum ponimus, & leuamus. Quaſi ergo in puncto vitam tetigit, qui hanc accepit & amiſit, & ſecundum hoc in puncto ad

in-

inferna deſcendunt, qui ſtatim, hac vita præſenti terminata, ad inferni pœnas trahuntur.

Probatur ex Chriſti oraculo.

Vnde & Luc. xii. Dominus dicit de diuite, cuius ager uberes fructus attulit: qui dicebat in corde ſuo: Anima habes multa bona repoſita in annos plurimos, quieſce, comede, bibe, epulare; dixit autem illi Deus: Stulte animam tuam hac nocte repetunt a te, quæ autem parauiſti cuius erunt? Vbi dicit gloſſa. Qui longa tibi tempora diuitiarum promittebas, hac nocte præreptus alijs congregata relinques. Dicit autem: Repetent a te; ſecundum Chryſoſtomum: Expoſcebant enim eam terribiles quædam virtutes ad hoc miſſæ, quoniam ſi de ciuitate in ciuitatem tranſeuntes, egemus ductore, multo magis anima abſoluta a corpore ad futuram vitam tranſmigrans indigebit ducatu. Ob hoc multoties recuſat anima, & regreditur in profundum, cum debet exire a corpore: ſemper enim ſtimulat nos conſcientia peccatorum, ſed præcipue cum debemus trahi ad terribile iudicium, tunc enim tota congeries criminum innouatur, & præ oculis poſita mentem percellit: & ſicut carcerati ſemper quidem doloroſi ſunt, tunc autem præcipue, cum debent iudici præſentari, ſic & anima maxime in ipſo tempore de peccato cruciatur & dolet, cum fuerit euulſa: & tunc dicti exactores animam tribulatam in nocte ducunt ad iudicium, quia ad damnationem & perpetuas tenebras trahuntur. Vnde Gregorius xxii. lib. moralium cap. ii. loquens de iſto diuite, dicit: Animam tuam repetunt a te dæmones; eadem nocte ſublatus eſt, qui in rerum ſibi abundantia multa tempora fuerat præſtolatus. Et xxv. lib. moralium cap. ii. loquens de eodem diuite dicit exponens illud Iob. xxiv. Subito morientur. Quantumlibet ſero de hac vita tollantur iniqui, ſubito & repente tolluntur, quia finem ſuum cogitando prouidere neſciunt: ſubitum eſt quod ante cogitari non potuit: ſubito dies ille ſublatus eſt, qui borrea, quæ præparabat, deſeruit; & inferni locum, quem non præuidebat, inuenit. Ad aliud animam exercebat per cogitationem, ſed ad aliud emiſit per ſententiam. Aliud dum viueret contemplatus eſt, aliud dum moreretur expertus: reliquit enim tractata temporalia, & inopinata inuenit æterna; vnde & propter hanc ignorantiam cœcitatis ſuæ bene per diuinam ſententiam dicitur: Hac nocte animam tuam repetunt a te; in nocte quippe ablata eſt, quæ in obſcuritate eſt cordis amiſſa: in nocte ablata eſt, quæ conſiderationis lucem habere noluit, vt quod poterat pati præuideret. Sic igitur, cum ſecundum Iob iniqui in puncto ad inferna deſcendunt, id eſt hac vita præſenti finita, quæ vicem puncti habet, & ſecundum Domini ſententiam iuxta expoſitionem Chryſoſtomi & Gregorij illa nocte, qua repetita eſt a dæmonibus anima diuitis, ſit ad Dei iudicium adducta, & infernum inuenerit; manifeſtum eſt, vt videtur, quod perfectorum iniquorum animæ ſtatim, cum de hoc corpore exeunt, ad infernum per dæmones trahuntur. Proximo capite [a] ex textu apocalypſis xix. quo refertur antichriſtum & eius ſigniferos in ſtagnum ignis merſos ante iudicium idem confirmatur; idemque nono & decimo capitibus [b] probare pergit.

Quomodo in nocte ab impijs repetatur anima.

[a] Cap. 8.

[b] Cap. 9. & 10.

In tertio cõmentario multis capitibus animas poſt iudicium beatiores futuras contendit, aduerſus potiorẽ theologorũ partẽ quam ante, quamuis ante diuinæ eſſentiæ viſione ſint potitæ: cõtra vero damnatorũ animas & dæmones grauioribus ſupplicijs poſt iudiciũ diſcruciandos: ac primum Dei triplex iudicium diſtinguit; primũ in mundi exordio in angelos tũ bonos, tũ malos, tum in humanum genus ob principis illius peccatum; medium poſt cuiuſque mortem; poſtremum in orbis conſummatione: & horum diſcrimina ſubinde percurrit. Tum neque homines, neque angelos ſanctos ſcire omnia merita vel demerita hominum, ob quæ a Deo ante iudicium generale iudicantur, ex ſacris apud Zachariam & Danielem oraculis indicat. Humanæ etiam mentis arcana ipſos latere, ni Deus ea ipſis pandat: ſimiliter diuinam præſcientiam de ſaluandis vel dãnandis hominibus ſingulari prouidentia occultam eſſe tum hominibus ipſis, tum angelis beatis, niſi Deus reuelet. Et quia cauſæ iudiciorum Dei ijſdem ſunt abditæ, idcirco vt Dei iudicia appareant omnibus iuſtiſſima, fore generale iudicium, in quo eorundem diuinorum iudiciorum cauſæ pandentur; tum omnium merita & demerita patefactum iri, ob quæ præmio vel ſupplicio afficiantur, & ante id tempus illa beatos latere: ex eo vero, quod iam omnia, quæ cupiunt non habeant, beatiores futuros elicit.

Prædeſtinationis arcana latent ſanctos ante iudicium.

15 In quarto vero tractatu aduerſariorum argumenta, quibus animas a corporibus ſecretas Dei viſionem non aſſecuturas, niſi poſt iudicium, contendebant, diſſoluit. ac primum admodum imbelle illud eſt, quod obſcuræ interpretationi adductæ a S. Bernardo explicante ſacrum ænigma in apocalypſi expreſſum, vbi Ioannes animas martyrum ſub altare Dei ante iudicium generale ſe vidiſſe refert, innixum eſt; atque ita refellitur a: *Simul iſta ſtant, quod animæ martyrum ſint ſub altare Dei, id eſt ſub Chriſti humanitate, & tamen nihilominus Dei eſſentiam vident; nec vnum iſtorum excludit aliud, immo ſimul ſtant, quod manifeſte patet. Conſtat enim ex ſcriptura diuina, quod ſancti angeli etiam ordinis inferioris, qui deputati ſunt ad cuſtodiam paruulorum, Dei eſſentiam vident, iuxta illud quod Dominus dicit Matthæi xviii. de angelis paruulorum: Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt; & tamen non ſoli angeli inferioris ordinis, ſed etiam angeli ſuperioris ordinis ſunt & ſemper erunt in futurum ſub Chriſti humanitate. Homines etiam beati poſt reſurrectionem & poſt generale iudicium ſemper erunt ſub Chriſti humanitate; & tamen hoc non obſtante angeli ſancti tam inferioris ordinis quam ſupremi Dei eſſentiam vident, nullo contraicente. Sancti etiam homines poſt generale iudicium etiam ſecundum eorum poſitionem Dei eſſentiam videbunt. Quod autem ſub Chriſti humanitate ſint angeli etiam ſuperni, patet per illud quod dicit Petrus prima Petri iii. loquens de Chriſto ſecundum quod eſt homo: Qui eſt in dextera Dei Patris, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in cælum, ſubiectis ſibi angelis, & poteſtatibus, & virtutibus. Vbi dicit gloſſa: Semper angelos ſubiectos fuiſſe Filio Dei non dubitamus: ſed hic ideo ſubiectionis meminit, vt aſſumptam humanitatem ita in reſurrectione ſublatam monſtraret, quod omni angelicæ dignitati potentiæ præferatur, iuxta illud pſalmi: Omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Quod dictum prophetæ deducens Apoſtolus ad Hebræos ii. dicit: Minuiſti eum paulominus ab angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. In eo enim quod ei omnia ſubiecit nihil dimiſit non ei ſubiectum. Vbi dicit gloſſa: Minuiſti eum per paſſibilem naturam: minoratus eſt enim, dum ſe exinaniuit, formam ſerui accipiendo. Propter ergo hanc paſſibilem naturam, quam accepit, minoratus eſt ab angelis,*

Damnati poſt iudicium acerbius cruciandi.

a Tract. 4. c. 9.

Angeli inferiores ſunt humanitate Chriſti.

quia

quia mortalis & passibilis fuit: sed paulominus, quia etsi passibilis, tamen imperabat angelis, quia sine peccato erat. Sed post ad similitudinem triumphantis coronasti eum, id est vndique circumdedisti gloria in resurrectione & ascensione, & honore in consessu Patris. Vel gloria, id est claritate immortalitatis, & honore, quia sibi flectitur omne genu. Et constituisti eum, vt stabilem super opera manuum tuarum. Ecce potestas Christi ostenditur: vt enim a Domini opere nihil excipitur, ita nec a Christi potestate. Et attende quod non simpliciter ait: Super opera, sed addit: Manuum tuarum; id est super digniora etiam opera scilicet super angelos & homines, quæ per excellentiam dicuntur opera manuum. Et non solum constitutus est super opera, vt dignior, sed etiam omnes subiecit sub pedibus eius, id est potestati eius in dominio, vt adorent illum & vereantur: posset enim superior esse, & tamen omnibus non dominari, & ideo ait: Subiecisti omnia sub pedibus eius; nulla enim creatura erit ei non subiecta, cui primates, vt ita dicam, spiritus subiyciuntur. In eo autem, quod scriptum: Subiecit ei omnia; id est subiecta ei ostendit omnia: nihil dimisit non subiectum ei, id est nihil excepit de omnibus, dum enim dicit omnia, nec terrena excepit nec cælestia.

Eidem sunt subiecti.

16 *Et idem Apostolus ad Ephesios primo dicit: Suscitans Christum a mortuis, & constituens illum ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem ecclesiam. Quod exponens glossa, dicit: Dei Filius, vt est homo, factus super omnes cælos esse dicitur, & super omnem creaturam habens nomen Dei per naturam non per adoptionem. Et ne videretur præesse omni creaturæ dignitate tantum, & non potestate, subdit: Et omnia subiecit sub pedibus eius; id est sub humanitate eius, quæ significatur per pedes, quia sicut pes est inferior pars corporis, ita in Christo inferior natura est humanitas, quam etiam angeli adorant, & ipsi homini Christo omnia subsunt. Cum ergo angeli sint sub Christi humanitate, & sic, etiamsi per altare illud, sub quo visæ sunt animæ martyrum, Christi humanitas significetur, ipsi sint sub altare, & tamen hoc non obstante Dei essentiam vident; omnes etiam sancti post resurrectionem generalem & post iudicium sint sub Christi humanitate, & tunc magis omnia subsint ei, quam nunc, aicente Apostolo ad Hebr. 11. Nunc necdum videmus omnia subiecta ei; sed tunc omnia subiecta erunt secundum glossam siue voluntarie siue necessarie: & tamen, hoc non obstante, sancti videbunt post iudicium Dei essentiam; secundum quod etiam positio ponit, manifestum est, quod ex hoc, quod animæ martyrum nunc sunt sub altare, id est sub humanitate Christi, non sequitur, quod Dei essentiam non videant. Vnde ista prima ratio ratione istius dicti non tenet nec concluait propositum gratia formæ, nec etiam materiæ, vt dictum est supra, cum etiam sancti, de istis animabus loquentes, dicant quod Dei essentiam vident.*

Subijciuntur aliæ Rmigij et Ambrosij interpretationes illius textus apocalypsis, quibus animæ martyrum sub altare esse referuntur, quia nondum corporibus gloria donatis coniunctæ sunt, et id Christi beneficio se assecuturas sperant, et eas dici Christi altare, et nunc esse subtus se, dein vero in se post resurrectionem futuras; ac licet Christi humanitas illo altari adumbretur, non tamē colligi carere ipsas diuina visione: *Sunt enim, inquit, sub Christi humanitate, quia ei in gratia & sapientia ac gloria nec nunc, nec postea æquari possunt. Sunt etiam sub Christi humanitate, sicut membra sub capite: ipse enim caput est totius ecclesiæ, quæ est in cælo vel in terra, & ab eo sicut a capite suo omnes sancti siue angeli siue homines accipiunt influentiam donorum spiritualium.* Et qua ratione.

Reliqua argumenta siue etita a ex verbis prophetæ: *Tunc imponent super altare tuum vitulos;* siue ex Bernardo dicente b, animas post iudicium super altare futuras visione & contemplatione Dei, lenia sunt, cū verba, prophetica quidem, symbolica sint, ex quibus nihil potest elici. Bernardus vero, licet affirmet animas post iudicium diuinæ essentiæ visione potituras, non tamen negat quin etiam ante eadem perfruantur. Ex eo c autem quod omnes reuelationes diuinorum arcanorum de hominum salute dimanent ad angelos, & animas sanctorum a Deo media Christi humanitate ante iudicium generale, ideo dici sub ipsa versari, post iudicium vero proxime a Deo omnes illustrationes manaturas. Ostenditur d quoque ex sanctorum Gregorij & Bernardi interpretatione textus euangelici, quod Christus faciet post iudicium electos discumbere, non inferri posse quoque electos ante iudicium cælesti mensæ, in qua diuina pascuntur gloria, non accubuisse. Non e etiam ex hoc Ioannis oraculo: *Filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus quod cum apparuerit, similes ei erimus;* concludi sanctorum animas ante generale iudicium diuina essentia non perfrui.

a Cap. 10.

b Cap. 11. Diffolutitur Bernardi obiectio.

c Cap. 12.

d Cap. 13. & 14.

e Cap. 15.

Auctoritas f ex voce sponsæ: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, quæsita, non ita accipienda, vt læua, id est præsentia humanitatis Christi perfruantur ante iudicium post illud vero dexteræ, id est visionis beatificæ complexu foueantur sanctorum animæ; sed cum Beda vi. lib. super cantica ita exponenda g: *Per læuam*, inquit, *sacramenta incarnationis Christi, & præsentia eius dona designantur: per dexteram vero ea, quæ in futuro percipiunt electi præmia figurantur, in quibus non solum visio diuinæ maiestatis, sed & gloria eius clarificatæ humanitatis vnius eiusdemque mediatoris Dei & hominum.* Similiter h non recte explicari animas sanctorum requiescere, nisi in diuina visione & fruitione conquiescant, quod argumentum ad finem primæ partis quarti tractatus vrget Benedictus. In secunda vero parte, quæ amplissima est, & centumquinquaginta duo capita complectitur, rationes & auctoritates ab aduersarijs adductas confutat. Et hanc, vti quintum & sextum commentarium de statu dæmonum & damnatorum prætermittimus, cum in molem ingentis voluminis assurgant.

f Cap. 16.

g Cap. 17. Quid læua quid dextera Dei significetur.

h Cap. 18. &c.

In conclusione vero operis hæc addit: *Plures auctoritates non habeo scriptas istorum, & ideo non respondi ad alias, si quæ sunt: sed paratus ero respondere quando inuenero ipsas scriptas, prout Dominus imbecillitatem mei ingenij adiuuerit.* Et infra: *Nihilominus tamen, quia non confido de meo ingenio, vel scientia, ac memoria, quæ modica sunt & imbecillia; maxime attentis materijs, de quibus supra actum est, quæ difficiles sunt in se & procul a sensibus nostris & nostra ratione naturali, & solum per auctoritates scripturæ diuinæ, vel determinationem ecclesiæ, aut per dicta sanctorum probari habent; totum quidquid per me dictum est, nunc & alias in istis materijs pono in iudicio sanctæ Apostolicæ sedis, volens sequi in omnibus determinationes eius,* Dicta sub ijcit Benedictus ecclesiæ decretis.

eius, & non meas imaginationes vel ratiocinationes. Nec solum determinationibus volo stare, immo etiam cuicumque veriori sententiæ, dummodo illa sententia appareat, quod sit a sapientibus sequenda vt vera & catholica.

17 Discussis superiori pontificia sanctione tenebris errorum, quos in decem capita distinguit Aymericus [a], fideique orthodoxæ in luce collocata veritate, Benedictus ad restituendam in suum splendorem ecclesiam, atque innumeras oues a vitæ pascuis aberrantes gregi dominico aggregandas, ne pastoris optimi muneri deesset, cœptum superiori anno de Ludouico Bauaro reconciliatione tractatum vrgebat. Perfecta res non fuerat, vt ex Benedicti ad Francorum Regem pridie kal. augusti datis literis [b] constat, cum ipse Pontifex, vt iuribus ecclesiæ ac Francorum & Siciliæ Regum rebus consuleret (capitales inter Robertum ac Ludouicum inimicitias intercessisse iam vidimus) Ludouici oratores non idoneos fultos ad rem præstandam auctoritate dimisisset in Germaniam, vt consulto Bauaro ad rem in exitum perducendam redirent. Instituti vero sunt procuratores, vt Benedicto omnia officia ac sacramenta præstarent, quæ a Regibus Romanorum exhiberi mos esset: omnia in Ioannem XXII. gesta suo nomine rescinderent: latas in Robertum Regem ac principes Siculos, Florentinos, & alios, qui cum Henrico VII. bellum gesserant, sententias conuellerent: terrarum ecclesiæ donationes abrogarent: iniurias a quibusuis contra rem imperij illatas remitterent; denique sacramento sponderent, nullas ditionis ecclesiasticæ terras occupandas, aut clientes illius vlla molestia lacessitum iri, Quibus dicta Cardinalis Baronij consentiunt [c]: *Hoc*, inquit, *anno apud Norimberg Ludouicus Bauarus constituit procuratores, quos misit legatos ad Benedictum* Romanum *Pontificem, qui ab eo impetrarent absolutionem de commissis in Romanam ecclesiam de fauore præstito hæreticis, & de rebellione, quam fecerat ipsi Ioanni* XXII. *deque intrusione in imperium absque auctoritate sedis Apostolicæ, deque fauore præstito Galeatio Vicecomiti. Præcepit eosdem legatos procuratores recipere, quam dedisset*, Romanus *Pontifex sententiam de commissis iuxta voluntatem ipsius. Extat ipsum diploma eiusdem de ijsdem in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Sunt hæc de re duo publica documenta [d] a Ludouico confecta, hoc anno, quæ etiam in archiuo inferiori Auenionensi in charta pergamena exarata [e] gerente legationem Auenionensem Octauio Aquauiua Card. anno Christi MDXCIV. reperta sunt, ac Romam translata. Primum hac verborum formula conceptum est.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo, domino Benedicto XII. *diuina prouidente clementia, sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus suus filius deuotus cum sui & regni Romanorum recommendatione deuota pedum oscula beatorum.*

18 Nouerit sanctitas vestra nobis quamplurimum veneranda, quod nos confisi de fidelitate, prouidentia, & sinceritate spectabilium virorum Ludouici senioris & Ludouici iunioris de Ottingen comitum, fratris Henrici de Siphingen ordinis S. Mariæ fratrum Theutonicorum commendatoris domorum in Vlma & Vardes, Eberardi de Tummouu archidiaconi, Marquardi de Randek iunioris canonici professoris canonicorum S. Augustini, & magistri Vdalrici de Augusta nostri protonotarij secretariorum nostrorum specialium, eosdem Ludouicum de Ottingen comitem iuniorem, fratrem Henricum de Siphingen, Marquardum de Randek, & magistrum Vdalricum protonotarium nostrum præfatos absentes tanquam præsentes, Ludouicum de Ottingen comitem seniorem, & Eberhardum de Tummouu præsentes & mandatum nostrum sponte recipientes, *& infra*, ordinamus modis omnibus, quibus melius de iure facere possumus & valemus, nostros veros, certos, & legitimos procuratores, *& infra*, dantes speciale mandatum vice & nomine nostro & pro nobis sanctitati vestræ & coram sanctitate vestra, & vbicumque eidem sanctitati vestræ placuerit & visum fuerit expedire præstandi, concedendi & promittendi, faciendi & confirmandi vice & nomine nostro & pro nobis omnia iuramenta, omnes obedientias, promissiones, concessiones, donationes, notificationes, confirmationes, & cætera omnia, quæ olim electi in Reges Romanorum & assumpti ad imperium, siue etiam non assumpti, siue antequam assumerentur, siue post per se vel alios summis Pontificibus & sanctæ Romanæ ecclesiæ, seu aliorum alteri, per se vel alios recipientibus seu recipienti, reperiuntur suis temporibus præstitisse, fecisse, confirmasse, seu quomodolibet concessisse.

Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum potestatem, vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis annullandi & reuocandi, nulla & irrita pronuntiandi omnia, quæ dicta & facta sunt contra dominum quondam felicis recordationis dominum Papam Ioannem XXII. & contra sanctæ ecclesiæ determinationes, & quæcumque alia titulo imperiali dicta vel facta per nos existunt: & sicut de facto dicta vel facta existunt, ita ea omnia irrita & nulla pronuntiandi. Item quia per dominum Henricum Imperatorem vltimum, seu auctoritate ipsius plures processus, & etiam plures sententiæ capitales, & proscriptiones bonorum, & aliarum pœnarum & mulctarum diuersarum inflictiuæ diuersis temporibus promulgatæ fuisse dicuntur tam contra excellentem principem dominum Robertum Regem Siciliæ illustrem, & contra magnificos viros dominum Philippum quondam principem Tarenti, & Ioannem ducem Duratij tunc principem Achaiæ quondam eiusdem Regis germanos, ac etiam contra vasallos & alios eidem Regi Siciliæ mediate vel immediate subiectos regni Siciliæ & comitatus Prouinciæ & Folcalquerij & Pedemontis & aliarum terrarum eiusdem Regis Siciliæ; quam contra nonnullos ciues & incolas ciuitatis Romanæ, nec non contra ciuitatem & commune Florentinorum, & potestatem, capitaneos, officiales, ministros, & nonnullas singulares eiusdem ciuitatis personas, & etiam contra plures alias ciuitates & loca, & contra nonnullas personas singulares, quæ quidem ciuitates & personæ tempore dicti domini Henrici adhæserunt Regi Siciliæ præfato; damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum potestatem promittendi, & nos obligandi, quod omnes huiusmodi processus et sententias, propter quoscumque etiã vel qualescumq; excessus, inobedientias, rebelliones, et iniurias ipsi processus facti fuerint et sententiæ promulgatæ, priusquam assumpti fuerimus a sanctitate vestra in Regem Romanorum, reuocabimus et eos et

effe-

[a] Aymer. 2. p. direct. inquis. q. 8

De Lud. Bauaro ad ecclesiam reuocãdo agitatum.

[b] To. 1. ep. sacr. 481.

Ab illo reuocata perperam gesta.

[c] Baron. in not. M. S. ad ann. 1336. Postulata de patratis impiæ venia.

[d] Ext. in arce S. Angeli & in lib. priuil. Rom. eccl. to. 2. pag. 232. & in ter collect. Plat. iussu Sixti IV. congesta to. 2. pag. 219.

[e] Signata sunt. num. 109. & 138.

Lud. Bauari ad Pont. supplices literæ.

Qui ab eo oratores missi.

Quibus mandatis instructi.

Poeniteat Ludouicũ gestorum in Ioannem.

Ea rescindit.

Et sententiam capitalem in Regem Siciliæ.

Et in Florentinos.

effectum eorum annullabimus. *Et infra*.

Reuocat edicta Romæ lata.

19 Item damus prædictis procuratoribus noſtris et cuilibet eorum in ſolidum poteſtatem, vt ſupra, omnes proceſſus factos et quaslibet ſententias latas et quæcumque alia, quocumque nomine cenſeantur, Romæ ſeu vbicumque alibi geſta per nos, vel per alios noſtro nomine vel auctoritate ſub imperiali titulo, nulla eſſe, et caſſa et irrita vice et nomine noſtro et pro nobis pronunciandi et declarandi, illa etiam, quatenus proceſſerunt de facto, annullandi et penitus reuocandi. Specialiter etiam damus ipſis et cuilibet eorum in ſolidum nomine, quo ſupra, poteſtatem reuocandi donationes terrarum eccleſiæ in ſpeciali, ſi quæ per nos vel auctoritate noſtra factæ ſunt, vel apparent, vel in futurum apparebunt. Item damus prædictis procuratoribus noſtris & cuilibet eorum in ſolidum poteſtatem, vt ſupra, vice & nomine noſtro & pro nobis ob reuerentiam ſanctitatis veſtræ & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & etiam propter bonum pacis, vobis & ſucceſſoribus veſtris dandi, concedendi irreuocabiliter plenam & liberam poteſtatem per biennium duraturam (computandum a tempore, quo approbati fuerimus, & poteſtatem huiuſmodi cõceſſerimus) veſtræ ſanctitati quietandi & remittendi omnibus ciuitatibus & communitatibus quorumcumque locorum omnium partium Italiæ, nec non de quibuslibet perſonis ſingularibus partium earundem, cuiuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtant, omnes iniurias, rebelliones, inobedientias, & offenſas commiſſas hactenus quantumcumque & quomodocumque contra imperium & Reges ac Imperatores Romanos, ſeu officiales, miniſtros, vel gentes eorum a quinquaginta annis & citra. *Et infra*.

Biennio ad pacandas Italicæ imperij vrbes permittit.

Item damus prædictis procuratoribus noſtris & cuilibet eorum in ſolidum plenam & liberam poteſtatem, vt ſupra, vice & nomine noſtro ac pro nobis promittendi, & in animam noſtram iurandi, quod non occupabimus, nec recipiemus, nec acquiremus, nec quouis modo vſurpabimus Romam aut prouincias ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, caſtra, comitatum Venuſinum, terras alias ſeu territoria vel loca eccleſiæ Romanæ in Italia vel vbilibet extra Italiam conſtituta; & ſpecialiter nec regna Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, quæ directo dominio & feudo eiuſdem eccleſiæ Romanæ eſſe noſcuntur, nec alia feuda, retrofeuda, ſeu quælibet alia loca, ad eandem eccleſiam mediate vel immediate ſpectantia, nec iura, perſonas, vel res reliquas in eiſdem: nec dabimus, nec concedemus vllo vnquam tempore in perpetuum vel ad tempus aliquod de prædictis ſub colore, conditione, aut titulo quibuſcumque.

Spondet ab eccleſiaſtica ditione ſibi tempe raturum.

20 Item damus prædictis procuratoribus noſtris & cuilibet eorum in ſolidum plenam poteſtatem, vt ſupra, vice & nomine noſtro ac pro nobis promittendi, & in animam noſtram iurandi, quod prædictam Romanam eccleſiam, aut vos ſeu ſucceſſores veſtros, vel officiales, miniſtros, vaſſallos, & ſubditos eorum non inquietabimus vel quomodolibet moleſtabimus in Roma, regnis prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris comitatu Venuſino, terris alijs, & territorijs ſupradictis, ſeu aliquo prædictorum: nec in caſu etiam aliquo Reges prædictorum regnorum, aut miniſtros, vaſſallos, & ſubditos eorum in regnis prædictis, ſeu pro eis, vel aliqua eorum parte aliquatenus moleſtabimus: nec aliquod dominium, iuriſdictionem, ſuperioritatem, ſeruitutem, poteſtariam, capitaneatum, vel aliud officium quodcumque, quocumque nomine cenſeatur, accipiemus vel per nos vel alios exercebimus in prædictis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, comitatu Venuſino, locis, terris alijs, & territorijs ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem: nec etiam fidelitatem, recognitionem, aduocationem aliquam quouis modo recipiemus pro Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, comitatu Venuſino, locis, terris alijs, & territorijs ſupradictis, vel pro aliquo eorundem: nec etiam pro quibuſcumque rebus vel iuribus in præmiſſis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, comitatu Venuſino, locis, terris alijs, & territorijs ſupradictis, vel in eorum vel aliquibus eorum pertinentijs conſtitutis; etiamſi nobis a quibuslibet ciuitatibus vel perſonis ſingularibus offerrẽtur: nec ius etiam aliud qualecumque vendicabimus, acquiremus, vel occupabimus, ſeu quomodolibet per nos vel alium ſeu alios vſurpabimus, recipiemus, vel exercebimus; nec concedemus etiam recipi vel haberi in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, comitatu Venuſino, locis, terris alijs & territorijs ſupradictis: & ſpecialiter in prouincijs, ciuitatibus, terris, & locis & territorijs eorundẽ expreſſis in quibuſdam literis dicti domini quondã Henrici Imperatoris, quorum tenor ſequitur in hæc verba: *Feruenti deſiderio cupientes ſanctitatis veſtræ pedibus, & Apoſtolicæ ſedi toto corde & animo zelum noſtræ reuerentiæ, fidei, & deuotionis offerre, &c.* [Inſeruntur a Ludouico Henrici VII. Imperatoris datæ ad Clementem V. literæ anno Domini MCCCX. regni ipſius an. 11. Lauſanæ (non Ruſanæ, vt quidam perperam ſcripſere) v. id. octobris exaratæ, quas nos ſuo loco attulimus a.

Henrici VII. donationes repetiturũ. Formula lit. Henr. VII. a Lud. repetita.

a *Ann. Chr.* 1310 *n.* 3. *&c.*

Inſtruxit quoque Ludouicus auctoritate ſuos oratores, vt ſacramento ſe deuincirent eius nomine, ipſum nunquam Siciliam, ditionem eccleſiaſticam, vel aliorum clientum terras inuaſurum, ac ſi fidem infringeret, grauioribus pœnis irretitum tenendum profiterentur: ad Vrbem, non niſi vocatum a Pontifice ad imperiale diadema excipiendum acceſſurum, eademque die diſceſſurum: geſta omnia contra iura pontificia reuocaturum, non ingreſſurum Italiam vel eius adminiſtrationem ſuſcepturum antequam Rex Romanorum a ſede Apoſtolica confirmatus eſſet: adepta regni confirmatione, præfectos quos in Etruriam vel Inſubriam mitteret, iureiurando adacturum, Pontifici atque adminiſtris illius ſtudio & opera adfuturos, nec Siciliã, Sardiniam, aut pontificias terras infeſtaturos, in ipſiſue dominatum correpturos. Præterea iuſſi a Ludouico procuratores promittere, ipſum excurrente ab inunctione imperiali octauo die ſuperiora omnia rata habiturum: intruſos in eccleſias occupato gradu depulſurũ; acturum cum Germanis principibus, vt ſi ipſe promiſſa violaret, ſponderent arma in eum ſe conuerſuros: quod ad eas terras attinebat, quas Rex Siciliæ ab eccleſia iure fiduciario non acceperat; controuerſiam ex pontificia voluntate compoſiturum: creaturum Robertum in Etruria imperij legatum: cum eo fœdus ad pontificium arbitrium initurum; ac ſi quæ obſcuriora in dictis forent, penes ſedem Apoſtolicam ea illuſtrandi, deque dubijs pronuntiandi futuram auctoritatem. Quæ omnia ſuis diſtincta capitibus ſub-

Præſtitæ ab eod. Lud. ſpõſiones aliæ.

Pontificios adminiſtros nõ vexaturũ.

De fœdere cum Roberto Reg. ineũdo.

subiectaque verborum forma concepta sunt.]

21 Item damus dictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, pro prædictis adimplendis & obseruandis pœnas infrascriptas vice & nomine nostro & pro nobis recipiendi, & ad eas nos obligandi & astringendi; videlicet quod, si super præmissis vel aliquo præmissorum, quæ in duobus dictis articulis immediate præcedentibus continentur, molestauerimus seu molestari fecerimus Romanam ecclesiam, regna, prouincias, ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, castra, comitatum Venusinum, loca, terras alias, et territoria supradicta vel aliquid eorundem inuadendo, occupando, seu quomodolibet acquirendo, vel eorum aliquid in toto vel in parte aliqua (nisi super hoc moniti per Romanum Pontificem vel auctoritate ipsius infra tres menses post monitionem huiusmodi immediate sequentes a taliter attentatis destiterimus, et ea omnia et singula, in quibus offenderimus, in pristinum statum reduxerimus) excommunicationis sententiam cum valitoribus et sequacibus nostris eo ipso incurramus: & si infra tres menses, dictos alios tres menses immediate sequentes, non fecerimus, tota terra nobis subiecta, ad hoc nobis vel nostris præbens auxilium vel fauorem, sic eo ipso ecclesiastico supponatur interdicto, quod si infra tres menses alios, prædictos sex menses immediate sequentes, monitioni prædictæ non paruerimus cum effectu, & per alios tres menses prædictos nouem menses immediate sequentes, de gratia expectati monitioni non paruerimus, vt præfertur, liberum sit Romano Pontifici, prout sibi expedire videbitur, ad alias pœnas procedere contra nos; priuando etiam nos, si sibi videbitur, imperiali, regia, & qualibet alia dignitate absque alia vocatione vel iuris solemnitate. Monitio tamen prædicta sic fiat, si commode fieri possit, vt nos personaliter apprehendat: quod si sic non possit commode fieri, super quo stare promittimus simplici assertioni domini nostri summi Pontificis, possit fieri ipsa mentio in Romana curia per publicum instrumentum & solemne, sicut consueuerunt fieri in Romana curia citationes & processus contra absentes, quorum præsentia siue domicilia non possunt libere tuteue adiri.

Cauetecclesiæ iuribus,

Admittit priuationē imperij si contrā tendat.

22 Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, promittendi vice & nomine nostro, & pro nobis & in animam nostram iurandi quod ad euitandam occasionem veniendi contra prædicta vel aliquod prædictorum, ante diem nobis pro coronatione nostra imperiali præfigendum, non ingrediemur vrbem Romanam; quodque eadem die, vero & legitimo impedimento cessante, imperialem recipiemus coronam: & si illa die fuerimus vere & legitime impediti, die alia dictam accipiemus coronam; & ipsa die, qua coronam huiusmodi receperimus, dictam Vrbem, vero ac legitimo impedimento cessante, exibimus cum tota etiam, quantum in nobis fuerit, gente nostra: & cessante etiam impedimento legitimo continuatis moderatis dietis extra totam terram Romanæ ecclesiæ nos nostro gressu transferemus versus terras nobis subiectas, nunquam postmodum ad Vrbem vel ad alias terras Romanæ ecclesiæ, nisi de speciali licentia sedis Apostolicæ, accessuri: & siue ibi siue alibi imperialem receperimus coronam, terras ecclesiæ non introibimus, nec in ipsis manebimus.

Promissa alia pro tuenda pace.

Acceptā imperiali coronā, eadem die se ex vrbe discessurū pollicetur

Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem, vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis promittendi, ac in animam nostram iurandi, quod super ijs vel eorum aliquo nullum impedimentum fingemus aut præstabimus, aut fingi vel præstari per nos vel alios, quantum in nobis fuerit, permittemus. Item vice & nomine nostro pro nobis promittendi ac in animam nostram iurandi, quod contra præfata vel eorum aliquod nullatenus per nos vel alios veniemus: & si contrarium quouis modo contingeret fieri per nos vel alios nomine nostro quandocumque, statim cum hoc ad nostram notitiam deductum fuerit, illud reuocabimus & faciemus, quantum in nobis fuerit, effectualiter reuocare; & pro non facto volemus, & decernemus haberi.

Nullos fu cos ad vio landū id accersitu. rum,

23 Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam potestatem vt supra, si per præfatum dominum Henricum Imperatorem, per nos, seu quemcumque alium vel alios, nostro vel alterius nostrorum nomine seu auctoritate aliquæ sententiæ fuerint promulgatæ, seu processus al qui facti, seu arrestationes personarum aut rerum, aut aliqua ad iurisdictionem pertinentia quandocumque attentata in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, ciuitatibus, comitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, & terris alijs, & territorijs supradictis, vel in aliquo eorundem, immediate vel mediate subiectis; illa omnia vice & nomine nostro et pro nobis decernendi et promulgandi esse nulla; quodque si aliquæ fidelitates, homagia, obedientiæ, aduocationes, donationes, obligationes, occupationes, seu concessiones qualescumque a prædicto domino Henrico vel a nobis aut altero nostrum per nos, vel alium seu alios factæ fuerint seu receptæ pro Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, comitatu Venusino, locis, terris alijs, et territorijs supradictis vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus et iuribus in eis, vel sub eis etiam constitutis a quibuscumque ciuitatibus vel personis etiam singularibus quouis modo; illa omnia fore nulla pronunciandi, et quatenus processerunt de facto, totaliter reuocandi, et vice ac nomine nostro promittendi et firmandi, quod ea omnia et singula pro non facto volemus et decernemus et promulgabimus haberi.

Conuellit tentata cō tra iura ec clesiæ.

Item damus dictis nostris procuratoribus et eorum cuilibet in solidum plenam potestatem, vt supra, vice et nomine nostro promittendi et iurandi, quod non ingrediemur partes Italiæ, nec in eis nec de eis per nos vel alium seu alios aliquid administrabimus, aut quomodolibet disponemus, donec approbationem apostolicam personæ nostræ fuerimus assecuti. Item damus prædictis procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum potestatem, vt supra, vice & nomine nostro & pro nobis promittendi, vt supra, quod quandocumque post approbationem prædictam in Lombardiam & Tusciam vel earum alteram aliquem vel aliquos mittemus vel constituemus in eis, faciemus eum & eos iurare, vt adiutor & adiutores domini Papæ & eius officialium sint ad defendendum Romanam ecclesiam, nec non regna, prouincias, ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, castra, comitatum Venusinum, loca, terras alias, & territoria supradicta. Item quod non occupabunt, nec recipient, nec acquirent, nec quouis modo vsurpabunt Romam aut prouincias, regna, du-

Obligat se Italiam, antequam Rex confirmatus fuerit, nō ingressurum.

Cæsareos administros ad cturum sacramento, ecclesiastica ra non in uasuros.

ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, caſtra, comitatum Venuſinum, loca, terras alias, & territoria ſupradicta Romanæ eccleſiæ, in Italia vel vbilibet extra Italiam conſtituta; & ſpecialiter nec regna Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ, quæ de directo dominio, iure, & feudo eiuſdem Romanæ eccleſiæ eſſe noſcuntur, nec alia feuda, retro feuda, ſeu quælibet alia loca ad eandem eccleſiam mediate vel immediate ſpectantia, nec iura, perſonas vel res aliquas in eiſdem; nec dabunt nec concedent vllo vnquam tempore, in perpetuum, vel ad tempus aliqua de prædictis ſub colore, conditione vel titulo quibuſcumque.

Non locorum illius effecturos imperiũ.

24 Item quod prædictam Romanam eccleſiam, aut vos, ſeu ſucceſſores veſtros, vel officiales, miniſtros, vaſſallos, & ſubditos eorum non inquietabunt vel quomodolibet moleſtabunt in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, comitatu Venuſino, locis, terris alijs, & territorijs ſupradictis, ſeu aliquo prædictorum; nec in caſu etiam, quo Reges prædictorum regnorum, aut miniſtros, vaſſallos, & ſubditos eorundem in regnis prædictis, ſeu pro eis vel aliqua earum parte aliquatenus moleſtabunt; nec aliquod dominium, iuriſdictionem, ſuperioritatem, ſeruitutem, poteſtariam, capitaneatum, vel aliud officium quodcumque, quocumque nomine cenſeatur, accipient, aut per eos, vel alios exercebunt in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, comitatu Venuſino, locis, terris alijs, & territorijs ſupradictis, vel in aliquo de eiſdem: nec etiam fidelitatem, recognitionem, aduocationem aliquam quouis modo recipient, per ſe, alium, vel alios pro Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, comitatu Venuſino, locis, terris alijs, & territorijs ſupradictis, vel pro aliquo eorundem: nec etiam pro quibuſcumque rebus vel iuribus in præmiſſis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, comitatu Venuſino, locis, terris alijs, & territorijs ſupradictis, vel in eorum vel aliquibus eorum pertinentijs conſtitutis; etiam ſi eis vel alicui eorum a quibuslibet cõmunitatibus, vel perſonis ſingularibus offerentur: nec etiam ius aliud qualecumque vendicabunt, acquirent, vel occupabunt, ſeu quomodolibet per ſe vel alium ſeu alios vſurpabunt, recipient, vel exercebunt, nec concedent etiam recipi vel haberi in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, caſtris, comitatu Venuſino, locis, terris alijs, & territorijs ſupradictis, vel in aliquo de eiſdẽ; & ſpecialiter in prouincijs, ciuitatibus, terris alijs, & territorijs, & locis expreſſis in prædictis literis dicti domini quondam Henrici Imperatoris.

Coercitũ iri, ſi quid contra moliatur.

25 Item damus prædictis procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum in ſolidum poteſtatem, vt ſupra, vice & nomine noſtro, & pro nobis acceptandi. Quod ſi huiuſmodi officiales noſtri vel eorum aliquis ſuper præmiſſis vel aliquo præmiſſorum, quæ in dictis articulis immediate præcedentibus continentur, moleſtauerint ſeu moleſtari fecerint Romanam eccleſiam, regna, prouincias, ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, caſtra, comitatum Venuſinum, loca, terras alias, & territoria ſupradicta, vel aliquod eorundem inuadendo, occupando, ſeu quomodolibet acquirendo illa, vel aliqua prædictorum, in toto vel in parte aliqua; vltra periurium, in quod incident, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant: & niſi infra duos menſes ab attentatis deſtiterint, & ea omnia, in quibus offenderint, in priſtinum ſtatum reduxerint, pœnas priuationis priuilegiorum, quæ a Romana eccleſia vel alijs eccleſijs; & feudorum, quæ ab eccleſia Romana vel alijs eccleſijs tenent, & ab ipſo imperio, incurrent.

Item damus prædictis procuratoribus noſtris & eorum cuilibet in ſolidum plenam poteſtatem, vt ſupra, vice & nomine noſtro & pro nobis promittendi, quod per prędictos officiales noſtros per nos in Lombardiam vel Italiam mittendos, iurare faciemus, quod nullam iuriſdictionem exercebunt in Roma, regnis, & terris eccleſiæ ſupradictis. Item damus dictis procuratoribus noſtris, & eorum cuilibet in ſolidum, plenam poteſtatem, vt ſupra, vice & nomine noſtro & pro nobis promittendi, & in animam noſtram iurandi, quod omnes ſupradictas promiſſiones & iuramenta, & etiam infraſcripta renouabimus, & iterum faciemus ſingulariter et expreſſe poſt approbationem perſonæ noſtræ infra triduum in perſona propria, ſi præſentes fuerimus; ſi vero non, idem faciemus fieri per procuratores noſtros, habentes ad hoc ſufficiens et ſpeciale mandatum. Item damus dictis procuratoribus noſtris et cuilibet eorum in ſolidum plenam poteſtatem, vt ſupra, vice et nomine noſtro et pro nobis promittendi, quod nihilominus poſt conſecrationem et coronationem noſtram imperialem infra dies octo, conſecrationem et coronationem eandem immediate ſequentes; pro firmitate maiori omnium prædictorum ipſa omnia et ſingula ratificabimus, et etiam renouabimus ſingulariter et expreſſe: et quod ſuper præmiſſis omnibus et ſingulis, et qualibet vice de prædictis, iuxta præmiſſam diſtinctionem tẽporum, dabimus literas noſtras quadruplicatas eiuſdem tenoris patentes & ſufficientes & ſigillo, quo dictis vtemur temporibus, communitas.

Promiſſa nulla ratione labefactanda, ſacramento firmanda.

26 Item damus dictis procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum in ſolidum plenam & liberam poteſtatem, & ſpeciale mandatum in animam noſtram iurandi, quod nullam promiſſionem, nullum pactum nullumque iuramentum, nec aliquod aliud faciemus, per quod præmiſſis vel eorum alicui poſſet in aliquo quomodolibet derogari; & quod illi vel illis, ad hæc per ſanctitatem veſtram ſpecialiter deputandis, & notarijs tanquam perſonis publicis pro nobis & pro Romana eccleſia & pro omnibus ſupra expreſſis, quocumque nomine cenſeantur, ac etiam pro omnibus alijs, quorum intereſt vel intererit, ſeu intereſſe poterit in futurum, recipientibus & ſolemniter ſtipulantibus; promittemus, & ſuper ſancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iurabimus, præmiſſa omnia & ſingula nos facturos, completuros, & nullo vnquam tempore per nos vel alios contra illa vel aliqua de illis quouis modo venturos. Et ſi, quod abſit, contingeret nos facere, dicere, promittere, vel iurare aliqua vel aliquod, quod præmiſſis vel præmiſſorum alicui poſſet aliqualiter obuiare, vel nos vel alios ad aliquid ſecus agendum inducere, vel nobis occaſionem agendi contra prædicta vel aliquod prædictorum quomodolibet miniſtrare, nihilominus illis nequaquam obſtantibus, prædicta omnia complebimus, & inuiolabiliter obſeruabimus, & ad ea complenda & inuiolabiliter obſeruanda ex promiſſionibus & iuramentis præmiſſis ſemper nos volumus rema-

nere obligatos. Et ex nunc etiam atteſtamur & proteſtamur, nos velle & intelligere omnia præmiſſa & ſingula ſic excluſa fore ab omnibus factis & faciendis, per quæ præmiſſis vel eorum alicui poſſet quomodolibet derogari, quod illorum prætextu vel occaſione nullo modo liceat licereue poſſit mutare aliquid in præmiſſis, vel facere contra ea vel aliqua de eiſdem.

Si quid oboriatur dubij interpretationem reſeruandã Pontifici.

Item damus prædictis procuratoribus noſtris & cuilibet eorum in ſolidum plenam poteſtatem, vt ſupra, vice & nomine noſtro & pro nobis bona fide promittendi, quod intruſos in eccleſijs infra prædictum regnum & imperium conſiſtentibus, & qui eas contra ius, libertatem, ſuperioritatem, & auctoritatem eccleſiæ Romanæ detinent occupatas, vel eas detinuerint in futurum, ſi ſuper hoc per ſanctitatem veſtram vel ſedem Apoſtolicam fuerimus requiſiti, expellemus ac pro poſſe expelli faciemus de illis; & prouiſos per ſedem Apoſtolicam iuuabimus & faciemus iuuari, vt ad eccleſias, quibus de eis per ſedem Apoſtolicam prouiſum eſt vel fuerit in futurum, realiter admittantur, ſuiſque iuribus libere vti poſſint. Item damus prædictis procuratoribus noſtris & cuilibet eorum in ſolidum plenam poteſtatem, vt ſupra, vice & nomine noſtro & pro nobis promittendi per nos bona, plena, & integra fide; & quantum in nobis erit procurabimus, quod principes & prælati, barones maiores de Alemannia iurabunt, & ſub literis ſigillis eorum ſigillatis ſe obligabunt, quod ſi nos non ſeruauerimus promiſſa ſupradicta vel aliqua promiſſorum, quod nos non iuuabunt; ſed contra nos erunt, & eccleſiam adiuuabunt. Item damus prædictis procuratoribus noſtris, & cuilibet eorum in ſolidum plenam poteſtatem, vt ſupra, principes prædictos ex nunc ab omni iuramento, quo eſſent nobis adſtricti, vice & nomine noſtro & pro nobis liberandi et abſoluendi, et a fidelitate ex nunc prout ex tunc abſoluendi in caſu, in quo nos fecerimus cõtra eccleſiam, vel inuademus per nos vel alios Vrbem Romanam, regna, prouincias, ducatus, comitatus, ciuitates, oppida, caſtra, comitatum Venuſinum, loca, terras alias, et territoria ſupradicta aut aliquod de eiſdem.

Intruſos eiectũ iri.

Principes Germanos in ipſum fœdi fragum arma verſuros.

27 Item damus prædictis procuratoribus noſtris, et eorundem cuilibet in ſolidum plenam poteſtatem, vt ſupra, vice et nomine noſtro promittendi, quod circa terras, quas dominus Rex Siciliæ tenet extra terras, quas tenet ab eccleſia, faciemus quoad commutationem, donationem, confirmationem, ſeu alias, prout ſanctitas veſtra volet, et ipſi Regi erit gratum, quem intendimus tractare ſicut conſanguineum et affinem precipuũ. Item vice et nomine noſtro et pro nobis promittendi, quod dicto domino Regi Siciliæ offeremus vnum noſtrum filium vxorandum et gubernandum, prout veſtræ ſanctitati et ipſi Regi videbitur expedire. Item vice et nomine noſtro et pro nobis promittendi, quod pro ſecuritate fidelium eccleſiæ in Tuſcia, in terris videlicet imperij, faciemus dictum dominum Regem Robertum vicarium noſtrum in vita ſua irreuocabiliter, ſi, quantum, et prout veſtræ ſanctitati placebit. Item vice et nomine noſtro et pro nobis promittendi, quod cum prædicto domino Rege Siciliæ vnionem & confœderationem faciemus, prout veſtra ſanctitas duxerit ordinandum.

Cum Rege Siciliæ pontificio arbitrio lites cõmpoſitũ iri.

Eundem in Etruria imperij legatũ ſere nunciatum.

Item damus prædictis procuratoribus noſtris, et cuilibet eorum in ſolidum plenam poteſtatem, vt ſupra, vice et nomine noſtro pro nobis

conſentiendi et promittendi, quod ſi in præmiſſis articulis vel aliquo eorundem aliquod eſſet ambiguum, dubium, vel incertum, declarationi, interpretationi, correctioni, et ſuppletioni, et ordinationi ſanctitatis veſtræ et domini ſummi Pontificis, qui pro tempore fuerit, ſtabimus cum effectũ. Inſuper damus & concedimus ſupradictis procuratoribus noſtris omnibus, et cuilibet eorum in ſolidum plenam, meram, et liberam facultatem, auctoritatem, et ſpeciale mandatum vice et nomine noſtro et pro nobis coram ſanctitate veſtra, et vbicumque ſanctitati veſtræ placuerit vel viſum fuerit expedire, obedientias, promiſsiones, conceſſiones, donationes, ratificationes, annullationes, et reuocationes quaſcumque vel qualeſcumque ſuperius expreſſas aut non expreſſas, concedendi et promittendi, faciendi et confirmandi, finiẽdi et perficiendi ſecuritates etiam et cautiones, firmitates, cautelas, et obligationes; nec non pœnitentias et pœnas, in prædictis articulis expreſſas aut non expreſſas, quaſcumque et qualeſcumque ex parte noſtra exhibendi, offerendi, ſuſcipiendi, faciendi, complendi, firmandi, et perficiendi: et etiam nos ad obſeruationem omnium eorundem et ſingulorum, et vniuſcuiuſque ipſorum aſtringendi et obligandi: confœderationem inſuper, ligam, concordiam, et vnionem cum magnifico principe Rege Roberto ad ordinationem et voluntatem ſanctitatis veſtræ et ex voluntate veſtra faciendi, firmandi, complendi, perficiendi, et roborandi ſub pactis, cautionibus, obligationibus, cautelis et firmitatibus quibuſcumque: et cautiones, obligationes, pœnas, et cautelas ſimiles ab eodem Rege nomine noſtro recipiendi, et ſubſcribendi ſupraſcriptis omnibus articulis et ſingulis, et vnicuique ipſorum: addendi, ſupplendi, et adiungendi, ac ipſos et quemlibet ipſorum mutandi, corrigendi, et emendandi omnia et ſingula iuramenta, prout ſuperius in articulis ſunt conſcripta; ac omnia et ſingula iuramenta per Imperatorem Henricum vltimum, et alios Reges et Imperatores Romanos præſtita, & quæcumque alia iuramenta, quæ ſanctitati veſtræ præſtanda videbuntur in quocumque caſu ſeu caſibus ſupraſcriptis, vel alijs quibuſcumque nomine & vice noſtra in animam noſtram iurandi, præſtandi, & faciendi præmiſſa & omnia & ſingula & vnumquodq; ipſorum: & generaliter omnia & ſingula & quęcumq; alia dictum negotiũ tãgentia, in toto vel in parte aliqua, aut quæcumq; ſeu qualibet ſui parte, ſeu ex eo pendentia directe, vel indirecte, ſuperius expreſſa & non expreſſa, faciendi, gerendi, exercendi acceptandi, offerendi, laudandi, iurandi, approbandi, complendi, ratificandi, finiendi, firmandi, perficiendi & effectum mandatum ſingulariter & expreſſe; etiam ſi maiora & grauiora exiſterent quam præmiſſa, & quæ noſmet facere poſſemus, ſi præſentes eſſemus in propria perſona, etiam ſi mandatum qualecumque & quandocumque exigerent ſpeciale.

Conſueta a veteribꝰ Cæſaribꝰ exigi ſacramenta ſe nuncupaturum.

28 Promittimus inſuper, quod prædictos noſtros procuratores omnes vel aliquos vel aliquem ipſorum, pendente coram ſanctitate veſtra tractatu & negotio noſtro prædicto, non reuocabimus: & ſi qua reuocatio verbis & factis vel literis apparebit, ipſam pro nulla & irrita haberi volumus, & eam præſẽtibus irritamus, reuocamus, & annullamus ita, quod in quemcumque caſum aut euentum vigorem habere non poſſit, nec præmiſſis vel alicui præmiſſorum officere valeat, vel aliqualiter derogare. Inſuper vt præmiſſa om-

Promittit cœptum tractatum ab oratoribus non abruptuꝝ.

omnia & ſingula & vnumquodque præmiſſorum per nos efficaciter compleantur, & inuiolabiliter obſeruentur, promittimus bona fide, & nihilominus ſub hypotheca & obligatione omnium bonorum, *& infra*, omnia & ſingula, quæ prædicti procuratores noſtri vel eorum aliqui nomine & vice noſtra fecerint, aut nos facturos promiſerint, nos poſtquam aſſumpti fuerimus in Regem Romanorum, faciemus in propria perſona coram ſanctitate veſtra, vel alias vbi & quando ſanctitati veſtræ videbitur expedire: nec non quod ipſa ac omnia & ſingula præmiſſa & quodlibet præmiſſorum de nouo muniemus, firmabimus, & approbabimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus, roborabimus noſtris iuramentis & inſtrumentis publicis manu publicorum tabellionum confectis; nec non noſtris literis & ſigillis, et omni alia firmitate & firmitatibus ac modis, quibus melius valere poterunt et ſanctitati veſtræ videbitur expedire. Et ad maiorem omnium et ſingulorum roboris firmitatem iuramus ſuper ſancta Dei euangelia, per nos corporaliter manu tacta, quod omnia et ſingula ſupraſcripta et quęcumque alia, quæ in præmiſſis et quolibet præmiſſorum per prædictos procuratores noſtros omnes, aliquos, vel aliquem ipſorum facta, geſta, promiſſa, ordinata, et obligata fuerint, tenebimus, adimplebimus cum omni efficacia et effectu, ac ea omnia et ſingula inuiolabiliter obſeruabimus, et in contrarium per nos vel alium directe vel indirecte nunquam veniemus, etc. *Datum & actum Vlmæ anno Domini* MCCCXXXVI. *quinta die intrante martio, &c.*

Qui principes pro Lud. deprecatores acceſſerint. *a To.2.ep. ſecr. 169. & 170.*

Interceſſere pro Ludouico apud Pontificem, vt ipſum in gratiam admitteret, Rupertus et Rudolphus Palatini Rheni comites: quibus Pontifex quanto deſiderio Ludouicum in gremium eccleſiæ reuocari arderet, expreſſit huiuſmodi ſententijs a: *Nos etiam, qui tam ſibi quam quibuſuis alijs profeſſoribus nominis Chriſtiani ſalutis & quietis pandi aditum cupimus, vt reductio ipſa, cordi nobis exiſtens admodum, ad Dei honorem & eccleſiæ ſuæ ſanctæ fieri valeat, non omittimus laborare. Dat. Auin. xvii. kal. maij. ann.* 11.

Benedicti pro conciliando Lud. ſtudia. Reſilit Lud. a cœptis. Cum Anglo fœdus init. *b Eod. to.2. ep. ſecr. 182. Io. Vill. l. 11. c. 71. et 74. Tho. Wual ſing. in Ypodigm. Neuſt. Alb. Argent. in chron. & alij. c To.2. ep. ſecr. 182.*

29 Cum adeo egregie Pontifex ad conciliandum eccleſiæ Ludouicum Bauarum affectus eſſet, is repente ab Eduardo Angliæ Rege ſolicitatus, contra promiſſa ſedi Apoſtolicæ facta, nullam ſe iniuriam Francorum Regi illaturum, eo tempore maxime, quo orientalem expeditionem ornabat, armorum fœdera vniuerſæ rei Chriſtianæ exitialia percuſſit b, cœptumque de reconciliatione ſua tractatum diſturbauit: quod Pontifex maximo dolore affectus eius oratoribus obiecit. Qui principis ſui inſperata inconſtantia attoniti ad ipſum vt cœptis abducerent ſe conferre cõſtituerunt. Benedictus vero grauiſſimas haſce literas c ei miſit.

Benedicti ad Bauarum lit.

Magnifico viro Ludouico de Bauaria ad promerendam in præſenti gratiam, & in futuro gloriam, Deum diligere veraciter & timere.

Quamuis dilecti filij Henricus de Siffingen commendator domorum Vlmæ, et Vverdæ ordinis S. Mariæ Theutonicorum Conſtantienſis et Auguſtenſis diœceſis, Eberhardus de Tummovve archidiaconus, Marquardus de Randegge canonicus Auguſtenſis, et Vlricus Hofmairus de Auguſta tui procuratores, et nuncij dudum ad ſedem Apoſtolicam deſtinati, prudenter et diligenter circa proſecutionem negocij, pro quo miſsi fuerunt, apud nos duxerint ſæpius inſiſtendum; nos tamen alijs arduis negocijs ineuitabiliter occupati, præſertim propter aduentum chariſsimi in Chriſto filij noſtri Philippi Regis Franciæ illuſtris ad præſentiam noſtram, ſicut te ſupponimus audiuiſſe, ac etiam quia ipſi nuncij nouiter exhibuerunt procuratoria, ſuper quibus deliberandum erat cum fratribus; proſecutioni et expeditioni vſquequaque commode nequiuimus intendere negocij prælibati. Sed nuper expeditis certis vrgentibus, quæ præterire non poteramus negocijs, cum facta per nos de negotio tuo prædicto mentione in conſiſtorio ſuper eo intenderemus vacare, rumores ad nos ſuperuenerunt infeſti, quod tu cum quibuſdam potentibus præfati Regis ac regni et deuotorum ipſius æmulis tractaueras ſeu inieras confœderationes et ligas. De quo mirati plurimum et turbati, cum, ſicut in tuis nobis alias miſsis literis continetur, contrarium fieri et ordinari deberet, id eiſdem tuis nuncijs, ac qualiter dictum negotium, nedum impediri, quinimmo ſubuerti poterat propter hoc, duximus exponendum.

Obiurgat illũ Pont. coniuraſſe in Phil. Regem.

Promiſſa violaſſe.

Et licet primo præfati nuncij, ex ijs non modicum ſtupefacti, ad te mittere ſpecialem propterea nuncium cum ſuis literis ordinaſſent; poſtmodum tamen, deliberato melius et vtilius exiſtere, quod ipſi perſonaliter ad te vadant, proficiſcuntur de noſtro beneplacito, tuam adituri præſentiam, ad noſtram cum certis tam nobis, quam præfato Regi Franciæ reſponſionibus ſuper ijs redituri. Quocirca prudentiæ tuæ paterno conſilio ſuademus, quatenus memoratis nuncijs, quibus intentionem noſtram ſuper præmiſsis verbotenus expreſſimus, plenius intellectis, ſic prudenter, te, actuſque tuos & negocia cum omni ſemper in bono conſtantia dirigas, ordines, & diſponas, quod via ſalutis tibi pateat, & inchoatum inde negocium, illius gratia ſuffragante qui greſſus hominum dirigit, valeat ſublatis impedimentis quibuslibet proſperari. *Datum Auinione* 11. *id maij anno* 11.

Dimiſſi eius oratores.

Poſthabita a Lud. Pontificis monita. Confutata Argentinenſis mendacia *a Argen. in chron.*

30 At Ludouicus poſthabitis pontificijs monitis, cum Eduardo Angliæ Rege, vt referunt auctores, contra Philippum Regem Francorum fœdus adſtrinxit. Ex allatis porro literis pontificijs refellas Albertum Argentinenſem, dum cæteris fabellis hanc adijcit a, Benedictum gaudio exultaſſe, cum Philippum a Ludouico Bauaro laceſſitum bello accepiſſet, quaſi ab illo denũciata cæde vetitus eſſet Ludouicum in eccleſiæ gratiam admittere: ſi enim Ludouicus Pontifici in re iuſtiſsima non paruit, non Philippus in crimen vocandus, ſed accuſanda alterius inconſtantia eſt: quæ ex eo magis conſpicua extitit, cum Ludouicus Rupertum patruum miſiſſet inclinante anno, vt Pontifici ſanctiſſime polliceretur b, Philippo Francorum Regi bellum ſe non illaturum, vel cum Eduardo Anglorum Rege armorum fœdus non initurum. De hac Ruperti comitis palatini legatione ad Benedictum decreta extant Ludouici Bauari literæ, quibus ipſum procuratorem ad plura grauiſſima tractanda inſtituit: neque enim ſuffecerant ſuperiora, vt Ludouicus fidelium communioni reſtitueretur, cũ enim hæreſeos crimine damnatus eſſet, conflaſſet ſchiſma, hæreſiarchas fouiſſet honoribus & ſtudijs, aliaque plura contra rem catholicam ac pontificiam maieſtatem patraſſet, eierandi erant ij omnes errores, & crimina expianda Chriſtiana pœnitentia.

b To.3. ep. ſecr. 190.

Ludouicus itaque e ſuorum conſilio Robertum comitem palatinum Rheni patruum & Vvil-

De quib⁹ facinorib⁹ a Ludouico petita sit venia.

Ielmum comitem Iuliacensem procuratores instituit, vt cum doloris sensu profiterentur, Ludouicum ipsum iniuria Ioannem XXII. pontificio gradu deturbare conatum, ac pseudopontificem Corbariã intrusisse, assensisseq; vt bona ecclesiastica inuaderet, & consecrationes contra sacros canones celebraret: nunquam credidisse recte se in ijs egisse, sed peruerse: vltionis auiditate ea flagitia commisisse: non credidisse sententia sua Ioannem XXII. vere pontificatu deiectum, neque ab Imperatore posse exauctorari: damnatis hæreseos Vicecomitibus Mediolanensibus inique studuisse: Michaelem Cæsenatem & alios hæreticos pseudominoritas fouisse; hæreses tamen ipsorum damnare: constitutiones Ioannis XXII. de Christi paupertate conditas fidei consonas credere. precarentur veniã, si in prouocatione contra Ioannem XXII. diceretur ipsum iureiurando confirmasse, omnia in ea contenta vera esse, cum in ijs plura hæretica & blasphema contineantur: neque enim sacramento ea se firmasse, sed a Groildone notario per scelus id insinuatum, vt dissensionem accenderet: Marsilij e Padua & Ioannis e Ianduno hæreses aliasque se execrari: ecclesiastica interdicta vindictæ exercendæ cupiditate ductum, quamuis se male agere agnosceret, violari iussisse: imperialem titulum & inunctionem iniuste & male ab illo, qui nulla potestate polleret, Romæ accepisse: imperiale nomen deponere: infligendam pro expiandis ijs sceleribus mulctam admissurum; denique excusationes in extenuandis ijs allatas idoneas non arbitrari.

Postulata sacrorum vsus restitutio in Germ.

31 Data etiam Ruperto Palatino comiti et Vvillelmo Iuliacensi a Ludouico prouincia, vt supplices criminum veniam exorarent, ac deposcerent regio honori ipsum restitui: dissolui inflicta Germaniæ ecclesiastica interdicta, suarum partium sequaces absolui: sacramento se deuincirent ecclesiæ & Benedicti Papæ iussis ipsum parituru: omnes hæreticos compressurum; ac præcipue Ioannem e Ianduno, Michaelem e Cæsena, si redire ad gremium ecclesiæ, & errores eiurare detrectarint, insectaturum. Sponderent expiandorum criminum causa expeditionem Asiaticam suscepturum, atque ad pontificiam voluntatem in hostes crucis bellum gesturum; tum alias infligendas pœnas libenter suscepturum. De quibus omnibus conceptæ sunt subiecta forma verborum Ludouici literæ a.

a Ext. in arce S. Angeli & in lib. priuil. Rom eccl. to. 2. pag. 332. & inter coll. Plat. to 2. pag. 249. & reperta in archiu. fer. Anim. An 1594. sign. n. 90. & n. 138. in charta perg.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo, domino Benedicto diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus filius suus deuotus cum sui & regni Romani recommendatione deuota pedum oscula beatorum.

Decreta a Lud. Bau. noua legatio.

Nouerit sanctitas vestra nobis quamplurimum veneranda, quod nos confisi de fidelitate, prouidentia, & sinceritate illustrium virorum Vvillelmi comitis Iuliacensis principis & affinis nostri, Roberti comitis Palatini Rheni & ducis Bauariæ principis & patrui nostri, secretariorum nostrorum specialium & fidelium dilectorum, mandatum nostrum sponte recipientium in præsentia notariorum publicorum, & testium infrascriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum fecimus & constituimus, & per præsentes nostras literas facimus & constituimus, creamus & ordinamus modis omnibus, quibus melius de iure facere possumus & valemus nostros veros, certos, & legitimos procuratores, ambassiatores, negotiorum gestores, & nuncios speciales ac quocumque alio nomine melius dici et nuncupari possint, dantes et concedentes in his scriptis eis et cuilibet eorum in solidum ita, quod non sit melior conditio occupantis; sed quod vnus vel alter ipsorum incœperit, alius prosequi valeat et finire vice et nomine nostro, et pro nobis coram sanctitate vestra et sacro collegio dominorum Cardinalium, et vbicumque sanctitati vestræ placuerit vel visum fuerit expedire plenam, meram, et liberam potestatem, facultatem, auctoritatem, et speciale mandatum. Primo ad recognoscendum et confitendum, nos consensisse, suffragium præstitisse, et non impediuisse; sed verius ad hoc operam dedisse, quod Petrus de Corbaria efficeretur antipapa et actus faceret Papæ: et quod felicis recordationis dominus Papa Ioannes, de facto papatu priuaretur et priuatus denuntiaretur.

Petita venia de eõ flato schismate.

Item quod consensimus et permisimus, quod dictus antipapa consecraretur, seu verius execraretur, consecrationes seu verius execrationes faceret, et de bonis ecclesiarum pro suæ libitu voluntatis ordinaret, quod eius ministri, officiales, et sequaces sua officia exercerent; item quod ex his schisma in ecclesia Dei et multi errores secuti existunt: et super his vice et nomine nostro et pro nobis nos excusandi. Primo quod nunquam credidimus neque credimus ipsum Petrum de Corbaria fuisse Papam, sed antipapam. Item quod permisimus, et consequenter mandauimus eum pro tali haberi et honorari ex eo, quia dominus Papa Ioannes alium in Imperatorem eligi, vt dicebatur, procurabat et nos suis sententijs et processibus deponere conabatur. Item quod quidam ista fieri procurabant, qui discordiam talem affectabant, et dicebant hoc populo Romano licere et Imperatori, et instrumentis antiquis et auctoritatibus diuersis comprobabant. Item quod nos, cum Petrus de Corbaria in antipapam fuisset institutus, ignorabamus determinationem ecclesiæ fuisse factam, quod hæreticum esset & hæresim saperet, Imperatorem Papam deponere & alium facere. Item quod de prædictis consecrationibus, seu verius execrationibus dolemus, & quod multum nobis placet vt puniantur, qui prædicta fecerint, nisi ad gratiam ecclesiæ redire velint vna nobiscum; & quod tunc similiter puniantur, vt vestræ videbitur sanctitati. Item quod nunquam credidimus neque credimus, nos bene facere aut feciisse in prædictis, sed male & peruerse. Item quod illa fieri permisimus, vt redderemus malum pro malo, vt sicut dictus dominus Ioannes Papa priuabat, etiam priuaretur; & sicut alium Regem Romanorum constitui procurabat, etiam alius Papa de facto cõstitueretur; & cum iniuriæ per eius officiales dicerentur, etiam iniuriæ audirentur. Item quod non credebamus, nos in prædictis bene, sed male feciisse; nec credebamus dictum dominum Ioannem Papam fore depositum, nec alium vere creatum: sed dicto & facto sic simulate faciebamus & dicebamus, sicut de facto contra nos procedebatur, prout multi sapientes iudicant & iudicabant. Item quod nunquam credidimus neque credimus, quod neque ad Imperatorem, neque ad Romanorum Regem, nec ad Romanum populum spectet Papam deponere, & alium creare; & ideo actus illos reprobamus. Item quod ciues Romani diuersarum conditionum ad huiusmodi consensum præstandum per diuersas vias & modos nos indu-

Adiecta excusatio.

Fatetur se peccasse ex ignorãtia.

Vltionis libidine actũ fuisse

Papam a Cæsare vel populo non posse exauctorari profitetur

Palatinus Rheni & Iuliac. comes procuratores instituti.

duxerunt, quorũ fauore nos indigebamus, & eorum propterea voluntati conſenſimus, ſimulata tamen, vt in proſecutione poſiti poſſemus tranſire tempus noſtrum; licet nos crederemus & credimus male facere in prædictis.

Deſperata cũ Ioãne reconciliatione, in eum furorem effudiſſe.

32 Item quod extra omnem ſpem concordiæ cum domino Papa Ioanne & eccleſia, vt nobis videbatur, poſiti hæc fieri permiſimus, quia inuite & nullo modo eadem vel ſimilia alias contra ipſum & eccleſiam feciſſemus. Item ad confitendum vice & nomine noſtro et pro nobis, quod fauimus Galeatio de Vicecomitibus et fratribus ſuis de Mediolano et eorum complicibus, condemnatis tunc, vt dicebatur, de hæreſi vel defautoria hæreſis, et ſuper his vice et nomine noſtro & pro nobis excuſandi primo, quod errores

Excuſat ſe de impenſa ope Galeatio.

præfatorum Vicecomitum nunquam ſciuimus, nec adhuc ſcimus, nec vellemus ipſis vel aliquibus alijs fauiſſe vel fauere in aliquo errore contra fidem nec fauimus; ſed ipſos vt fideles noſtros & ſubditos tractauimus, & eos in

Præſtitiſſe ex politica arte.

dominio ciuitatis Mediolanenſis ſuſtinuimus ad tẽpus, & ipſis egentibus etiã pecunia ſubuenimus, vt in dominio dictę ciuitatis Mediolanenſis, & per conſequens totius Lombardiæ quietius remanere poſſemus. Item ad confitendum vice & nomine noſtro, quod nobiſcum tenuimus fratres Minores rebelles eccleſiæ, videlicet fratrem Michaelem de Cæſena, fratrem Franciſcum de Marchia, fratrem Guillelmum, fratrem Bonamgratiam, fratrem Henricum de Chalem, & aliquos eorum

De acceptis in clientelã pſeudominoritis veniam poſcit.

ſocios & ſequaces; & quod nos conſenſimus appellationibus eorundem fratrum contra dominum Ioannem Papam prædictum, & vice & nomine noſtro & pro nobis excuſandi nos in ſupradicto articulo: nec non ſuper eo, quod nobis imponitur,

Nõ aſſenſiſſe eorũ hæreſib⁹.

quod eis fauimus in eorum opinionibus & in eorum prædicationibus factis & dictis contra fidem & eccleſiæ determinationem. Primo quod proteſtati ſumus publice & expreſſe, quod ſi in eorum appellationibus aliquid poneretur, quod eſſet contra fidem vel eccleſiæ determinationem, quod illorum dictis non conſentiebamus; ſed ſolum ijs, quæ ad iuriſdictionem temporalem & ad noſtri iuris ſaluationem ſpectabant. Item quod expreſſe eis diximus, quod de ipſorum opinionibus de paupertate Chriſti vel alijs, in quantum

Profitetur ſe credere circa Chriſti paupertatẽ quæ credit eccleſia.

eſſent contra fidem catholicam, nolebamus nos immiſcere nec intromittere, quia ſemper credidimus & credimus & credere intendimus circa articulos fidei & eccleſiæ determinationes, tam circa paupertatem Chriſti quam circa alia, quod credidit & credit dominus Papa Ioannes & ſacrum collegium dominorum Cardinalium & ſanctæ Romanæ eccleſiæ.

Expoliticodoloeiſdem fauiſſe.

33 Item quod ſicut miles ſcripturarum & literarum ſubtilitatum ignari, quia dicebantur meliores magiſtri theologiæ & fratres religioſi, non credentes nos aliquid contra fidem facere, appellationi eorum conſenſimus, et ſibi adhærebamus; et ipſam pro defenſione noſtra, et iurium noſtrorum et imperij interpoſuimus. Item quod nec ex tunc nec ex nunc conſentiebamus nec credebamus, nec conſentimus nec credimus dictis et opinionibus eorum, niſi in quantum eſſent et ſunt conformia fidei catholicæ, et determinationi eccleſiæ. Item quod ipſos tenuimus, vt eos loco et tempore ad gremium eccleſiæ vna nobiſcum reduceremus; ita quod ipſos tenuimus vt rebelles, et inimicos inimici noſtri ſanctiſſimi domini Papæ Ioannis, et vt de facto reſponderent, ſicut multa de facto contra nos opponebantur, vt nobis videbatur. Item quod ipſos recepimus ſub dominio noſtro, quia clerici boni et magiſtri literati dicebantur. Item quod multa dicebant pro iure noſtro ſeruando, et iuribus imperij conſeruandis quibus, in quantum ius imperij tangebant, ſicut miles et laicus credebamus. Item vt cum ſupradictis literatis nos poſſemus contra literatos defenſare in iuribus noſtris et imperij. Item quod ipſorum prædicationes, diffamationes, et blaſphemias, in quantum erant contra fidem et eccleſiæ determinationem et contra bonos mores, non probamus nec approbamus, ſed reprobamus et reprobare intendimus: ſed huiuſmodi prædicationes approbauimus, in quantum iura imperij et honorem noſtrum tangebant. Item ad confitendũ vice et nomine noſtro et pro nobis, quod conſtitutionem, *Cum inter nonnullos*, de paupertate Chriſti loquentem, credimus fore veram et catholicam; et quod articulos, videlicet redemptorem noſtrum et dominum Ieſum Chriſtum eiuſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec etiam in communi; rurſus quod Redemptori noſtro præfato eiuſque Apoſtolis in his, quæ eos habuiſſe ſacra ſcriptura teſtatur, nequaquam ipſis ius vtendi ſeu conſumendi competierit, nec illa vendendi, ſeu donandi ius habuerint; credimus fore iuſte et rite per eccleſiam damnatos ibidem: quos etiam nos ſicut bonus et fidelis Chriſtianus damnamus, anathematizamus, damnabimus et anathematizabimus.

Vſum eorum calamo & ingenio, ſed hæreſim execrati.

Conſtitutionem, *Cum inter*, veram & catholicam profitetur.

Item ad confitendum vice et nomine noſtro et pro nobis, quod in appelatione, quam fecimus contra quondam dominum Papam Ioannem continetur, quod iurauimus omnia ibi contenta vera eſſe; cum tamen multa ibidem hæretica et per eccleſiam damnata contineri dicantur circa paupertatem Chriſti et Apoſtolorum, multæ etiam blaſphemiæ: & ſuper his nos excuſandi primo, quod nos expreſſe excepimus et diximus, cum dicta appellatio coram nobis facta fuit, quod de opinionibus fratrum Minorum de paupertate Chriſti, et de eccleſiæ determinationibus nos immiſcere ſeu intromittere minime intendebamus; ſed de his dumtaxat, quæ ius noſtrum et imperij tangebant. Item quod nos nunquam iurauimus, licet ſic eſſet ſcriptum in appellatione. Item quod reperitur, quod notarius, qui hoc fecit, ſcilicet Vlricus Goildronis malitioſe et in vindictam contra nos, dicendo ſe per nos fuiſſe læſum, iſtam appellationem de conſilio aliquorum, volentium talem diuiſionem ſeminare, quod nunquam valeret eam aliquis reparare, fieri procurauit: et hoc confeſſus eſt in morte, vt a pluribus aſſeritur. Item quod illa non credidimus, neque credimus fore vera, in quantum ſunt contra fidem et eccleſiæ determinationem: nec ſubtilitates ibidem contentas, nec illos articulos intelleximus, cum tales et talium ignari exiſtamus. Item quod de blaſphemijs et falſis ibidem poſitis dolemus, quod ibi poſita fuerunt et publicata. Item ad confitendum vice et nomine noſtro et pro nobis, quod Marſilium de Padua et Ioannem de Ianduno, per eccleſiam damnatos, nobiſcum tenuimus: & ſuper hoc vice et nomine noſtro nos excuſandi, primo quod ipſos tenuimus, quia boni clerici erant, & de iuribus imperij ſe multa ſcire dicebant, vt ſupra dictum eſt de fratribus Minoribus. Item quod expreſſe diximus, quod de eorum opinionibus et ſcripturis nolebamus nos intromittere, in quantum eſſent contra fidem et

Noluiſſe pſeudominoritarũ hæreſi implicare ſe.

Scriniariũ ſua improbitate hæreſim interſeruiſſe.

Illam a ſe eiurari.

Excuſat ſe de acepto Marſilij & Ianduni hæreſi archarum patrocinio.

ecclesiæ determinationem: sed si aliqua direrent vel scirent, quæ essent pro defensione iuris imperij, illis volebamus vti. Item quod ipsorum erroribus nunquam credidimus, neque credimus. Item quod nobiscum tenuimus, vt ipsos vna nobiscum ad gratiam ecclesiæ reduceremus. Item quod non credidimus, neque credimus, nos bene feciſſe ipsos retinendo, fauorem ipsis præstando, ipsosque et eorum sequaces prædicare contra dominum Papam Ioannem permittendo: simulabamus tamen multa & permittebamus, vt clericis & intelligentibus de facto responderetur, sicut de facto contra nos, vt nobis videbatur, procedebatur: nec credidimus, neque credimus nos bene feciſſe in præmiſſis, sed male.

Scelus dānat.

Quinque eorum hæreſes execratione defigit.

34 Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, quod errores infrascriptos dogmatizatos per Ioannem de Ianduno & Marsilium de Padua suprascriptos, videlicet primo quod illud, quod de Christo in euangelio B. Matthæi legitur, quod ipse soluit tributum Cæsari, quando staterem sumptum ex ore piscis illis, qui petebant didrachma iussit dari, hoc fecit non condescensiue ex liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus; secundo, quod B. Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuerit, quam alij Apostoli habuerunt, nec aliorum Apostolorum fuit caput; quodque Christus nullum caput dimisit ecclesiæ, nec aliquem vicarium suum fecit; tertio, quod ad Imperatorem spectat Papam instituere & destituere, ac punire; quarto, quod omnes sacerdotes siue sit Papa, siue sint archiepiscopi, siue episcopi, siue simplices sacerdotes sunt ab institutione Christi auctoritatis & iurisdictionis æqualis; & si vnus habet plus quam alius, hoc est secundum quod Imperator concedit vni vel alijs plus vel minus, & sicut tunc concessit alicui, sic potest etiam illud reuocare; quinto, quod tota ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiua, nisi Imperator super hoc auctoritatem sibi daret; credimus fore vere & recte damnatos: quos & nos tanquam bonus Christianus damnamus, & anathematizamus.

Imperiale nomen Romæ ac ceptum ponit.

Veniam efflagitat de prophanatis sacris.

35 Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, quod interdicta non permisimus seruari in multis terris & locis; & quod plures ecclesias & ecclesiasticas personas permisimus grauari, & violare interdictum multoties multos coegimus tam seculares quam regulares. Item vice & nomine nostro & pro nobis super hoc nos excusandi, quod ista fecimus & fieri permisimus propter causas prædictas, & quia propter magnam guerram aliud cōmode facere non poteramus, & vt de facto ageremus, sicut de facto contra nos, vt nobis videbatur, procedebant; & vt populum contra nos non concitaremus, sed ipsorum murmurationem deprimeremus. Item quod ista fecimus volentes tempus nostrum transire reddendo malum pro malo, licet crederemus nos malefacere. Item ad confitendum vice & nomine nostro, quod multos intrusimus in ecclesijs, vel fauorem ad hoc dedimus, & prouisos per ecclesiam impediuimus seu impediri fecimus.

Id ex politica arte factum.

Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, quod cum excommunicatis participauimus, & cum eisdem in locis etiam interdictis missas & alia diuina officia audiuimus & celebrari fecimus, & multos celebrare coegimus; nec non in vrbe Romana & in pluribus alijs terris ecclesiæ diuina accepimus, & per nos & per alios exercuimus. Item vice & nomine nostro & pro nobis super his excusari, quod hoc fecimus tum propter causas prædictas, tum etiam vt magis nos in statu nostro firmaremus; licet nos crederemus male facere. Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, nos assumpsisse titulum imperialem & vnctionem in Roma peruerse, male, & iniuste, & a potestatem non habente. Item ad confitendum vice & nomine nostro & pro nobis, quod credidimus, quod ad summū Pōtificem spectat hoc facere, & ad nullum alium; & quod simulabamus nos bene facere, huiusmodi titulum assumendo & tenendo propter magna pericula, quæ nobis imminebant in statu & persona. Item dictis nostris procuratoribus & cuilibet eorum in solidum damus ex certa scientia plenam, meram, et liberam potestatem, auctoritatem, & speciale mandatum ad renunciandum, dimittendum, et totaliter deponendum vice et nomine nostro et pro nobis titulum imperialem Romæ per nos receptum, et quo vtimur, et hactenus vsi sumus; ac ad promittendum, & in animam nostram iuramento præstando firmandum, quod titulo prædicto Romæ per nos recepto vlterius non vtemur. Item ad promittendum vice et nomine nostro et pro nobis, quod super omnibus prædictis excessibus, et quibuslibet alijs ista tangentibus, faciemus confessionem plenam propria in persona petemus humiliter veniam, ac offeremus et suscipiemus emendam. Item ad confitendum nihilominus quod prædictas excusationes non reputamus sufficientes: et ideo volumus, vt dicti procuratores & vnusquisque eorum sanctitati vestræ vice & nomine nostro pro venia & absolutione supplicent per nos commissorum. Item ad supplicandum vice & nomine nostro & pro nobis pro absolutione, & pro nostra assumptione, & in integrum restitutione ad famam, honorem, & statum; & interdictorum in Alemanniæ partibus remotione, & singularium personarum absolutione.

Fatetur male imperialia ornamēta Romæ ac cepisse.

Spondet sacra exhomologesi superiora omnia scelera se expiaturum. Excusationes memoratas integre non valere, fatetur

36 Item supradictis nostris procuratoribus & cuilibet eorum in solidum, vt supra, damus & concedimus plenam, meram, & liberam potestatem, facultatem, auctoritatem, & speciale mandatum ad iurandum in animam nostram de parendo mandatis ecclesiæ atque vestris super omnibus & singulis supradictis. Item ad iuramentum & iuramenta præstandum, prædicta vel similia nunquam facturos; & quod vniuersos & singulos hæreticos & schismaticos per ecclesiam denotatos, vel denotandos extirpabimus, & specialiter supradictos Ioannem de Ianduno, Marsilium de Padua, fratrem Michaelem de Cæsena, fratrem Guillelmum Ocham, fratrem Bonamgratiam, fratrem Henricum de Chalem, & omnes alios eorum socios & sequaces, si ad vnitatem ecclesiæ redire noluerint; nec non quod omnem hæresim & schisma detestabimur et detestamur, et pro viribus exterminabimus toto posse. Item ad promittendum et offerendum vice et nomine nostro et pro nobis, et ad obligandum nos et nostra, quod nomine satisfactionis, pœnæ, et emendæ ac pœnitentiæ per nos commissorum effectualiter assumemus passagium vltramarinum, prout vestræ sanctitati videbitur expedire; et quod ibi manebimus quantum vestra sanctitas duxerit ordinandum. Item ad promittendum vice & nomine nostro, quod pro dicto passagio adimplendo exponemus personam & bona, & nostros amicos requiremus, prout qualitas negotij exigit & requirit. Item ad promittendum vice & nomine nostro & pro nobis, nos ecclesias & monasteria ædi-

Deprecatur vt primi nostri restituantur iuribus.

Promittit insectatum hæreticos, quos fouit nō resipiscat pollicetur.

Schisma & quamuis hæresim execratur

Pro expiādo scelere expeditionem in Palæstinā spondet.

ædificaturos, prout veſtra ſanctitas ordinabit, Item ad promittendum vice & nomine noſtro, quod eleemoſynas & peregrinationes faciemus iuxta veſtræ ſanctitatis mandatum & ordinationem. Item quod ſuſcipiemus & perficiemus pœnitentias alias quaſcunque atque pœnas, quas veſtra ſanctitas pro dictis exceſſibus nobis duxerit iniungendas.

Et alia pia opera.

37 Damus inſuper prædictis procuratoribus noſtris & cuilibet eorum in ſolidum, vt ſupra, plenam, meram, & liberam poteſtatem, auctoritatem, & ſpeciale mandatum, vice & nomine noſtro & pro nobis confeſſiones, excuſationes, anathematizationes, & ſupplicationes, prout in ſupradictis articulis continetur, faciendi emendas quoque offerendi & acceptandi ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis exceſſibus, & quibuſcumque dependentibus ab eiſdem; & de ipſis adimplendis nos obligandi ſub pœnis & pactionibus & cautionibus quibuſcumque; abſolutionem etiam, gratiam, veniam, & miſericordiam petendi ſuper omnibus & ſingulis ſententijs iuris vel hominis, quas incurrimus propter præmiſſa vel aliquod præmiſſorum, ſiue huiuſmodi ſententiæ promulgatæ per felicis recordationis dominum Papam Ioannem XXII. prædeceſſorem veſtrum, ſiue per legatum vel legatos eiuſdem, ſiue per inquiſitores hæreticæ prauitatis, ſiue per loci vel locorum ordinarios qualeſcunque: nec non ſupplicandi pro abolitione omnis effectus proceſſuum & ſententiarum prædictarum: ſupplicandi inſuper pro aſſumptione noſtra & in integrum reſtitutione ad famam, honorem, & ſtatum priſtinum, nec non aſſumptione noſtra in Regem Romanorum, & approbatione perſonæ noſtræ, ad imperialem dignitatem poſtmodum promouendæ: iuramenta etiam ſiue de ſtando & parendo mandatis eccleſiæ, ſiue de vlterius præmiſſa vel ſimilia fore facta exceſſus vel delicta non committendo, ſiue quælibet alia iuramenta, de quibus ſupra fit mentio, & quæcumque alia propter præmiſſa obtinenda in animam noſtram præſtandi, & iurandi articulis ſupraſcriptis omnibus & ſingulis & vnicuique ipſorum addendi, ſupplendi, & adiungendi, ac ipſos mutandi, corrigendi, & emendandi: ſupplicandi inſuper pro remotione vel ſaltem ſuſpenſione interdictorum in ciuitatibus & terris nobis adhærentibus, & pro nobis in interdicto exiſtentibus: nec non pro abſolutione excommunicationis & irregularitatis ſingularium perſonarum clericorum, in quocumque ſtatu exiſtant, ac laicorum, & pro ipſorum in integrum reſtitutione, & ſufficienti diſpenſatione: præmiſſa etiam omnia & ſingula & vnumquodque ipſorum, ac generaliter omnia & ſingula, & quæcumque alia dictum negotium tangentia vel expedientia, ſuperius expreſſa vel non expreſſa, etiam ſi grauiora vel eo maiora exiſterent quam præmiſſa, faciendi, firmandi, finiendi, & perficiendi, & effectui mandandi ſingulariter & expreſſe, & quæ noſmet facere poſſemus, ſi præſentes eſſemus in propria perſona, etiam ſi mandatum quantumcumque exigant ſpeciale.

Ad ſeruãda promiſſa multis cautionibus ſe obſtringit.

Depreçatur vt iuri regiore ſtituatur.

Cenſurarũ nexu ſoluatur.

38 Promittimus inſuper, quod prædictos noſtros procuratores ambos vel alterum eorum, pendente coram veſtra ſanctitate tractatu & negotio noſtro prædicto, non reuocabimus: & ſi qua reuocatio verbis, factis, vel literis appareret, ipſam pro nulla & irrita haberi volumus, & etiam eam præſentibus irritamus, reuocamus, & annullamus ita, quod in quemcumque caſum vigorem habere non poſſit, nec præmiſſis vel alicui præmiſſorum officere valeat vel aliqualiter derogare. Promittimus inſuper bona fide, & nihilominus ſub hypotheca & obligatione omnium rerum & bonorum nos et bona noſtra omnia (notarijs infraſcriptis recipientibus et ſtipulãtibus legitime vice et nomine ſãctiſſimi in Chriſto patris et domini noſtri domini Benedicti Papæ XII. prædictis, ac vice et nomine ſanctæ Romanæ eccleſiæ, et omnium et ſingulorum, quorum intereſt vel intereſſe poterit) in futurum obligamus, quod omnia et ſingula, quæ in præmiſſis et circa præmiſſa aut quodcumque præmiſſorum per prædictos procuratores et ambaſiatores noſtros ambos vel alterum eorum confeſſa, excuſata, damnata, anathematizata, reprobata, promiſſa, iurata, oblata, ſuſcepta, conceſſa, firmata, approbata, et ſupplicata, ſeu quomodolibet ordinata et tractata fuerint, rata, firma, placita, accepta, et grata perpetuo habebimus, et ex nunc prout ex tunc habemus; et contra ipſa vel ipſorum aliquod nullo vnquam tempore veniemus, vel faciemus per nos vel alios verbis vel factis, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe: et quod eaſdem confeſſiones, excuſationes, damnationes, anathematizationes, reprobationes, promiſſiones, iuramenta, obligationes, firmitates, et approbationes omnes et ſingulas faciemus in perſona propria coram ſanctitate veſtra, vel alias vbi, et quando ſanctitati veſtræ videbitur expedire; nec non ipſas confeſſiones, excuſationes, damnationes, anathematizationes, reprobationes, promiſſiones, oblationes, et approbationes omnes et ſingulas; nec non omnia et ſingula iuramenta, et omnia alia et ſingula, et vnumquodque præmiſſorum de nouo muniemus, firmabimus, et approbabimus, complebimus, confirmabimus, ratificabimus, et roborabimus noſtris iuramentis et inſtrumentis publicis manu tabellionum; nec non literis & ſigillis, & omni alia firmitate & firmitatibus, ac modis alijs, quibus melius valere poterunt, & veſtræ placuerit ſanctitati, &c. [Nonnullis interiectis, quibus data prioribus procuratoribus mandata firmat, ſubijcit].

Confirmata ſacramento ſuperiora.

Et ad maiorem omnium & ſingulorum roboris firmitatem iuramus ſuper ſancta Dei euangelia, per nos corporaliter manu tacta, omnia & ſingula ſupraſcripta, & quæcumque alia in præmiſſis & quolibet præmiſſorum, per prædictos procuratores noſtros omnes, aliquos, vel aliquem ipſorum facta, geſta, acta, aut etiam promiſſa, ordinata, & obligata fuerunt, tenebimus & adimplebimus omni efficacia & effectu; ac ea omnia & ſingula inuiolabiliter obſeruabimus, & in contrariũ per nos vel alium directe vel indirecte nunquam veniemus. In quorum omnium teſtimonium & roboris firmitatem præſentes literas & procuratoria per diſcretos viros Fredericum de Ratiſpona rectorem eccleſiæ in Vvolfratzuſen diœceſis Friſingenſis, & Herdegnum quondam Chimadi clericum diœceſis Bambergenſis publicos notarios infraſcriptos publicari mandauimus, & ſigilli noſtri, quo vtimur, & hactenus vſi fuimus, appenſione muniri. *Dat. & actum in oppido noſtro Nuremberg. xxvIII. die menſis octobris anno* Domini MCCCXXXVI. *præſentibus nobilibus & ſpectabilibus viris Ludouico duce de Teeke, Bertoldo dicto de Niffen comite, &c.* Dedit tertias literas ad Benedictum pro recuperanda eccleſiæ gratia Ludouicus Bauarus, tertio die menſis decembris huius anni conſignatas, quæ Octauio

Oratores imperfecta re ſe nõ reuocaturum pollicetur.

Aqua-

Aquauiua Cardinale gerente Auenionenſem legationem in tabulario Auenionenſi repertæ Romamque dein deportatæ fuerunt a.

a Reperta in arch. Auin. ann 1594. nu. 412.

39 Solicitatus vero eſt Philippus Francorum Rex a nepte ſua Ludouici Bauari vxore, vt cum illius viro arctiſſimum fœdus faceret, illudque affinitatum nexu confirmaret. Cui ea de re ſedem Apoſtolicam conſulenti, (quippe impendente bello Anglico ineundum fœdus Germanicum videbatur) ita reſpondit Benedictus. b

Conſulit Gallus Rex Benedictum de iungendo fœdere cum Ludouico.

b Tom. 2. ep. ſecr. 315.

Benedictus, &c. Regi Francorum.

Cum fiducia requirenti conſilium tenore præſentium reſpondemus, quod ſi Ludouicum prædictum ad vnitatem redire contingat eccleſiæ, ac a pœnis & ſententijs, quibus ligatus exiſtere noſcitur liberari, te cum ipſo, præſertim cum affinitate & nati ſui tibi nexu ſanguinis coniungatur, ligas & confœderationes verę ac charitatiuæ amicitiæ cum mentis ſinceritate inire ac facere expediens crederemus: ſed ante reconciliationem & obtentam abſolutionem huiuſmodi propter honorem ac reuerentiam eccleſiæ, ac ſententiarum & pœnarum prædictarum periculum, quæ adhærentes, valitores, conſiliarios, adiutores, receptatores, fautores, & ſequaces quoslibet Ludouici præfati, ac eum Regem vel Imperatorem ſeu ducem Bauariæ nominantes ſcienter, vel ipſum pro tali habentes apprehendunt, nullatenus eſſet tutũ.

Reſpondet Pont. iungendũ ſed non antequam conciliet. eccleſiæ,

Rurſus ſi eundem Ludouicum mori contingeret ſic ligatum, natis prædictis ipſius non modicum periculum immineret: conſtat enim quod contra ipſum priuationis ducatus Bauariæ, ac omnium terrarum, feudorum, bonorum, & honorum, quæ obtinebat ab eccleſia vel imperio, præter diuerſas pœnas alias graues & periculoſas iamdudum fuerint ſententiæ promulgatæ, quas futurus Rex vel Imperator Romanorum exequeretur, vt veriſimiliter poteſt opinari, libenter: ſicque nati prædicti non ſine regijs oneribus, cum tibi proxima iungantur, vt præfertur, ſanguinis linea, bonis hereditarijs fruſtrati & vacui remanerẽt.

Vna cum Lud. reliquos Germanos reconciliandos.

Præterea cum innumerabiles tam principum & magnatum, quam aliarum diuerſarum conditionum perſonæ partium Alemanniæ propter fauorem & adhæſionem dicti Ludouici, pœnis & ſententijs ſupradictis ligatæ, grauibus tam animarum quam ſtatuum ſubiacere periculis dignoſcantur, ſi eorum debito & conuenienti modo interueniret reconciliatio, ſalubris in hac parte animabus eiſdem, quæ faucibus dæmonum deuorandæ ſunt expoſitæ, portus non abſque magnis meritis aperiretur ſalutis, & pericula circa ſtatus eorum grandia tollerentur: quæ quidem reconciliatio ad Dei & eccleſiæ, tuumque regium honorem ſine conſenſu & admiſſione principum & magnatum ipſorum, et illorum maxime quibus ius in electione Regis Romanorum in Imperatorem promouendi competit, ad tractatum huiuſmodi poſſe commode fieri non videtur. Ipſos equidem, qui a præfatis pœnis et ſententijs liberari et abſolui non immerito deſiderant, multum videtur reconciliationis negotium tangere ſupradictæ: qui ſi ad eam et tractatum non admitterentur ipſius, forſan contra nos et eccleſiam, ac te præfatumque Ludouicum clamoris, turbationis, et commotionis occaſionem haberent; et, quod eſſet periculoſius, velut deſperationis compreſſi laqueis materiam, quod Deus auertat, aſſumerent horrendi et damnandi ſchiſmatis ſuſcitandi: quamobrem reconciliationem eandem cum eorum conſenſu eiſque, prout decenter et vtiliter fieri poterit, ad illius tractatum admiſſis, fieri poſſe vtilius; ita quod ageretur ante omnia ſpecialiter et expreſſe, vt nulla liga vel confœderatio cum aliquo vel aliquibus per eundem Ludouicum dictoſque principes et magnates fieret, aut quæuis attentaretur nouitas contra te vel regnum tuum dictæ reconciliationis durante tractatu: et ſi quæ factæ quomodolibet exiſterent, illas deberent penitus reuocare, ſicque non eſſet pro tunc nec etiam poſtea, cum confœderationes et ligæ veræ amicitiæ inter te ac præfatum Ludouicum prædictoſque principes et magnates concordatæ ac firmatæ in eodem tractatu exiſterent, prouenturum vel illaturum de illis partibus tibi vel eidem regno periculum formidandum.

Addita lex, vt nulla cum hoſtibus Gallici nominis ſocietas fiat.

Ideoque, fili chariſſime, ſi his, quæ præmiſimus, et alijs tibi occurrentibus circa hæc adductis in exactæ conſiderationis examen, ſit grata hæc via tuæ celſitudini, nobis quantocius, vt Ludouico præfato ſcribere inde opportune poſſimus, ſignificare procures. Verum nobis videtur, fili amantiſſime, quod tam ſuper reconciliatione prædicta, quam ligis confœderationis & amicitiæ, vt præmittitur, ineundis melius, honorabilius, plenius, & efficacius tractari poſſit negotium, ſicut expreſſum eſt ſuperius, apud ſedem Apoſtolicam & firmari cum tuis & chariſſimi in Chriſto filij noſtri Roberti Regis Siciliæ illuſtris auunculi tui, quem negotium dictæ reconciliationis non parum tangere noſcitur, nuntijs ſuo loco & tempore propter hoc ad noſtram præſentiam euocandis. *Dat. Auin. ix. kal. decembris anno* 11. Conciliandus fuiſſet eccleſiæ Ludouicus Bauarus niſi ſuperiora infregiſſet ſacramenta, ſeque a perficienda adeo optata atque rei Chriſtianæ neceſſaria reconciliatione reddidiſſet (vt loquitur Benedictus) a *Juis peccatis & delictis exigentibus alienum.* Attulit Chriſtianæ rei vniuerſæ exitium illa Ludouici a ſuſceptis ſuæ conuerſionis conſilijs defectio, tantumque abfuit a comparanda in Aſiam pro expiandis culpis, quam pollicebatur, expeditione, vt Philippum illam adornantem diſturbarit.

Violata pericula Lud. Bau. promiſſio

a To. 3. ep. ſecr. 307.

Philippi Regis expeditio diſturbata.

40 Suſpenſa interea occidentalium crucefignatorum exercitus auxiliaris expectatione, Armenia euaſtabatur a ſoldano Babylonio, qui intentatas ſibi inanes minas ferro incendijſque vleiſcebatur. Cuius cladis fama triſti accepta Pontifex, Reginam Conſtantiam mulcendi doloris gratia ad locandas in Deo ſpes erexit b, nec ſedis Apoſtolicæ ſtudia defutura eſt pollicitus.

Vaſtata Armenia,

b To. 2. ep. ſecr. 173.

Chariſſimæ in Chriſto filiæ Conſtantiæ Reginæ Armeniæ illuſtri.

Rumores infeſti, qui de inuaſione hoſtili regni Armeniæ, ac Chriſticolarum in eo degentium ijs præteritis temporibus, per inimicos Chriſtianæ fidei attentata, varijſque iniurijs & damnis ibidem illatis, ad ſedem peruenerunt Apoſtolicam, cor noſtrum repleuerunt amaritudine, mentemque noſtram ingentis compaſſionis aculeo, cum chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Leonem Regem Armeniæ illuſtrem virum tuum, & te, filia chariſſima, dictumque regnum & Chriſticolas illarum partium paternæ dilectionis proſequamur affectibus, tetigerunt. Sane quia ſperamus in Domino, qui ſperantes in ſe non deſerit, ſed potius oppreſſis pie ſubuenit, conſolationem tribuit, & mœrentes erigit ſoſpitate, quod hoſtium depreſſa potentia & humiliata ſuperbia, præfato Regi, ſuiſque regno & fidelibus regnicolis,

Condolet eius cladibus Pont.

lis, ſi ſpe firma concepta fortes & ſtabiles in deuotione Dei, orthodoxæque firmitate fidei, vt confidimus permanſerint, prouidere de ſalubri & votiuo remedio non tardabit; ſerenitatem tuam rogamus in Domino attentius & hortamur, quatenus conſideranter attendens, quod virtus in infirmitate perficitur, & perſeuerantia, cui ſoli corona inter alias virtutes currentes ad brauium promittitur, in aduerſitatibus clarius comprobatur, ſuper eis, cum occurrunt, in Domino conſoleris; certam de nobis fiduciam habitura, quod tibi, ſicut cum Deo poterimus ſuper tuis opportunitatibus aſſiſtemus; nec laborare, quantum decuerit & commode fieri poterit, vt Regi, regno, & fidelibus præfatis ſubſidium & auxilium aduerſus inimicos prædictos proueniat, omittemus. *Datum Auiniane* XVI. *kal. maij anno ſecundo*.

Promiſſa auxilia.

41 Ad ſuppeditanda porro laboranti Armeniæ prompta auxilia Benedictus Siculos, Cyprios, Rhodios, Cretenſes, Eubœenſes, alioſque Chriſti fideles orientales ad profitendam religioſam in Saracenos militiam concitare ſtuduit [a]: quibus propoſuit ob oculos, debellata Armenia, aditum ad reſtituendam Palæſtinæ religionem intercluſum iri; atque ideo in Leonis Regis opem prouolandum eſſe.

Inſulani mediterranei maris ad religioſam militiam concitati.

[a] *An. 2. par. 2. ep. cur. pag. 13.*

Benedictus, &c. vniuerſis Chriſti fidelibus in inſulis Siciliæ, Cypri, Rhodi, Nigropontis, & omnibus alijs terris ſeu inſulis vltra pharum conſtitutis.

Grauis ira, nec exorabile pectus Babylonici hoſtis Ægypti, beſtię ſęuientis adhuc infremit, nec quieſcit, & ſuper præteritorum vulnerum dolorem adijciens ſpem ad illa loca catholica in partibus tranſmarinis occupanda & depopulanda procedit. Ecce ſiquidem nuntij chariſsimi in Chriſto filij noſtri Leonis Regis Armenorum illuſtris, ex parte dicti Regis ad ſedem Apoſtolicam deſtinati, auribus noſtris lacrymabiliter intimarunt, quod perfidus ille ſoldanus Babyloniæ vires congerit, conflatque potentiam, vt regnum Armeniæ & cæteras terras reſiduas, quas fideles inhabitant, in partibus tranſmarinis per continuatos hoſtilitatum incurſus inuadat, capiat, & ſubuertat, vt per occupationem & ſubuerſionem ipſius, quod Deus auertat, irremediabilem quodammodo iacturam fidelibus inferat, & quodammodo fiduciam auferat vicinum præſtandi remedium terræ ſanctæ, cum per regnum illud proximus fiat tranſitus ad terram præfatam; ac ibidem a catholicis, in eodem regno degentibus, recipiantur Chriſtiana nauigia, claſſes fidelium in victualibus & alijs neceſſarijs confortentur, & de loco illo propter breue maris ſpatium ad dictam terram pateat quodammodo abſque hoſtili impedimento progreſſus.

Quanti interſit tutari Armeniam expoſitum.

Ideoque vos vniuerſos & ſingulos rogamus, & obſecramus per aſperſionem ſacratiſsimi ſanguinis fuſi pro ſalute noſtra de pretioſo corpore Redemptoris, quatenus ad eiuſdem regni, cuius incolas nobis vnitas fidei in Chriſti charitate coniungit, calamitatibus (ad quarum illationem hoſtes fidei pręparantur) viriliter & celeriter obuiandum promptis animis conſurgentes, pro defenſione eiuſdem regni & fidelium, morantium in eodem, vos in peccatorum veſtrorum remedium perſonaliter exponatis, &c.] Addit Pontifex ſacris indulgentiarum præmijs, felicique immortalitate eos donatum iri, qui expiata rite conſcientia ſacro illi bello ſe deuouerint. *Dat. Auin. kal. maij anno* II. Hactenus Pontifex, qui etiam eorum regnorum inſularumque archiepiſcopos & epiſcopos ſacram militiam conſcribere, eamque crucis ſymbolo inſignire iuſſit [a], quæ ad propulſandos irrumpentes in Armeniam fideles procurreret.

[a] *Regeſt. poſt. ead. epiſt.*

Cum, vero exuſtis ſuperiori anno barbarica excurſione agris, nonnulla Armeniæ loca annonæ inopia laborarent, ſubmittere Armeniæ Regi commeatus Pontifex & Gallus Rex decreuerunt, qua de re extant Benedicti literæ ad Campaniæ præfectum datæ [b], vt frumenta in finitimis partibus congreganda curaret: *Cum nos*, inquit, *& chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Franciæ illuſtris, pridem non ſine magna compaſſione percepto, quod Saracenorum rabies ad confuſionem & exterminium Chriſtianorum aſpirans, certas partes regni Armeniæ, ac Chriſticolas ibidem degentes, adeo his temporibus præteritis vaſtauit crudeliter & afflixit quod, præter alia damna per eoſdem Saracenos Chriſticolis eiſdem illata, innumera ſegetibus & fructibus tam ignis incendio, quam alias omnino conſumptis, famis inopiæ propter defectum panis & aliorum victualium oppreſſi miſerabiliter remanſerunt; certum eiſdem Chriſticolis ſubſidium pecuniarum pro emendis bladis, & deferendis ad partes prædicti regni prouiderimus, &c. Dat.* III. *non. aprilis anno ſecundo*. Erogaſſe Benedictum ex ærario pontificio decem millia aureorum pro leuanda Armenorũ inopia, oſtendunt Gaſperti archiepiſcopi Arelatenſis & ærarij præfecti literæ [c].

[b] *Rotul. pergamen. ſignat. n. 917. ex Auenionen. archiu. Romam delato.*

Submiſſi ijs aliqui commeatus

[c] *Extant. ib.*

Maiora quidẽ cõtundedę Mahumeticæ tyrannidis cõſilia agitabat Benedictus, ſed hoc ipſo tempore noua ſenſim obſtacula oboriebantur, quæ Philippi Francorum & Eduardi Angliæ Regum mutua æmulatio peperit: agurebat enim Eduardũ indignatio, controuerſas eas Aquitaniæ terras, quę a Carolo Valeſio partæ bello fuerant, de quibus in fœderis initi formula [d], Iſabella Regina & legatis apoſtolicis interpretibus, cautum fuerat, Anglum eas legibus a Gallo iudice repetiturum, concepta nimirum ab Anglis ſpe, eas a Carolo IV. ad ſororis & nepotis gratiam reſtitutum iri; nunquam legibus, nec beneuolentia, liberalitateue redditas: tum Philippum adiuuiſſe armis Dauidem Anglici nominis hoſtem; præterea in ſpem Galliæ vel alicuius prouinciæ ſibi ſubijciendæ materni iuris tuendi ſpecie efferebatur. Viſus tamen eſt ad æquitatem & concordiam inclinare, dum ipſius Pontificis Gallo Regi addictiſſimi arbitrio controuerſias committere voluit; de quo extant hæ pontificiæ literæ ad Philippum datæ [e].

Gallum inter & Anglum bellorum ſemina

[d] *Extant. authographi in arch. vat. ex Auenionenſi delatum.*

[e] *To. 2. epiſt. ſecr. 317.*

Benedictus &c. Regi Franciæ.

42 His, quæ ſuper facto Angliæ dilecti filij nobilis vir Guido Caprarij miles, & magiſter Petrus de Verberia clericus regij nuntij, ad noſtram nuper præſentiam cum literis credentiæ deſtinati, nobis curauerunt exponere, plenius intellectis, eiſdem nuntijs verbotenus expreſſimus, & regiæ celſitudini tenore præſentium intimamus, quod certi nuntij chariſſimi in Chriſto filij noſtri Eduardi Regis Angliæ illuſtris ad nos hac æſtate proximo præterita, cum eſſemus in caſtro Pontiſſorgiæ Auinionenſis diœceſis, venientes nobiſque Regis eiuſdem literas de credentia exhibentes, ſub eadem credentia obtulerunt, quod Rex ipſe negotium cauſarum, quæſtionum, vel diſſenſionum, quæ inter te, fili chariſſime, ac ipſum verti vel ſuſcitari poſſent quomodolibet, libenter poneret in noſtris manibus terminandum. Quibus quidem nuntijs præfati Regis Angliæ ſuper prædictis reſpondimus, quod attentis mutuæ pacis &

Anglus ſuas lites Pontificis arbitrio committit.

con-

concordiæ inter vos commodis, ac diſſenſionum diſcriminibus, ex quibus lapſus rerum, ſtrages corporum, & animarum amarius plangenda pericula poſſent, ſi quod abſit, contingerent formidari, in conſiderationem adductis; nos, quem more patris beneuoli non prętereunt incommoda filiorum, parati eramus pro pace huiuſmodi, quam velut Deo gratam, ac vtrique parti totique Chriſtianitati multipliciter accommodam, deſiderijs optabamus intenſis, per viam tractatus amicabilis, ſi de vtriuſque partis conſenſu procederet, non vitando labores aſſiduos, interponere partes noſtras.

Monitus Philippus de conciliando ſibi Anglo.

Attendentes itaque bonum pacis huiuſmodi, quodque te, fili chariſſime, cum præfato Rege Angliæ, qui tuus vaſallus, tibique nexu ſanguinis eſt coniunctus, huiuſmodi pacis & charitatis vinculum habere decet & expedit, materia cuiuſuis diſſidij penitus amputata; dilectum filium magiſtrum Philippum de Cambarlhaco archidiaconum Gandenſem in eccleſia Tornacenſi capellanum noſtrum & nuntium, virum vtique fidelem, prouidum, & diſcretum, ad præfatum Regem Angliæ cum noſtris opportunis literis, *& infra*, prouidimus deſtinandum, &c.] Preces additæ, vt ſi Anglus ad pacis conſilia vergeret, ſuos ad ſedem Apoſtolicam oratores mitteret. *Dat. Auin. x. kal. decembris anno* 11.

a To.2 ep. ſæcr. 318.

Conceptæ a ſunt datæ ad Eduardum eo argumento a Pontifice literæ, atque ipſum lites ſuas pontificio arbitrio permiſſurum obtuliſſe, hortaturque vt internuntio apoſtolico facilem ſe præbeat, atque oratores idoneis fretos mandatis mittat. Alijs vero literis b exegit, vt Robertum Atrebatenſem ex aula Anglica pelleret: *Sane*, inquit, *fili dilectiſſime, non videmus, quod Rex præfatus Franciæ te nobilem virum Robertum de Atrebato (quem ipſe ſuum domuſque ſuæ regiæ hoſtem, rebellem, & inimicum capitalem, quemque in mortē ſuam & ſui primogeniti aſſerit perfactiones nequiſſimas conſpiraſſe, reputat) in tua familiaritate tenente, aut ei conſilium, auxilium, & fauorem præſtante, circa tractatum pacis & concordiæ tecum vellet aut curaret intendere quouis modo.* Inflammabatur c ad bellum Eduardus a Roberto Atrebatenſi, qui amiſſa iudicio comitatus cauſa legum vi, aut ſe Atrebatenſi comitatui reſtituendum, vel Philippum regno pellendum iactabat. Cæterum pontificia ſtudia tantum valuere, vt Eduardus Cantuarienſem archiepiſcopum, Philippum Montis acuti, & Gaufridum Scorpum ad Philippum legarit: qui parum comiter ab eodem Philippo habiti, cum eo demum pacem firmarunt nulla de Scotis habita mētione: cuius rei mox Philippum ſubijt pœnitentia, Angloſque ad ſe reuocari iuſſit, ac venientibus dixit, eam cum illis pacem inijſſe, cuius Scoti participes haberentur: quā pactionem cum non admittere ſe poſſe reſponderent Angli, maximo Galliarum & orientis damno cœpta pax diſſoluta eſt. Viſuri autem ſumus Anglos apud Pontificem conqueſtos d, cum Eduardus ſe ad expeditionem Syriacam conficiendam Philippo ſocium obtuliſſet ea lege, vt poſt reditū de controuerſis Aquitaniæ oppidis ius redderet, & inducias propterea cum Scotis paciſci voluiſſet; eas pactiones arroganter reiecciſſe Philippum, contendentem vt ab Anglo parta reſtituerentur Scotis. Nec modo hæ querelæ ab Anglis oratoribus apud Pontificem repetitæ fuere, verum & Gallici hiſtorici confirmant ſuperiora Philippumque accuſant, illum cum Eduardo pacem firmaſſe, vt tranſmarinam expeditionem iniret; mox tamen mutato conſilio eam diſſoluiſſe:

b Ib. ep. 319.

Rogatus Anglus vt Rob. Atrebatenſem a ſe dimittat.

c Paul. Aemil. in Phil. VI.

Oratores ad Philip. de pace mittit.

d Apud Bened. 12. 6. ep. ſecr. 114.

Ad Regem, inquit Gaguinus a, *perducti oratores*, nimirum Eduardi ſuperius memorati, *pacem cum Philippo firmant: ſed diſcedentibus a Rege in ſua diuerſoria Anglis, mox Philippus eos ad ſe reuocare iubet. Venientibus Rex ait, eam cum illis pacem iniuiſſe, cuius Scoti participes habeantur: quamquam de illis nulla prius oratio habita ſit. Hanc Angli conditionem cum ſe admittere nō poſſe reſpondiſſent, in Angliā abierunt. Eius legationis relatione Eduardo facta, excandens Anglus iurat, ſe prius omnem Scotiam perditurum, quam ea ſe pacis lege teneri.* Ita Philippus cum Scotorum cauſa, noua contra pontificia monita ſuſciperet bella, & ſacramenti de Syria liberanda religionem negligeret; ne tamen apud homines periurij reus diceretur, varias cauſas obtendit: monitum vero ne turbis Scoticis ſe inuolueret, inferius viſuri ſumus.

a Gaguin. in Phil. VI.

Initum iam fœdus a Philippo reſciſſum.

43 Obſtinxerat ſe antea Ioanni XXII. ſacramento, ductaturum, kal. auguſti huius anni crucesignatas acies, niſi iuſto impedimento retardaretur: cumque impendens ab Anglo & Germano bellum (quod facillime auertere potuerat, cum ab vtroque de pace enixe poſtulatum fuiſſe viderimus) nec nō Scotorum res in diſcrimen adductæ, cauſæ iuſtæ intermittendæ expeditionis ipſi viderentur, Apoſtolicam, vt de re ſtatueret, conſuluit ſedem, quam etiam adijſſe ex literis ad Bauarum datis vidimus, Pontifex vero Philippo addictiſſimus, cum ex bellorum inſurgentium tumultibus diffideret, illius expeditionem rei Chriſtianæ vtilem fore, edixit b extrahendam in tempus opportunius videri, neque aliquam inde labem periurij vel inconſtantiæ Philippo Regi aſpergendam.

Intermiſſa a Philippo ſacræ expeditionis conſilia.

b To.2. ep. ſecr. 39.

Benedictus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Francorum illuſtri.

Sane fili chariſſime, tu velut Chriſtianiſſimus princeps deuotiſſimo affectu commemorans, qualiter redemptor noſter dominus Ieſus Chriſtus in terra ſancta, poſt contumelias & opprobria in crucis ara pro redempione humani generis diræ mortis ſubiens paſſionem voluit immolari; qualiterque opprobrio ſe ſpurcidi Agareni dictam terram Redemptoris eiuſdem ſanguine purpuratā profanis conculcant pedibus, & nefandis eorum ſpurcitijs dehoneſtant in grauem iniuriam & blaſphemiam nominis Chriſtiani; ac volens eidem Redemptori, in quantum tua poſſibilitas ſe extendit, dignam gratitudinem exhibere, diſpoſuiſti laudabili propoſito pro recuperatione dictæ terræ paſſagium vltramarinum aſſumere, ac in illo perſonaliter in eiuſdem Redemptoris obſequium transfretare. Et vt huiuſmodi tuum propoſitum felicis recordationis Ioanni Papæ XXII. prædeceſſori noſtro & fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, cunctiſque fidelibus euidentius demonſtrares, illudq; poſſes efficacius adimplere, per venerabiles fratres noſtros Petrum Rothomagenſem & Ioannem Rhemenſem archiepiſcopos tunc epiſcopum Morinenſem, ac dilectos filios Guidonem Baudeti decanum eccleſiæ Pariſienſis nunc electum Lingonenſem, & nobilem virum Petrum Troſſelli de caſtellis, & quondam Henricum de Aualgoria dominos, conſiliarios & procuratores tuos ac nuntios ſpeciales, a te propterea ad ſedem Apoſtolicam pluries deſtinatos, ſolicitis & continuatis inſtantijs dicto prædeceſſori feciſti humiliter ſupplicari, quod pro celeriori terræ prædictæ ſuccurſu paſſagium generale in-

Vt illius obeundæ primum ſuſcepta fuerint.

indicere dignaretur. Dictusque prædecessor huiusmodi laudabilem intentionem tuam & feruentem compassionis affectum, quem habebas ad statum miserabilem dictæ terræ, multipliciter commendans in Domino, sibique agens laudes & gratias, quod dignatus fuerat tam pium tamque salubre propositum regijs præcordijs inspirare; cupiensque huiusmodi sanctum negotium per te sumendum, Deo cuius causa geritur suffragante, felicibus prosperari successibus, & votiuis proficere incrementis, super his cum eisdem fratribus suis matura & diligenti deliberatione præhabita, tuis in hac parte pijs affectibus annuens, tuisque supplicationibus inclinatus, ad honorem Dei omnipotentis, exaltationem & dilatationem catholicæ fidei, & profectum cunctorum fidelium, recuperationem terræ, & exterminium hostium prædictorum, eisdem nuntijs & procuratoribus nec non prælatorum tunc in Romana curia existentium & aliorum fidelium multitudine copiosa præsentibus, auctoritate apostolica dedictorum fratrum consilio ad dictam terram duxit generale passagium indicendum, teque ipsius passagij & totius exercitus Christiani, qui transfretaret in illo, rectorem constituit & capitaneum generalem.

Quibus peractis, dicti procuratores & nuntij per tuas patentes literas coram dicto prædecessore & eisdem fratribus S. R. E. Cardinalibus, per eos exhibitas, sufficiens & speciale ad hoc mandatum habentes, in eiusdē prædecessoris & fratrum, aliorumque prædictorum præsentia dictum passagium, vt præfertur, indictum nomine tuo illico, capitaneatum, & rectoriam illius & dicti exercitus acceptarunt, & etiam assumpserunt: ac in animam tuam etiam, prout ex eodem mandato poterant, tactis sacrosanctis euangelijs iurauerūt, quod tu in kalendis augusti proximo venturi in anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto, quas tam tibi quam cæteris crucesignatis & crucesignandis idem prædecessor pro termino ad transfretandum in dicto passagio assignauit, arriperes iter eiusdem passagij, illudque prosequereris realiter & personaliter, iusto ac legitimo impedimento cessante; prout in literis prædecessoris eiusdem, super præmissis confectis, plenius continetur.

Nuncupatum a Ph. de ea conficienda iusurandum.

44 Post quæ, vt dictum passagium generale per te & fideles alios, submotis impedimentis quibuslibet, posset commodius perfici & impleri, solemnes ambassiatores & nuncios speciales magnæ auctoritatis viros, quorum aliqui etiam episcopali dignitate fulgebant, ad diuersa regna, videlicet Apuliæ & Siciliæ, Angliæ, Castellæ, & Aragoniæ, ciuitatem quoque Ianuæ, & nonnulla alia ciuitates, terras, & loca laudabiliter & prouide destinasti, eis pium propositum tuum super dicto passagio exprimendo; eosque inducendo, vt cum dictum passagium cum vniuersali Christianorum concordia esset feliciter prosequendum, per viam pacis vel concordiæ seu treguarum omnes a guerris & hostilitatibus abstinerent, vt dictum passagium, cessantibus guerrarum commotionibus, & bellorum inter Christianę fidei professores posset, fauente Deo, aduersus hostes crucis commodius & facilius prosperari. Ex quibus, hoste humani generis pacis æmulo & incentore nequitiæ procurante, paruus vel nullus profectus concordiæ resultauit. Nam, sicut facti euidentia docet, Anglia & Scotia inuicem dissident: periculosus etiam & guerris non vacuus est status Germaniæ: periculosus status similiter Tusciæ, & etiā Lombardiæ: periculosior Apuliæ & Siciliæ guerra vigente graui & quasi cōtinua inter eas; vt de nonnullis alijs latentibus odijs aduersus te, regnumque tuum, quæ vt verisimiliter creditur, si per te huiusmodi passagium in præfato termino assumi contingeret, prodirent in publicum, taceamus. Ex quibus siquidem dissensionibus et guerris et odijs regnantium et regnorum, aliorumque principum, ac multarum prouinciarum, ciuitatum, et populi Christiani, multum proculdubio potentiæ Christianitatis detrahitur, multum hostium fidei audacia roboratur, multum insuper prædicto passagio generali fortitudinis, roboris, et potestatis adimitur, multumque vires ipsius proculdubio minorantur: nam sicut concordia paruę res crescunt, ita discordia maximæ dilabuntur.

De nuntijs a Ioanne missis.

45 Super quibus etiam cum fratribus nostris, et quampluribus de consiliarijs tuis magnæ discretionis, magnique status et consilij viris, frequētes discussiones et deliberationes habuimus: et visum est nobis et eis, quod dolenter referimus, propter prædictas et plures alias rationabiles causas, quas præsentibus subticemus, quod in dicto termino proximarum futurarum kalendarū augusti summe periculosum, immo quodammodo impossibile tibi reddetur iter assumere ad inchoandum, prosequendum, et continuandum passagium memoratum. Quod si assumeres, et propter præmissas Christianitatis discordias continuare et prosequi feliciter non valeres, quid de tanto principe diceretur? Nonne Agareni nobis, tibi, totique populo Christiano turpiter insultarent, dicentes: Ecce Christianorum princeps magnificus cœpit, et non perfecit; terrere nos venit, et reuertitur territus et confusus. Absit tantus rubor a facie populi Christiani. Absit tanta confusio, vt passagium terræ sanctæ tantis retro temporibus prorogatum, nūc animose et audacibus animis sumptum, vt creditur, propter ineptitudinem, immo instantis temporis ægritudinem, sic periculose procedat: quinimmo meliorum et prosperiorum successuum expectatis et obtentis auspicijs, felices triumphorum euentus, et virtuosos exitus sortiatur. Eapropter elegimus fore consultius, dictum adhuc passagium vltra dictum terminum differendum; & aliud tempus cōmodius, quod concedat Altissimus, expectādum.

Sancit Pont. extrahendam in aliud tempus expeditionem.

Licet igitur iusta & legitima impedimenta huiusmodi a prædicto passagio in dicto termino te excusent; tamen, vt ora iniqua loquentium, & prædictas causas ignorantium obstruantur, super huiusmodi iuramento, nomine tuo ac pro te per dictos procuratores & nuncios præstito; nec non super voto seu promissione, si quod seu si quam emisisti, quod iter arriperes in termino prælibato passagij generalis, illudque deinde realiter & personaliter prosequereris, vt huiusmodi iter dicti passagij in sæpefato termino arripere & prosequi minime tenearis, nec propter hoc aliqua periurij seu inconstantiæ possis nota respergi, tecum auctoritate apostolica tenore præsentium dispensamus, &c.] Hortatur Philippum vt non propterea in adornandis ad tantam expeditionem necessarijs studium remittat; sed incendat vehementius, atque apparatum maiorem conficiat, quo longior temporis mora permittatur. *Dat. Auin. III. id. martij pontificatus nostri anno secundo*. Excusari ex his posset Rex expeditionem distulisse, si ex Pontificis sententia ita op-

Funestæ occidentis dissensiones.

opportunius voti perducendi tempus expectasset, vt non penitus abiectis illius consilijs ad bella sibi exitialia se conuertisset, vt dicetur inferius. Vnde merito in triste exemplum posteris cesit, numquam impune fidem Deo frangi: atque Eduardus, obiecto illi periurij crimine, eo audacius in Philippum se consurgere iactauit a, quo ille diuinas in se iras concitaret.

a Eduard. in lit. quæ extã. apud Vualsing.

46 Cum vero pontificia hac sanctione Francorum regno, & Christiano nomini ex humanæ prudentiæ legibus consuluisset Benedictus; quo flagrabat apostolico ardore, vt imminẽtibus malis occurreret, studium omne, vt & inita inter Eduardum & Ludouicum Bauarum fœdera dissolueret, ac Philippum Francorum Regem Anglo conciliaret, conuertit b: atque in primis, cum præcipua belli causa ex Scotiæ conuersionibus oriretur, atque odia Eduardus in Philippum ob auxilia Regi Dauidi submissa concepisset, vt superiore anno illum Benedictus monuerat, ne se bello Scotico implicaret, ita iterum grauissime deteruit, ne periculosissimum bellum susciperet: iam pro abducendo ab Eduardi fœdere Ludouico pontificia studia adhibuisse.

b To. 2. ep. secr. 183.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

46 Sane, fili charissime, quia gressus & actus tuos per vias rectas dirigi, & ab inuijs cupimus custodiri, optaremus admodum, vt super facto Scotiæ, antequam procedatur ad aliud, ne te regnumque tuum & subditos periculosis subijcias inuolutionibus; & specialiter talibus, a quibus absque detrimento honoris et famæ non posset resiliri faciliter, præsertim hoc præsenti turbato et impaccato, proh dolor! tempore, quo multorum inordinati motus in diuersis mundi partibus audiuntur; matura deliberatione prẽuia, considerantes aduerteret regia prouidentia, quid agendũ. Cito equidem vnum tale potest inchoari negocium; sed prius sapienter et prouide aduertẽdum est, qualis esse valebit continuationis prosecutio, et quis finis. Super factis autem Alamanniæ, iam in parte prouisum est, sicut nuper serenitati Regiæ meminimus seriosius descripsisse: sed si aliqua in hac parte audiremus, circa quæ prouisionis esset adhibendum remedium, id facere, prout videremus expediens, regiæque nunciare magnitudini curaremus, etc. *Datum Auin. VIII. kal. iunij anno secundo.* Non paruit pontificijs consilijs Philippus: queruntur enim Anglici historici, ingentia ad Dauidis gratiam e Gallijs auxilia fuisse submissa, atque Anglis grauiora damna illata. Et quidem gestorum Benedicti antiquus auctor c Philippum in crimen adducit, illum magis consilia ad bellum Anglicum, quam ad Asiaticum, cui se deuouerat, conuertisse: *Quia*, inquit, *dictum passagium non habuit effectum, dictus Benedictus Papa concessionem decimarum huiusmodi reuocauit: propter quod dictus Rex ad ipsum venit personaliter cum filio suo primogenito Ioanne duce Normanniæ, causa ipsum visitandi circa reuocationem prædictam: sed satis cito demum contigit, quod dictus Rex occupauit, seu ad manum suam recepit ducatum Aquitaniæ, cuius superioritas seu dominium ducatus ad ipsum spectabat, tenebaturque in feudum ab ipso per Regem Angliæ, qui tunc ipsum pro maiori parte possidebat. Cuius occasione fuit orta guerra inter ipsos Reges, videlicet dominum Philippum Regem Franciæ & Odoardum tunc Angliæ Regem: propter quod dictum passagium vltramarinum conceptum & ordinatum per dictum Philippum Regem Franciæ, vt dictum est, potissime fuit impeditum & turbatum; nam idem Philippus voluit plus intendere ad dictam guerram prosequendam, quam ad dictum passagium faciẽdum, suspicans & verisimiliter dubitans, quod si ipse se a regno suo tam in longinquum absentaret, dictus Angliæ suus inimicus regnum suum inuaderet & damnificaret. Et sic reuocatio prædicta in suo robore permansit.*

Monitus Phil. ne alienis bellis se implicet.

c Vita Ben. auctor apud Bosq.

Occupata Aquitania.

Cum vero pax inter Reges lædi cœpisset, ad redintegrandam concordiam Pontifex Philippum e Cambarlhaco apostolicum nuntium x. kal. decembris ad illos legauit a, quos grauissimis sententijs ad pacis consilia inflectere nisus est b: tum præcipue Eduardum c iratum mulcere, atque hortari vt Robertum Atrebatensem d, qui ipsum continuis adhortationibus ad bellum incendebat, Richemundiæque comitatu ab eo auctus fuerat e, a sua familiaritate segregaret. Præterea Philippam Angliæ Reginam, et Ioannem archiepiscopum Cantuariensem, vt Regem ad pacem adducerent, solicitauit f. Hæc erant ad exoriens bellum inter Anglos et Gallos, quo nullum diuturnius et funestius rei Christianæ emersit, sopiendum Benedicti studia: quæ in alijs etiam regnis ad pacem reuocandis emicuere.

Legatio ad Reges pro concordia missa.

a To. 2. ep. secr. 311 ad 322. b Ib. ep. 317. 318 c Ib. ep. 320. d Super ep. 318. & seq. e Thom. Vvals. in Eduar. II. f To. 2. ep. secr. 321 322.

47 Cum igitur Francorum Rex Pontificem rogasset, vt Aragoniæ ac Balearium Reges ac Genuenses bello implicitos conciliaret, non defuit ea in re pontificia cura g; Catalanos enim est adhortatus, vt rapta Genuensibus restituerent. Inter illos vero Friderici Regis Trinacriæ opera pactæ induciæ h; suspectæ admodum, cum is hostis esset ecclesiæ, ac Genuenses nuper a Roberto Rege ecclesiæ coniunctissimo defecissent, in quos cum memoratus Robertus bello se accingeret, Philippum vt regiam operam ad eos in cõcordiam, adducendos admoueret, hortatus est Benedictus i. Explicuit etiam pontificiam diligentiam, vt ciuiles Aragoniæ motus sub nouo Rege exortos componeret. Successerat l Petrus Alfonso parenti, quem Mariana m vt iustum, pium, moderatum principem commendat, Benigniq; cognomen illi inditum ait. Errat vero vna cum Surita n, dum eius mortem vigesimo quarto ianuarij huius anni die collocat; antea enim extinctum ex Petri successoris diplomate constat, quo oratores instituit, vt Sardiniæ & Corsicæ regnum Pontifici solemni ritu acceptũ referrent, qua de re Baronius his verbis meminit o: *Quo etiam anno*, hoc nimirum, *ipse Petrus de Aragonia accepit inuestituram de regno Corsicæ & Sardiniæ, iurans Romano Pontifici fidelitatem, & faciens homagium. Extat diploma de ijsdem in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ* p. Extat idem in M.S. pergameno Vallicellanæ nostræ bibliothecæ Petri Regis literæ, quibus professus est, auum Iacobum Regem Sardiniæ & Corsicæ regnũ a Bonifacio VIII. iure beneficiario accepisse, illique clientis more fidem astrinxisse: Alfonsum quoque Regem coram patriarcha Alexandrino sedis Apostolicæ liberalitate traditũ agnouisse, iuraſſeque in Romani Pontificis verba: se pariter, acceptis paternis regnis, e legibus donationis ad sedem eandem adeundam, vt fidem Benedicto clientis nomine addiceret, obstrictum esse: pontificia tamen benignitate itineris labore solutum ea lege, vt excurrente insequenti anno ipse coram Pontifice clientelarem sponsionem præstaret, atque interea oratores mitteret, qui regio nomine illam ex contenta in subiectis literis formula exhiberet, omniaque pacta Bonifacium VIII. in-

Alfonsi Regis Arag. mors.

g Ib. ep. secr. 10. h Ib. ep. 11 i Sup. ep. 10. l Sur. l. 7. c. 27. Mar. l. 16. c. 4. m Mariana de sup. c. 4. n Sur. l. 7. c. 34. o Bar. in not. M. S. ad ann. 1336. Sur. l. 7. c. 36. p Extant in lib. priu. Rom. eccl. to. 3. pag. 319. & inter collect. Plat. to. 2. pag. 271. et in M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 346.

Succedit Petrus filius in Arag.

Et in Sardiniæ & Corsicæ regnis. Extracta illi dies pro clientelari sponsione præstan.

inter & Iacobum Regem conuenta confirmarent.

48 *Vniuerſis, etc.* Nouerint vniuerſi, quod nos Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Valentię, Sardinię & Corſicæ, comeſq; Barchinonię, conſiderantes quod tempore donationis & conceſſionis, per felicis recordationis dominum Bonifacium Papam VIII. illuſtriſsimo domino Regi Iacobo claræ memoriæ auo noſtro & ſuis factæ in feudum de regno Sardiniæ & Corſicæ, idem dominus Rex

Petri Regis lit. de ſupremo eccleſiæ in Sardiniam iure.

præſtitit perſonaliter plenum vaſſallagium, fidelitatem, et ligium homagium, ac iuramentum dicto domino Papæ iuxta continentiam reſcripti apoſtolici de ipſa donatione confecti ex cauſis in eo conſcriptis; et poſtmodum ipſe dominus Rex per procuratores ſuos et nuntios ſpeciales iuramentum, fidelitatem, plenum vaſſallagium, et ligium homagium prædicta renouauit, fecit, et præſtitit alijs Romanis Pontificibus, qui dicto domino Papæ Bonifacio in apoſtolatus præeminentia ſucceſſerunt; et ſubſequenter ſereniſsimus dominus Rex Alfonſus bonæ memoriæ pater noſter

Vt Iacobus Rex clientis præſtiterit officia.

ſucceſſor dicti domini Regis Iacobi prædictum iuramentum, fidelitatem, plenum vaſſallagium, & ligium homagium, quæ domino Ioanni felicis recordationis Papæ XXII. perſonaliter ſecundum formam dictæ donationis facere tenebatur, fecit & præſtitit perſonaliter domino Ioanni bonæ memoriæ patriarchæ Alexandrino patruo noſtro, recipienti nomine & vice dicti domini Papæ Ioannis, qui hoc ipſi domino patriarchæ cum ſpeciali ſuo reſcripto commiſit; deinde etiam

Ita etiam Alfonſus exhibuerit.

antefatus dominus Rex Alfonſus genitor noſter per procuratorem ſuum & nuncium ſpecialem iuramentum, fidelitatem, plenum vaſſallagium, & ligium homagium prædicta renouauit, fecit, & præſtitit ſanctiſſimo in Chriſto patri & domino, domino Benedicto, qui dicto domino Papæ Ioanni in apoſtolatus præeminentia noſcitur ſucceſſiſſe; attendentes denuo, quod licet plenum vaſſallagium, fidelitatem, & ligium homagium, & omnia alia ſupradicta nos teneamur ſecundum conditiones in dicto reſcripto conſcriptas perſonaliter renouare, facere, & præſtare dicto domino Papæ Benedicto; quia tamen dictus dominus Papa Benedictus ad ſupplicationem noſtram dictum iuramentum, fidelitatem, plenum vaſſallagium, & ligium homagium ſupradicta hac vice per procuratorem ac ſpecialem nuntium noſtrum recipere conceſſit, ita tamen, quod nos infra annum ſequentem teneamur ſub forma ſubſcripta perſonaliter facere illud idem, vt relatione dilecti militis & conſiliarij noſtri Ioannis Roderici de Moros, quem

Inſtituti ad eadem repetenda oratores.

pro his & alijs ad ſacrã eius præſentiam nuper deſtinauimus, extitimus informati; idcirco nominamus, facimus, ordinamus, & loco noſtri conſtituimus procuratores noſtros nuncios Berengarium de Vilariccuto, Arnaldum de Moraria conſiliarios noſtros, & Albertum de Talliata militem, & quemlibet eorum in ſolidum, &c.] Inſtruit ampliſsimis mandatis, vt ex concepta ſolita forma, quam ſuis aute locis inſeruimus, Sardiniam & Corſicam Iacobi nomine pontificiæ beneficentiæ dictas referant, & pactiones ſancitas a Bonifacio VIII. firment; tum diploma apoſtolicum de beneficiario eo regno tradito eliciant. Quæ literæ ſubiecta loci & temporis nota conſignatæ: *Datum Valentiæ* VI. *id. ianuarij anno Domini* MCCCXXXVI. Profeſſus a eſt etiam Iacobus alijs literis datis Valentiæ ipſis idibus ianuarij

a Ext. in lib. priuil. Rom. eccl. tom. 3. pag. 105.

huius anni, apoſtolicæ ſedis liberalitati Sardiniam et Corſicam ſe acceptas retuliſſe, ac Bonifacianum diploma, *Super Reges & regna*, inſeruit.

49 Adire ſedem Apoſt. non potuerat Petrus Rex, cum regni eius exordia inteſtinis diſſenſionibus turbida eſſent, externique etiam belli terror immineret. Crearat a Alfonſus Rex Iacobum filium minorem ex priori coniuge Vigelitanum principem, ac liberis, quos ex Elionora Regina ſuſceperat, amplos principatus reliquerat: cumque inde inter Petrum Regem et Reginam Elionoram ſimultates eſſent ortæ, Benedictus vt diſcordiam extingueret, Beltraminum b electum Theatinum, et Henricum de Aſte canonicum Ambianenſem cauſarum ſacri palatij auditorem nuntios apoſtolicos miſit, vt Regem ipſum cum eadem Elionora Regina ac liberis, eorumque tutore Petro Exericæ principe Alfonſi Regis defuncti fratre conciliarent: ac ſi ipſos adducere blandis monitis in concordiam non poſſent, inducias pontificio nomine indicerent c. Petrum etiam Aragonum inter & Alfonſum Caſtellæ Reges, qui ad vindicandã ab iniuria priuigni ſororem in bellum trahebatur, violatum fœdus redintegrarent d; vel ſi pax confici facile non poſſet, armis temperare iuberent e.

Turbæ in Aragon.

a Sur. l. 7. c. 34.

Internuntij in Arag. miſſi.

b To. 2. ep. ſecr. 391.

c Ib. ep. ſecr. 392.

d Ib. ep. 393.

e Ib. ep. 394.

Adductus eſt in inuidiam excitatæ eiuſmodi diſſenſionis Petrus e Luna archiepiſcopus Cæſarauguſtanus f, ad quem belli paciſque conſilia in Aragonia Petro Rege puero referebantur; increpituſque a Pontifice eſt, hæc aliena ab archiepiſcopali munere, cum pacis ſtudia colere deberet: animaduerteret Petrum Regem in annis teneris bellicis artibus inſtructum non eſſe: ab ærario imparatum, vt cum Rege Caſtellæ ſigna conferat: imparem illi viribus ac potentia: plures Aragonios ex veteribus conſuetudinibus ſine perfidiæ & periurij nota in eum arma non correpturos: bellum crudeliſſimũ ac periculis plenum futurũ: huic vacare archiepiſcopum grege ſuo neglecto, ab officio abhorrere: turpiſsimũ etiam videri, Reginam Elionoram ac liberos ad extremã inopiam redigi; tum ſubiecit: *Nos autem, qui præfatum Regem Aragonum vaſſallum noſtrum & eccleſiæ ſincere diligimus, quod ſic ducatur in præcipitium, & domus ſua regia ſubuerſionis ſubiaciatur periculis, non intendimus, quantum in nobis fuerit, tolerare: ſed ſi circa hoc, quod tangit prædictos Reginam & liberos, aut quantum ad donationes, ſi exceſſiuæ ſint forſitan, vel quæuis alia moderandum fuerit aliquid, vel ſecundum æquitatem & iuſtitiam reformandum, parati ſumus & erimus, ſi & quando & prout expedierit, interponere ſolicitudinis noſtræ partes.* Denique ſubdit, cum morem in Aragonia ſuſceptum acceperit, vt in rebus dubijs magnatum conſilium habeatur, flagitare vt componendæ huius controuerſiæ cauſa ordinum conuentus celebretur, ac legatis ad reuocandam concordiam ſtudia ſua impendere iubet. Quibus literis 11. non ianuarij huius anni dies aſcripta eſt.

f Ib. ep. 390.

Corripitur a Pontifice.

Concordiæ interpretem ſe Pont. exhibet.

Ordinum conuentus celebrari flagitat.

50 Intentatum Petro e Luna archiepiſcopo Cæſarauguſtano apud ſedem Apoſtolicam iudicium refert Surita g: & quamuis Petri Regis nomine ab oratore plures excuſationes querelis & minis immixtæ ad illud declinandum afferrentur, ſiſtere tamen ſe ad dicendam cauſam pontificijs & Cardinalium ſubſellijs coactum, cum in crimen non conciliatæ concordiæ vocaretur h. Solicitatus vero eſt Petrus Exericanus princeps, vt pacis conſilia amplecteretur i: ad quæ etiam

g Surit. lib. 7. cap. 36.

h cap. 38.

i To. 2. ep. ſecr. 389.

Elionoram Reginam hisce literis adducere est conatus a.

Regina Elionora ad pacem solicitata, a To. 1. ep. secr. 388.

Elionoræ Reginæ Aragonum illustri.

Suscitata, procurante hoste antiquo humani generis, satore discordiæ, cunctorumque incentore malorum, inter charissimum in Christo filium nostrum Petrum Regem Aragonum illustrem ex vna parte, ac te, filia charissima, & inclytos tuos & claræ memoriæ Alfonsi Regis Aragonum liberos, ac dilectum filium nobilem virum Petrum dominum de Cherica tutorem ex altera diséſio, tanto nobis displicibilior redditur, quanto maiora pericula et scandala secum trahit. Ex ea siquidem status domus Aragonum commoueri & turbari pacificus dicitur: et non solum inter Regem & tutorem prædictos, immo etiam inter ipsum Regem charissimum in Christo filium nostrum Alfonsum Regem Castellæ illustrem hostilium congressuum, et guerrarum commotiones et fremitus dicuntur periculose nimium suscitari. Nos igitur, etc.] Significat se ex apostolico munere ad auertenda innumera, quæ inde erumperent mala, pontificias partes conferre statuisse, ac memoratos superius internuntios, vt dissentientes ad pacem adducant, mittere, quorum consilijs obsequi Elionoram ipsam iubet. *Dat. Auin. non. ianuarij anno secundo.*

Auertendi inter Arag. & Castell. belli curæ pontificiæ.

51 Excitauit alijs literis ad concordiam Petrum Regem b, ne viduam nouercam ac pupillos armis infectaretur: tum illi egregia maiorum exempla imitanda proposuit, qui inter cætera viduarum & pupillorum patrocinium suscepere, neque quidquam grauioris momenti sine ordinum regni consilio aggredi consueuissent.

b Ib. ep. 386. Monita Petro Regi data,

Benedictus, &c. Petro Regi Aragonum illustri.

Si gesta claræ memoriæ prædecessorum tuorum Regum Aragonum laudabilia recensueris, & diligenter reuolueris intra præcordia mentis tuæ, ad eorum imitanda vestigia, vt credimus, operosis studijs curabis dirigere actus tuos. Ipsi quidem, sicut habet antiquorum narratio digna laude, pacis & iustitiæ, ac libertatis ecclesiasticæ amatores, nutrita & seruata concordia, pacis & vnitatis in domo propria, defensores pauperum, pupillorum, orphanorum, & viduarum & aliarum personarum miserabilium extiterunt; seque pro defensione ac dilatatione fidei catholicæ aduersus hostes eiusdem intrepide reddiderunt pugiles & athletas. Adhibebant insuper probos viros regnorum & terrarum suarum, maturitate discretionis conspicuos, fidelitate probatos, & expertos in agendis & negotijs sibi assistentes & consiliarios; quorum consilijs & directionibus vtilibus adhærebant. Et dum ardua emergebant negotia, pro quibus erat solemnius consilium requirendum, prælatos, barones, comites, & alios probos viros, de quibus videbatur expediens, prout est de more illarum partium, ad celebrandum super emergentibus huiusmodi sanum & tutum consilium, conuocabant, &c. [Subijcit quantum sibi dolorem exortum inter ipsum, ac fratres, Reginam Elionoram, Petrumque patruum principem, & Castellæ Regem fœderatos bellum attulisset; vtque his occurrat malis, consulit vt patruos, erga ipsum ob sanguinis coniunctionem bene affectos, in consilium adhibeat, conuocetque regni primarios viros ad controuersiam componendã: a recto & decoro abhorrere, vt fratres hereditarijs bonis spolientur, vel Regina Elionora dote careat: at si donationes extra modum fuerint, æquitate temperandas videri, atque ad pontificias in ea re partes admouendas se paratum fore; proponit demum impendentia discrimina.]

Proposita maiorum exempla,

Coloendos esse coniunctissimos eum docet.

Præterea non est omittendum attendere, periculosum esse tibi, fili, quamplurimum, cum Rege supradicto Castellæ, considerata potentiæ suæ magnitudine, confligere; ac etiam quia iuxta confœderationes seu exnaturationes, olim inter tuos & suos prædecessores initas, tui subditi te non possent iuuare forsitan licite contra eum, &c. *Dat. Auin. 11. non. ianuarij anno 11.* Admonuit paucis interiectis diebus eundem Regem Pontifex a, vt communes amicos ad pacem iungendam asciscendos curaret. Denique ne vllas optimi parentis partes Benedictus prætermitteret, viciſſim Alfonsum Castellæ Regem exorauit b, vt pacem cum Petro Rege induciasque firmaret, inter nuntiorumque Apostolicorum monitis animum flecteret.

Non suscipiendum cum Castellano bellum.

a To. 2. ep. secr. 387.

Alf. Castellanus de pace postulatus.

b Ib. ep. secr. 384.

52 Non Elionoræ modo Reginæ clientelæ suscipiendæ causa in bellum aduersus Aragonios trahebatur Alfonsus Castellæ Rex, verum etiam e leui causa cum Philippo Rege Nauarræ bello se implicuerat c: quod cum maiora exitia minitaretur, pontificiorum internuntiorum opera sedatum est. Quo argumẽto ad Rhemensem archipræsulem de re bene gesta extãt gratuiatoriæ literæ, d

c Marian. l. 16. c. 4.

d To. 2. ep. secr. 46

Ioanni archiepiscopo Rhemensi.

Fraternitatis tuæ literas, tractatus pacis ordinatæ inter charissimos in Christo filios nostros Castellæ & Nauarræ Reges illustres pridem periculose nimium inuicem dissidentes nuntias, recepimus læta manu: & tam earum quam rotuli cum eis transmissi, formam tractatus huiusmodi seriosius exprimentes, tenoribus diligentius intellectis, tuam & aliorum, qui laborasse noscuntur circa hæc, diligentiam multipliciter in Domino commendamus, ea quæ pro exuberantia & solidatione pacis huiusmodi per nos honeste cum Deo fieri poterunt, paternis affectibus offerentes. Porro si sequestrum fiendum de castro illo, cuius occasione, sicut scripturæ tuæ habebat series, suscitatæ fuerunt hactenus dissensiones & guerræ, in manibus nostris & Apostolicæ sedis ad tollendas quarumuis dissensionum occasiones vel materias, quæ negotium pacis huiusmodi turbarent vel saltem exasperarent fieret, satis expediens videretur, &c. *Dat. Auin. XII. kal. aprilis anno 11.* Assenserat pacis consilijs Castellanus, cum vereretur, ne Mauri, vt propositum e ipsi fuerat a Pontifice, ad excursiones in Castellam agendas nouas vires colligerent, neue regnum multis factionibus discissum in maiores tumultus concitaret: erant enim plures proceres ab eo abalienatis f animis, atque inter cæteros conspicui dignitate Ioannes Lara & Emanuel, quos Alfonsus Rex Lusitaniæ tuendos suscepit. Promouit Lusitanus ad Castellæ limites castra: sed leui prælio repressus in regnum se recepit.

Sedatum Nauarræ cum Castellano bellum.

e Ib. ep. 14

f Marian. l. 16. c. 4. Ciuiles in Alfonsum motus.

53 In Italia noua ex veteribus bella exoriebantur. Mastinus enim Scaliger g superiorum successuum felicitate elatus, cum Veronam, Patauium, Vicentiam, Taruisium, Brixiam, Feltrum, Belunum, Parmam, Mutinam, Lucam, suæ seruituti subiecisset, ac pene Regem ageret, Etruriam etiam reliquam affectauit. Cui Florentini asserendæ libertatis ergo fortiter se opposuere, confertaque tumultuaria cum eius ducibus pugna, de qua agit Ioannes Villanus h, victoriam re-

scaligeri potentia ingraueſcit.

g Io. Vill. l. 11. c. 45. & 50.

h Eod. l. 11. c. 51.

retulerunt, quibus Benedictus hiſce literis eſt gratulatus. a

a To. 2. ep. ſecr. 301.

Dilectis filijs prioribus artium, vexillifero iuſtitiæ, populo, & communi ciuitatis Florentinæ.

Licet hoſtiles abhorreamus incurſus, in eis ſtrages hominum & animarum pericula formidantes, præſentatæ tamen nobis deuotionis veſtræ literæ veſtrorum felicitatem ſucceſſuum in obtenta præſertim ijs diebus de hoſtibus, qui ad veſtrum excidium diris conatibus aſpirabant, victoria nuntiantes, aduenerunt nobis in exultationis augmentum, veriſimiliter arbitrati dexteram iuſti iudicis feciſſe virtutem, dum vos deuotos matris eccleſiæ filios, qui eius beneplacitis ſinceris affectibus adhæretis, non permiſit ab eiſdem hoſtibus deprimi; ſed ipſos potius, eorũ humiliata *, ſicut prædictarũ literarũ veſtrarum deſcribit ſeries, in manibus veſtris ſeu veſtrorum concluſit. Sane, filij, quia bellorum euentus non ex ſtrenuitate humana, ſed ex potentia diuina dependet, & in illius, qui docet manus ad prælium & digitos ad bellum, diſpoſitione conſiſtit; veſtræ prudentiæ ſuademus, vt huiuſmodi conceſſam vobis victoriam diuinæ dumtaxat virtutis potentiæ cum humilibus gratiarum actionibus aſcribatis, de nobis fiduciam habituri, quod vos velut deuotos & prædilectos filios gratioſis fauoribus, prout ſecundum Deum poterimus, proſequemur. *Dat. Auin. III. kal. octobris anno* 11.

Parta de eo a Florent. victoria.

*ſuperbia.

Grauiſſimum bellum in eum comparatum.

54 Ad diſtrahendas hoſtis vires Florentini ſocios vndique ſibi conciliare niſi ſunt ac demum armorum coitionem in illum cum Venetis b, fœduſque redintegrarunt c cùm Roberto Rege Siciliæ, pluribuſque alijs populis. Ne vero Maſtinus, qui omnia ad ſuam amplitudinem referebat, terras eccleſiæ inuaderet, Florentinorum cum Venetis fœdus Pontifex d laudauit, ac Bertrandum patriarcham Aquileienſem monuit e, vt Florentinis Venetiſque aduerſus tyrannos Veronenſes ſtuderet.

b Io. Vill. lib. 11. c. 49. Leonar Aret. l. 6. Ant. 3. p. tit. 21. c. 7. §. 3.

c Io. Vill. l. 11. c. 45.

d To. 2. ep. ſecr. 297.

e Ib. ep. ſecr. 174.

Bertrando patriarchæ Aquileienſi.

Pontifex fœderatis accedit.

Significauerunt nobis dilecti filij dux & commune Venetorum, quod ipſi ad obuiandum conatibus tyrannicis & peruerſis quorundam tyrannorum, qui terras & iura quædam Romanæ eccleſiæ, præſertim in marchia Teruiſina, occupata indebite, ac in noſtrum & eccleſiæ memoratæ præiudicium detinent; ac eiſdem duci & communi, necnon dilectis filijs populo & communi Florentino, noſtris & eccleſiæ prælibatæ deuotis, nocumenta inferre non leuia moliuntur, cum eiſdem Florentinis inierunt confœderationem, & ligam; nobis humiliter ſupplicantes, vt tibi, de quo hucuſque aliud, quam ſe laudare de te, ſicut eorum habet inſcriptio nequeunt, quod eis factiſque ſuis fauorabilis aduerſus eoſdem tyrannos exiſteres, iniungere dignaremur. Ideoque fraternitatem tuam rogamus, &c.] Hortatur cum, vt ad pacem cum Venetis conciliandam, Aquileienſis eccleſiæ integris illibatiſque iuribus, inclinet. *Datum apud Pontemſorgiæ Auinionenſis diœceſis* IV. *non. ſeptembris anno* 11.

Aquileienſis patriarcha ad idem fœdus adductus.

f Io. Vill. l. 11. c. 53.

g Id. ib. c. 45.

h Cap. 69 Bononienſes admoniti officij.

Geſtum menſe octobri in Scaligeros a Venetis & Florentinis fœderatis bellum in marchia Taruiſina refert, Ioannes Villanus f, ac nonnullas arces ab ijs expugnatas. Adducti in eandem armorum ſocietatem fuerant Bononienſes g, qui in priſtina adhuc rebellione perſtabant, mutuiſque ſe laniabant h diſſenſionibus: quos vt Benedictus ad eccleſiæ obſequium reuocaret, antequam alicuius tyranni ſe addicerent ſeruituti, ſubiectis literis mulcere ſtuduit a, ac Bertrandum archiepiſcopum Ebredunenſem A. S. N. ad eos tranſmiſit.

a To. 2. ep. ſecr. 305.

Benedictus, &c. communi Bononienſi ſpiritum conſi y ſanioris.

55 Quia ſalutem veſtram affectione paterna quærimus, voſque abiectis tenebrarum operibus induere cupimus arma lucis, diu ſicut noſtis expectauimus, vt veſtros graues exceſſus & culpas, quibus Deum & ſedem Apoſtolicam, non vitatis ſtatus & ſalutis veſtræ diſpendijs, multipliciter offendiſtis hactenus, conſiderantes & recognoſcentes attente, redire cum ſatisfactione decenti ad obedientiam & deuotionem noſtram & eccleſiæ curaretis. Et quia non ſolum id efficere omiſiſtis, ſed potius videmini benignitatem & manſuetudinem dictæ ſedis, quas vt præmittitur expectando, & plures dilationes vobis ſuper hoc concedendo, erga vos exercuit, deducere damnabiliter in contemptum (præſertim cum exceſſus addendo exceſſibus, & aggregando culpas culpis, interim non erubueritis ſedem præfatam offenſis & contumelijs afficere, ſicut diſplicibiliter ad nos perduxit inſinuatio) non ſufficimus admirari. Porro quamuis, his veris exiſtentibus, vos merito effeceritis amplioris gratiæ expectationis indignos; quia tamen erga vos adhuc pietatis paternæ viſcera claudere, viamque manſuetudinis, ſi celeriter ad huiuſmodi deuotionem & obedientiam vos, vt præmiſſum eſt, effectualiter diſpoſueritis, nequaquam in hac parte intendimus denegare; venerabili fratri noſtro Bertrando archiepiſcopo Ebredunenſi Apoſtolicæ ſedis nuntio ſcribimus, vt ad ciuitatem Bononienſem, prout commode poterit, ſe conferat, ſuper prædictis colloquium habiturus vobiſcum, &c.] Hortatur, vt ad officium redeant, ac ſi blanditias aſpernentur, iuſtitiæ ſeueritatem ſe in ipſos diſtricturum minatur. *Dat. Auin. II. kal. nouembris anno* 11.

De indigna contumacia obiurgati.

Trãſmiſſo ad eos internuntius.

56 Neque ad Romanæ modo eccleſiæ, verum etiam ad aliarũ eccleſiarũ iura defendenda, vel ex inuaſorum eripienda manibus defixit ſtudium Benedictus. Oppreſſerat Ioannes dux Brabantiæ grauiore iugo ſuæ ditionis eccleſiaſticos viros, qui non modo vectigalibus iniuſtis atterebantur, ſed interdum magno quoque religionis opprobrio trucidabantur; ex quo diuinus cultus exoleſcebat. His querelis permotus Pontifex, antequam ſeueritatem in ducem exerceret, paternis ipſum inſtruxit monitis b, quanta gloria ac felicitate fulſiſſent principes, qui eccleſiarum dignitatem aſſeruiſſent; hortatuſque eſt, vt viros eccleſiaſticos ab iniurijs vindicaret: *Sane*, inquit, *quia ſalutem tuam affectu paternæ charitatis appetimus, greſſuſque tuos cupimus ab inuijs cuſtodiri; nobilitatem tuam rogamus attentius & in Domino exhortamur ſano paternoque tibi nihilominus conſilio ſuadentes, quatenus conſideranter attendens quibus incrementis profecerunt hactenus deuoti principes eccleſiaſticæ libertatis amici, ſacroſanctam Dei eccleſiam in ſuis prælatis, miniſtris, & ſeruitoribus honorantes; quamque viliter & abiecte eciderunt, qui malignantes aduerſus ipſam eccleſiam, viam aliam ſeu deuium potius, eis Domino comminante per prophetam exterminium, ſunt ſecuti; hæcque ſtatuens & alia, quæ tibi poſſunt ſuper his occurrere, ante oculos mentis tuæ, prælatos & perſonas eccleſiaſticas, nec non eccleſias, monaſteria, & loca eccleſiaſtica in terris tuis prædictis cõſiſtentia defendẽdo ab iniurijs, violentijs, ac confouendo in ſuis iuribus & libertatibus,*

Eccleſiaſticus ordo in Brabantia oppreſſus.

b Ib. ep. 185.

Data Ioanni duci monita.

bus, sublatis præmissis, & alijs grauaminibus & oppressionibus indebitis, pro diuina & Apostolicæ sedis reuerentia, tuæque salutis obtentu studeas honorare. Dat. Auin. 11. kal. iunij anno secundo.

57 Hoc anno respirare cœpit a diuturna & difficili dissensione Moguntina ecclesia. Cum iam ante Balduinus archiepiscopus Treuirensis a Moguntino clero ad archiepiscopatus administrationem postulatus fuisset, Ioannes vero XXII. apostolica auctoritate Henricum illi præfecisset, grauissima inde exarserant dissidia, repetitæque etiam in Balduinum, obtemperare detrectantem, a Ioanne sententiæ. Qua occasione abusos pseudominoritas vidimus, vt Balduinum a Ioanne abalienatum in schisma & hæresim pertraherent. Quorum venenatos afflatus magna laude repulit idem Balduinus: cumque ab aduersario Henrico vrgeretur iudicio apud pontificium tribunal, lite cessit. At mox tentauit iterum deprecatore Philippo Rege Francorum Moguntinum archiepiscopatum sibi asserere, cum gratia & auctoritate apud Pontificem Gallus floreret; cuius petita vti ab æquitate abhorrentia Benedictus respuit a, additis repulsæ rationibus, quæ totius litis causas nitide illustrant.

Balduinus lite Moguntini principatus cedit.

a Ead. to. 2 ep. secr. 190.

Benedictus &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

Vt veritatem negotij huiusmodi serenitas regia non ignoret, illius seriem succincte prouidimus tenore præsentium recensendam. Olim siquidem, adhuc bonæ memoriæ Matthia archiepiscopo Moguntino in humanis agente, felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster, cupiens ecclesiæ Maguntinæ, cum eam primo vacare contingeret, de pastore idoneo per sedem Apostolicam prouideri, prouisionem eiusdem ecclesiæ duxit ea vice sibi & sedi prædictæ specialiter auctoritate apostolica reseruandam, dilectis filijs decano & capitulo ipsius ecclesiæ ac quibusuis alijs, ad quos electio, postulatio, vel prouisio in eadem ecclesia quomodolibet pertineret, ne ad electionem, postulationem, vel aliam prouisionem quamcumque in eadem ecclesia, cum primo illius immineret vacatio, faciendam procederent districtius inhibendo, ac decernendo ex tunc irritum & inane quidquid contra reseruationem, & inhibitionem huiusmodi contingeret per aliquem vel aliquos attentari.

Deprecatore Gallo eum sibi iterum asserere nititur.

Nitida totius controuersiæ historia.

Vt reseruatũ fuerit sedi Ap. renunciãdi archiepiscopi ius.

Subsequenter vero eodem Matthia archiepiscopo Maguntino, sicut Domino placuit, viam vniuersæ carnis ingresso, prædecessor noster præfatus cum fratribus suis S. R. E. Cardinalibus; de quorum numero tunc eramus, super prouisione prælibatæ ecclesiæ facienda deliberatione præhabita diligenti, de persona venerabilis fratris nostri Henrici archiepiscopi Maguntini ecclesiæ memoratæ de consilio fratrum eorundem prouidit, eumque illi præfecit in archiepiscopum & pastorem. Sed cum idem archiepiscopus Maguntinus bonorum spiritualium & temporalium suæ ecclesiæ Maguntinæ administrationem vellet suscipere ac gerere, vt debebat & pertinebat ad ipsum, supradictus archiepiscopus Treuerensis (qui post & contra reseruationem & decretum prædicta per aliquos canonicos dictæ ecclesiæ Maguntinæ postulatus in archiepiscopum ipsius ecclesiæ dicebatur, propterea se in archiepiscopatũ Maguntinum intruserat, bonaque occupauerat, & occupata indebite, ac in suæ detrimentum salutis animæ contra sanctiones canonicas detinebat prædicta) nequaquam permisit, sicut nec adhuc permittit, sæpefatum Maguntinum archiepiscopum administrationem suscipere ac gerere supradictam: quin potius occupationem ipsam vtique pernicioſam & tyrannicam longo tempore continuauit & continuat, percipiendo fructus, redditus, & prouentus archiepiscopatus prædicti, seque in administrandis, vel potius vsurpandis, & gerendis ibidem his, quæ ad pontificale spectant officium, quamuis nulla sibi super hoc facultas suppetat, damnabiliter immiscendo: quæ in diuinæ maiestatis offensam, dictæ sedis contemptum & contumeliam, suæque periculum animæ, & archiepiscopi Maguntini prædicti, pro quo tres sententiæ definitiuæ latæ fore noscuntur in Romana curia super his, grande præiudicium & notoriam iniuriam, ac plurimorum scandalum, redundare dubium non existit.

Balduinus se postulari curarit.

Henricum Ioãnes præfecerit Moguntiæ.

Inuaserit vectigalia archiepiscopalia

Trina in eum lata sit sententia.

58 Cumque pridem de mense iunij proxime præteriti diu, antequam literæ regiæ peruenissent, pro parte sæpefati archiepiscopi Maguntini, coram nobis & fratribus nostris in consistorio proposito negotio supradicto, fuisset nobis super exhibenda iustitia instanter & humiliter supplicatum; nos & fratres prædicti diligentius attendentes, quod prælibatus archiepiscopus Treuerensis benignitatem & mansuetudinem Apostolicæ sedis prædictæ, quæ ipsum tam præfati prædecessoris nostri, quam nostro tempore diutius abstinendo a processibus aduersus eum faciendis expectauit, vt suæ in hac parte saluti & famæ, a tam pernicioſis & dãnatis temeritatibus resiliẽdo, cõsuleret; præsertim ad memoriam reuocans, quod contra reuerentiã & obedientiã, quibus Rom. ecclesiæ astrictus existit, & etiam proprium iuramentum, per eum in sua promotione præstitum, offendendo & transgrediendo sacros canones manifeste, in prædictis & circa ea egit & agit, deducebat & deduxerat damnabiliter in contemptum; quodque, prædictis omnibus in considerationem adductis, aures non poteramus claudere, nec iustitiam, super qua exhibenda instanter requirebamur, vt præmittitur, absque Dei offensa & læsione conscientiæ denegare; certos in eodem consistorio, exacta deliberatione cum ipsis fratribus præuia, processus ordinauimus fieri, non solum exigente iustitia, sed cogente. Quare, fili charissime, si ab huiusmodi processibus tam mature tamque solemniter in consistorio, vt præmittitur, ordinatis sacrosancta Romana ecclesia omnium mater fidelium & magistra, sic viliter & grauiter remanente per præfatum Treuirensem archiepiscopum vilipensa, tamque grandi, notoria, & scandalosa iniuria rigore iustitiæ non repressa, desistere non valemus, habeat nos, circumspectis prædictis omnibus, regia prouidentia, quæ iustitiam diligit, nec æquanimiter tolerare prædictæ ecclesiæ Romanæ offensas & iniurias consuenit, cum ea offensa tu velut benedictionis & gratiæ filius nequeas non offendi, quęsumus excusatos.] Addit sæpius qua prece qua minis tentatum Treuirensem, vt cœpto absisteret, ne edictis apostolicis feriretur; ac mirum videri, cum aliquorum Cardinalium opera archiepiscopatus Moguntini controuersis iuribus abiturum se vrgente Henrici procuratore obtulerit, tum regijs studijs ad illum retinendum anniti. *Dat. apud Pontemsorgiæ Auinionensis diœcesis* III. *non. iulij anno* II.

Noua in eum iudiciaria acta instructa sint.

Eorum terrore lite cesserit.

59 Deiectus spe sua Balduinus, cum ad ipsius vota Pontificem non frangi cerneret, nec Gallum Regem quidquam gratia potuisse, obiectaque anathematis religione vrgeretur, demum cui-

Repulsa Gallo obiecta.

cuilibet principatui obseruantiam in sedem Apostolicam anteferens, missis ad Benedictum oratoribus, controuerso iure abiuit, administrationemque ecclesiæ Moguntinæ, necnon arces, quas milite præsidiario munitas tenebat, pontificio arbitrio commisit, additis hisce literis a sui obsequij in ecclesiam testibus.

a Ext. inserta eris lib. cur. Bened an. 2. p. 2. pag. 16.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo, domino Benedicto sacrosanctæ Romanæ & vniuersalis ecclesiæ digna Dei prouidentia summo Pontifici, Baldewinus archiepiscopus Treuerensis cum omnimoda subiectione & reuerentia deuota pedum oscula beatorum.

Balduini Treuiren. ad Pont. literæ. *Matthiæ

Pater sanctissime. Cum, vacante alias ecclesia Moguntina ex obitu quondam * Matthæi eiusdem ecclesiæ archiepiscopi, ad instantes preces & continuum ad me recursum capituli dictæ ecclesiæ Moguntinæ, nec non nobilium & vassallorum ipsius, multiplicibus tribulationibus & incommodis grauiter & intolerabiliter oppressorum, de protectione seu gubernatione prædictæ ecclesiæ Moguntinæ solita amicitia motus ad eosdem, me intromiserim in eum (Deus nouit) affectum, vt mediante adiutorio ecclesiæ meæ Treuirensis & amicorum meorum ipsam ecclesiam Moguntinam, nobiles, vassallos, gentem, & possessiones eiusdem ab huiusmodi oppressionibus & incommodis releuarem; in quo Deo primum, deinde sanctæ Romanæ ecclesiæ gratum & acceptum sperabam obsequium exhibere, ac nihilominus vestræ sanctitatis gratiam hæc solicite prospiciens promererj; nunc autem certis intelligens indicijs, vestram sanctitatē in hoc deliberasse, vt gubernationem & protectionem ipsius ecclesiæ Moguntinæ ad manus sanctitatis vestræ ponam; de vestræ sanctitatis clementia nō immerito confisus, quod videlicet meo statui, ecclesiæ meæ Treuirensis, & ipsius ecclesiæ Moguntinæ prospicere debeat, ego tanquam deuotus sanctitatis vestræ filius, qui vestris & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ iussionibus semper & humiliter obedire volo, honorabilem virum Boemundum archidiaconum Treuirensem strenuum virum, Simonem Philippum de Regalibus de Pistorio dominum de Longoprato militem, & Rodolphum dictum Luse notarium meum exhibitorem præsentium meos procuratores & nuntios speciales ad pedes vestræ beatitudinis duxi humiliter transmittendos: dans eis vel duobus ex ipsis plenum mandatum, & liberam potestatem vestræ speratæ clementiæ meas & prædictæ ecclesiæ Moguntinæ vrgentes & ineuitabiles necessitates, ipsi ecclesiæ Moguntinæ & mihi grauiter imminentes, exponēdi, causas & motiua, quare ad gubernationem seu protectionem ipsius ecclesiæ Moguntinæ inductus fuerim, plenius explicandi vestræ sanctitati: super conseruatione status mei & honoris, & dictæ ecclesiæ Moguntinæ humiliter supplicandi, ac etiam ipsius ecclesiæ Moguntinæ castra, fortelitia, villas, oppida, iurisdictiones, & iura in manus sanctitatis vestræ ponendi & resignandi, aliaque meo nomine faciendi, quę circa hæc necessaria fuerint vel opportuna; ratum & gratum habiturus quidquid mei procuratores prædicti meo nomine egerint in præmissis sub rerum mearum omnium hypotheca; per ipsos & cum ipsis vestræ sanctitati humillima deuotione supplicans, quatenus me vestrum deuotum filium, ecclesiam meam Treuirensem, ac ipsam ecclesiam Moguntinam in vestris dignemini gerere visceribus charitatis: mihique, meo statui & honori, & ipsius ecclesiæ Moguntinæ iam dudum per me desideratis commodo & paci, pie pater, dignemini fauorabiliter prouidere. In quorum omnium euidentiam vestræ sanctitati præsentes literas, mei appensione sigilli communitas, duxi in futuri deuotionis constantia destinandas. *Dat. Treuiri anno Domini* MCCCXXXVI. *XII. die mensis nouembris.*

Vt præterita gesta excusarit.

Renūciat ecclesiæ Moguntinæ.

Decreti ob eo ad id oratores.

60 Redacto ad officium Balduino, Pontifex decreuit a apostolicos nuncios Guidonem e S. Germano Anicien sem & Nicolaum Capotiam, qui sedis Apostolicæ nomine restituendarum a Balduino arcium possessionem inirent: amplissimisque eos instruxit mandatis, vt renitentem ad id adigerent. Cum vero iam ante grauissima in Balduinum edicta tulisset, quæ ad Henricum archiepiscopum Moguntinum transmiserat, eidem Henrico præcepit b, ne illa euulgaret, sed pontificios oratores suo munere defungi sineret.

a An. 2. ep cur. 530. Missi Moguntiam a Pont. nuntij.

b Ibid.

Potitus postea principatu Henricus, pro beneficio atroces iniurias reposuit sedi Apostolicæ, a qua ipsum ob flagitia coitionesque cum Bauaro initas exauctoratum visuri sumus; suaque spe delusus est Benedictus, qui illum futurum Romanę ecclesiæ addictissimum putabat: quippe Philippo Regi consulenti, an fœdere Moguntinum sibi obstringeret, ne in hostium partes deuolaret, respondit non videri, cum tenues & afflictæ essent illius opes, & facile ab eo consilio abducendus esset c: *Etiamsi*, inquit, *ipse suum archiepiscopatum plenarie obtineret, non auderet, nec nos permitteremus eidem talia contra nostrum & tunm beneplacitum (præsertim vbi tu regnumque tuum, quorum salutem & statum zelamus prosperum, tangeremini) quomodolibet attentare: quod si facere præsumeret, opportunis remedijs super hoc coerceretur a nobis.*

Henricus pontificio studio euectus postea in hostem versus.

c To. 2. ep. secr. 190.

61 Hoc anno legauit ad sedem Apostolicam oratores Casimirus Rex Poloniæ, qui inter cætera flagitarunt a Benedicto, vt fœdera, quæ cum Ioanne Boemiæ & Carolo Vngariæ Regibus percusserat, auctoritate pontificia corroboraret: agerent de imminuendo censu eidē sedi Apostolicę a Polonis pendi solito: expostularent de cruciferis Liuoniæ equitibus, quibus perfidiæ notam in repudianda a Regibus arbitris pronuntiata sententia impingebat; nonnullos denique episcopos e suis sedibus ad alias traduci postularent. Cum quibus ita se gessit Pontifex, vt primum fœdus illud anno superiori firmatum (ex quo ad Ludouicum Bauarum Germaniæ correpto regno deturbandum illos conspirasse d, ex nonnullis auctoribus diximus: ex alijs e vero eosdem amicos & hostes habituros sacramento spopondisse) confirmare detrectarit f, cum in eo plura ab æquitate abhorrentia, ipsis exitialia Regibus, neque honori ecclesiæ consentanea reperirentur.

Polonici oratores ad sedem Apost. missi.

d Hagec. apud Chr. l. 12

e Bonfin. dec. 2. l. 11

f To. 2 ep. secr. 369.

Benedictus, &c. Casimiro Poloniæ Regi illustri.

Primo non videtur nobis, quod forma pacis inter te & chariſſimos in Christo filios nostros Vngariæ & Boemię Reges illustres initæ inuicem, quam nobis nūcius prędictus exhibuit, debeat esse grata, nec nobis & Apost. sedi accepta: cum super multis articulis exorbitare a rationis & æquitatis tramite, charitatique ac tuis honoribus & vtilitatibus obuiare plurimum videatur; nec super ligis & confœderationibus, in eadem contentis, nostris & sedis præfatæ honoribus & reuerentiæ in aliquo deferatur. [Quod ad censum sedi Apostolicæ soluendum a Polonis attinet; ostendit in

Fœdus inter Polon Boem. & Vngar Reges non laudatum

More positum, vt non a rusticis modo, sed oppidanis etiam, vrbiumque ciuibus penderetur] .

De censu Polonico.

Præterea super eo, quod dicebatur, habitatores & incolas regni prædicti teneri ad solutionem census annui ecclesiæ Romanæ debiti, qui denarius B. Petri vulgariter nuncupatur, in illis partibus, non per capita personarum, sed pro singulis domicilijs habitatorum & incolarum ipsorum; adijciebaturque illos habitatores & incolas, qui commorantur in ciuitatibus vel oppidis clausis & muratis, esse a solutione census huiusmodi liberos & immunes; nos, qui sic iura prædictæ Romanæ ecclesiæ illæsa seruari volumus, quod ius alterius propter hoc non lædatur, perquiri regesta ipsius ecclesiæ fecimus diligenter: & quia reperitur in eis, omnes eiusdem regni personas, non exclusis nec exceptis illis, qui degunt in eisdem clausis seu muratis ciuitatibus & oppidis, ad solutionem dicti census non per domicilia sed per capita personarum ipsarum teneri; decenter aliud, per quod eidem ecclesiæ Romanæ derogari posset, super iure huiusmodi absque læsione conscientiæ immutare non possumus, vel etiam innouare.

62 [Rogarat etiam Pontificem Casimirus, vt Vvratislauiensem & Cracouiensem episcopos sibi minus gratos ad alias sedes traduceret. Cui Benedictus respondit, non esse moris sedis Apostolicæ, episcopos sine magnis causis ad alias ecclesias transferre. Cumque quereretur Rex, crucigeros equites pacis inter Polonos & ipsos conciliatæ leges respuere; mirari se admodum subdit, cum illi in ipsum Regem culpam repudiati fœderis deriuarent: cum vero mutuo fœdere omnes Christianos, ac maxime principes, coniungere cupiat, paratum se ad pontificiam auctoritatem ad fœdus illud sanciendum adhibendam; tum hæc addit.]

Episcopi ad alias sedes non transferendi nisi gravi de causa.

Denique quia sacra teste scriptura, *sapiens filius latificat patrem*; de te, fili chariſſime, lætamur admodum in Domino, quod sicut fama celebris ad nos vsque perduxit, tu beneplacitis Regis pacifici & excelsi per actus virtuosos & laudabiles te coaptans, & Rex appellari desiderans a regendo, in regno & terris tibi subditis, repressis & correctis malorum & peruersorum insolentijs, bonum pacis & iustitiæ facis coli. Verum attendentes, quod huiusmodi opera tua, grata vtique iusto & æterno Iudici, gratiora & acceptiora eidem, tibique magis meritoria reddentur proculdubio apud eum, si honorare ipsum studueris in sancta ecclesia sponsa sua; serenitatem rogamus regiam, & in Domino attētius exhortamur, quatenus eandem ecclesiam in prælatis & personis ecclesiasticis regni sui prædicti sicut decuerit honorando, prælatos & personas eosdem in suis & ecclesiarum suarum manutenendis iuribus & libertatibus habeas pro diuina & Apostolicæ sedis reuerentia fauore regio cōmendatos: eos, nec non pauperes, pupillos, orphanos, & viduas, aliasque personas miserabiles ab oppressionibus indebitis defendendo, &c.] Subijcit, manere illum diuina & æterna præmia pro ijs pijs operibus, quæ diuini amoris intuitu explicuerit. *Dat. Auin. III. id. decembris anno secundo.*

Commendatus Polono ordo ecclesiasticus.

63 Ad tuendum ecclesiæ splendorem exercendus fuit zelus pontificius in nonnullos hypocritas, qui religiosa veste insignes ecclesiam impie oppugnare non perhorruerunt. Erant ij e Fraticellorum secta, qui nonnulla fidei dogmata, quæ Ioannes XXII. singulari sancti Spiritus præsidio, quod Petri successoribus in fidei definiendis controuersijs nunquam defuturum est, instructus statuerat, conuellere ac traducere vmbratilibus argumentis & canina obmurmuratione nitebantur, illius famam impudenter carpere non veriti, grassabanturque in Sicilia. Ad quorum effrænatam improbitatem retundendam Benedictus Robertum Regem solicitauit a, vt potentiam adhiberet.

Fraticelli Pontificis famam lacerant.

a To. 2. ep. secr. 189.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Roberto Regi Siciliæ illustri.

Habet fidedignorum assertio, nostri apostolatus auditui sæpius inculcata, quod quidam peruersi homines, se fratres de paupere vita, vel alijs nominibus appellantes, qui diuersorum colorum, seu petiarum variarum curtos & deformes gestant habitus, ab illis, quibus fratres ordinis Minorum vtuntur, plurimum discrepantes, cum eisdem fratribus Minoribus tam in monasterio vocato de corpore Christi Neapolitano, quam in diuersis alijs fratrum eorundem conuentibus ac diuersis locis alijs infra regnum & terras tua consistentibus, non absque multis periculis & scandalis, præsertim diuisionis & schismatis in prædicto suscitandorum ordine, cum diuersum modum viuendi ab eisdem fratribus Minoribus habeant, subesseque ipsorum prælatis & superioribus renuant, commorantur. Insuper aliqui ex eisdem superstitiosis hominibus errores disseminantes varios, & acuentes ad effundendum venenum, laxata labijs suis licentia temeraria, linguas suas, determinationibus & ordinationibus sedis Apostolicæ detrahere tam in secreto, quam in publico, memoriamque felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri ferire ac lacerare detractionis ictibus in multis regni & terrarum prædictarum partibus, tanquam detractores & susurrones præsumptuosi & temerarij moliuntur.

Inepta eorum hypocrisis.

Et temeraria impietas.

Sane, fili chariſſime, cum te, qui princeps existis catholicus, & erga sedem prædictam præcipuæ deuotionis & reuerentiæ fulgore clarere dignoscaris, tales homines pestiferos & nociuos, eorumque latratus, susurrationes, & detractiones huiusmodi non deceat nec expediat tolerare; regiam rogamus excellentiam, requirimus attentius, & in Domino exhortamur, quatenus varia pericula, quæ dictorum peruersorum hominum, quorum secta iamdudum per sedem præfatam extitit reprobata, mutua conuersatio prælibatis fratribus Minoribus ac eorum ordini propter ea, quæ præmisimus, & alia multa, quæ potest regia prouidentia circumspicere, comminatur; nec non quantam maculam in gloria serenitatis regiæ præfatorum superstitiosorum hominum tolerantia cum præfatis fratribus; seu in regno & terris prædictis poneret, deducens in regiæ considerationis examen; ipsos de dictis conuentibus repelli & amoueri procures, nec eos in regno & terris prædictis toleres, nec ab alijs tolerari permittas: sed potius qualiter de suis erroribus & præsumptuosis temeritatibus per prælatos & alios ad * pertinet, debite corrigantur, regium præstes auxilium, consilium, & fauorem; sic te fili dilectissime, super his habiturus, quod supradictis vitatis periculis, tua sincera deuotio exinde digne commendationis, & laudis præconijs attollatur. *Dat. Auin. VIII. kal. iulij anno* II.

Reprimi iubentur a Roberto.

* quos

64 Serpebat eadem pestis Fraticellorum in ditione ecclesiastica: ad quam extinguendam Pontifex Bertrandum b archiepiscopum Ebre-

b Ep. III.

du-

dunenſem apoſtolicum internuntium, Ioannem epiſcopum Anagninum pontificium in Vrbe vicariũ [a], Hugonem Augerij patrimonij, Rogerium e Vinito Campaniæ, Canhardum e Sabulano Piceni, Raimundum e Poiolijs ducatus Spoletani, & Guillelmum Arnaldi Æmiliæ præſides [b] incumbere iuſſit. Egerat quoque præcipites in ſchiſma & impietatem nonnullos pſeudominoritas partium ſtudium, & obſirmata pertinacia, qui ſentire cum Fraticellis, atque Ioannis XXII. conſtitutionibus detrahere, & eius famam diſcerpere calumnijs viſi: *Relatum eſt*, inquit Benedictus [c], *nobis quod quidam fratres ordinis Minorum, qui quondam Petro de Corbario (dum erat hæreſiarcha caput illius horribilis ſchiſmatis, quod tempore felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædeceſſoris noſtri extitit contra Deum, & ſedem Apoſtolicam fidemque catholicam attentatum) ac Michaeli de Cæſena dudum de hæreſi condemnato, nec non & Ludouico de Bauaria iniurioſo inuaſori regni Romanorum & imperij adhæſerunt, ſicut aſſeritur, in Anconitana marchia commorantes, ſtatuta vilipendere canonica, ordinationibus & determinationibus ſedis Apoſtolicæ mendaciter detrahere, memoriam eiuſdem prædeceſſoris denigrare ac dilacerare ſub murmurationibus temerarijs, & nonnulla alia verbis & factis, quæ fidei puritati catholicæ, boniſque moribus ſunt obuia, ſuoque ordini dedecentia, committere non verentur, &c.* In hos Benedictus fidei & iuſtitiæ ſtudio accenſus intendi iudicium, ac ſi illud declinarent, eoſdē vinculis mācipari [d] iuſſit.

Vocati etiam in ius [e] Franciſcus Camerinus, & Iacobus Firmanus epiſcopi, cum Fraticellis fauerent, atque in eorum diœceſi ſua illi conuenticula agerent. Dicta etiam dies Berengario Durādo pſeudominoritæ impoſtori [f], quiad emungendam ſtipem, propoſita a Pontifice indulgentiarum præmia daturis eleemoſynam Minoritis pro concione mentiebatur. Cumque in Auinionenſibus carceribus nonnulli ſacri eiuſdem ordinis pſeudoreligioſi detinerentur, Pontifex Guillelmum Lombardi eccleſiaſticarum cauſarum iudicem Auinionenſem in eos legum ſeueritatem, interque cæteros in eiuſdem familiæ capellanum pontificium, exercere iuſſit. [g]

65 Neque ſilentio prætereundum eſt, ſummum Dei vicarium ad reſtituēdum ſacris ordinibus religioſę diſciplinę ſplendorem apoſtolica adhibuiſſe ſtudia: vtque optimas Ciſtercienſibus [h] ſuperiori anno leges dederat, ita hoc ipſo Benedictinis [i] & Minoritis excolendæ monaſticæ vitæ formulas præſcripſit. Præterimus quæ ad Benedictinos ſpectant, cum in bullario [j] omnibus pateant. Quæ vero ad Franciſcana inſtituta pertinent [m], cum recondita ſint & digna luce, delibaui.

Benedictus &c. ad perpetuam rei memoriam.

Vt in ſacro Minorum ordine fratrum, quem ab olim geſſimus & gerimus in viſceribus charitatis, diuinorum officiorum ſacrificium, debitumque ſilentium, ciborum abſtinentia, ſanctimonia habitus obſeruentur; ſtudium quoque ſacræ paginæ in dicto ordine vigeat, & perſonis eiuſdem ordinis ad hoc aptis inſiſtendi diſciplinis ſcholaſticis commoditas miniſtretur, ac charitas Dei, ex qua virtutes cæteræ generantur, regnet & ferueat in cordibus eorundem, cæteræque laudabiles obſeruantiæ regulares ſic exemplariter luceant in eiſdem, vt ſint etiam alijs in recte viuendi ſpeculum, & imitandæ ſanctitatis exemplum; ad laudem Dei, et ſpiritualem profectum omnium militantium in ordine memorato infraſcriptas ordinationes, in dicto ordine auxiliante Deo perpetuis futuris temporibus obſeruandas, adhibitis nobis ad hæc quampluribus viris ſolemnibus, S. R. E. Cardinalibus, videlicet venerabilibus fratribus Petro Peneſtrino, Gaucelino Albanenſi epiſcopis, ac dilectis filijs Petro tit. S. Praxedis presbytero, ac Galhardo S. Luciæ in Silice & Bertrando S. Mariæ in Aquiro diaconis Cardinalibus; ac etiam venerabilibus fratribus noſtris Gotio patriarcha Conſtantinopolitano, & Iacobo epiſcopo Brixienſi, ac dilectis filijs Girberto S. Victoris Maſſilienſis, ac Guillelmo Montis Oliui Carcaſſonenſis diœceſis monaſteriorum abbatibus; nec non Geraldo generali, Henrico Franciæ, Ioanne Burgundiæ, Paſtore Prouinciæ, Petro Tuſciæ, nec non Pontio Carboneli Aragoniæ, ac Petro de Saxoferrato marchiæ Anconitanæ, Philippo quondam Mediolanenſi, Laurentio quondam terræ Laboris prouinciarum miniſtris, Nicolao de Hayo, Gualtero Chyaton, Guillelmo Bernardi de Podio, Antonio de Valentia, Fortanerio Vaſſalli ſacræ theologiæ magiſtris, ac Petro de Strata procuratore in curia dicti ordinis Minorum, eiuſdem ordinis profeſſoribus, prouidimus faciendas.

Qui ab eo ad id opus fuerint adhibiti.

66 In primis circa agendum diuinum officium in eodem ordine; auctoritate apoſtolica ordinamus, quod ante miſſam & horarum principia fratres dicti ordinis omnes, quos cauſa rationabilis non excuſat, ad chorum conueniant, præparaturi Domino corda ſua, ibique ſine diſcurſu, murmure, riſu, & abſque vagis & vanis aſpectibus ſub ſilentio, in pace, & cum debita grauitate permaneant, cantent, & orent, & vſque in finem vnanimiter perſeuerent. Quia vero cantus eccleſiaſticus, diuinæ laudis ſacrificium, fructuſque labiorum canentium non ſolum eorum, qui pſallunt, ſed etiam auditorum ædificatio eſſe debent; eoſdem fratres hortamur in Domino, vt diuinas laudes integre, attente, honeſte, ac religioſe perſoluant: geſtus leues, & cantus diſſolutos, ſeu fractos omnino declinent: tractim pſallant debito more: incœpta, quæ ſimul cantanda fuerint, ſimul continuent, ſimul pauſent. Ordinamus etiam quod in ſingulis ordinis prædicti conuentibus hora ſexta, ſicut aliæ horæ cum nota dicatur; &c. [Obiectæ ijs, quì contra tenderent pœnæ. Tum de ſilentio tenendo, de tyronibus diſciplina religioſa informandis, deque ieiunijs, plura ſancita. De veſtium autem forma & pretio inſtaurata Ioannis conſtitutio [a]: *Quorundam exigit*; ac rebelles coerceri iuſſi a Benedicto.]

De diuinis officijs.

Et pſallēdi modo.

Verum quia nondū, *inquit*, vt audiuimus, ceſſat temeritas ſeu præſumptio aliquorū fratrum eiuſdē ordinis, habitū & veſtes ſingulares & deformes portantium, vt præfertur; volentes eoſdem per pœnæ adiectionem a temeritate & præſumptione huiuſmodi ad communem ordinis obſeruantiam reuocare, præſentium auctoritate ſtatuimus, quod ſi qui eiuſdem ordinis profeſſores contra arbitrium, determinationem, ſeu iudicium miniſtrorum, cuſtodum, ſeu guardianorum, in ordine ſuo præſidentium, habitum, aut ipſorum habituum caputia, ſeu veſtes deformes, & veſtibus aliorum fratrum communitatem ordinis tenentium diſſimiles & difformes portare, aut quod fratres ordinis talibus vti deformitatibus teneantur, pertinaciter aſſerere præſumpſerint, niſi infra quindecim dierum ſpatium poſtquam

De cultu externo lex.

præ-

[a] To. 1. ep. ſer. 247.
[b] Ep. 148. ad 152. pſeudominoritarū impudentia.
[c] Ep. 112.
[d] lib. ep. 213.
[e] lib. ep. 216.
[f] Ep. 218.
[g] Ep. 31. & 349.
[h] Reformata a Bened. Minoritarum diſciplina.
[i] Ext. in bullar. in Ben. XII. conſt. 3.
[j] An. 2. ep. cur. 11. & M.S. bibl. Vat. ſign. n. 3988.
[l] Ext. in bull. in Ben. XII. conſt. 5.
[m] An. 2. ep. cur. 19.
[a] Extrau. Quorundam exig. de verb. ſign.

præsens nostra ordinatio ad eos peruenerit, a talibus insolentijs obedientes destiterint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua per generalem seu prouinciales in suis prouincijs ministros dumtaxat, satisfactione præmissa, possint absolui. [Adiecta alia de modo exeundi e monasterio, de muneribus non dandis, de studijs, edendisque in lucem libris. Tum de nefarijs opinionibus coercendis hoc decretum].

Decretū contra Fraticellorum sequaces.

67 Quia nonnulli dicti ordinis habitum religionis eiusdem gestantes, sed a puritate ac communitate ipsius recedentes, procurante satore malorum, sub simulata quadam sanctitatis specie damnatas per sacrosanctam Romanam ecclesiam hæreses dogmatizare, prædicare, defendere, & approbare præsumunt; suaque doctrina, & prædicatione sacrilega & peruersa, corda simplicium damnabiliter corrumpere & deprauare conantur districte præcipimus, vt contra tales & quoscumque alios dicti ordinis fratres, qui talia verbo vel scripto præsumpserint, sicut contra hæreticos debite procedatur; & contra fautores, defensores, & receptatores eorum procedi debeat iuxta canonicas sanctiones. Illos etiam, qui ausi fuerint doctrinam, positionem, vel opinionem per dictam ecclesiam reprobatam docere, prædicare, defendere, vel approbare, aut per eandem ecclesiam approbatam reprobare, animaduersione canonica decernimus puniendos. Districtius etiam inhibemus, ne quis fratrum dicti ordinis opinionem de fide vel moribus suspectam, aut per magistros sacræ theologiæ communiter reprobatam dogmatizare, prædicare, defendere, vel approbare præsumat; quibuscumque fratribus dicti ordinis, qui aliquem eiusdem ordinis sciuerint vel audiuerint talia facientem, in virtute sanctæ obedientiæ iniungentes, vt quam cito commode poterunt, prout ea perceperint, superiori ipsius debeant intimare: qui ante omnia ei districte præcipiat, ne talia recitet vel attentet, donec super eis plene veritas sit discussa; pro cuius discussione idem superior ad aliquod de vicinioribus studijs theologiæ festinet recurrere, & super his veritate comperta, fratri talia dogmatizanti, prædicanti, defendenti, seu approbanti, ac quibuscumque alijs fratribus ei in ijs fauentibus, vel eum defendentibus, prout culparum eorum qualitas seu præsumptuosa temeritas exegerit, de consilio discretorum fratrum loci præfati studij debitam pœnam imponat, & ad reuocandam cum effectu prædictam opinionem erroneam ipsos moneat & inducat. Quod si pertinaciter parere contempserint, nec a talibus desistere forte voluerint, eos de prædictorum consilio carceri mancipet, & detineri faciat mancipatos, donec efficaciter paruerint, & desiterint a prædictis. Et nihilominus prædictus superior de præmissis omnibus plenam & fidelem relationem faciat in primo subsequenti capitulo generali, in quo quid super eis faciendum fuerit, plenius ordinetur.

Contra erroneatum opinionum artifices.

Pendente apud sedē Ap. fidei cōtrouersia, quidquam definire vetitum.

Districtius inhibemus, ne postquam super negotio fidei quæstio seu dubitatio aliqua, super qua sint opiniones aduersæ vel diuersæ, deducta fuerit ad Apostolicæ sedis examen, quisquam ex tunc alterutram partem determinare, eligere, vel approbare præsumat, sed super ea sedis eiusdem iudicium, seu declaratio expectetur.

68 [Adiecta alia de librorum vsu, de donis & legatis, de precibus fundendis pro ijs, qui eleemosynas ac beneficia contulere, de sacramento ab ordinis præpositis nuncupando, cuius formula his verbis concepta fuit]. Ego frater . . generalis minister ordinis fratrum Minorum ab hac hora in antea fidelis ero S. Petro, sanctæque Romanæ ecclesię, dominoque meo domino Papæ, fuisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, nec in facto, vt vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi aut per se aut per literas aut per nuntium manifestabunt, ad eorum damnum nulli pandam. Vocatus ad synodum veniam, nisi fuero præpeditus canonica præpeditione. In correctionibus iudicialibus grauium criminum, & in prouisionibus, promotionibus, confirmationibus, destitutionibus, & repulsionibus faciendis de personis dicti ordinis fideliter, ac secundum Deum & regulam B. Francisci, puramque & rectam conscientiam me habebo. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei euangelia. Simile iuramentum præstabunt ministri prouinciales &c. [Ad temperandum eundem ordinem de familia & sumptibus generalis præpositi, de lustrandis ab eo religiosis domibus, de prouinciarum vel conuentuum singulorum præpositis, de creandis fidei censoribus, de procuratore, de concionatoribus & sacerdotibus excipiētibus sacras exhomologeses, de mittendis ad gentes euangelij præconibus, de modo deliberandi seruando a Minoritis, de criminibus deferendis plectendisque, de ædium & officinarum structura; deniq; de Minoritis regendis plura præcepta a Benedicto descripta fuerunt; cuius sanctioni hæc temporis nota appositā. *Dat. Auin. IV. kal. decembris anno secundo.* Lectas exceptasque ab vniuersis Minoritis, qua par erat obseruantia & demissione Benedicti constitutiones in celebratis Caturci proximo anno ordinis comitijs, indicat Vvadinghus [a]: extantque datæ ad eosdem cœtus Pontificis literæ, quibus illius familiæ præpositis collata potestas est [b], vt eos, qui Michaeli Cæsenati adhæserant, censuris soluerent: cuius beneficij tamen expertes illos esse iussit, qui a Petro Corbaria pseudopontifice adulterinas dignitates exambiuissent, ipsos enim sedi Apostolicæ sistendos voluit, vt crimen rite expiarent.

Nuncupādi a Min. præpositis sacramēti formula.

[a] Luc. Vvad. an. 1337. n. 3. & 5.

[b] Au. 3. ep. com. 342.

69 Hoc anno excessit e viuis vir insignis Guillelmus episcopus Sabinensis, e Prædicatorum ordine ad Cardinalatum euectus: quem inter cætera præclara gesta tria magnificentia & amplitudine conspicua atque eleganti cultu elaborata templa excitasse in ordinis suis cœnobijs, refert subiectis verbis Benedicti vitæ auctor [c]: *Anno Domini* M. CCC. XXXVI. *die quarta mensis iunij obijt dominus frater Guillelmus Petri de Goderio ordinis Prædicatorum, episc. Sabinensis Cardinalis, qui diu fuerat legatus in Hispania, vbi multa bona & salubria ordinauit, constitutionesque fecit quamplurimas, præsertim contra concubinarios ecclesiasticos, qui pro tunc erant in illis partibus infiniti. Hic quamquam esset modicæ, immo quodammodo deformis staturæ; fuit multum literatus & cordatus, ac virtuosus in omnibus factis suis: deditque sibi etiam Deus multa bona temporalia, de quibus fecit opera mirabilia, quæ sequuntur. Construxit enim tres ecclesias miræ pulchritudinis adeo, quod ordo suus non creditur habere pulchriores et solemniores vbicumq; videlicet vnam in conuentu Auenionensi, aliam in conuentu Tolosano, in qua iacet tumulatus, & aliam in conuentu Baionensi, vbi fuerat vestitus & educatus. Fecit etiam tam in dictis conuentibus, quam in alijs dicti ordinis multa alia bona admodum cōmendabilia, & memoria digna.*

Guil. episcopi Sabinen. mors.

[c] Gesta Ben. apud Bosquet.

Tria ab eo excitata templa.

Hoc

S. Elisabetæ pia mors.

70 Hoc anno migrauit ad Dominum Elisabeta Lusitaniæ Regina, de qua a nobis in superiori tomo honorificentissima mentio edita est, cui eximiæ virtutes sanctarum viduarum honores pepererunt. Scripsit ex veteribus monumentis inter alios sacram eius vitæ historiam terso & eleganti stilo Petrus Perpinianus Societatis Iesu, felicemque eius obitum his verbis depingit a: *Proximo die Iouis, quam lecto teneri cœperat ante diem quartum non quintiles multo mane criminibus expiatis confessione plena pietatis, plena doloris, per sacerdotem sacrificium fieri præcepit extra conclaue apto & ad videndum & ad audiendum loco. Quo peracto, vt erat ardens ad colendam religionem, & erecta humiliter de se ipsa sentiens, & eximia aduersus Numen diuinum reuerentia commota, ab Iacobo auo grauissimo magistro edocta, qui sacerdote sacrosancta peragente mysteria neminem intra cellæ cancellos consistere patiebatur, & ipse procul ab ara, nullis circum prædependentibus peripetasmatibus inclusus more Regum, in oculis omniū vtroque genu nitebatur; surgit e lecto, vestes induit, procumbit in genua. Sic ad altare fere repens accedit, vbi sacrificulus aduenientem expectabat. Ibi cum fletu & eiulatu, mirifico animi sensu, quasi valere iubens omnia humana, e terris migratura in tam longinquas & tam ignotas regiones, viaticum necessarium corpus Christi sumpsit.* Et infra.

a Perpin. de vita B. Elisab. l. 3.

Vt sacramentis rite munita sit.

Intelligens instare sibi mortem, filium, nurum, nepotes relinquit: reiecit labentium fluentiumque rerum curam, & omnem vim mentis intendens ad ea, quæ sola sunt semper eodem modo & æterna, Mariæ semper Virginis opem implorans: Maria, inquit, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Suam inde fidem ex Apostolorum symbolo publice professa, totum carmen a Christo compositum discipulisque traditum ad precandum Deum clara voce peregit. Nonnullas alias precationes addidit, quas recitantem sensim vox, sensus, vires deficiebant, donec omnibus cœlestibus donis cumulata mens corpus deserens, ita compositum ore, oculis, vultu, vt obdormiuisse non mortuum esse videretur, anno LXV. *quam a Deo optimo maximo procreata fuerat, & ei tuendo regundoq; præposita, in regionem conuenientem naturæ suæ, domicilium immortalis ac beatæ vitæ migrans, magnum sui desiderium in omnium animis infixum reliquit.* Inciſam refert Vvadingus b, ad eius sepulchrum veterem hanc inscriptionem, quæ illā hoc ipso anno ex humanis abijsse testatur his verbis: *Æra* MCCCLXXIV. *si ex ea triginta octo annos detraxeris, quibus ecclesiasticum computum superat, concurrit cum anno Christi* MCCCXXXVI. *die* IV. *mensis iulij in castro de Estremos obijt inclyta donna Elizabetha Regina Portugalliæ, & fuit sepulta* XII. *die dicti mensis in hoc monasterio S. Clarę, quod ipsamet fieri iussit & dotauit: & fuit vxor domini Dionysij illustrissimi Regis Portugalliæ, & filia Regis domini Petri de Aragonia & Reginæ donnæ Constantiæ, atque mater domini Alfonsi sereniſſimi Regis Portugalliæ & dominæ Constantiæ Reginæ de Castella, fuitque auia Regis Alfonsi de Castella & Reginæ donnæ Mariæ vxoris suæ. Hos honorauit, ijsque benedixit: cuius anima requiescat in pace.* Fulsit maximis post mortem miraculis, quorum gloria & numerus flexu temporum creuere adeo, vt Paulus IV. ad preces Ioannis III. Lusitaniæ Regis in omnibus Lusitaniæ regnis aras dicari Deo, tabellas affigi, solemnesq; precationes publico ecclesiæ ritu decantari ad eius nominis memoriam permiserit: ac demum Vrbanus VIII. anno iubilei MDCXXV. illam solemni ritu in sanctarum viduarum catalogo reposuerit.

Implorat. tum ab ea Virginis auxilium.

bVvadin. hoc ann. n. 26.

Qui illius parentes, & affines.

Ab Vrbano VIII. in SS. catalogo collocata.

IESV CHRISTI

Annus 1337.

BENEDICTI PP. XII. annus 4. VAC. IMP. OCCID. 24. ANDRONICI IVN. IMP. OR. 6

1 ANno Christi milleſimo trecenteſimo ſeptimo indictione quinta, exorta sunt immania Anglos inter & Francos bella: stringendi aduersus Saracenos enses, Christiano sanguine imbuti; collocandæ in Asiatica expeditione decimæ, ab vtroque Rege in furentium stipendia versæ: destitutus occidentalium auxilijs oriens, Saracenis Syriacis in prædam cessit: Turcæ antea repressi, vires collegere; denique Græci, qui ecclesiarum coniunctionis tractatum auxiliarium in Turcas armorum spe susceperant, in perfidia obfirmati hæserunt. Non defuit tamen apostolico muneri Christi vicarius, vt tot tantaque mala querteret: atque in primis Ludouicum Bauarum conciliare ecclesiæ constituit. Eo adducta res erat, vt Vvillelmus Iuliaci comes & Rupertus palatinus Rheni, Ludouici nomine ad eiuranda anteacta scelera subeundamque pontificiam, quamcumque tulisset sententiam; tum ad paciscendam cum Gallo Rege ex pontificio nutu amicitiam, dissoluto Anglico fœdere, condixerint proximos a purificatæ Virginis festo dies. Sed Gallus rerum, quas versabat, molem causatus orauit Pontificem, vt ineundi cum Ludouico fœderis tractatum ad primam imminentis quadrageſimæ diem extraheret: quæ Benedictus Ludouico ordine exposuit, vtque in cœpto consilio constans perstaret hortatus est. a

Occidens inteſtino bello ardet.

Promot⁹ de Ludouici recōciliatione tractatus.

a *Bened. l. 3. ep. secr 28.*

2 Vrgebat Benedictus alijs literis b Philippum Regem, vt missis oratoribus fœdera firmissima cū Ludouico redintegraret. Contra Philippus precibus vexabat Pontificem ne Bauarum sibi suspectū in gratiam admitteret. At Benedictus regij oratoris postulata repulit, ac Regi causas, ob quas retardanda res non esset, exposuit. c

b *Eod. to. 3 ep. secr. 19* Noua obijcere impedimenta nititur Francor. Rex.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

Dum innumerabiles Christi sanguine redemptorum animas in Alamanniæ, Italiæ, alijsque partibus ex sola prædicti Ludouici adhærentia & assistentia excommunicationum & pœnis alijs ac erroribus inuolutas, & expositas æternæ damnationis periculis contemplamur; scandala quoque varia, quæ tam circa fidem catholicam, quam statum fidelium dictarum partium formidantur, nisi salubriter occurratur insurgere, anxia meditatione pensamus; nos, qui licet insufficientibus meritis illius locum tenemus in terris, qui ad congregandos in vnum dispersos, vocandosque peccatores ad pœnitentiam veniens, passioni pro omnibus se obtulit diræ mortis, si vices saltem vtcumque ipsius gerere vtiliter volumus, vt tenemur, dissimulare vel omittere absque offensa Dei propriæque, læsione conscientiæ non valemus (maxime cum ipse obtulerit & offerat, se nostris & ecclesiæ mandatis & beneplacitis in omnibus & per omnia efficaciter pariturum) quo minus super reducenda sub ouili dominico oue tali errante, quam aliæ absque numero vel ad mortis præcipitium sequuntur, proh dolor! vel cum ea, vt creditur, ad viam reducerentur salutis, iustos tractatus & rationabiles (prouidendo tamen quan-

c *Ib. ep. secr 167.*

Proponit continuas animarū clades.

quantum cautius fieri poterit, ecclesiæ, ac tuis & chariſſimi in Chriſto filij noſtri Roberti Regis Siciliæ illuſtris indemnitatibus) admittamus; verentes quod, ſi per appoſitionem impedimenti, vel aliàs minus rationabiliter aditum ſuper tractatu huiuſmodi clauderemus, perſpicaces & ſubtiles Theutonici, perpendendo vnde talia proceſſiſſent, exinde irritati vel forſan deſperati, ſe cum Anglicis vel alijs regij æmulis colligarent, quod periculoſum & nociuum poſſet, quod Deus auertat, exiſtere regno tuo. Si vero, procedente tractatu huiuſmodi, ex parte ipſorum occurrant forſitan talia, per quæ differri vel impediri prælibatum contingat negotium, ita quod nec nobis, nec tibi, fili, valeat imputari, & nos & tu apud Deum remanebimus excuſati, &c. *Dat. Auin. II. non. aprilis.*

Illi & Roberto conſultũ fore.

Si non admittatur Lud. in Phil. conſuraturũ.

3 Paruit conſilijs apoſtolicis Philippus Rex, quamquam grauis eum cura vrebat, Ludouicum parta eccleſiæ gratia ex leui cauſa hoſti Anglo, cum quo iam paciſci cœperat, ſe coniuncturum: ſuoſque ad curiam Pontificiam oratores miſit, qui cum Ruperto Bauariæ duce & Guillelmo Iuliaci comite legatis Bauaricis de ineundo fœdere egerunt [a]. Sed in medio tractatu Ludouicus oblitus ſalutis animæ ſuæ, ac ſolemnis iuriſiurandi, quo ſe deuinxerat anno ſuperiori, procuratores ſuos eo temporis flexu, quo tractatus reconciliationis teneret, ſe non reuocaturum; Rupertum & Guillelmum principes in Germaniam redire iuſſit. Summo dolore ea de cauſa affectus eſt Pontifex, ac tractatus redintegrandi cupidus, kal. octobris ad eum inſtaurandum conſtituit. Tum paterne ipſum monuit, ne promiſſa violaret inſigni periurio, neue Philippum Regem bello peteret. Exemplum apoſtolicarum literarum infra ſcriptum eſt [b].

A cœptis reſilit Bauarus. [a] *Ptol. Luc hiſt. eccl. M.S. l. 24. c. vlt.*

[b] *Eod. to. 3. ep. ſecr. 190.*

Magnifico viro Ludouico de Bauaria, conſilia matris eccleſiæ amplecti deuote, & velut ſalutaria ſuſcipere reuerenter.

Ex relatione veridica dilectorum filiorum nobilium virorum Ruperti ducis Bauariæ & Guillelmi comitis Iuliacenſis nuntiorum tuorum, quos dudum ad noſtram præſentiam deſtinaſti, potuiſti colligere, & te credimus collegiſſe, puræ & ſinceræ dilectionis affectum, quem gerebamus & gerimus ad reconciliationem tuam ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ, vbi tu eiuſdem eccleſiæ beneplacitis te efficaciter coaptares. Ad quorum nuntiorum inſtantiam, non abſque diſplicentia noſtra, cum nobis ſuper reconciliatione prædicta cœpti negotij interpellatio diſpliceret, & ipſius continuatio grata eſſet, prout tibi referre dicti nuntij debuerunt, vſque ad proximas kal. futuri menſis octobris pro reſumenda proſecutione reconciliationis præfatæ terminum duximus prorogandum; ſperantes quod tu de intentione noſtra ſincera & mente benenuola, quam gerimus ad animæ tuæ ſalutem, eorundem nuntiorum relatibus informatus, ſi illa, quæ coram nobis geſta fuerunt, plene & veraciter, vt exiſtimamus, tibi duxerint referenda, ſuper reconciliatione prædicta procederes vſque ad plenam conſummationem ipſius, nec alijs interim te notabilibus & præiudicialibus negotijs implicares, quæ nos, fideles, ac deuotos eccleſiæ merito conturbarent.

Queritur ea de re Benedict⁹

Datas antea ſponſiones infringi.

4 Sed, ſicut non ſine admiratione & magna turbatione cordis audiuimus, tu offenſas præteritas fatagens culpis recentibus renouare, ad inuadendum terras & regnum chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Regis Franciæ illuſtris, non abſque graui offenſione maieſtatis diuinæ & eiuſdem eccleſiæ atque noſtra, contra pactiones, promiſſiones, & obligationes per dictum comitem nomine tuo factas & habitas, contra etiam iuramenta per eum nomine tuo præſtita ſuper eis, & per tuas patentes literas approbata veniens, te diſponis & præparas, & bellicos congregare diceris apparatus; quæ ſi, quod abſit, veritate nitantur, in eluſionem, magnumque contemptum, & diſplicentiam noſtram cederent; teque contra pactiones, promiſſiones, obligationes, & iuramenta huiuſmodi venientem non leui infamiæ nota reſpergerent, & apud Deum & homines de inconſtantia & reatu periurij notabilem exhiberent, ac proſecutioni & expeditioni reconciliationis præfatæ propter huiuſmodi inconſtantiam & reatum impedimentum & obſtaculum non modicum miniſtrarent.

Periuriũ præteritis criminib⁹ addere.

Ideoque magnificentiam tuam affectuoſe rogandam duximus & etiam requirendam, ſano tibi conſilio ſuadentes, quatenus nouas tibi odiorum cauſas non aggreges, & dum potes in tranquillo procedere, nauim tuam guerrarum fluctibus, quæ vt plurimum periculoſos ſortiuntur euentus, prouide non exponas; ſed ab omni inuaſione retrahens animi tui motus, & deſiſtens omnino nullis propter incitamenta quorumlibet te inuoluas negotijs, quæ nouis offenſis te implicent, quæue cœptum tuæ reconciliationis negotium cum eadem eccleſia valeant impedire. *Dat. Auin. XIII. kal. auguſti anno III.*

Monetur, vt animi motus cõpeſcat.

5 Suadebat [a] Ludouico Bauaro Albertus dux Auſtriæ, ne cœptum cum eccleſia tractatum diſſolueret, ſed Pontifici in reijciendo Anglo, firmandoque cum Gallis fœdere aſſentiretur. At non minus optima Alberti quam Pontificis conſilia repulit Ludouicus, & Imperatoris nomen iterum affectauit, quamuis [b] quamuis inſtruxiſſet hac auctoritate ſuos procuratores: *Noſtris procuratoribus & cuilibet eorum in ſolidum damus ex certa ſcientia plenam, meram, & liberam poteſtatem, auctoritatem, & ſpeciale mandatum ad renunciandum, dimittendum, & totaliter deponendum vice & nomine noſtro & pro nobis titulum imperialem Romæ per nos receptum, & quo vtimur & hactenus vſi fumus.* Cum vero inter Ludouici ac Regis Philippi oratores eſſet conſtitutum, vt appetente octobri menſe tractatus fœderis redintegraretur, iamque Ludouicus ſuſceptam de recuperanda eccleſiæ gratia mentem exuiſſet, ſignificauit Chriſti vicario Philippus, ſe ad pontificiam aulam oratores in cauſa Bauari mittere in animum induxiſſe, ac poſtmodum mutaſſe ſtudia, niſi aliud ſedi Apoſtolicæ viſum eſſet. Cui Benedictus ita reſpondit [c]: *Fili amantiſſime, quia non videmus, quod dictus Ludouicus, licet nobis his diebus vtendo abuſiue imperiali titulo ſcripſerit iuxta formam, quam continet cedula præſentibus intercluſa, tractatum cœptum ſuper ſua reconciliatione ad vnitatem ſanctæ matris eccleſiæ, a qua ſe reddidit ſuis peccatis & delictis exigentibus alienum intendat proſequi de præſenti; non credimus expediens propterea regios nuntios ad noſtram præſentiam deſtinare: ſed ſi eum, cuius facta & dicta parum appretianda ſunt* ob inconſtantiam ſcilicet in abrumpendo concordiæ tractatu, *eo ſic in ſtatu damnationis notabilis conſtituto, illuminaret Dominus, eumque velle deſtinare nuntios ad procurandam reconciliationem huiuſmodi audiremus, tua*

Auſtriac⁹ ſuadet Ludouico ne abrumpat tractatũ. [a] *lib. ep. ſecr. 239.*

[b] *Lib. prim. Rom. eccl. to. 2. pag. 332.*

[c] *To. 3. ep. ſecr. 307.*

Imperialis titulus a Lud. iterũ reſũptus.

Inſignis huius principis incõſtantia.

curaremus e vestigio magnificentiæ nunciare, &c. Dat. Auin. 11. non. octobr. anno 111.

a Alb. Arg. in chron. Rebdor. in chron.

Refellendi ex Benedicti dictis scriptores a, qui in Regem Francorum & Cardinales de Ludouico ecclesiæ non reconciliato causam detorquent, cum illa præcipue ex Ludouici inconstantia b, siue vlciscendi cupidine c emerserit. Damnauit certe Ludouicum Henricus dux inferioris Bauariæ, missisque oratoribus, vt refert Ptolemæus d Lucensis, initi cum eo fœderis, ad quod vi & metu adactus fuerat, veniam popposcit in publico Cardinalium senatu, professus nullum se posthac vt Imperatorem culturum, quem Romana ecclesia non confirmasset. Solutus itaque est a Benedicto censuris, quas ob edicta pontificia in sequaces Ludouici lata contraxerat, ac sacrorum vsus illius ditioni restitutus, transmisso ad eum subiecto diplomate e.

b sup. ep. 190. c ib. ep. secr 311. d Ptol. Luc. hist. eccl. M.S. l. vlt. c. vlt. Henricus dux Bauar. eccle siæ conciliatus.

e An. 2. p. 2. ep. eorum. 525.

Dilecto filio nobili viro Henrico duci inferioris Bauariæ salutem.

Sicut iustitiæ debitum exigit contra peruersos, vt corrigantur, adhibere debitæ castigationis antidotum; sic misericordia matris ecclesiæ, lapsibus humanis subueniens, salubri conuersione correctis remissionis gratiam libenter impertitur. Dudum siquidem felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster propter detestabiles excessus & culpas enormes Ludouici de Bauaria, olim discorditer in Regem Romanorū, vt dicebatur electi, contra dictum prædecessorem & sacrosanctam Romanam & vniuersalem ecclesiam præsumptione temeraria, immo potius insania execranda commissos; contra eundem Ludouicum nonnullos diuersis temporibus diuersos processus, graues spirituales & temporales pœnas & sententias continentes, auctoritate apostolica fecisse dignoscitur, & etiam habuisse: ac nihilominus vniuersis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, ac alijs personis ecclesiasticis quibuscumque; nec non omnibus & singulis ciuitatibus & vniuersitatibus, ac personis singularibus quibuslibet, cuiuscumque conditionis aut status existerent, etiam si regali vel alia quacumque dignitate fulgerent, sub pœnis excōmunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, nec non priuationis priuilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum, quæ ab ecclesia vel imperio obtinerent, districtius inhibuit, ne præfato Ludouico tanquam Regi Romanorum, quousque dictam electionem & personam ipsius per sedem eandem approbari contingeret & admitti, in aliquo intenderent seu parerent; neue eidem in quibuscumque, ad ipsius regni vel imperij Romanorum regimen spectantibus, præberent auxilium, consilium, vel fauorem: neque priuilegia, immunitates, feuda, vel iura quæcumque in eisdem regno & imperio reciperent ab eodem, neque societatem vel confœderationem aliquam cum ipso contra ecclesiam contraherent, vel contractam fouerent, seu obseruarent, neque consentirent etiam contrahendæ. Multas insuper alias monitiones, inhibitiones, iussiones, & processus, diuersas & multiplices pœnas & sententias continentes, contra prædictos omnes & singulos præmissorum occasione vel causa idem prędecessor fecisse dignoscitur & etiam promulgasse; eos vniuersos & singulos, si huiusmodi monitionibus, inhibitionibus, iussionibus, & processibus non parerent, pœnas & sententias supradictas, in diuersis eiusdem prædecessoris processibus diuersimode repetitas, volens & decernens incurrere ipso facto, prout in eisdem processibus plenius & seriosius continetur.

De edictis Ioannis in Ludou. Bauarū.

Et in eius sequaces.

6 Sane tam ex tenore quarundam literarum patentium tuo sigillo signatarum, quam ex serie petitionis pro parte tua nobis oblatæ percepimus, quod cum tu olim ducatum inferioris Bauariæ teneres & haberes vna cum quondam Othone fratre & Henrico patruele tuis indiuisim, præfatus Ludouicus ad suggestionem dictorum Othonis & Henrici te compulit & arctauit, quod cum eisdem Othone & Henrico ducatum diuideres memoratum. Quibus cum tunc resistere non valeres, diuisioni huiusmodi coactus & compulsus quodāmodo consensisti, ac per diuisionem huiusmodi tertia parte eiusdem ducatus tibi solummodo remanente, ac ex hoc potentia tua, qui ante diuisionem eandem plus alijs eiusdem ducatus regimen exercebas, non modicum diminuta, sicque per diras guerrarum commotiones arctatus & constrictus præfato Ludouico post dictos processus apostolicos, factos & promulgatos contra eum & adhærentes eidem, per annos duos cum dimidio vt Romano Imperatori obtemperasti & etiam obedisti, & mandatis etiam quibusdam subditis tuis vt præfatum Ludouicum, dum ad eorum loca declinaret, reciperent & tractarent, sibique vt Romanorum Imperatori reuerentiam exhiberent: et taliter postmodum in nonnullis locis tibi subiectis receptus extitit & tractatus; te tamen non intendente tunc in his aliqua contra sedem Apostolicam facere, sed ea fecisti arctatus vt præmittitur, & constrictus. Sicque idem Ludouicus in nonnullis locis ducatus eiusdem per vassallos & subditos tuos, & clericos seculares & religiosos vtriusque sexus, ac etiam prælatos in dicto ducatu constitutos, paucis dumtaxat exceptis, receptus extitit & tractatus: & alias tamtu, quam nobilis mulier Margarita vxor tua, ac etiam vniuersi fere subditi, & clerici seculares & religiosi, ac prælati ducatus prædicti aliqui dicto Ludouico eiusque sequacibus, alij vero solum dictis sequacibus & adhærentibus in omnibus actibus, cibo, potu, & loquela, ac etiam in diuinis communicastis, ipsumque Romanorum Imperatorem etiam nominatis: propter quæ tu omnesque & singuli alij supradicti timetis in pœnas & sententias dictorum processuum incidisse. Verum præfatis Othone & Henrico defunctis, eodemque ducatu per viam successionis ad te totaliter reuoluto, tuque propter hoc viribus & potentia recollectis, in filiali obedientia sedis eiusdem esse desideras, a qua sicut asseris nunquam corde vel animo recessisti, nec fuisti in conspiratione vel liga aliqua contra eam: quare nobis humiliter supplicasti, vt tuæ & prædictarum animarum saluti paterno prouidentes affectu, te & præfatam coniugem tuam, ac omnes & singulos supradictos, qui præfatas pœnas & sententias incurrerunt, ab eisdem sententijs atque pœnis absoluere, dictumque interdictum relaxare, & cum eisdem clericis & religiosis & alijs supradictis vtriusque sexus, qui propter prædictas culpas eorum irregularitatis & inhabilitatis maculas contraxerunt, misericorditer agere de consueta eiusdem sedis clementia dignaremur: ac insuper dilectos filios magistrum Henricum canonicum Patauiensem & Gebardum lectorem ordinis fratrum Prædicatorum & eorum quemlibet in solidum, ita quod non esset potior conditio occupantis, constituisti & fecisti procuratores tuos ad comparendum coram nobis, & præmissa proponendum & con-

Vt Henricus dux a Lud. Bauar. fuerit depressus.

Coactus vi ad eum vt Cæsarē agnoscendum.

Confirmatis viribꝰ ab eo defecerit.

Ad repetendum ecclesiæ gremium oratores miserit.

& confitendum, nobiſque pro præmiſsis etiam ſupplicandum, & iuramentum quodlibet in animam tuam præſtandum, & omnia & ſingula faciendum, quæ in prædictis & circa ea requirerentur & exiſterent opportuna; promittens nihilominus, te ratum & gratum habere, & ſeruare quæcumque ſuper præmiſsis geſta forent per eos aut aliquem eorundem, prout in autenticis & patentibus literis inde confectis, tuique veri & noti ſigilli appenſione munitis plenius continetur.

Nos igitur in conſiſtorio publico, præſentibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, nec non camerario ac notarijs noſtris, ac archiepiſcoporum & epiſcoporum & prælatorum, aliarumque perſonarum multitudine copioſa, dictoque Gebbardo lectore ac procuratore tuo inibi perſonaliter conſtituto, prædictas literas tuas, quas in archiuo S. R. E. facimus cuſtodiri, publice legi fecimus in conſiſtorio ſupradicto; ac ſubſequenter ab eodem procuratore in eodem conſiſtorio in animam tuam iuramento recepto, quod tu ſtabis mandatis noſtris & S. R. E. & ſucceſſorum noſtrorum canonice intrantium, & quod pro iniurijs et fautorijs et alijs exceſsibus prædictis, per te commiſsis, expreſſe in literis tuis prædictis acceptabis, recipies, facies, et complebis illam pœnitentiam, quæ per nos, vel alium, ſeu alios de mandato noſtro, vel per ſucceſſores noſtros tibi impoſita fuerit et iniuncta: et quod eris deuotus et obediens nobis et Romanæ eccleſiæ memoratæ: et quod non participabis cum Ludouico præfato, niſi in caſibus a iure permiſsis; nec ei vel ſequacibus, fautoribus, et valitoribus ſuis adhærebis, nec ei dabis auxilium, conſilium, vel fauorem publice vel occulte, donec ad eiuſdem eccleſiæ redierit vnitatem; nec ipſum nominabis Imperatorem, nec pro Imperatore habebis: et quod nulli obedies vel adhærebis vt Imperatori, niſi primitus per ſedem Apoſtolicam fuerit approbatus: et quod denotatos et damnatos, aut denotandos per nos et alios Romanos Pontifices et ſanctam Romanam eccleſiam de hæreſi vel ſchiſmate in terris tuo ſubiectis dominio non acceptabis ſeu receptabis, nec recipies; immo pro poſſe eos perſequeris et eijcies de terris et dominio tuis: et nihilominus hinc ad feſtum reſurrectionis dominicæ proxime venturum in præſentia teſtium fidedignorum iurabis, omnia et ſingula ſupradicta obſeruare, attendere, et complere, et contra ea non facere vel venire; ſed ea ratificabis et confirmabis: et infra eundem terminum dabis ſeu mittes ſufficientes literas ſuper his nobis et ſedi prædictæ tuo ſigillo ſigillatas, et ſubſcriptione fidedignorum teſtium roboratas; nos te in perſona eiuſdem Gebbardi procuratoris tui ab excommunicationis ſeu excommunicationum, et alijs ſententijs atque pœnis, quas propter dictos exceſſus in dictis literis tuis expreſſos incurreras per præfatos proceſſus eiuſdem prædeceſſoris, auctoritate apoſtolica tenore præſentium iuxta formã eccleſiæ abſoluimus, et totaliter liberamus; ac interdictum, cui propter exceſſum huiuſmodi ob culpam tui, et non ex facto ſeu culpa aliorum, ducatus tuus eſſe dicitur ſuppoſitus, relaxamus. Subditos quoque, fautores, et valitores tuos, qui ex cauſis prædictis ſententias et pœnas incurrerunt ſupradictas; quique de præſenti luce migrarunt, dum tamen in eis ſigna pœnitentiæ et contritionis apparuerint manifeſta, auctoritate prædicta a pœnis et ſententijs abſoluimus prælibatis, et pro abſolutis volumus eos haberi. Volumus inſuper quod ſi tu præmiſſa, quod abſit, non impleueris & obſeruaueris diligenter, aut præfato Ludouico vel ſequacibus ſuis præſumpſeris adhærere, niſi idem Ludouicus prius redierit ad eiuſdem eccleſiæ vnitatem, præſens abſolutio habeatur penitus pro non facta; quinimmo eo ipſo in eaſdem pœnas & ſententias recidas, quibus antea tenebaris. Nulli ergo &c. *Dat. Auin. xiii. kal. nouembris anno* iii. Data eſt Chiemenſi epiſcopo prouincia a, vt Henricum ducem & Margaritam coniugem, eiuſq; famulos anathemate ritu eccleſiaſtico liberaret.

a *Ib. ep.* 526.

7 Si huius principis virtutem reliqui Germani imitati fuiſſent, breui ad officium redactus fuiſſet Ludouicus: ſed contrarijs illi ſtudijs diſſenſere, quare proximo anno multa ab ipſo aſſerendæ cæſareæ dignitatis ſpecie nouata fuerunt. Quæ cum moliretur, Eduardus oratoris opera a Benedicto flagitauit, vt cum Bauaro coeundi fœderis poteſtatem faceret: obiectum enim iam ante fuerat apoſtolica auctoritate anathema ijs omnibus, qui Ludouico ſe coniungerent, antequam in eccleſiæ gratiam fuiſſet reſtitutus. Sed cum hæc poſtulata in rei Chriſtianæ damnum vergerent, atque abhorrerent ab æquitate, Eduardum ab ineundo fœdere cum Bauaro, anathemate nondum ſoluto, grauiſſimis hiſce literis abducere eſt conatus Pontifex. b

b *To. 3. ep. ſecr. pag.* 185.

Benedictus, &c. Eduardo Regi Angliæ illuſtri.

Inter alios principes orbis terræ inclytæ memoriæ progenitores tui Reges Angliæ velut catholici principes, per rectitudinis & deuotionis ſemitas ambulantes, ſacroſanctam Romanam eccleſiam tanquam matrem præcipuam, vt peculiares eius alumni & filij, in plenitudine deuotionis & fidei coluerunt. Quorum clara & deuota veſtigia, te qui eorum hæres & ſucceſſor exiſtis origine atque regno, decet cum integritate mentis & exhibitione inſignium operum imitari, non declinando in deuium, ſed alienatos & deuios ab eiuſdem matris vberibus plenis ſtudijs euitando: cum non deceat ſerenitatem regiam alienis maculari contagijs, nec ſuæ claritatis ſplendorem cuiuſpiam nebuloſo conſortio obfuſcare. Non enim tuum præterire potuerunt auditum exceſſus dudum per nobilem virum Ludouicum de Bauaria olim, vt dicitur, diſcorditer in Romanorum Regem electum, aduerſus Deum & Romanam eccleſiam, & felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum, per coaceruationem multiplicium & atrocium offenſarum nequiter perpetrati: quos, velut toti mundo notorios, nos omnes recenſere præſentibus (quia nimium longum eſſet) ſed paucos de multis breui quadam epilogo prouidimus referendos. Ipſe enim contra proceſſus prædeceſſoris eiuſdem & prohibitiones ipſius, de fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium conſilio factos et habitos, diuerſas ſpirituales et temporales pœnas et ſententias continentes, inuaſit Italiam: nonnullos Italiæ hæreticos, de hæreſi publice et notorie per ipſum prædeceſſorem et inquiſitores hæreticæ prauitatis auctoritate apoſtolica condemnatos, in conſortium publicæ participationis admiſit, tenens et aſtruens hæreſes manifeſtas, ac fouendo ſecumque tenendo hæreticos, publice dogmatizantes prædictarum hæreſum deteſtabiles et horrendos errores: hæretica quoque

Adiecta lex, ne ſe- tiae cum Ludouico

Vetitum Ludouico hoſti eccleſiæ fœdere iũgi.

Obiurgatur Anglus a maiorum virtutibus deſciſcere

Propoſita illi Ludouici flagitia.

Inuaſio Italiæ.

Hæreticorum patrocinia.

Spoponderit ſtare illius imperijs.

Non adhæſurum Ludouico niſi confirmatus fuerit Cæſar a ſede Apoſt.

Soluitur cenſuris Henricus

que dogmata scienter, immo dementer potius approbauit; & in euidentiam approbationis huiusmodi illa per diuersas literas, suo noto sigillo munitas, deduxit in aliorum publicam notionem.

Hæresεon promulgatio.

8 Nomen etiam sibi imperiale postmodum vsurpare, & administrare iura imperij in eadem Italia & Alemannia contra processus & prohibitiones prædictas detestabili temeritate præsumpsit; ex ijs præter pœnas alias, excommunicationis & anathematis sententias incurrendo. Et tandem ausus ausibus, & excessus accumulando excessibus, commeauit ad Vrbem, vbi in illam virulentæ nequitiæ prorupit insaniam, vt meditatus Vrbi et orbi vniuersalis schismatis perniciosum suscitare dispendium, quemdam hypocritam diabolicæ præsumptionis virum, nomine

Anathema.

Schisma.

Petrum de Corbaria, velut abhominationis horrendæ simulachrum, in Apostolica sede pro Romano Pontifice statuere moliretur; idque, quantum in ipso fuit, produxit in actum, et eum fuit veneratus, vt Papam: et consecrationem, immo verius execrationem ac diadema imperiale de facto ibidem recepit, vt de multis alijs eius insanis processibus, quinimmo detestandis excessibus, per eum & dictum Petrum præsumptione perpetratis hæretica, taceamus: propter quæ idem prædecessor eundem Ludouicum denuntiauit a Domino omni dignitate & honore fore priuatum: & ipse in eum, tantarum hæresum & schismatum maculis irretitum, exercuit gladium apostolicæ potestatis, eum cum omnibus, qui adhærerent eidem, vel præstarent auxilium, consilium, vel fauorem, vel pro Romano Rege vel Imperatore haberent, tenerent, vel etiam nominarent eundem, non solum excommunicationis & anathematis, sed etiam alias pœnas et sententias, tanquam in fautores, auxiliatores, et valitores hæretici et schismatici proferendo, et a iure declarando prolatas, prout in diuersis processibus, super ijs habitis per prædecessorem eundem, plenius et seriosius continetur.

Vt iuste ob hæc omni dignitate sit exauctoratus.

Intentatũ eius fœderatis anathema.

Quas quidem pœnas, quantumcumque promeritas per Ludouicum eundẽ, & in eum iusto ecclesiæ iudicio promulgatas, si vere pœnitens se habilitasset ad gratiam, ob desiderium salutis & reconciliationis ipsius, quantum decenter fieri potuisset, eadem ecclesia benignasset, & ei ad suum gremium redeunti tanquam filio prodigo, de longe venienti, apertis brachijs occurrisset, immolatura pro eo in vbertate diuinæ laudis vitulum saginatum. Propter quod, quamquam tam prædictorum excessuum, quam eorundem processuum, per dictum prædecessorem contra eum, exigente iustitia, postmodum habitorum, notitiam habuerimus & etiam habeamus; vt tamen ipsum a peccatorum nexibus liberatum, de faucibus sempiternæ mortis possemus eripere, postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, diuersos nuntios eius diuersis vicibus ad nos missos benigne recepimus, & pro reconciliatione ipsius, per fructum veræ suæ pœnitentiæ promerenda, varios tractatus habuimus & tenuimus cum eisdem: & adhuc etiam ijdem tractatus coram nobis pendere noscuntur, bonum fructum vt credimus habituri, si ipse vere & fideliter se pœnitentem veraciter ostendat. Cuius etiam nuntijs, ad magnam eorum instantiam, non absque displicentia nostra, cum nobis dictorum tractatuum interpolatio non placeret, sed ipsorum continuatio grata esset, vsque ad proximas kal. futuri mensis octobris pro resumptione dictorum tractatuum, tunc facienda, terminum duximus prorogandum.

Ecclesiæ benignitas.

De tractatibus cũ ipso habitis.

9 Quare, fili charissime, cum dicti tractatus adhuc pendeant, vt præfertur, dictusque Ludouicus sit adhuc eisdem peccatis, pœnis, & sententijs inuolutus, necdum meruerit per satisfactionis debitum & digne pœnitentiæ fructum reconciliationis eiusdem ecclesiæ gratiam obtinere; serenitatem tuam attente rogandam duximus, & etiam requirendam, quatenus prudenter aduertens, & in scrutinium internæ considerationis adducens grauitatem pœnarum in quas incideret, & sententiarum quas incurreret, quantisque se periculis & discriminibus implicaret, qui dicto Ludouico sic publice & notorie de prauitatibus hæresis, & sic odiosi schismatis condemnato, priusquam reconciliationis eiusdem ecclesiæ gratiam mereatur, participare præsumerent, sibique impendere consilium, auxilium, vel fauorem, vel sibi tanquam Imperatori vel Regi Romanorum reuerentiæ cultum, vel titulum regalis vel imperialis nominis assignarent; a cuiuslibet participationis fœdere contrahendo cum ipso, & exhibitione reuerentiæ & honoris sibi tanquam Regi seu Imperatori, donec idem Ludouicus reconciliationis eiusdem ecclesiæ gratiam meruerit obtinere, omnino te retrahere, & totaliter studeas abstinere; vt tibi famæ seruetur integritas, & illibata tui generis claritas conseruetur. Nec latere te volumus, quinimmo in memoriam tuam reduci præterita tempora, in quibus claræ memoriæ Eduardus Rex Angliæ auus tuus cum nonnullis magnatibus Theutoniæ, credens eos sibi fidei promissæ constantiam seruaturos, vinculum confœderationis seu colligationis iniuit: sed qualem fidem sibi seruauerint, vt qualiter promissa eidem auo & alijs progenitoribus tuis tenuerint, si relegerentur annalia, vbi gesta veterum conscribuntur, eorum recensita veritas edoceret.

Monitus Eduardus ne cum ipso nondũ in ecclesiã admisso pacisceatur

Propcsita Germanorum incõstantia.

10 Insuper te nolumus ignorare, quod per dilectum filium magistrum Paulum de Montesioro clericum & nuntium tuum ex parte tua nuper fuimus requisiti, vt tibi participandi cum Ludouico præfato, teque confœderandi cum eo licentiam largiremur. Cui nos, attendentes prædicta pericula, & quod magnam infamiæ maculam imponeres tuæ gloriæ & honori, si cum eo, donec prædictis peccatis, pœnis, & sententijs fuerit irretitus, participares publice vel occulte, sibi omnino negauimus concessionem licentiæ supradictæ, multas sibi causas rationabiles assignantes, propter quas te non decebat requisitioni eidem insistere, vel nos tibi applaudere super ea, de quibus per eundem Paulum, cui prædicta tibi referenda commisimus, serenitas tua plenius poterit informari. *Dat. Auin. xiii. kalend. augusti anno* iii.

Negata, ineundi cum Bauaro fœderis potestas.

Solicitati fuere alijs literis Ioannes a archiepiscopus Cantuarienſis, & Lincolnienſis b Vvintonienſisque c episcopi, tum Saresberiensis d comes ad dandam operam, vt Eduardus apostolicis montis obsecundaret: sed auersi erant ab huiusmodi consilijs sequendis illorum animi; immo tractandi impij fœderis firmandique auctores præcipui extitere, atque Eduardus ambitionem religioni prætulit.

a To. 3. ep. secr. 186. b Ib ep. 187. c Ep. 188. d Ep. 189.

11 Cum vero infesti ex Germania rumores in aulam pontificiam peruasissent, factas aduersus Francorum Regem coitiones, ex quibus magni

periculi terror Gallijs impendebat, illum Pontifex, vt procellam discutere posset, præmonuit a.

a Eod. to. 3 op. secr. 311.

12 *Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.*

Hæc, quæ sequuntur nobis his diebus præteritis sunt relata. Primo videlicet, quod solemnes tractatus sunt habiti, vt Ludouico de Bauaria iuri Romani imperij per eum vsurpato cedente, sibique regno Alamanniæ retinente, dataque sibi propterea magna pecuniæ quantitate per electores seculares, non modicis pecuniarum summis mediantibus, Rex Angliæ in Regem Romanorum promouendum in Imperatorem eligatur, vel quod idem Rex Angliæ his vel alijs modis exquisitis ad imperium, & etiam regnum Alamanniæ assumatur. Item quod si hæc de facili fieri non valerent, quod idem Rex Angliæ deputetur ad vitam suam irreuocabiliter vicarius regni Alamanniæ pro parte inferiori, vt propter vicinitatem, te fili charissime, regnumque tuum Franciæ possit opportunius & fortius impugnare. Item quod pro prædictis complendis magna diuersis pecuniarum summis & alijs rebus pretiosis facta sunt deposita [confirmantur hæc a Rebdorfio, qui Anglico auro emptos venales Germanos principes narrat a] & certi obsides etiam assignati, & alij vlterius assignandi. Item quod quasi omnes principes Alamanniæ seculares, excepto Rege Boemiæ illustri, contra te, fili, ac domum & regnum tua fecerunt colligationes & confœderationes diuersas, in quibus inter cætera infrascripta contineri dicuntur, scilicet quod ipsi, suis coadunatis viribus & potentijs, ad aggrediendum, inuadendum, & offendendum te, domum, & regnum prædicta, viriliter, quod non sinat Altissimus, se accingant [Adijcit Benedictus plura conflati illius fœderis capita, quibus Philippi hostes ad promouenda consilia, euertendumq; illius regnum se comparabant: quæ cum a certo auctore acceperit, contulerit cum Cardinalibus Gallici sceptri honoris cupidissimis, vt opportunis remedijs hostium conatus eludantur. Addit Pontifex nonnullas causas, quæ Ludouicum in ipsum concitarint].

Agitata de Anglo ad imperium eue. hendo cõ filia.

Aut de vicaria præfectura cæsarea illi in Germ. inf. deferẽdo.

a Rebdorf

13 Præterea excellentiam regiam volumus non latere, quod nuper dictus Ludouicus sub imperiali titulo, quo vtitur siue abutitur, respondendo quibusdam literis dudum sibi directis, quarum transcriptum tunc regiæ magnitudini misimus, inter cætera nobis scripsit, quod ipse contra pactiones, promissiones, & pacta, inter tuas & suas gentes tuo & suo nomine inita, & iuramẽta inde præstita, ex eo non videtur venisse, quia dicit, quod prius multa bona & iura imperialia pro parte regia indebite fuerant occupata, & postmodum etiam ipse super reconciliatione sua per te vel gentes tuas fuerat impeditus; & nihilominus subsequenter certa castra & fortalitia, quæ in diœcesi Cameracensi asserit ad imperium pertinere, in præiudicium imperij extiterant regio nomine occupata, ad quæ recuperanda se teneri dicit astrictum. Et subinferendo aliqua verba super vnione olim facta inter ecclesiam Romanam & imperium, nos requirebat, & monebat humiliter & instanter, vt te salubribus monitis & pijs exhortationibus ad restitutionem præmissorum sibi & imperio faciendam exhortari & inducere curaremus: quodque, si huiusmodi monitis & exhortationibus acquiescere recusares, eidem super prædictis repetendis assistere deberemus. Super ijs autem cum arroganter & præsumptuose nimis scripserit, & præsertim te, fili dilectissime, non vocando Regem, sed Philippum, qui se dicit Regem Franciæ, nullum sibi curauimus dare responsum, &c. [Addit Colonienſem archiepiscopum ea in ipsum coitione se non implicuisse, vt archiepiscopi oratores sacramento affirmauere: se vero illum apostolicis literis vrsisse, vt ab eo fœdere alienus esset, viderique Iuliacensem comitem, magna in ijs auctoritate pollentem coniuratis non se coniuncturum. Tum subijcit magna impendere pericula, ad quæ auertenda opus esse, vt Eduardum Anglorum Regem sibi conciliet].

Obiecta Gallo Regi a Baua ro.

14 Denique his, quæ de pactis & colligationibus præmissa sunt, diligenter attentis (quæ nisi prouidentia diuina, quæ in sui dispositione non fallitur, malis ex eis, vt videtur, cœceptis clementer obuiauerit, magnam turbationem Christianitatis & effusionem Christianorum sanguinis, aliaque varia tam animarum quam personarum & rerum, non facile reparanda, dispendia comminantur; & ex quibus, si quod auertat misericordiarum Dominus, procederent, gaudiosa materia infidelibus catholicæ fidei hostibus pararetur, & luctus grandis mœstitiæ Christicolis merito donaretur) ad obuiandum talibus illud videretur admodum multipliciter opportunum, si dissidium inter te, fili dilectissime, dictumque Regem Angliæ ratione ducatus Aquitaniæ, vel alias hoste procurante humani generis inuicem susscitatum, duceretur per viam tractatus amicabilis & amicos communes, & etiam, si pacis Auctor concederet, sopiretur: sicque Rex ipse, ad tuam dilectionem, vnitatem, & fidelitatem attraheretur dulciter, & indissolubiliter firmaretur in illis. Quo quidem Rege sic tibi vnito, proculdubio existimamus, quod Theutonici tibi tuoque regno prædicto nocere de facili, multis sibi super hoc necessarijs deficientibus, non valerent. Super quibus regalis circumspectio, inclinando regium ad concordiam animum, prudenter & consulte attendat, & videat quid agendum. Demum vero, cum æmuli regij non solum ad inuasionem regni, sed ad offensionem personæ regiæ tuique primogeniti aspirare dicantur, celsitudinem tuam cautam esse cupimus & attentam, vt in omni actu, qui possit contingere circa tuam & eiusdem primogeniti custodiam, operosam diligentiam, non exponendo te ac ipsum euidentibus periculis, adhibeas & facias iugiter adhiberi: nam te, fili, dictoque primogenito stantibus, etiam aduersa, si quod absit, contingerent, possent cum Dei adiutorio & beneplacito reparari, etc. *Dat. VIII. id. nouembris anno* III.

Philippus periculi imminentis admonitus.

Consulit vt cum Anglo pacem ineat

15 Saluberrima hæc dedit consilia Pontifex optimus Philippo Regi, vt imminens Anglicum bellũ auerteret, de quo hæc Paulus Æmilius scribit a: *Nullum atrocius Anglico arma Francorum exercuit, nullum diutius tenuit, nullum maiori cruore contentioneque gestum, nullum sæpius repetitum, neutris felix latumue, rei Christianæ calamitosum, pijs luctuosum, hostibus religionis exoptatum.* At negligentiæ suæ in ijs sequendis Philippum pœnas dantem visuri sumus inferius. Nec minus desudatum est a Benedicto, vt Eduardum ad pacem cum Philippo redintegrandam flecteret b. De apostolica porro Benedicti solicitudine ad conciliandos Reges adhibita hæc narrat illius vitæ auctor c: *Cum ad notitiam domini Benedicti Papæ peruenisset, quod guerra inter ipsos prædictos Reges crescebat, & continue inualescebat, dam-*

a Paul. Aemil. in Phil. Val. Ingentes Anglici belli calamitates.

b To. 3. op. secr. 181. 182.

c Gesta Ben. apud Bosq.

damnaque quamplurima hinc inde inferebantur, circa ipsorum pacificationem, prout etiam suo statui congruebat, partes suas interponere decreuit: destinauitque ad ipsos causa tractandi, ac incundi pacem & concordiam inter eos, suos nuncios legationis officio fungentes dominos Petrum Gomesij Hispanum tit. S. Praxedis presbyterum, & Bertrandum de Montefauentio S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinales. Consentiunt de missis legatis alij auctores [a], extantque in pontificio regesto subiectæ literæ [b], quibus hoc munus illis demandatum est.

Legati pro sopiendo bello decreti.

[a] Io. Vill. l. 11. c. 71. & alij.

[b] An. 3. p. ep. cur. 1.

Benedictus, &c. dilectis filys Petro tit. S. Praxedis presbytero & Bertrando S. Mariæ in Aquiro diacono Cardinalibus Apostolicæ sedis nutijs.

Benedicti hac de re literæ.

Pridem infausti rumoris relatibus intellecto, quod hostis humani generis, pacis æmulus, amator litium, ac zizaniæ seminator inter eosdem Reges [nempe Philippum Francorum & Eduardum Anglorum] tanta sanguinis propinquitate & affinitate conjunctos materiam grauis dissensionis conabatur ingerere, ad id eorum animos incitando, vt exortas causas discordiæ inter eos, quæ per magnates & nobiles dictorum regnorum vel partium vicinarum vtriusque communes amicos amicabiliter tractari debuerant & etiam terminari, bellicosis congressibus, qui periculosos habere consueuerunt euentus, decreuerit dirimendas; animus noster vehementer indoluit, & eo potius intima cordis nostri amaricauit acerbius, & punctionis aculeo durioris afflixit, quo periculosas huiusmodi discordiæ circumstantias nobis intensioris considerationis discussio repræsentat. Attendimus etenim paternæ solicitudinis studio incommoda immensa, quæ ingerit, & commoda piaque Dei negotia, quæ si procedat, quod Deus auertat, impediet (vtinam non extinguat). Quis enim dubitet ex tali rumore discordiæ non solum Babylonicum hostem, sed etiam alios Reges & regulos Agarenos sumpturos audaciã ad acriores solito & pernicioſiores molestias Christianorum Regibus, atque regnis & populis inferendas? Quis etiam, quantumlibet studiosus concipere poterit, quantum tantorum principum hostilis congressio Christiani sanguinis hauriet, quas hominũ strages ingeret, quæ animarum pericula, quæ rerũ damna producet, quot profluuia sumptuum, & expensarũ abyssos, tantorũ principum horribilis grauisque commotio postulabit?

Deplorat illius belli calamitates.

Mahometanos religioni insultaturos

Christianam rem pessumdatum iri.

Volentes igitur sic perniciosis obuiare periculis, eisque congruum, quantum nobis concedetur ex alto, remedium adhibere, cum ad nos, qui licet insufficientibus meritis potestatis plenitudine fungimur desuper nobis concessæ, singulariter pertineat in vniuersali ecclesia cunctaue congregatione fidelium pacem quærere, ac ipsam facere diligentius obseruari; ad vos viros laudandæ virtutis, scientia & innata prudentia præditos, cultores iustitiæ, sedulos pacis amicos, & concordiæ zelatores, licet vestra præsentia nobis & apud nos ecclesiæ vniuersalis perutili careamus inuiti, nostræ conuertimus deliberationis intuitum, vosque pro vestrarum consideratione virtutum, vobis a Domino in abundantia concessarum, ad eosdem Franciæ & Angliæ Reges, eorumque regna tanquam pacis angelos de fratrum nostrorum consilio pro huiusmodi tractanda & perficienda, concedente pacis Actore, optata pace atque concordia inter eos, prouidimus destinandos; firma tenentes fiducia, quod actus vestros illo dirigente, qui nouit praua in directa & aspera in vias planas conuertere, per vestræ circumspectionis industriam prætactis periculis & discriminibus laudabiliter & vtiliter poterit obuiari.

Iussi legati adire Reges.

Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta de fratrum prædictorum consilio committimus & mandamus, quatenus prudenter attendentes ad negotium tam insigne, atque prænimis attentis periculis insidens cordi nostro, * vos confidenter duximus eligendos, vos Regum prædictorum præsentiam adeuntes, ipsos ad pacem & concordiam, iuxta datã vobis ex alto prudentiam, solicitis monitis & efficacibus persuasionibus inducatis, vt faciente pacis Actore per ministerium vestrum iuxta desiderium nostrum inter Reges ipsos & adhærentes eisdem cesset discordia, regnetque concordia, quies veniat, pax resurgat ad Dei honorem & gloriam, animarum profectum, robur fidei, & exaltationem populi Christiani; &c. Instructi sunt legati amplissima auctoritate, vt armorum coitiones dissoluerent, rescinderent contraria sacramenta, ac turbatores pacis censuris coercerent. Quibus literis adiecta hæc temporis nota. *Dat. Auin. ix. kal. iulij anno* III.

* ad quod

Adiectæ sunt aliæ literæ [a], quibus decernuntur ingentia mala, ex eiusmodi bello emersura, quæ in vtriusque Regis oculis defigere iussi sunt: auctique ijdem legati amplissimis mandatis, vt archiepiscopos & episcopos, ac Reges & principes nullo dignitatis habito discrimine censura ecclesiastica percellerent [b], si pacis consilia disturbarẽt: tum vt Regibus, si concordiã respuerẽt, arma mouẽtibus imperarent inducias: ac si eas infringerẽt, eosdem anathemate, atq; ecclesiastico interdicto eorundem ditionem afficerẽt [c]. Spectabat siquidẽ ad summum ecclesiæ principẽ confundentes atrociſſimo ecclesiam bello in concordiam redigere.

Fulti amplissimis mandatis.

[a] Ib. ep. 2.

[b] Ep. 3.

[c] Ep. 4.

16 *Benedictus, &c.* Vt tam salubre tamque inhærens cordi nostro negotium, actore Deo, per solicitudinis vestræ ministerium prosperetur, & vt melius circa informationem pacis tam perutilis toti mundo quotidie inter eos eo liberius & efficacius intendere valeatis, quo vobis huiusmodi negotium prosequentibus fuerit per eosdem Reges & gentes ipsorum a qualibet hostili congressione cessatum: vbi forsan dicti Reges vel alter eorum requisitionibus & monitionibus vestris, immo verius apostolicis super cessatione commotionis seu congressionis hostilis nollent acquiescere, vel per seipsos seu intermedios eorum nuntios inuicem treugas inire vsque ad certum tempus, quod imminentis negotij per vos prosequendi & tractandi qualitas & necessitas exiget, duraturas; vobis & cuilibet vestrum indicendi treugas ad certum tempus vestro arbitrio moderandum inter Reges eosdem, ac fideles, adhærentes, & valitores eorum, & indictas eisdem Regibus & alijs, de quibus expediens fuerit, per vos, vel alium, seu alios notificandi, ac vbicumque vobis vtile visum fuerit, solemniter publicandi, & infringentes aut quomodolibet non seruantes easdem excommunicationis, & in eorum terras interdicti sententias promulgandi, & alia faciendi, quæ circa id fuerint opportuna; non obstante si eis, aut eorum aliquibus, vel alicui sub quacumque forma vel conceptione verborum a sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari vel eorum terræ ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus

Ad imperandas inducias.

Anathema interdictumq; contumacibus incutienda.

reſpiciant incremepta, tibi digne conſtituas magis benevolam & benignam. Super ijs autem per dilectos filios noſtros Petrum tit. S. Praxedis presbyterum & Bertrandum S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinales Apoſtolicæ ſedis nuncios exhibitores præſentium, & eorum quemlibet latius aperire tuæ ſerenitati mandauimus mentem noſtram; quorum circa præmiſſa relatibus plenam fidem adhibeas, & efficaciter acquieſcas. *Dat. Auinion. ix. kalendas iulij anno* III.

Iuſſi legati ad id eũ adducere

Muniti ijdem legati a poteſtate, vt regiorum præfectorum adminiſtrorumque licentiam in eccleſiaſticos compeſcerent: tum pluribus prærogatiuis ad gerendam cum dignitate legationem ornati b, quibus inter alia permiſſum eſt c, vt cum ijs, qui fidelium communione pulſi eſſent agere poſſent.

a An. 3. p. 1 ep. cur. 18.

b Ib. ep. 22 ad 43.

c Ib. ep. 20

21 Antequam ij in prouinciam decretam ſe conferrent, adhibuerat Pontifex Guillelmum Senonenſem d & Petrum Rothomagenſem e archiepiſcopos (quorum poſterior accepto Clementis VI. nomine Benedicto ſucceſſit) vt aduerſas partes armis temperare hortarentur, quo paci via muniretur: pariterque Philippum Eduardumque rogauit f, vt a nouandis rebus abſiſterent, donec Cardinales legati ad ipſos peruenirent. Reges enim iam infeſtis ſignis cœpiſſe concurrere, conſentiunt auctores: ac Philippum quidem multas Genuenſium Gibellinorum ac Monachenſium Guelforum triremes conduxiſſe g, quæ plurimas de Anglis prædas egere, ac mare Aquitanicum infeſtarunt: regio decreto Aquitanici ducatus iura reuocaſſe ad aulam Gallicam h immiſſoq; exercitu nõnullas arces expugnaſſe i, trãſmiſſa in Scotiam claſſe loca quædam flammis deleuiſſe. Nec minus Eduardum Flandriam bello tentaſſe, & Cagantum inſulam ducibus præcipuis epiſcopo Lincolnienſi comiteque Betfortio euaſtaſſe. Hæc erant ingentium bellorum inter Anglos Galloſque præludia. Interea Petrus ac Bertrandus Cardinales legati a Philippo Rege obtinuerant, vt Gallico exercitui daret imperia, ne vlterius ſigna promoueret in Aquitaniam, niſi Anglus Gallias inuaderet: cumque in Angliam penetrare meditarentur, vt Anglum a Gallica expeditione retardarent, prohibiti l initio ſunt ab Eduardo Angliæ aditu, deinde tamen honorifice excepti. m

Præmiſſi Cardinalibus alij nuntij.

d Eod. to. 3 ep. 177.

e Ib. ep. 178.

f Ib. ep. 181. 182.

Ligures a Philippo conducti,

g Foliet. hiſt. Jen. l. 6.

Aquitania bello petita,

h To. 3. ep. ſect. 306.

i Paul. Aemil. in Philip. VI

Flandria ab Anglo tentata,

l Geſta Ben apud Boſq

m To. 4. ep. ſecr. 249. 250.

Sed parum Pontificis ſtudia in reſtinguendo exitiali bello valuere, ac fruſtra Cardinaliũ labores conſumpti; ad parandũ enim bellũ incumbebant Reges, ac per fas nefaſq; opes vndiq; cumulabant. Eduardus n enim Rex in Nothingamienſi ordinum conuentu ingentia vectigalia ab Anglis elicuit, Cluniacenſium & Ciſtercienſium opes inuaſit, Italos mercatores diripuit, indictas triennales pro tolerandis Aſiatici belli in Saracenos ſumptibus decimas eccleſiaſticas ad Chriſtianum fundendum ſanguinem conuertit. Similique modo cumulabat Philippus Rex opes o: Italos enim & ipſe mercatores, obiecto fœnoris crimine, expilabat p; nummos aureos & argenteos minoris pretij percutiebat: eccleſiaſticorum opes minis & terroribus extorquebat: Quorum ſortem miſeratus Pontifex legatis Cardinalibus dedit imperia q, vt ipſum ab iniuſtis eiuſmodi extorſionibus abducerent. Inhiabat etiam eccleſiaſticis decimis, flagitaratq; antea a Benedicto, vt Crucifixi opes pro conficiendo in Saracenos bello collectas auerteret in Anglos. Superiori ſiquidem exeunte anno Benedictus, puriſſimus ab omni auaritiæ ſorde, acceptas a ſacerdotibus decumas reſtitui iuſſerat, vt refert Ptolemæus Lucenſis his verbis a: *Reuocauit etiam Papa Benedictus decimas decimarum quibuſcumque conceſſas, ex quo paſſagium vidit neglectum tunc per Regem Francorum Philippum, qui hoc iurauerat, vt ſuperius eſt dictum. Decreuit inſuper, vt percepta de decimis prædictis reſtituerentur eccleſijs.* Et infra: *Et facta eſt prædicta reuocatio anno Dom.* MCCCXXXVI. *xvi. kal. ianuarij.* Integritatis huius inſigne monumentum eſt ſubiectum diploma tum datum ab eodem Pontifice. b

n Vvalſin. vbi ſup.

o Io. Vill. l. 11. c. 71.

p Eod. c. 71.

q To. 3. ep. ſecr. 305.

a Ptol. Luc. hiſt. eccl. M.S. l. vlt. c. vlt. Decumæ eccleſiaſticis reſtitui iuſſæ.

b To. 2. p. 1 ep. cur. 36.

Benedictus, &c. archiepiſcopo Aquenſi & ſuffraganeis &c.

Cum in nonnullis prouincijs atque regnis iuxta ordinationes & modificationes in dictis literis [nempe Ioannis de ſacra expeditione] contentas exactio, ſolutio, & depoſitio, ſeu repoſitio factæ fuerint certæ partis decimæ ſupradictæ, & adhuc reſtet alterius partis eiuſdem decimæ exactio ſeu ſolutio facienda ad prædictum paſſagium propter impedimenta aliqua, quæ peccatis exigentibus videntur obicem dicto paſſagio præſtitiſſe, ſit pro præſenti tempore (quod dolenter referimus) impeditum; nos decens & congruum reputantes, quod poſtquam cauſa ſecuta non eſt, nec vicinitus ſequi ſperatur, propter quod impoſitio ac ſolutio huiuſmodi decimæ factæ fuerunt, eius deinceps exactio & ſolutio debeant omnino ceſſare, quinimmo eorum, quæ pro dicta decima ſunt ſoluta, ſit reſtitutio facienda: de fratrum noſtrorum conſilio vobis & veſtrum cuilibet diſtricte inhibemus, ne de cætero ad leuationem, collectionem, vel exactionem huiuſmodi decimæ per vos vel per alios procedere quomodolibet præſumatis; *& infra*, præcipientes nihilominus vobis & veſtrum cuilibet, vt præfatam decimam, ſi quam propterea per vos vel alios collegiſtis, etiam ſi iuxta ordinationem prædeceſſoris eiuſdem vna cũ capitulis cathedraliũ eccleſiarũ infra ipſas eccleſias aut alibi in tutioribus locis reponi feciſtis, ſingulis perſonis eccleſiaſticis a quibus exacta extitit et ſoluta, ſi dictæ perſonæ adhuc ſuperſtites rebus humanis exiſtant, et præſint eiſdem beneficijs, ratione quorum huiuſmodi decimam perſoluerunt; alioquin, ſi forte dictæ perſonæ defecerint, vel alias dicta beneficia dimiſerint eiſdem beneficijs, ratione quorum huiuſmodi decima extitit perſoluta in vtilitatem dictorum beneficiorum per certas perſonas, quæ ſuper hoc nobis rationem reddere teneantur, fideliter conuertenda, infra vnius menſis ſpatium poſt receptionem præſentium cum integritate, quantum ad vos pertinet, reſtituatis, etc.] Si deeſſent officio, dupli multam intentauit, quam ſi non ſoluerent ſacrorũ vſu interdixit, aliasq; pœnas pro meritis irrogandas obiecit. *Dat. Auin. xv. kal. ianuarij anno* II. Perculſus eo decreto, huiuſque decumani auri auiditate, vt in bellicos aduerſus Anglum ſumptus illud profunderet, Philippus Rex hoc anno acceſsit ad Benedictum, vt illum ſuſcipiendæ, confecto bello Anglico, Aſiaticæ expeditionis pollicitatione demulceret. Siquidẽ Armenia ad extremum adducta diſcrimen ob inanes intentatas Saracenis a Gallis minas, ac patefactam nocendi voluntatem et impotentiam, lugebat; qua de re hæc narrat Ptolemæus Lucenſis. c

Prohibita vlterior decumarũ exactio.

Obiectæ exactas non reſtituentibus pœnæ.

c Ptol. Luc. l. vlt. c. vlt. Arcanus Philippi Regis cũ Bened. cõ greſſus.

22 *Anno Domini* M.CCC.XXXVII. *v. nonas martij Rex Philippus Francorum venit ad Papam Benedictum, & ibi excluſis omnibus ſolus cum Pa-*

Papa habuit colloquium super passagio, quod debebat incepisse kal. augusti proximis, & sic remansit inexpletum: ex quo multa mala inferebantur Christianis per Saracenos. In arcano hoc colloquio datum Philippo, iniqua postulanti, grauissimum hoc responsum, consignat memoratus vitæ Benedicti auctor a.

Fertur, inquit, *ipsum dixisse Philippo Regi Franciæ memorato, cum ad ipsum, vt supra *citatum est venit essentque ambo causa audiendi & exponendi illa, quæ idem Rex secum habebat agere, ac per ipsum fieri petere disponebat: quod si ipse haberet duas animas, vnam sibi libenter daret, & eam pro ipso exponeret: sed non habebat nisi vnam, quam vnice & summe diligebat, & eam volebat posse tenus conseruare. Quibus præsuppositis & præmissis, dixit eidem Regi, quod secundum hoc suas petitiones sic disponeret & limitaret, quod in eis non esset aliquid ad Dei offensam, & per consequens suæ animæ periculum seu damnationem: tandem videret quia, si sic esset, nullo modo ipsum exaudire intendebat. Quod verbum licet prima facie dicto Regi aliqualiter durum & extraneum extiterit, tamen ipso bene intellecto & ponderato ipsum bene gratum habuit, & rationabilem & sanctum iudicauit, prout etiam in rei veritate fuit.* Repulsam passus Philippus Rex de ecclesiasticis decimis in Anglos deriuandis, iterum hoc anno easdem importunas preces renouauit, quas ab oratoribus ipsius porrectas grauissimis hisce argumentis refregit Pontifex. b

a Bened. gesta vbi supra. *recitatum

Graue Pontificis ad illius petita responsum.

Benedictus, &c. Regi Franciæ.

A regia non credimus memoria excidisse, qualiter per regios & dilecti filij nobilis viri Ioannis primogeniti tui ducis Normanniæ procuratores, olim ad sedem Apostolicam destinatos, in tuam & eiusdem ducis animas & de mandato expresso regio promissum extitit & iuratum, quod non acciperetis, nec accipi faceretis, seu consentiretis, quod alius aliquid de ijs caperet, seu acciperet, quæ per sedem eandem erant in subsidium passagij transmarini concessa, ad hoc quod in vsus alios, quam in vtilitatem passagij conuerterentur prædicti; nec ea in vsus conuerteretis alios, nec pateremini a quouis alio scienter conuerti. *Et infra*: Et si modo contrarium fieret, maxime in guerris contra Christianos faciendis, decimales pecunias impositas & collectas pro dicto passagio expendendo, discutiat intra sui claustra pectoris regalis prouidentia, quid præter offensam diuinam, & vltionem exinde merito formidandam, de nobis & sede Apostolica & te, fili, cum secrete talia et absque fratrum nostrorum consilio nequiremus concedere, posset dici; mundus namque detractorijs oblocutionibus proclamaret, dicendo: Nunc patent delusiones quibus per ecclesiam & Regem deludimur, dum pecuniæ, concessæ ac collectæ pro eripienda terra sancta de impiorum manibus, ad effundendum Christianorum sanguinem conuertuntur.

b To.3.ep. secr.67.

Admonitus Phil. dati iurisiurandi.

Christiano orbi non esse illudendū.

23 Aduertendum est etiam circa ista, quod si Deus daret opportunitatem passagij pro tempore pecuniæ sic consumptæ, recuperari nequirent de facili, & maxime a tuis heredibus, in sua præsertim nouitate, si a Domino interim vocareris: propter quæ in fidei & fidelium dispendium, tuæque salutis detrimentum animæ impediretur negotiū passagij antedicti: nam & si tunc forsitan sedes præfata pro passagio alias vellet decimas imponere, non deessent, vt existimamus proculdubio, qui derisorie vel contradictorie forsitan contra sedem eandem dicerent sibilando, & non absque nota magnæ ipsius sedis & tuæ infamiæ recensendo, quod illud, quod factum fuerat de alijs decimis, pro passagio terræ sanctæ impositis alias & collectis, ac demum in effusionem sanguinis Christianorum conuersis, posset sperari de illis fieri, quas vellet imponere sedes ipsa: & præter hæc sinceritas regia habet considerare prudenter, quid tuis prædecessoribus propter receptiones & consumptiones decimarum, alias impositarum & collectarum pro dicto passagio, creditur cōmuniter accidisse; quidque de te, si finistrum tibi veniret aliquid, a quo te defendat Dominus, diceretur, &c. *Dat. Auin. 11. non. aprilis pontificatus nostri anno 111.*

Diuinam vindictam non defuturam.

Hæc si Philippus animo consilia reputasset, ingentia (vt pie credendum est) mala a se auertisset: sed illa Benedicti monita, vt plura alia, quæ veluti oracula erant, vt docuit eventus, a diuino Numine afflata, aspernatum vidimus, respuit: inuasit decimas orientali expeditioni sacras, & in bellum, quod vltro ad Scotorum gratiam in Aquitania inchoarat, conuertit, ingēresq; bellicos apparatus instruxit; sed quæ illi prædixerat Pontifex ad exitum sunt perducta; conductus enim ecclesiasticis opibus, religioni amplificandæ consecratis non voluntarijs & exitialibus rei Christianæ bellis suscipiendis, exercitus hostium solo aspectu diffiatus dissipatusque est, vt suo loco dicetur inferius.

Vt exitus monitis pontificijs consenserit.

24 Attriti interea ab infidelibus fuere Armeni, de quibus hæc Ptolemæus a Lucensis: *Eodem anno fuerunt superati, & planitiem amittentes petunt montana, sperantes subsidium ecclesiæ & Regis Philippi.* Illata est a barbaris late strages, ac Leo Rex ad eas iniquas leges a furente victore adactus est, vt iureiurando spoponderit, nullos in posterum oratores vel literas ad Romanum Pontificem se missurum: quo accepto Benedictus, proximo anno Leonem ea religione apostolico diplomate exoluit b.

a Ptol Luc hist. eccl. M.S. l. 24. c. vlt.

b An. 4. p. 1 ep. com. 165.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Leoni Regi Armeniæ illustri salutem, & apostolicam benedictionem.

Retulit hactenus sedi Apostolicæ cum doloris angustia famæ nunciatio volucris, & fidedignorum assertio molestius affirmauit, quod adeo in tui detrimentum status, tuique regni dispendium soldani Babylonici rabies truculenta desæuit, & multitudo Saracenorum sui dominij, eidem regno præcipue vicinorum crucis salutiferæ hostium, prout ipse in Christicolas tyrannidis executor existit, in te dictumque regnum durius insurrexit, quod per eorum potentiam (vtinam diuinitus reprimendam) huiusmodi Saracenorum multitudo quotidie regnum tuum intrant hostiliter, ciuitates & castra illius expugnant, capiunt, & soldano subijciunt antedicto: Christianum populum inibi degentem furenter cruciant, capiunt & secum adducunt, ac inhumaniter ponunt in ore gladij furibundi: sicque te tuisque regnicolis a soldano & Saracenis eisdem oppressis inæstimabiliter & afflictis, tu sensim cōspiciens, quod tantæ ipsorum potentiæ ad reprimendam vel propellendam eam resistere non valebas, violentia superatus, & vrgenti necessitate coactus, vt ijdem soldanus & Saraceni terram tuam seu prædictum regnum non dissiparent vel occuparent vlterius; sed te dictique regni subditos permitterent respira-

Adactus Leo Rex ad nefaria pacta.

rare, iuramentum ad sancta Dei euangelia inter cætera præstitisti nuntio ipsius soldani pro eo recipienti, quod ad summum Pontificem, qui esset pro tempore, siue ad Romanam curiam aliquem ambassiatorem, vel nuntium, aut literas ex tunc in antea nullatenus destinares. Cum igitur iuramentum huiusmodi beneplacito excellentiæ diuinæ obuiet, & iustitiæ contradicat, ac in derogationem tuæ regiæ dignitatis, honoris, & status redundare noscatur; nos hæc diligentius attendentes, & etiam considerantes attentius iuramentum ipsum a te non sponte sed coacte, vtpote per impressionem hostilem & violentiam inculcatam extortum per feram tyrannidem extitisse: quodque iuramentum, vt foret iniquitatis vinculum, non extitit institutum; ac volentes super hoc, prout nostra interest, de opportuno remedio prouidere, te ab eodem iuramento, illicito quidem, auctoritate apostolica prorsus absoluimus, & denuntiamus etiam absolutum; auctoritate decernentes eadem, te ad ipsius iuramenti obseruantiam aliquatenus non teneri. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. kal. maij anno* IV. Continuæ occidentis dissensiones obstitere, ne Armeniæ inferrentur auxilia: atque ita eam pronis in exitium rebus demum a sedis Apostolicæ obsequio diuulsam visuri sumus. Luctuosum porro fuit Reges Christianos mutuis constrictos affinitatibus, in mutua coniunctione iuribus sanguinis contineri non potuisse.

Rescisiū illud sacramentum a Pont.

Armenia demum amissa, ob occidentalium discordias.

25 Cum vero disturbatam expeditionem Asiaticam vidisset Alfonsus Lusitaniæ Rex, edixit ne decretæ a Ioanne XXII. decimæ, quæ pro suppeditandis stipendijs Lusitanis, qui ad eam se comparassent, soluerentur sedi Apostolicæ, easque opes occupauit, prætexens hunc fucum ne sine auctoritate sua consumerentur. Qua de re certior factus Pontifex, cum eas decimas in orientalium auxilium conuertere cuperet (flagitabat enim opem Leo Armeniæ Rex, cuius oratores ac supplices literas hoc iterum adulto anno accepit) tum libertas ecclesiastica inuasis sacris opibus violaretur, Alfonsum Lusitaniæ Regem corripuit, obiecitque quantam sedi Apostolicæ iniuriam inferret. Implicitus b erat Alfonsus Rex bello cum Alfonso Castellæ Rege genero, cum Mariam Reginam filiam suam ab illo illiberaliter tractari indignaretur c adeo, vt de ipsa repudianda & Gusmania, cuius vesanis erat irretitus Castellanus amoribus, corona regia ornanda, Petroque notho tradendis sceptris agitarit. Ad quos conciliandos Bernardus episcopus Rutenensis a Pontifice legatus est. Imperatæ sunt ab hoc inducię, quas non respuit Lusitanus, si Castellanus eas admitteret. De quo Benedictus Lusitano actis gratijs, ad flectendum Castellanum studium conuertit, atque ob oculos ipsi proposuit d, quanta ex ijs discordijs nascerentur discrimina: confligtari regnum, atteri populos, hostium fidei potentiam confirmari. Quo antea argumento ad Lusitanum Regem scripserat. Comparabat enim se bello Albohacenus Rex Marrochitanus (quem Tremesenio regno superiori anno auctum fuisse refert Mariana e) ad inuadendas Hispanias: qua de re Beltraminus electus Theatinus & Henricus de Aste Apost. sedis internuntij eam fecere certiorem f. Missos superiori anno in Aragoniam ipsos vidimus, vt Petrum Regem, qui cum Regina Elionora nouerca eiusque liberis & illorum patruo ac tutore & Rege Castellæ, qui sororis viduæ clientelam acceperat, pernicia-

Lusitanus decumas sacras inuadit.

a *To.3.ep.* 318.

Belli inter Castellanum & Lusitanū exordia.

b *Ead. ep.*
c *Sur. l.7. c.33. Marian. l.16. c.4.*

d *Eod. to.3 ep. secr.* 377. 146.

e *Marian. l.16. c.5.*
f *To.3. ep. secr.* 195.

Aragonico intestino bello sopiendo data opera.

le bellum gerebat, ad pacem reuocarent, darentque operam, vt celebrarētur ordinum regni conuentus, in quibus controuersia componeretur; nauatumque adeo strenue studium ab ijs fuit, vt demum pontificijs consilijs magna publicæ rei vtilitate paritum a sit. Commendanda vero hic solicitudo Pontificis, qui ex apostolico munere, quo publicis omnium regnorum Christianorum vtilitatibus consulere obstrictus erat, cum Regem Aragonium puerum a factioso consilio abripi in bella ciuilia intueretur, solemnes regni conuentus sua auctoritate celebrari ad regnum pacandum iussit, ac regij consilij turbarumque principem præfectum scrinij, regiæ ætatis abutentem imbecillitate, ad subsellia sedis Apostolicæ ad causam dicendam se sistere compulit b. Extincto itaque in Aragonia ciuili bello, Benedictus Petro Regi est gratulatus c, animum ad pacis consilia ipsum conuertisse, ac pie apostolicis monitis morem gessisse.

Rediit. grata concordia.

a *To 3. ep. secr. 68.*

b *Marian. l. 16. c. 6.*

c *To. 3. ep. secr. 360.*

Benedictus, &c. Petro Regi Aragonum.

Dilectorum filiorū Beltramini electi Theatini, & magistri Henrici de Aste canonici Ambianensis capellani nostri causarum palatij apostolici auditoris, nostrorum & Apostolicæ sedis nuntiorum, ad nos insinuatio grata perduxit, quod tu, fili dilectissime, nostris & eorundem nuntiorum ac aliorum, qui tuæ salutis, honoris, & commodi zelatores existunt, consilijs & persuasionibus salubribus acquiescens, ad extirpandam radicitus dissensionis periculosam & scandalosam materiam, quam inter te ex vna parte, ac inclytos infantes claræ memoriæ Alfonsi Regis Aragonum genitoris tui ac charissimæ in Christo filiæ nostræ Elionoræ Reginæ Aragonum illustris relictæ suæ natos fratres tuos, eandemque Reginam tutricem, ac dilectum filium nobilem virum Petrum dominum de Xerica defensorem eorum ex altera, suscitare studuerat hostis humani generis; ac pacis & vnitatis fœdera inuicem reformanda & stabilienda, cor regium effectualiter inclinasti. Super quibus, Deo & nobis gratis admodum, celsitudinem regiam multipliciter in Domino commendamus, eandem rogantes attentius, & in Domino exhortantes, quatenus pacis eiusdem attentis commodis, illam stabilire ac obseruare inuiolabiliter regalis circumspectio non postponat; ita quod recolendæ memoriæ Regum Aragonum prædecessorum tuorum, qui pacem & vnitatem nutrire cōsueuerunt in domo regia, laudabiliter imitando vestigia, te semper acceptiorem efficias Regi pacifico & excelso, tibique ipso largiente prospera cuncta succedant. *Dat. Auin. III. non. decembr. anno* III. Consuluit etiam pacis studio eidem Regi Benedictus d, ne Raimundū e Peralta Friderici olim Trinacriæ Regis generum classi præficeret, sed alium magnatem rei maritimæ peritia clarum; cum Raimundus antea Robertum Siciliæ Regem læsisset, ac fœdus quod ipsum inter & Aragonios intercedebat, infregisset; dum nimirum Trinacriam Robertus superioribus annis recuperare nisus fuerat.

Aragoni gratulatur Pontifex de suscepto pacis consilio.

In eo eos firmatur.

d *Ib. ep. secr.* 382.

e *Ib. ep. sec* 244. *Io. Vill. l. 11. c. 70. Marian. l. 16. c. 5.*

26 Excesserat e tum e viuis Fridericus Rex, qué Trinacriæ sceptrum scelere corripuisse vidimus; gessisse impie, cum e piorum cœtu segregatus diutissime vixerit; nec minori perfidia Petro filio transmisisse, cum fœderis leges, ex quo Apostolicæ sedis auctoritate iuste Regis nomen acceperat, ea re violasset: Trinacriæ enim aliarumque insularum adiacentium dominatus ad Siculos

Regis Trinacrij mors. Vt posteros in tyrannidis successionem inducerit.

Re-

Reges Gallici generis erat deuoluendus. Cæterum reliquit minori filio Ioanni Athenarum & Neopatriæ principatum: sepultum vero Catanæ in beatæ Agathæ templo ferunt. Erectus est in spem, eo sublato; Robertus Rex auiti regni redintegrandi; atque a Pontifice, significata ei Friderici morte, contendit ne quid aduersus sua iura statueret. Cui Benedictus hæc quinto kalendas septembris rescripsit a: *Super ijs, quæ dictarum exprimebat series literarum, nihil in tuum & regni tui præiudicium attentari permittemus, quantum in nobis fuerit; immo tibi assistere intendimus, sicut cum Deo & honestate poterimus, super eis.* Ex his auctores recentiores emendandi, qui in alium annum Friderici mortem conijciunt. Fauebat Roberto pro recuperanda Trinacria Petri illius inuasoris morum improbitas, quem Ioannes Villanus b parum ab insania abfuisse refert adeo; vt plures proceres a se abalienarit, inter quos Franciscus comes Vintimilienſis apertam rebellionē mouerit, atque a Roberto auxilia implorarit. Sed antequam ea venirent, Petri copijs oppressus est: duo enim eius filij in hostiū venere potestatem, ipseq; postmodū cum alio filio in acie occubuit bona, ampliſſima fisco sūt addicta: inde vero aliæ ex alijs discordiæ grauissimæ emersere.

a Super ep. 244.

b Io. Vill. l. 11. c. 70. Petrus Rex Trinacriæ.

Comitem Vintimilienſem opprimit.

Laborabat non leuioribus intestinis dissensionibus reliqua Italia; ad quam componendam a Benedicto vrbibus imperij præfectos datos Baronius refert c: *Gubernatores*, inquit, *per terram imperij in Italia direxit, hoc ad se pertinere vacante imperio asserens.* Præcipuus vero tyrannus Mastinus Scaliger, qui magnam terrarum imperij partem inuaserat, admodum depressus est. Carolus princeps Regis Boemiæ filius e Charinthia Bellunum & Feltria oppugnauit: fœderati ad Veronam excurrere, sed a Mastino cum minoribus copijs repulsi; inde ad Patauium belli moles incubuit d atque ab Albertino Carraria conflata coniuratione, Albertus Scaliger, qui superbe dominabatur, coniectus est in vincula, Carraria vero vrbis dominatum corripuit, sæque alijs fœderatis adiunxit. Concidente porro in dies Mastini Scaligeri potētia, Brixia iugum illius excussit e, ac plura non ignobilia municipia defecere: accisis itaq; viribus, ille a Venetis pacem quæsiuit, sed nonnisi duriores conditiones referre potuit. In Vrbe Columnensium Vrsinorumque fessi discordijs Romani flagitabant f continentibus votis, vt Benedictus desolatæ Vrbi, cuius administrationem noua officij significatione illi deferebant g, sedem Apostolicam restitueret; quibus Pontifex hæc respondit: *Scire vos cupimus, quod ex quo fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, ad hoc præcipue nostra aspirauit intentio & aspirat, vt Vrbem ipsam de fratrum nostrorum consilio & eum ipsis fratribus personaliter visitemus: verū, sicut scire vos credimus, status ager & intranquillus occidentalium partium nostra in hac parte præsentialiter impleri desideria non permittit, &c. Dat. Auin. 11. kal. augusti anno 11.*

b Io. Vill. l. 11. c. 70. Petrus Rex Trinacriæ.

c Baron. in not. M. S. ad hunc ann. Benedictus prouincijs imperij præfectos imponit.

d Io. Vill. c. 64. Antonin. super. tap. & S. Carrarius Patauij dominatu potitus.

e Id. c. 72. Scaligero. rum extenuata potentia.

f Ibid. ep. 225. Rogatus Pontifex vt Romā redeat.

g Eid. epist. 225. & epist. 322. Quid rescripserit. Edictum in Bononienſes.

27 Abfuere ab eo Romanorum in Pontificem studio Bononienſes, qui pulso iam ante Bertrando A. S. L. inter ciuiles tumultus Thadęo Pepulo vrbis tyrannidem detulerunt h, quos Pontifex perduellionis lege postulatos publico hoc edicto perculsit i.

h Io. Vill. lb. 11. cap. 69. & alij. i An. p. 2. ap. cur. 20. & lib. pri. uil. Rom. eccl. to. 1. pag. 388. & collect. processuū Benedicti ex archiep. isc. Auxitan. comē tar. pag. 1.

Benedictus &c. ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Fons sapientiæ verbum Dei, in operibus suis doctrinam infundens salutarem Israeliticum populum, quem priuilegio gratiæ specialis alijs præferebat, fouebat manna misericordiæ, ac rigoris virga regebat, sic beneficia ipsis impertiens, vt nō remitteret vltiones. Moyses etiam Dei amicus, licet pro dicto populo offerret vitulum labiorum munus tamen sacrificij non omisit; sed post supplicationis hostiam holocaustum satisfactionis humiliter offerebat, causam populi coram Domino precibus, & Dei causam in populo vltoribus gladijs prosecutus, &c. [Plura addit, si ignoscatur crimini, licentiæ fræna laxari; vnde interdum parcere tyrannidis sit, & misericordia desauire. Tum subdit:] Cum enim venerabilis frater noster Bertrandus episc. Ostiensis, olim in tota prouincia Lombardiæ & nonnullis alijs Italię partibus apostolicæ legationis officio fungeretur, & in eadem ciuitate Bononiæ resideret, ac eiusdem ciuitatis, nec non comitatus, territorij, & districtus, ac pertinentiarum ipsius, dominium, & iurisdictionem, ad Romanam ecclesiam pertinentia ab antiquo, pro dicta ecclesia teneret & possideret, & diu, pacifice, iuste, & legitime pro eadem ecclesia tenuisset, & etiam possedisset; sindici quoque communitatis, & vniuersitatis ciuitatis eiusdem, ad hæc specialiter cōstituti, recognouissent dominium & iurisdictionem prædicta pleno iure ad eandem ecclesiam ab antiquo pertinuisse & etiam pertinere; & ex abundanti eadem dominium & iurisdictionem primo eidem legato, & secundo felicis recordationis Ioanni Papæ xxii. prædecessori nostro, tunc viuenti, nomine eiusdem ecclesiæ recipientibus, expresse donassent, confectis exinde publicis instrumentis; nonnulli iniquitatis alumni incolæ ciuitatis prædictæ, tractatu etiam de hoc, vt dicitur, non absque proditionis reatu præhabito inter eos, rumorem & seditionem in eiusdem ciuitatis populo excitarunt, ac pluribus continuatis diebus, pulsatis hostili more campanis, ad præmeditatæ diutius eiusdem proditionis facinus perpetrandum in vnum Bononiensis populus congregatus flagitioso & sacrilego ausu eundem episcopum Ostiensem Apostolicæ sedis legatum, in castro per eum constructo pro eadem Romana ecclesia, sito infra ciuitatem prædictam, cum nullas tunc talium machinationum & proditionum verisimiliter formidaret insidias, residentem aggredientes hostiliter obsederunt, eumque per decem dies continuos, & amplius tenuerunt obsessum: ac conflatis eorum robore & virtute cum balistis & alijs bellicis instrumentis aduersus dictum legatum, honorabile membrum Romanæ ecclesiæ, partemque corporis Romani Pontificis & de latere eius missum, non absque crimine læsæ sedis Apostolicæ maiestatis proijciendo lapides & quadrellos, nequiter & hostiliter expugnarunt. Fossata etiam dicti castri, & aquæductum ipsorum, & murum clusæ dictorum fossatorum ruperunt, ignemque posuerunt in aliquibus fortalicijs dicti castri: & vt idem legatus destitueretur omni auxilio & succursu, & ne aliquibus ad succurrendum eidē aditus præstaretur, cœperunt in circuitu dicti castri fodi facere foueas, seu fossata, vt idem legatus & gentes, suæ inedia fameque consumpti, eorum se tradere manibus cogerentur, in eiusdem castri obsidione huiusmodi terroris vocem vniuersaliter proclamantes: Moriatur legatus, moriatur legatus, & illi de lingua * aranci; sub magnis pœnis nihilominus prohibentes, ne per aliquos introducerentur in castrum prædictum aliqua victualia, vel res humanis necessitatibus

De concitata ab ijs seditione in Bertrandum A. S. L.

Vt eundem obsederint.

Mortem truculētis vocibus intentarint. *Franca

bus

bus opportunæ. Sub pœna etiam capitis, voce præconia, & cum tubis fecerunt publice proclamari, ne quis castrum ingrederetur præfatum, aut loqueretur existentibus in eodem. In obsidione quoque prædicta, diurnis, & nocturnis temporibus tamdiu minaci & armata potentia perstitetunt, donec legatum cum familia, & alijs gentibus suis ad dictum castrum reductis, de dictis castro & ciuitate cum multis personarum & rerum periculis exire oportuit, & festinare recessum.

Demum capta deditione arce efecerint.

28 Eadem vero obsidione durante, ijdem Bononienses, ad omne nefas relaxatis habenis, dilectum filium Oliuerium Beraldi militem vicemarescallum gentis eiusdem ecclesiæ, in dicta ciuitate morantem, eiusq; officiales in palatio, in quo dictus vicemarescallus tunc morabatur, hostiliter inuaserunt, supponentes ignem præfato palatio, vt metu incendij facilius cogi possent: ac finaliter eosdem vicemarescallum & familiares ipsius ceperunt, & deprædati fuerunt, eosque vinculis & compedibus ferreis constrinxerunt, ipsos nihilominus, & maxime dictum vicemarescallum tormentis seu quæstionibus sæpius affligentes: omnesque alios officiales, per dictum legatum in ciuitate prædicta pro Romana ecclesia constitutos, hostiliter insecuti & prædati fuerunt, eosque de facto a suis officijs amouentes, in locum eorum alios posuerunt. Custodes etiam portarum ciuitatis eiusdem inuaserunt, supponentes ignem in aliquibus earundem, captis & interfectis aliquibus custodibus prælibatis; ac maleficos omnes & carceratos, in carceribus venerabilis fratris nostri Bertrādi episcopi Bononiēsis, & dilecti filij rectoris dictæ ciuitatis pro Romana ecclesia pro multis grauibus sceleribus perpetratis per eos ibidem detentos, effractis dictis carceribus, in eiusdem ecclesiæ contumeliam relaxarunt, omnesque bannitos de dicta ciuitate pro multis enormibus excessibus patratis per eos ad dictam ciuitatem temere reduxerunt.

Diffracti ab ijsdem carceres.

Reuocati exules.

Hostium quoque & rebellium eiusdem ecclesiæ, videlicet marchionem Estensem, contra dictum legatum auxilium inuocantes, de ipsorum stipendiarijs in ciuitatem præfatam magnam multitudinem induxerunt, ac venerabiles fratres nostros Bertrandum episcopum Ebredunensem, tunc Apostolicæ sedis in partibus illis nuncium, & Petrum Mirapiscensem, & præfatum Bertrandum Bononiensem episcopos, & quondā Bertrandum Nonantulanum Mutinēsis diœcesis & dilectum filium Iacobum S. Stephani Bononien. monasteriorum abbates, omnesque tam prælatos quam alios clericos religiosos & seculares, ac laicos vniuersos de familia & gente ipsius legati; nec non stipendiarios dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ in ciuitate, comitatu, territorio, & districtu prædictis existentes, absque aliqua causa rationabili, solius præconceptæ proditionis impulsu, hostiliter inuaserunt, eosque libris, capellis, equis, vasis argenteis, vestibus, armis, pecunia, & rebus eorum nequiter spoliarunt; dictumque abbatem Nonantulæ vsque ad femoralia nudauerunt, ipsumque decem diebus detinuerunt carceri mancipatum. Episcopale quoque palatium Bononien. supposuerunt incendio, & quoscunque reperire potuerunt de gente, familia, & idiomate dicti legati, ceperunt, multosque ex eis vulnerauerunt, & aliquos inhumaniter & crudeliter occiderunt: ac terras, castra & loca omnia prædictorum comitatus & districtus, nec non terras, castra, & loca supposita iurisdictioni dictorum episcopi, & ecclesiæ Bononien. in rebellionis deuium aduersus dictum legatum & Romanam ecclesiam deduxerunt.

Legati familia expilata.

Episcopale palatiū Bononiense incensum.

Bononiensium in Gallos sæuitia.

29 Officiales insuper & gentes omnes in eisdem ciuitate, comitatu, & districtu, castris & locis pro prædictis Romana ecclesia & legato, et Bonon. Episcopo consistentes, ceperunt & spoliarunt, nonnullos ex eis familiares eiusdem Bononiensis episcopi crudeliter occidendo: inter quos quondam Bertrandus de Glar familiaris eiusdem episcopi Bononiensis feritatis detestandæ sqitia euisceratus extitit, & per frusta concisus, eius carnibus datis in escam canibus & proiectis. Et inter huiusmodi enormitatum multiplicatos excessus eundem legatum, & per eum dictam Romanam ecclesiam de possessione vel quasi ciuitatis & castri, ac comitatus, territorij, & districtus Bononiensis, ac iurisdictionis & iurium prædictorum; in qua possessione vel quasi idem legatus nomine, & pro parte eiusdem Romanæ ecclesiæ diutius pacifice & quiete fuerat, & tunc etiam existebat, iniurioſe per violentiam deiecerunt, dictaque possessione vel quasi eandem Romanam ecclesiam spoliarunt, & spoliari mandarunt, seu deiectionem & spoliationem ab alijs factam ratam habuerunt: dictamque possessionem seu quasi ciuitatis, comitatus, territorij, & districtus, ac iurisdictionis & iurium prædictorum, velut alienati filij non attendentes, quam durum existat contra stimulum calcitrare, in eiusdem ecclesiæ contumeliam occupare, & ex tunc occupatam tenere præsumpserunt nequiter, & præsumunt. Quinimmo furore damnabilis indignationis accensi, dictum castrum, per dictum legatum pro dicta Romana ecclesia, non sine magnis expensis opere decoro constructum, fuerunt funditus demoliti in grauem Apostolicæ sedis iniuriam & contemptum, &c.] Subdit, licet hæc omnia essent conspicua, Ioannem tamen de ijs inquisiuisse: se vero succedentem, cum perpenderet sæpius legatis Cardinalibus atroces huiusmodi iniurias illatas, iustitiam misericordia temperandam decreuisse, atque literis Bononienses ad officium solicitasse: tum opera archiepiscopi Ebredunensis in ijs partibus Apostolicæ sedis internuncij minas, ni rediret ad obsequium, iustas incussisse: quamuis autem is Bononiam se contulisset, flectere tamen ipsos non potuisse: atque ideo magistratibus Bononiensibus actionem intendit, vt Romanæ ecclesiæ iura omnia restituant, quibus Bertrando Cardinale legato potiebatur, ecclesia excurrente duorum mensium spatio, & claues vrbis Florentino & Imolensi episcopis vel Æmiliæ præsidi deferant, ac libero dominatu potiri sinant: detrectantibus apostolica imperia intentat anathema, vrbem & comitatum sacrorum templorum vsu priuat, ac ni magistratus lapso bimestri pontificium præfectum in Bononiæ possessionem induxerint, euoluto inde mense denuntiat publicarum scholarum iura Bononiæ eripi, atque scientiarum professores & dantes operam literis, ni academiam disoluerint, censuris percellit. Magistratus præterea omnibus publicis muneribus, beneficijs, ac iuribus, quibus ab ecclesia erant exornati, euertit; imperatq; ne quis sacerdos, nisi in ancipiti mortis discrimine, ipsos censuris exoluat. Denique in iudicium, præter magistratus, præcipuos auctoritate ciues, atque inter alios Franciscum episcopum Cenetensem, Thadæum Pepulum legum doctorem, Ioannem et Iacobum eius filios, Ioannem Pepulum fratrem Thadæi

Perduellio in Pontificem.

Arx abijdem ecclesia.

Obiectæ pertinacibus pœnæ.

Inflictum interdictum.

dæi comitem de Pepulis eius filium ; Lippum de Pepulis accerſit, vt euoluto trimeſtri ad dicendam cauſam ſe ſiſtant : populum vero oratorem pro expiando flagitio mittere iubet, ac ne ipſos id edictum latuiſſe obtendant, Auinionenſis eccleſiæ foribus affigendum decernit. *Actum Auinion. in palatio noſtro Apoſtolico* IV. *non. ianuarij pontificatus noſtri anno* III. Mediolanenſi autem ac Rauennati archiepiſcopis a, tum Florentino & Imolenſi epiſcopis b Æmiliæque præfecto imperatum, vt hæc edicta ritu ſolemni euulgarent. Perculſi ijs cenſuris Bononienſes proximo anno ad Benedictum oratores decreuere, qui in publico Cardinalium ſenatu profeſſi Bononiam iuris eſſe pontificij, ſacroſanctæ poteſtati ſe ſubmiſere, inque eccleſiæ gratiam reſtitui popoſcerunt, de quibus agetur inferius. Meminit de Bononienſibus perduellionis lege poſtulatis Ioannes Villanus c, de quo ſupra memoraui, additque retuliſſe iuſta improbitatis ſuæ præmia Bradalium Guzadinum, qui Bertrandum legatum Cardinalem concitata ſeditione pepulerat, dum exilio a Thadæo, cum quo de tyrannide diſceptarat, mulctatus eſt.

Thadæus e Pepulis in ius vocatus.

a An. 3. p. 2. ep. cur. 21. 22. b lib. ep. 23 & collect. proceſſ. Bened. per archiep. Auxitan. ca merar. pag. 6.

Promulgatæ in Bononienſes cenſuræ.

c Io Vill. l. 11. c. 69.

30 Hoc anno diſtricta eſt pontificio iuſſu d legum ſeueritas in nonnullos magos ac præſtigiatores, qui imagines cereas confinxerant, ac diabolica ſacrorum Chriſtianorum æmulatione ritu profano baptizarant ad inferendam Ioanni XXII. necem : qui cum Biterrenſem epiſcopum, vt criminis auctorem accuſarent, explorari certius rei veritas a Benedicto iuſſa eſt, ac publicæ tabulæ de ea re tranſmitti. Tradit autem Benedicti vitæ auctor e, flammis iniectum hoc anno pſeudominoritam, qui apoſtolicis conſtitutionibus contrariam de Chriſti paupertate ſententiam pertinaciſſime tuebatur: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCXXXVII. *die tertia menſis iunij Venetijs fuit tanquam hæreticus condemnatus, brachioque ſeculari traditus, & deinde crematus igne frater Franciſcus de Piſtorio ordinis Minorum, pro eo quod pertinaciter aſſerebat, quod Chriſtus & eius diſcipuli nihil habuerunt in proprio nec in communi: cuius contrarium determinauerat Ioannes Papa* XXII. *in conſtitutione, quæ incipit : Cum inter nonnullos.* his conſentanea in M. S. f Vaticano referuntur. Nondum enim illa inſania ex plurium capite nisi ferro flammaque excuti poterat : inter quos erant pſeudominoritæ Michael Cæſenas, Guillelmus Ochamus, Franciſcus de Aeſculo, atque alij nonnulli: *Qui*, inquit, *a quondam Petro de Corbario, tunc antipapa, hæreſiarcha, & ſchiſmatico promotiones ad dignitates vel officia receperunt de facto*, quos Pontifex ob inſignem eorum improbitatem beneficij illius expertes pronuntiauit g, quod cæteris ſacri eius ordinis ſodalibus, qui in hæreſim vel ſchiſma erant lapſi, impertierat vt ſolemnibus comitijs Caturci celebrandis cenſuris exolui, atque in gratiam cum eccleſia reſtitui poſſent.

Magi iudicio poſtulati.

d To 3. ep ſecr. 137.

e Geſt Bened. apud Boſq. Minorita exuſtus Venetijs.

f M.S. bib. Vat. ſign. n 3765. in Ben. XII.

Propoſita Minoritis lapſis venia.

g To 3 ep. ſecr. 109.

Benedictus, &c. miniſtro & diffinitoribus capituli generalis ordinis fratrum Minorum, in proximo celebrandi Caturci.

Nos, ſequendo, quantum poſſumus, diuinæ miſerationis exemplum, fratres prædictos, ſi vera ſit eorum contritio, ad miſericordiam recipi, & animarum ipſorum cupientes prouidere ſaluti, vobis, de quorum circumſpectione fiduciam in Domino gerimus ſpecialem, *& infra*, vt ab ex cõmunicationis ſententijs, quas incurrerunt propter prædicta, prouidere auctoritate noſtra hac vice iuxta formam eccleſiæ, ac pœnitentias ſalutares iniungere, prout expedire animarum ipſorum ſaluti cognoueritis, valeatis (exceptis tamen eodem Michaele [nimirum Cæſenate ſupremo olim Minoritarum præfecto] ac Franciſco de Eſculo, Guillelmo Ocham, Bonagratia, & alijs, qui a quondam Petro de Corbario tunc antipapa, hæreſiarcha, & ſchiſmatico promotiones ad dignitates vel officia receperunt de facto) plenam concedimus tenore præſentium facultatem, &c. *Dat. Auin.* IV. *id. maij anno* III.

Ea de re literæ.

Boſnia infecta hæreſi.

In Boſnia, cum recrudeſcerent hæreſes, ac Stipocius Banus impijs ſtuderet, ſuaque potentia illos tueretur, Pontifex ſeruandæ incorruptæ religionis ſtudio finitimos principes, vt arma in hæreticum Banum corriperent, excitauit a : atque inter cæteros Neliptius comes Tunenſis, Budiſlauus, Gregorius, & Paulus Corbaniæ, Daymo & Bartholomæus Segnię, Paulus & Georgius Cluſſiæ, Paulus Eſternicæ, Conſtantinus Cluci comites a Benedicto literis ſolicitati b ad fidei cenſores ſua potentia & auctoritate fulciendos.

a To. 3. ep ſecr. 123. ad 128.

b Ibid.

De Græcorum ad eccleſiam reditu agitatum.

31 Emicuit etiam pontificiũ ſtudiũ in Græcis ſchiſmaticis ad Romanæ eccleſiæ coniunctionem prouocandis. Agitatum iam ante fuerat ſub Ioanne XXII. de vtraque eccleſia copulanda, cum inde Chriſtiana religio felicius de Mahumetica ſuperſtitione triumphatura videretur, ac Turcarum impetus reprimendi eſſent : cumque Benedicto expoſitum fuiſſet, Græcos redintegrandæ coniunctionis cupiditate teneri, ipſeque ad rem perficiendam alacrem ſe præbuiſſet, ac perlatum fuiſſet Andronico Imperatori Conſtantinopolitano, Romanum Pontificem id vnum maxime gerere in votis ; conſtituit Andronicus e Græcorum conſilio tractatum ea de re inchoare, conteſtatus ſe & Græcos, vbi comperiſſent ſuos errores, ad eos damnãdos paratos fore. Quæ cum Benedictus accepiſſet, mox ad optatam adeo eccleſiarum coniunctionem vrgendam Andronicum Palæologum hiſce literis prouocauit c.

c Ib. ep. 6. ext. etiam in M. S. arch. Vat. de rebus Tart. Armen. et al. infid. & ſchiſ. pag. 29.

Magnifico viro Palæologo moderatori Græcorum gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

De Andronico ad ſchiſma exuẽdum comparato.

Nuper ad noſtram veniens præſentiam dilectus filius nobilis vir Stephanus Dourinus Dandalo miles aſſeruit coram nobis, quod ipſo dudum tibi tuiſque baronibus tecum tunc præſentibus exponente, nos intellexiſſe lætanter, quod Græci reuniri & reconciliari ſanctæ Romanæ eccleſiæ affectabant; tu ad hoc reſpondiſti de voluntate baronũ ipſorum, quod omnes Græci vnanimiter deſiderabant fieri reunionem & reconciliationem prædictas, parati ſuper hoc ſubire tractatum, ac nuncios & apocriſarios ad ciuitatem Neapolitanam deſtinare propterea, vbi nos noſtros etiam mitteremus ; cum de chariſſimo in Chriſto filio noſtro Roberto Rege Siciliæ illuſtri fiduciam obtineres : adijciendo nihilominus, quod vbi tu & Græci prædicti errare ſe cognoſcerent in aliquo, parati eſſent errorem huiuſmodi reuocare. Præmiſſis igitur per eundem militem apoſtolatui noſtro expoſitis, nos (qui ſummi & æterni Paſtoris, qui pro ſuis ouibus animam poſuit, vices licet immeriti gerimus, oues ipſas extra ouile dominicum oberrantes, in illud reduci, ne faucibus diaboli, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quos deuoret, pareant deuorandæ, profundis deſiderijs affectantes, de huiuſmodi tuo & Græcorum laudabili & ſalutifero propoſito, ſi eum in opus perfectionis curetis producere) multipliciter in Domino exultamus ; ei qui te ac tuos ſic

beni-

benigne inſpirando præuenit, labiorum vitulum in humilitate ſpiritus exoluentes.

Bened. ad Græcos excipiendos promptum ſe exhibet.

Ideoque tuam excellentiam attentius in Domino exhortamur, quatenus bona innumera ſpiritualia & temporalia, quæ ex reunione ac reconciliatione tua & Græcorum prædictorum ad ſacroſanctam Romanam eccleſiam, quæ mater cunctorum fidelium & caput omnium eccleſiarum exiſtere noſcitur, poterunt prouenire, quotque animabus ſalutis aperietur exinde ianua; nec non quæ ac qualia merita tibi, ſi tuo tempore ad effectum præmiſſa veniant, poteris apud Deum acquirere, diligenti meditatione intra tui pectoris clauſtra reuoluens, conceptum veritatis & ſalutis in hac parte ſpiritum non extinguas; ſed inflammes potius & accendas, te ac Græcos prædictos ad reunionem & reconciliationem huiuſmodi efficaciter diſponendo; ſuper tractatibus habendis ſuper eis idoneos nuntios & apocriſiarios cum literis & mandatis ſufficientibus ad nos & ſedem Apoſtolicam, quantocyus commode fieri poterit, nihilominus tranſmiſſurus. Volumus autem te pro certo tenere, quod nos & ſedem præfatam ſuper ijs propitios, quantum honeſte cum Deo fieri poterit, reperies & benignos: & cum reunio & reconciliatio prædictæ, cooperante diuina gratia, factæ fuerint & firmatæ, te tanquam chariſſimum & dilectiſſimum filium, paternæ dilectionis & charitatis brachijs aſtringendo, proſequemur opportunis gratijs, honoribus, & fauoribus te ac tuos. *Datum Auin. xvi. kalend. februarij anno* III.

32 Sentiebat Pontifex e dignitate Romanæ eccleſiæ non fore, vt in Regis Siciliæ aulam apoſtolicos legatos ad tractandam cum Græcis coniunctionem eccleſiarum, agitandaſque controuerſias fidei mitteret; atque ideo Andronicum eſt deprecatus, vt apocriſiarios ad ſedem Apoſtolicam legaret; ac Robertum Siciliæ Regem rogauit [a], vt ſtudio ſummo ad Græcos ad id adducendos incumberet: quamuis enim ingenio, eloquentia, ac ſacrarum literarum peritia polleret, aptiorem tamen nullum ad rem agitandam locum futurum, quam in quo perficienda foret.

Robert⁹ Rex inter pres concordiæ.

[a] To. 3. ep. ſecr. 9.

Benedictus, &c. Roberto Regi Siciliæ illuſtri.

Fili dilectiſſime, quia tuæ ſolicitudinis ſolertiam fructus vberes afferre poſſe huic negotio credimus; præſertim cum prælibatus moderator, ſpecialem, vt præmittitur, fiduciam de te gerat, tuque (cui dator bonorum & diſtributor omnium gratiarum clarum ingenium, cultum eloquium, ſacrarumque ſcripturarum intelligentiam miniſtrauit) magnum exinde acquirere tibi poteris meritum apud Deum; excellentiam rogamus regiam, & in domino attentius exhortamur, quatenus quot bona ex reunione huiuſmodi, ſi daret eam Dominus, prouenirent; quotque animabus Græcorum prædictorum damnationi expoſitis ianua pandereturſalutis, deducens in regiæ confiderationis examen, memoratum moderatorem ad reunionem & reconciliationem cum eadem Romana eccleſia, quæ mater & caput eſt eccleſiarum omnium & magiſtra, faciendas mittendoſque propterea nuntios & apocriſiarios cum ſufficientibus literis & mandatis, inducere vijs & modis, quibus expedire cognoueris, iuxta datam a Deo tibi prudentiam non poſtponas. Et licet gratum noſtris accederet affectibus, quod tractatus ſuper reunione ac reconciliatione prædictis ibi fiant, vbi dictæ reunio & reconciliatio ad honorem et gloriam diuini nominis et animarum ſalutem citius et vtilius ex tractatibus ipſis ſperari poterit, diuina cooperante gratia, prouenire; quia tamen tractatus eoſdem melius, celerius, et vtilius et ſolidius poſſe fieri apud ſedem Apoſtolicam, quam alibi, probabiliter exiſtimamus, velit regalis circumſpectio, quod ad ſedem eandem deſtinentur dicti nuntij et apocriſarij, efficaciter procurare, etc. *Dat. Auin. xvi. kal. februarij anno* III.

Rogatus, vt ad id operam naueť.

33 Fauebat huic Græcorum coniunctioni Imperatrix Ioanna, ex comitum Sabaudiæ ſtirpe catholica ſata, illamque Pontifex, vt cœptis inſiſteret, hiſce verbis incitabat a: *Sane, filia chariſſima, quia principaliter ad te, de domo & progenie, in quibus hactenus perſonæ fuerunt catholicæ, traxiſſe originem noſceris, multum ſpectat præfatum virum tuum tam propter te ipſam, quam eum, qui vna tecum caro eſt; & etiam ne vteri tui liberi & progrediendi ex eis a fide catholica, & eiuſdem matris eccleſiæ vnitate remoti ſint, vel quomodolibet alieni, ad reunionem & reconciliationem eccleſiæ memoratæ, quæ mater cunctorum fidelium & caput eccleſiarum omnium eſſe dignoſcitur, operoſis & efficacibus ſtudijs inducere, illaſque ſedule procurare; maxime cum ad id ſacræ ſcripturæ pagina te inuitet dicente Apoſtolo: Vir infidelis ſaluabitur per mulierem fidelem.* Subiungit vt apud Imperatorem incumbat, vt apocriſiarios ad eccleſias coniungendas, et ſchiſma eiurandum inſtructos auctoritate tranſmittat.

Ioanna Impera. trix fœ eccleſiæ promou. a Ib. ep. ext. etiam in M. S. memorato pag. 30.

Excitatur Sabaudus vt operâ ſuam ad id coniungat.

Excitauit pariter Aymonem comitem Sabaudiæ [b], vt cum maxime de ipſius gloria ageretur, ne qui ex Sabauda ſtirpe a fidei puritate deficerent, vel aberrarent ab eccleſiæ gremio, in nepotibus imperij heredibus vna cum ceteris orientalibus ad Romanæ eccleſiæ obſequium reuocandis pium pietatis ardorem explicaret.

[b] Ib. ep. ſecr. 8.

Diſſolut⁹ ob bella occident. de Græcorum coniunctione tractatus.

34 Intermiſſa porro eſt coniungendarum eccleſiarum memorata tractatio, cum occidentales in diſſenſiones funeſtas abirent, nec promiſſa Græcis in Turcas auxilia ſubmitterentur: ac præter Anglorum et Francorum exitialia bella, Genuenſes et Veneti, qui ſua potentia infideles facile comprimere potuiſſent, enſes in mutuas cædes in oriente ſtrinxerint [c]. Eiuſmodi belli initium deſcribit Ioannes Villanus [c] dum narrat, decem Monachenſium Ligurum triremes totidemque alias Venetas, dum prædæ cupidine ſulcarent Ægæum mare, in ſe mutuo incurriſſe, ac demum cruentam luctuoſamque victoriam Genuenſes retuliſſe. Atque hæ primæ faces diuturni belli iniectæ fuere, quo vtraque reſpublica pene conflagrauit, ac Turca prof rendarum victoriarum occaſionem nactus eſt. Vertit etiam Andronicus arma in Martinum Zachariam Chij præfectum genere Genuenſem, qui etiam, inſulam ab Andronico ſeniore adeptus iure fiduciario, ingentia bellica facinora aduerſus Turcas explicuerat: cumque aſſurgeret in dies illius potentia, Andronicus concepta de illo ſuſpicione, conflata claſſe, ipſum proditione & perfidia inſigni cepit; de quo hæc Nicephorus Gregoras: *Ipſe vir ſtrenuus & prudens, triremibus ædificatis, Aſianos barbaros oræ maritimæ accolas infeſtauit: piratis etiam circum inſulas vagantibus infeſtus, quos breui tempore adeo perterrefecit, vt metu belli cladium annua illi tributa penderent. Ad magnas igitur opes & gloriam breui euectus, Romanis ſuſpectus fuit, ne paulo poſt iugum Imperatoris excuteret: eaque de cauſa non palam eum Imperator ag-*

[c] Io. Vill. l. 11. c. 68.

Genuenſ. inter & Venetos belli exor dia.

Zacharias Ligur. captus ab Andron.

greſ-

greſſus nullo negotio inſulam cepit, & vinctum illum Byzantium miſit. Ita Andronicus Turcarum egregium expugnatorem eodem furore, quo quis ſibi dexteram amputaret, prodidit. Audito eo triſti caſu, Pontifex ac Francorum Rex apud Andronicum interceſſere, vt Martinum, quem in vinculis tenebat, reſtitueret libertati: extantque eo argumento deprecatoriæ ad Imperatorem IX. kal. maij huius anni datæ a Benedicto literæ a, quibus ipſum rogat, vt virum egregium, qui tot præclara geſta edidit in Turcas, vinculis exoluat: ſolutũ autem poſtea & præfectum pontificiæ claſſi in Turcas a Clemente VI. viſuri ſumus. Premebat tum obſidione Patracenſem vrbem & arcem in Achaia Bertrandus e Baucio, prouinciæ a Catharina Imperatrice Conſtantinopolitana (is erat inanis titulus ab ea retentus cum e Balduinorum Auguſtorum ſanguine eſſet ſata) præfectus: cum vero ea vrbs iuris eſſet eccleſiaſtici, atque ad archiepiſcopum ſpectaret, Pontifex Catharinam & Robertum Siciliæ Regem læuirum monuit b, vt Bertrandum e Baucio ſoluere obſidionem cogerent, quem etiam aſperioribus perſtrinxit c literis, atque Olonenſi & Coronenſi d epiſcopis munus iniunxit, vt obiecta cenſurarum religione a cœptis eum diuellerent; tum ad oppida, ſi quæ Patracenſi eccleſiæ eripuiſſet, reſtituenda compellerent: quæ literæ VI. kal. octobr. huius anni ſunt conſignatæ.

a To. 3. ep. ſecr. 80.

Patræ obſeſſæ.

b Epiſt. ſecr. 328. 82 9.
c Ib. ep. 330.
d Lib. ep. 327.

IESV CHRISTI
Annus 1338.

BENEDICTI PP. XII. annus 5. VAC. IMP. OCCID. 25. ANDRONICI IVN. IMP. ORI. 7

1 COncitauit grauiſſimas in eccleſia turbas anno a partu Virginis milleſimo trecenteſimo trigeſimo octauo indictione ſexta Ludouicus Bauarus, qui cum datam a Ruperto Palatino ac Vvillelmo Iuliacenſi comitibus Pontifici fidem infringeret, exercendæque in Philippum Regem Francorum vltionis cupidine arderet, nec pacis tractatum cœptum cum ipſo, quem Gallus exoptabat, promouere; ſed cum Eduardo Angliæ Rege exitiale rei Chriſtianæ bellum gerere meditaretur, fallaces dolos inſtruxit, vt de non perfecta ſua reconciliatione inuidiam in Pontificem vel Gallum detorqueret: cumque artes illius Benedicti diligentia diſſoluerentur, aduerſus pontificiam maieſtatem decretis inanibus nulla fultis auctoritate noua iura condere molitus eſt. Seruiebat illius cupiditatibus Henricus e Virneburg Moguntinus archiepiſcopus vir ingratus, quem Pontifex periurum, perduellem, & fidelium communione ſegregatum vocat: iſque vt Pontificem optimum, qui nil aliud quam diuinam augere gloriam, ad pacem diſſentientes Reges adducere, Ludouicum piorum conſortio tanto ardore reſtituere, deletis venia eius culpis cogitabat, in Germanorum clientumque imperij odium adduceret, nonnullorum epiſcoporum conuentus Spiræ indixit: in quo ſancitum, vt præſules aliqui ad Ludouicum Bauarum mitterentur, ipſum ad eccleſiæ poſtulandam gratiam prouocaturi.

Ludouici Bauari in eccleſiam molimina.

Mogũtin archiep. eius cupiditatibus obſecundat.

Indicit ſuſpectos cõuentus.

Reſpondit callide Bauarus, ſe ad id præſtandum, ſuamque cauſam, eorum epiſcoporum conuentui (in quo excommunicatus Romanæque hoſtis eccleſiæ Moguntinus archiepiſcopus præſidebat) ſubijciendam eſſe paratiſſimum. Ii vero cum parum acute perſpicerent diſſimularentue, ſe Romanæ eccleſiæ indigne detrahere, atque abhorrere ab æquitate, vt Ludouicus a cœpto cum Pontifice tractatu diſcederet, neque ad ſedis Apoſtolicæ, vt commiſſa in eam flagitia expiaret, ſed ad aliorum, quorum pars eum ſchiſmaticis ſentiebat, arbitrium ſtaret; Vlricum Curienſem epiſcopum & Gerlacum Naſſouię comitem ad aulam pontificiam miſere, atque omnium nomine ſcripſere literas a, quibus ad colorandum religionis ſpecie audax facinus (debuerant enim potius Bauarum vrgere, vt cœpta cum Romana eccleſia in opus adduceret, ſuaſque controuerſias cum Rege Francorum componeret, vel arbitrio ſedis Apoſtolicę permitteret) multis verborum fucis iactarunt, e ob imminentia corporum & animarum pericula rem tractandam ſuſcepiſſe, contenderuntque a Benedicto, vt eam totam ipſis permitteret.

Oratores ad Pont. decreti.

a Ext. apud Bened. to. 4. poſt ep. ſecr. 130. & apud Hervvart. to. 2. hoc ann. n. 29.

2 Acceptæ ſunt non ſine iuſta indignatione eiuſmodi literæ, dolo plenæ: inſignis enim erat primum impoſtura fingere, non perfectam ſedis Apoſtolicæ vel alterius quam Ludouici Bauari vitio reconciliationem, cum ille oratores ſuos, dum de fœdere ineundo agitabant cum oratoribus Regis Francorum, inuitis admodum ipſis, ac ſede Apoſtolica rem ægre ferente, reuocaſſet: conſtituto ad redintegrandum tractatum die neminem miſiſſet: non modo ad conciliandam ſibi eccleſiæ gratiam non flexiſſet animum, verum magno publicæ quietis damno contra apoſtolica imperia preceſque cum Anglis coitiones inijſſet. Alienum etiam erat ab æquitate, vt ſedes Apoſtolica Henrici Moguntini periuri & hoſtis, vel aliorum voluntatibus cauſam ſuam ſubijceret; ac non potius Ludouico ſupplici leges diceret.

Subdola horum petita.

Demonſtratur Ludouici culpa extractam reconciliationem.

Non permittendã præſulib⁹ ſuſpectis eccleſiæ cauſam.

His alijſque de cauſis Pontifex Vlricum epiſcopum Curienſem atque Gerlacum comitem Naſſouiæ, Spirenſis conuentus legatos, de quibus paulo ante memoraui, ob ſuſceptam indignam prouinciam verbis grauiſſimis perſtrinxit: ſanxitque, vt ſi Ludouicus in gratiam cum eccleſia redire cuperet, mitteret ſuos ad ſedem Apoſtolicam oratores, qui pacem cum Gallo conficerent. Nec Moguntino archiepiſcopo, a quo præcipue erant miſſi legati, reſpondendum e dignitate ſedis Apoſtolicæ eſſe exiſtimauit, cum anathematis nota inuſtus eſſet: ſed Colonienſi b archiepiſcopo alijſque c præſulibus Germanis, qui Romanæ eccleſiæ coniunctione fruebantur, iuſtiſſimas cauſas expoſuit, ob quas oratores Spirenſis conuentus repuliſſet; vtque non ſua, non Regis Francorum, ſed vnius Ludouici Bauari culpa tum ipſe tum alij Germani ab eccleſia ſegregati piorum conſortio reſtituti non fuiſſent. Fœdas etiam calumnias in ſedem Apoſtolicam iactatas, quaſi Romani imperij iura labefactare Benedictus niteretur, refutauit atque e ſacro ſuggeſtu Romanæ eccleſiæ innocentiam illuſtrari in Germania iuſſit, nonnulla præfatus ſe, ad diſſoluenda nefariorum hominum commenta ipſis vt fidiſſimis eccleſiæ propugnatoribus exponenda cenſuiſſe, quæ oratores a præſulibus Moguntinæ prouinciæ miſſi expoſuiſſent, quæue reſponſa a ſede Apoſtolica retuliſſent.

Edicit Pont. vt Ludouic⁹ cum Gallo pacem ineat.

b To. 4. ep. ſecr. 263.
c Ib. ep. ſecr. 264. 265. 266.

Benedictus, &c. archiepiſcopo Colonienſi eiuſque ſuffraganeis, gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habentibus.

3 Dicti d prælati nobis per literas ſuas intimarunt, ſe precibus, conſilijs, ac ſalutaribus monitis Ludouicum de Bauaria exhortatos fuiſſe, vt

Callidum Ludouici reſponſũ.

d Super ep. 263.

Pont. detentata a Germ. cõcordia & literæ.

ipſe ad noſtrum & eiuſdem Romanæ eccleſiæ honorem & reuerentiam & quietem, & ſalubrem ſtatum regni & imperij Romanorum vellet ad dictarum eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ atque noſtram gratiam cum deuotione redire, ſe noſtris & dictarum eccleſiæ atque ſedis Apoſtolicæ beneplacitis humiliter conformando; adijcientes, quod idem Ludouicus modica deliberatione prehabita, ſe velle ſtare ac parere ſuper materia diſſidij, quod inter eandem eccleſiam dictumque Ludouicum extitit ſuſcitatum, ac omnibus ipſum diſſidium contingentibus, informationi & ordinationi dictorum prælatorum, in quantum cum Deo, iuſtitia, & honore ſuo poſſet fieri repromiſit, ſuas patentes ſuper hoc literas maiori ſuo ſigillo munitas poteſtate huiuſmodi dictis prælatis tradita, vt aſſerebant, eis dando; cautiones iuratorias & fideiuſſorias magnorum & pluriũ principum & baronum eiſdem prælatis, vt ſcribebant, ſuper hoc nihilominus offerendo: propter quod dicti prælati precum inſtantia nos rogabant, vt redeundi ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ, promptitudine ipſius Ludouici, qui ſuper materia dicti diſſidij ordinationi, eccleſiaſticarum perſonarum dumtaxat ſe ſubmittere non expauit: præmiſſis quoque turbationibus, diſpendijs, & periculis ſpecialiter eccleſijs & perſonis eccleſiaſticis imminentibus, ponderatis, dictum Ludouicum ad reconciliationis gratiam ſub modo præmiſſo non recuſaremus recipere; partes regni & imperij prædictorum, & præcipue eccleſias & perſonas eccleſiaſticas earundem, de periculis & ærumnis præteritis ad ſtatum optatæ quietis per reconciliationem huiuſmodi reducendo.

Vt Ludou pariturũ ſe præſulum iudicio dixerit.

4 Sane tam literis, quam nuntijs dictorum prælatorum ſolita benignitate receptis, eiſdem verbo & ſcriptura reſponſiones fecimus infraſcriptas. In primis eiſdem reſpondimus, quod per nos non ſteterat neque ſtabat, quin ad reconciliationem præfati Ludouici procederetur, & iam dudum fuiſſet proceſſum: & quod ſemper nos exhibueramus promptos & paratos ad procedendum cum nuntijs eius, videlicet comite Iuliacenſi & alijs dudum ad noſtram præſentiam deſtinatis; & vt poſſet procedi cautius & celerius in reconciliatione prædicta, feceramus examinari procuratoria Ludouici præfati, & abbreuiari proceſſus, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum factos & habitos contra eũ, eorumque copiam fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus exhiberi, certum diem eiſdem Cardd. aſſignantes ad procedendum in conſiſtorio ſuper negotio reconciliationis præfatæ: & quod ante præfatum diem per nos, vt præmittitur, aſſignatum & ab eiſdem nuncijs acceptatum, dicti comes & alij nuncij impatientes adhibendæ in tanto negotio debitæ grauitatis, ſubito tunc petierunt licentiam de Romana curia recedendi; licet nos conſuleremus eiſdem, quod non omnes recederent, ſed aliquis ex eis dicto Ludouico referret, quæ agebantur & acta fuerant cum eccleſia pro reconciliatione ipſius, quæue etiam acta fuerant cum nuntijs chariſsimi in Chriſto filij noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris ſuper reformatione concordiæ inter eos, dictis etiam nuntijs eiuſdem Regis Franciæ inſtantibus apud dictos nuntios Ludouici præfati, vt de Romana curia non recederent, ſed recepto ſuper reconciliatione prædicta negotio imminerent; & quod dicti nuncij Ludouici præfati nec conſilio noſtro nec prædictis inſtantijs annuerunt, ſed omnino recedere

Non defuiſſe eccleſiam recipiendo Lud.

Abruptũ fuiſſe ab eius orato rib. tractatum.

voluerunt. Quibus etiam recedentibus, nos ad procedendum in negotio reconciliationis præfatæ certum terminum competentem, videlicet feſtum B. Michaelis de menſe ſeptembri proximo præteritum, tunc futurum, ſufficientem dictis nuntijs ad eundum ad dictum Ludouicum & conſulendum eundem, & ad dictam curiam redeundum, duximus aſsignandum: ad quem quidem terminum, idẽ Ludouicus, quaſi de reconciliatione huiuſmodi non curaret, neminem ad nos miſit, nec ſe ſuper hoc excuſauit. Nihilominus tamen nos eum per literas inducere, quantum in nobis fuit, conati fuimus ad proſecutionem negotij reconciliationis præfatæ: ipſe tamen vlterius huiuſmodi reconciliationis negotium proſequi non curauit; ſed mala malis, & contemptus aggregare contemptibus non expauit. Nec tamen ob hoc animum noſtrum a conſueta benignitate retraximus, nec retrahimus, nec in poſterum retrahemus: net etiam per nos ſtetit, nec ſtabit, dummodo veniat ad proſequendum dictum negotium eo modo quo debet, quin in huiuſmodi negotio procedatur benigne & gratioſe, vel per viam iuſtitiæ, prout ipſe duxerit eligendum.

Adhibitas ab ec cl. curas pro eo redintegran

Spretas a Lud. preces.

Paratam eccleſ. ad rem inſtauran.

5 Eiſdem quoque nuncijs diximus, quod tantum negotium non erat per dictos prælatos extra Romanam curiam pertractandum; ſed ſi dictus Ludouicus & alij prælati vel principes Alamanniæ vellent proſequi reconciliationem prædictam eo modo, quo deberent, mitterent nuntios ipſe & principes vocem in electione Regis Romanorum habentes, quos negotium multum tangit, quorumque propterea literæ erant neceſſariæ pro reconciliatione præmiſſa; quia parati eramus in negotio prædicto procedere, ſiue dicti nuncij eſſent prælati, vel principes, vel homines minoris ſtatus: & quod non ſufficiebat, quod idem Ludouicus ſolus ſuper negotio tanto procederet; ſed expediebat, quod dicti principes procederent cum eodem, cum negotium reconciliationis huiuſmodi eoſdem principes & totam Alamanniam contingere dignoſcatur.

Expetiti ad id Ludouici & electorũ oratores.

Rurſus eiſdem nuntijs diximus, quod nunquam attentauimus, nec attentare intendebamus contra iura imperij, vel contra iura regni Alamanniæ; ſed pro dictis iuribus defendendis & protegendis fortiter ſteteramus, & ſtare intendebamus: nec vnquam volueramus conſentire petitionibus quorumcumque, in quantum tangebant diminutionem iurium regni Alamanniæ, & imperij, ſed illas duxeramus rationabiliter repellendas; vt hæc pro parte nota ſunt quibuſdam ex dictis Cardinalibus, & etiam ambaxatoribus Ludouici præfati, & eiſdem nuncijs, qui de proximo ab eadem curia receſſerunt: & addidimus, quod ſi dicti Ludouicus & alij principes Alamanniæ vellent aliquid facere contra iura regni & imperij prædictorum, quantum in nobis eſſet, nos illud impedire ſecundum decentiam ſtuderemus.

Refutata calumniæ ſparſæ a ſchiſmaticis.

Nil tentatum contra imperium.

6 Diximus etiam nuntijs memoratis, quod illi, qui per Alamanniam doloſe referre & dicere præſumpſerunt, quod contra dictorum regni & imperij iura, & contra regnum & imperium noſtra intentio verſabatur; & quod nos eccleſiam Maguntinam, atque caſtra & munitiones ipſius ad manus noſtras recipere volebamus, ad illum finem, quod poſſemus lædere regnum & imperium ſupradicta, falſum dixerant, & mendacium manifeſtum, quia pro iuribus dictorum regni & imperij ſtare & laborare toto poſſe, vt præmittitur, volebamus. Verum eſt tamen, quod contra di-

dictum Ludouicum, qui in imperio nihil habet, cum receperit & aſcripſerit ſibi titulum ab illo vel illis, qui dandi non habuerant poteſtatem, & a dicto regno, cuius eſt violentus occupator & detentor, per eccleſiam eſt iuſte priuatus, ſtetimus et ſtare intendimus pro conſeruatione iuſtitiæ et iuris Romanæ eccleſiæ memoratæ. Vnde non contra dictum regnum et imperium, ſed contra dictum occupatorem et alia contenta in dictis proceſſibus, quæ commiſit; et quod munitiones et caſtra dictæ eccleſiæ Moguntinæ in fauorem eiuſdem eccleſiæ et archiepiſcopi Moguntini, vt poſſemus illa de manu illiciti detentoris extrahere, ad manus nunciorum noſtrorum recipi volebamus, eiſdem nuntijs noſtris diſtrictius iniungentes, quod quamprimum inter dictum Moguntinum et Treuirenſem archiepiſcopos, tunc detentorem munitionum et caſtrorum prædictorum, concordia eſſet facta, munitiones et caſtra totumque archiepiſcopatum Moguntinum dimitterent eidem archiepiſcopo Moguntino.

Imperiū a Lud. oppreſſum.

Præterea eiſdem nuntijs dictorum prælatorum diximus, quod ex eo, quod huiuſmodi negotium reconciliationis præfatæ erat multum arduum, non intendebamus, quod ſuper eo procederetur, niſi apud ſedem Apoſtolicam coram nobis et fratribus noſtris. Nec proſecutioni et terminationi dicti negotij expediens videbatur, quod coram alio, quam in noſtra et dictorum fratrum præſentia dictum negotium ageretur: nam poſſet aliquis punctus inſurgere, vel dubium euenire, quæ non poſſent per alium terminari, ſed ſolum per Romanum Pontificem, qui poteſt quodlibet inſurgens dubium declarare, et etiam terminare. Et ideo aliquos ex fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ad partes illas propter hoc tranſmittere nobis expediens minime videbatur.

Ludouici cauſa agēda tantū apud ſedē Apoſt.

7 Diximus etiam dictis nuntijs, quod ſuper præmiſſis daremus eis literas apoſtolicas reſponſales: non tamen intendebamus ſcribere dicto archiepiſcopo Moguntino, quia eum habebamus pro infideli, rebelli, et excommunicato, propter illa quæ fecerat, veniendo contra proprium iuramentum et fidelitatis debitum in deſtructionem eiuſdem eccleſiæ Moguntinæ. [Et infra, vbi archiepiſcopi ingratum animum, qui ad eam dignitatem, repulſis Philippi Francorum ac Ioannis Boemiæ Regum, et archiepiſcopi Treuirenſis, qui ad eam eccleſiam vocabatur, precibus a ſede Apoſtolica euectus eſſet ſubdit.]

Perfidia Moguntini archiepiſc.

Rurſus poſt reſponſiones prædictas nuntijs præfatis iniunximus, quod eidem Ludouico ex parte noſtra dicerent, quod illa, per quæ præcipue reconciliatio ſua poterat impediri, erat aſſumptio guerræ et bellici apparatus, quos faciebat contra Regem Franciæ memoratum: et quod ipſum inducerent ex parte noſtra, quod a prædictis abſtineat, pro firmo ſciturus, quod nos et eadem eccleſia eundem Regem dimittere non poſſemus, nec etiam deberemus; maxime cum talis neceſſitas immineret, cum Reges Franciæ nunquam dimiſerint eccleſiam memoratam]. Addit hæc omnia ſingillatim percenſenda duxiſſe, vt geſtæ rei veritatem in luce collocare, et obtrectatorum mendacia diſcutere, improbitatemq; comprimere poſſint: præterea iubere, vt populis pro concione exponant, ne calumnijs aduerſariorum ſubornari ſe patiantur. *Dat. Auin. kal. iulij anno* 10.

Poſtulata pax Germanum inter & Gallum.

8 Spargebantur tum ab aduerſarijs innumera mendacia, vt ſedis, Apoſtolicæ auctoritatem obſcurarent, Regique Francorum crearent odium. Inter cætera in publicis comitijs querebatur Ludouicus, Francorum Regem, ne reconciliaretur eccleſiæ, obſtitiſſe: vt mirum non ſit a Germanicis ſcriptoribus a id mandatum hiſtoriæ, quamuis Pontificem contrarium teſtatum viderimus. Inſigne vero eſt ſimile Alberti Argentinenſis b mendacium, qui vbi de conuentu Spirenſi mentionem fecit, de Curienſi epiſcopo ac Naſſouiæ comite hæc ſubiecit: *Cum Papa Benedictus nuncios recepiſſet benigne, in aurem nuncijs flens quaſi conquerebatur, quod ad principem eſſet inclinatus, & quod Rex Francorum ſibi ſcripſerit certis literis, ſi Bauarum ſine eius voluntate abſolueret, pecora ſibi fierent, quam Papæ Bonifacio a ſuis prædeceſſoribus eſſent facta: nunciique ad rogatum Papæ per delphinum per montana ſunt vſque ad Lauſanam perducti.* Et paulo ſupra: *Ex tunc Papa, qui ab initio quaſi mortem non curans ea, quæ geſſit in animo patefecit, motum ſuum didicit occultare.* Hactenus Argentinenſis, cuius ſententiæ tot ſunt impoſturæ, quæ ab Heruuarto vt oracula porriguntur.

Sparſa a Ludouici fautorib. mendacia

a Rebdorf in annal.

b Argēt. in chron.

Alberti Argentinenſis impoſturæ.

Primum enim falſum conuincitur, incuſſum a Gallo Pontifici mortis terrorem, cum datæ acceptæque literæ arctiſſimam inter eos coniunctionem demonſtrent. Falſum eſt Pontificem mortis metu ab æquitate abductum, cuius tāta erat pietas & conſtantia, vt nil ipſi quā animę ſalus antiquius eſſet, ac non æqua Philippo poſtulanti olim reſponderit c, ſe vnicam tantum poſſidere animam, quam ſaluam omnino vellet: ſi alteram haberet, eam ſe pro ipſo daturum: falſum metu necis ſuam preſſiſſe animo ſententiam, quam vniuerſæ Germaniæ exponi iuſſit. Falſum detrectaſſe admittere in gratiam Ludouicum, quem ad officium omni ſtudio pellicere nitebatur: cum tamen Ludouicus reconciliationis cum eccleſia ineundæ voluntatem præ ſe ferret, vt Francorum Regem ea confidentia bellicum apparatum negligentius adornantem opprimeret, vti e ſuperioribus ſubiectiſque literis d patebit.

Earum confutatio.

c Geſt. Ben. apud Boſq.

d To. 4. op. ſecr. 130.

Chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Franciæ illuſtri.

Regiæ ſerenitatis literas de prorogatione termini ad inſtantiam nobilium virorum ducum Auſtriæ, ac miſſione nunciorum regiorum ſolemnium pro eodem termino prorogato mentionem inter cætera facientes, affectu ſolitæ benignitatis recepimus, & quæ continebantur in eis, pleno collegimus intellectu. Sane, fili chariſſime, vtinam nuncij miſſi pro huiuſmodi termino non exiſterēt ſic ſolemnes, quia vix ſperare poſſumus, quod exinde aliquid honoris vel commodi finaliter poſſit ſequi, niſi Deus, in cuius ditione ac voluntate cuncta ſunt poſita, ordinaret aliter quam illi homines, ſicut habet multorum aſſertio, ſe diſponant. Audiueramus equidem, etiam antequam ad nos prædictæ literæ peruenirent, quod non ſolum illa ſumma pecuniæ in literis regijs prædictis expreſſa, immo maiores & ampliores ſummæ tam Bauaro, quam multis Alamanniæ principibus & potentibus ſunt ſolutæ; quodque adeo ſunt caudæ colligatæ ipſorum, quod quantumcumque Bauarus promitteret aliquid, non tamen propter hoc alios prohiberet vel retineret; ſed eiſdem potius circa damna tibi, fili dilectiſſime, regnoque tuo, quod auertat Dominus, inferenda faueret tam publice quam occulte.

Corrupti Anglico auro Germani.

Nam, ſicut a fide dignis narratur, idem Bauarus, qui iam duo in diuerſis partibus Ala-

Tria a Bauaro comitia celebrata.

manniæ tenuit concilia, ac tertium circa Coloniam ſe tenere diſponit, in illis egit principaliter, quod per te, fili, tuoſque prædeceſſores terræ imperij detinentur, & detentæ ſunt hactenus in locis diuerſis indebite occupatæ, exheredationem allegando iurium & honorum imperij: & ad tuam & regni tui offenſionem propter hoc omnes, tam principes, nobiles, & populos, quam vniuerſitates & communitates ciuitatum & aliorum locorum inſignium Alamanniæ concitando, & aſſerendo, quod ſua reconciliatio ad nos & eccleſiam per te, fili, extiterat impedita: & nihilominus ad animandum Theutonicos vehementius ſe iactando, quod non abiret retro quomodolibet, donec fuiſſet regnum Franciæ, te volente vel nolente, ingreſſus.

Paratum ab eo in Gallos bellum.

9 Ex quibus & multis alijs, quæ audiuimus non parum diſplicibiliter ſæpius & audimus, non indigne veremur, quod in dolo & fraude proferantur & prolata ſint hactenus plura verba, quodque in dilationibus, quas illi Theutonici concedunt vel faciunt, minime recte agant; ſed vt interim conglobare vires ſuas fortius valeant, & venientes ſubito te regnumque tuum reperiant, quod non ſinat Altiſſimus, imparatos. Ideoque regalis prudentia dirigens ad eum, qui dat ſalutem Regibus, humiliter vota ſua, per prouidentiæ clypeum circa prædicta & alia ſibi occurrentia ſe muniat prudenter, vigilanter, & caute; de quibus habet & habebit ſuper huiuſmodi negocijs plene confidere, diligenter nihilominus aduertendo, &c. [Subiungit deinde] narrationem reſponſi Spirenſis conuentus oratoribus dati, cui aliud Ludouico redditum annectit, additque].

Illata dolo pacis mētio ab eodem.

10 Item Ludouico præfato, quia illud, quod magis impedire poterat tractatum ſuæ reconciliationis, erat bellicus apparatus, quem contra te fili faciebat, exponi per eoſdem epiſcopum & nobilem voluimus, & eidem etiam ſuaderi, quod ab illo prorſus deſiſtere procuraret; quia Romana eccleſia te, fili, deferere in ijs neceſſitatibus nec debebat nec volebat, ſicut tu tuique progenitores eam nequaquam deſerere conſueuiſtis in ſuis, &c. *Dat. Auin. ix. kal. iulij anno* iv. Ex his ac ſuperioribus, & alijs, quę ſequentur, perſpicue refelluntur omnes falſæ apologiæ ad Ludouici commendationem multis verborum pigmentis fuciſque compoſitæ; conſtatque in Ludouicum ac ſequaces culpam reijcendam, ſi eccleſiæ conciliati non fuerint; ſcriptaque illa in ſpeciem tuendi iuris cæſarei edita hoc tempore nonnullorum fraterculorum hæreticorum, quos habebat a commentarijs Ludouicus, quique pontificiam maieſtatem oderant, impia arte concepta fuiſſe. Vrebat porro Ludouicum denuntiatum fuiſſe a Pontifice a catholicis Germanię præſulibus, dum ad conuentus Spirenſis petita reſpondit, vi occupari ab ipſo imperium, nulloque iure auguſtalem titulum vſurpari, cum ab ijs, qui dandi nullam habebant poteſtatem, accepiſſet; regio etiam apice iuſtiſſimis edictis fuiſſe exauctoratum. Vertit itaque eo ſuos impetus Ludouicus, vt Germanis perſuaderet, a pontificia confirmatione cæſareum apicem nō pendere, nec Ioannis edicta iuſta fuiſſe. Itaque ſubornatos principes ad conuentus Konſtaymenſes in agro Moguntino traxit, in quibus ſeptemuiri, excepto Rege Boemiæ, qui cum Pontifice & Gallo ſentiens a Ludouici molitionibus erat alienus, xv. iulij die ſolemni fœdere ad iura, immunitates, conſuetudines, dignitatemq; imperij ac ſeptemuirorum defendenda ſe obſtrinxere; eaque de re decretum edidere, quod apud Nicolaum pſeudominoritam ſchiſmaticum extat a. Itaque die proxima decimaſexta iulij apud Konſtaym imperij dignitatis tuendæ ſpecie pronuntiarunt b: *Hoc eſſe de iure & antiqua conſuetudine imperij approbata, quod poſtquam aliquis a principibus electoribus imperij, vel a maiori parte & numero eorundem principum, etiam in diſcordia, pro Rege Romanorum eſt electus, non indiget nominatione, approbatione, confirmatione, aſſenſu, vel auctoritate ſedis Apoſtolicæ ſuper adminiſtratione bonorum & iurium imperij, ſiue titulo Regis aſſumendis.*

Multa ne faria ſcripta edita.

Circumuenti Germani.

Conflata inuidia Pontificibus.

Electorum conuentus apud Konſtaym.

a M.S. bibl. Vat. ſign. n. 4008. pag. 198.

b lib. pag. 199. Contēdit Lud. Cæſarem Pōtificia approbatione non egere.

11 Agitata eſt hæc quæſtio a pluribus viris doctis, qui præcipuum hoc argumentum vibrabant: non inferiorem cæteris Regibus Cæſarem, nec Germanos minus liberos, quam ſint cæteri populi: vt ergo alij renuntiato Rege regium nomen & regni adminiſtrationem conferunt, ita viciſsim a Germanis iure gentium & nomen cæſareum iuſque nullo alio medio conferri. Quod argumentum ita repetit Auguſtinus Triumphus: c *Non eſt*, inquit, *inferioris conditionis Imperator, quam Reges & alij principes mundi. Sed Reges & alij principes ſtatim poſt mortem prædeceſſorum poſſunt adminiſtrare. Ergo Imperator eodem modo ſtatim poſt mortem prædeceſſoris eius poſt canonicam electionem poteſt adminiſtrare. Præterea per electionem aliquod ius acquiritur Imperatori. Sed non acquiritur ſibi ius ſuper adminiſtratione ſpiritualium. Acquiſitum eſt ergo ſibi ius ſuper adminiſtratione temporalium.* Ad hæc ita idem auctor reſpondet: *Eſt dicendum, quod non eſt ſimile de Imperatore & alijs principibus mundi propter tria. Primo quia Papa confert Imperatori immediatam adminiſtrationem, & eſt miniſter eccleſiæ in adminiſtratione temporalium, quam non confert alijs. Secundo quia conſtitutio aliorum Regum vel principum vadit per ſucceſſionem, non autem ſic inſtitutio Imperatoris. Tertio quia quidquid agitur circa imperium, tam eius electio quam eius confirmatio, totum eſt ex inſtitutione eccleſiæ, quod non contingit de alijs.* Hæc ille. Vbi obſeruandum eſt, non inde ſequi, vt aduerſarij obijciunt, cæteris Regibus inferiorem eſſe Cæſarem; immo longe ijs dignitate antecellere: ſi enim ipſe Germanorum tantum Rex eſſet, poſſent vtique Germani regium ei nomen & adminiſtrationem regni, non rogata ſedis Apoſtolicæ ſententia, reliquorum populorū more in deſignatū principem transfundere: verum ille non Germaniæ modo, ſed Romani quoque imperij apices a Pontifice acceptos gerit; nec tantum a populis, ſed etiam ab eccleſia, cuius defenſor conſtituitur, ſuam auctoritatem ſingulari ratione mutuatur: in quo Germani principes ius pontificium oppugnare non poſſunt, niſi vna ſuæ dignitatis a Romano Pontifice conſtabilitæ fundamenta conuellant. In hac autem controuerſia nemo potiora Pontificis, quam ſeptemuirorum edicta negauerit, qui ſeptemuirorū auctoritatem a Pontifice dimanaſſe perpenderit; & ad legum conditorem ſpectare legem interpretari, ſi quæ in ea difficultas oborta ſit: conditas autem a Pontifice creandi Cæſaris leges conſtat.

Argumentum illius præcipuū.

c Auguſt. Triumph. q. 39. ar. 1

Eius ſolutio.

Non exin de Cæſar alijs Regibus inferior eſt.

12 Confictum etiam a maledicis, vanumque penitus eſt, in Francofurtenſibus cœtibus vi. die auguſti promulgatum edictum d, in quo Pontificum auctoritatem, quam de confirmando Cæſare eoque imperiali apice exornando, dum imperium tranſtulere in Germanos, ſibi reſeruarunt, in-

d Ext. in ſup. M. S. Vat. 4008 pag. 199. & apud Rebdorf. & alios.

infringere nititur, ſuggerentibus hoc maledicentiæ telum mendaciſsimis conſiliarijs: *Nonnulli ſcripturæ intelligentiam ſe habere fatentes, ſed diuertentes a tramite recti ſenſus, in quadam iniqua & praua commenta, & in aſſertiones deteſtabiles proruperunt contra poteſtatem & auctoritatem imperialem & iura electorum Imperatoris & aliorum principum & imperij fidelium, mendaciter & fallaciter aſſerentes, quod imperialis dignitas & poteſtas eſt a Papa, & quod electus in Imperatorem ex electione non eſt verus Imperator, niſi prius per Papam ſiue per ſedem Apoſtolicam confirmetur.* Non ſunt praua commenta & mendacia, cum ipſi Imperatores acceptum ab eccleſia imperium profiteantur, vtque recentiora tantum delibemus, expreſſum eſt ea de re Rodulphi Cæſaris teſtimonium, his conceptum verbis a: *Prædeceſſores ad magnificentiam munerum & gratiarum quodammodo ineffabilem largitatem, quæ de ipſius matris eccleſiæ vberibus ſuſceperunt, faciem gratitudinis conuertentes; nec minus attendentes, quod eadem mater eccleſia, ipſos in dulcedinis benedictione præueniens, transferendo de Græcis imperium in Germanos, eiſdem dederat id quod erant, &c.* Faſsi ſunt b idem principes electores, qui Rodulphum crearant, ſeque deſignandi Cæſaris ius a Romano Pontifice accepiſſe: *Nos principes electores vniuerſis præſentem paginam inſpecturis. Complectens ab olim ſibi Romana mater eccleſia quadam quaſi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantum præſidentium ſuper terram; plantans in ea principes tanquam arbores præelectas, & rigans illas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, vt ipſius eccleſiæ auctoritate ſuffulti velut germen electum per ipſorum electionem illum, qui fræna Romani teneret imperij, germinaret.*

Teſtatur idem Albertus Rex his verbis c: *Recognoſcens*, inquit, *quod Romanum imperium per ſedem Apoſtolicam de Græcis translatum eſt in perſona magnifici Caroli in Germanos; & quod ius eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum, certis principibus eccleſiaſticis & ſecularibus eſt ab eadem ſede conceſſum, a qua Reges & Imperatores, qui fuerunt & erunt pro tempore, recipiunt temporalis gladij poteſtatem ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*; mox hæc addit, *pia deuotione & ſincero corde profiteor, quod Romanorum Reges, in Imperatores poſtmodum promouendi, per ſedem eandem ad hoc potiſſime ac ſpecialiter aſſumuntur, vt ſint ſanctæ Romanæ eccleſiæ aduocati, catholicæ fidei, ac eiuſdem eccleſiæ præcipui defenſores.* Ex eo igitur, quod Albertus dicat, Romanorum Reges in Imperatores eſſe poſtmodum promouendos, oſtendit perſpicue ex ſola electione decus imperiale non comparari. Sed quid veterum Cæſarum cumulanda ſunt teſtimonia, cum poſtremi Cæſaris Henrici publica monumenta ſuperiore tomo produxerimus, quibus vetere inſtituto confirmari a Romano Pontifice flagitauit d? Atque etiam ipſe Ludouicus ante biennium faſsus ſit e, Regem non in ipſa electione, ſed poſtmodum in Imperatorem promoueri: *Damus*, inquit, *prædictis procuratoribus noſtris & cuilibet eorum in ſolidum, vt ſupra, plenam, meram, & liberam poteſtatem*, & infra, *ſupplicandi pro aſſumptione noſtra, & in integrum reſtitutione ad famam, honorem, & ſtatum priſtinum; nec non aſſumptione noſtra in Regem Romanorum, & approbatione perſonæ noſtræ, ad imperialem dignitatem poſtmodum promouendæ.* Hæc ille.

Inſignis calumnia negantiũ a Pontifice translatum imperium. a Ext. eius lit. annal. to. 14. an. Chr. 1278 n. 3. Refellitur a Rodulph. Cæſare.

b Ib. n. 6.

Et a principibus electoribꝰ

c Ead. to. xiv. ann. 1303. n. 10 Et ab Alberto.

Et ab Hẽrico.

d Annal. to. xv. an. 1309. nu. 10. & 13. e To xvi. 1336. n. 37. Et ipſius Ludouici teſtimonio.

13 Ex quibus diſcutiuntur falſitatum tenebræ, quibus obſitum eſt hoc eiuſdem Ludouici decretum: *Declaramus*, inquit, *quod imperialis dignitas & poteſtas eſt immediate a ſolo Deo.* Eequis Cæſarum vnquam immediate a ſolo Deo creatus eſt Imperator? quo ſigno cælitus oſtenſo? Imperialis quidem dignitas a Deo oritur tanquam primo principio & fine vltimo, at medio Pontifice, qui tranſtulit imperium, qui electores inſtituit, qui electum confirmat, & inungit. Vmbratilia etiam ſunt quæ ſequuntur: *De iure & imperij conſuetudine antiquitus approbata eſt, quod poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſiue in Regem ab electoribus imperij concorditer, vel a maiori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt verus Rex & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus.* Seruatum contrarium morem ab eo tempore, quo translatum eſt imperium, neque imperiale nomen niſi poſtquam a Romano Pontifice ſacro oleo fuiſſent delibuti vſurpaſſe, docent annales, in quibus repetendis immorandum non eſt, cum Ludouicus ipſe faſsus ſit paulo ante, imperiale nomen non ſeruato vetere ritu ſeiniuſte corripuiſſe, ſuis quippe oratoribus mandata hæc dederat a: *Item ad confitendum vice & nomine noſtro & pro nobis, nos aſſumpſiſſe titulum imperialem & vnctionem in Roma peruerſe, male, & iniuſte, & a poteſtate non habente. Item ad confitendum vice & nomine noſtro & pro nobis, quod ad ſummum Pontificem ſpectat hoc facere & ad nullum alium, & quod ſimulabamus nos bene facere, huiuſmodi titulum aſſumendo & tenendo.*

An imperialis dignitas ſit a ſolo Deo

Veteri more confirmanda a Pont. Cæſaris electio.

a An Chr. 1336. n. 35

Cæterum in eiſdem oſtijs eadem die, qua nefarium decretum affixum eſt, affixos etiam in Ludouicum fuiſſe pontificios anathematiſmos, refert Francofurtenſe chronicon b his verbis: *Eodem anno in curia fratrum Theutonicorum VIII. auguſti hora prima Ludouicus Imperator ornatu & ſedibus imperialibus edidit legem talem: Electus Francofordiæ in Regem Romanorum a principibus electoribus adminiſtrationem imperij ante confirmationem habet plenam.* Et infra: *Eodem die reſponſiones Ludouici prædicti ad obiecta Papæ Ioannis XXII. ſigillo imperiali ſigillatæ foribus Mariæ eccleſiæ S. Bartholomæi, quæ ibi vocatur ab imagine B. Virginis, adhuc ibi extante, ſunt affixæ. Habebat autem Romanus Pontifex hic ſuos quoque commiſſarios, qui affigebant ad eandem eccleſiæ ianuam anathema & proceſſus contra Ludouicum cum ſeueriſſimis comminationibus in omnes, qui illi communicarent.* Addit auctor ampliorem & ſaniorem cieri partem, tum religioſos ordines Pontifici obtemperaſſe: quæ etiam confirmat Serarius c. Vt vero propterea perſecutionem ſint paſsi, dicetur inferius.

b Io. Latõ. in chron. Francof. apud Freher. in append. to. vn. rer. German.

Anathematiſmi in Lud. eadem die promulgati, qua ſua decreta promulgauit.

c Serar. Mogunt. rer. l. 5. in Hen. III. Conſtit. alia Lud. multis cõ texta argutijs.

14 Quod porro attinet ad illas Ludouici reſponſiones ad obiecta Ioannis XXII. de quibus chronicon Francofurtenſe meminit; prætermittendum non eſt, Ludouicum cum animaduertiſſet plures catholicos apoſtolicis potius imperijs, quibus vetitum erat Ludouico priuſquam eccleſiæ conciliatus fuiſſet, obſequi, parituros; prolixum aliud decretũ multis ſallacibus argutijs contextum eadem die promulgaſſe, quo probare niſus eſt ſuis imperijs morem gerendum, nec ſeIoannis XXII. edictis cæſareo iure exutum fuiſſe. Extat eiuſmodi Ludouici conſtitutio apud Nicolaum Minoritam d in M. S. Vaticano, ab his

d M. S. bib Vat. ſign. n. 4008. pag. 193.

verbis ducens exordium, *Fidem catholicam*, cui hęc temporis nota aſcripta eſt: *Datum in oppido noſtro de Franchenfurt* VI. * *die auguſti ſub ſigillo noſtræ maieſtatis anno Domini* MCCCXXXVIII. *regni noſtri anno* XXIV. *imperij vero* XI. typiſque etiam cuſa circumfertur a. Ea vero promulgata, quaſi viam ad alia conſilia ſtruxiſſet, quaſdam propoſitiones b edidit, quibus primũ conſtabilire quaſi tot gradibus cæſareum ius anniſus eſt: ac demum inſtillatum a pſeudominoritis virus impietatis effudit, dum hæreſim Fraticellorum de Chriſti dominio decretis Ioannis damnatam, atque ab ipſomet Ludouico repudiatam, iterum propugnauit, contenditque decretum fidei pontificium hæreticum eſſe, atque aduerſus illud ad concilium a ſe rite appellatum, oblitus ſe iam ante excuſaſſe, eam appellationem Vdalrici flagitio conceptam. His præmiſſis Ludouicus alia indigna aggreſſurus, decreta Pontificum Clementis V. primum, ac ſubinde Ioannis XXII. oppugnauit, obtrudentibus illi, vtpote dogmatum imperito, impia ſua ſcripta hæreſiarchis, quæ & alia ab eo edita vt indigna luce prætermittimus; tum quia hæc omnia perperam geſta a Carolo IV. Imperatore reſciſſa fuerunt his verbis c: *Omnia, quæ per ſe ſeu alium in Italia fecit ſeu geſſit, etiam ſub regali nomine; & cætera etiam omnia, vbicumque geſta ab eo per ſe vel alium, quæ ex defectu iuriſdictionis vel poteſtatis facere ſibi non licuit, nulla eſſe ac caſſa & irrita pronuntiamus & declaramus: illa etiam, quatenus proceſſerunt de facto, annullamus & penitus in his ſcriptis reuocamus.*

15 Abalienato porro ita ab eccleſia Ludouico, elatus Michael Cęſenas hæreſiarcha vna cum Ochamo & Bonagratia & Hẽrico e Chalem apoſtatis impiam prouocationem d aduerſus Benedictum, impacta illi hæreſeos calumnia, quod decreta fidei a Ioanne edita tueretur, conſcripſit. In qua hi perfidi hæretici diſceptarunt, decretum fidei editum a Romano Pontifice vt hæreticum reijci poſſe, donec concilium de eo pronuntiaſſet: cum tamen a Pontifice, in fidei controuerſia ferente ſententiam, nemini liceat prouocare, & illi decreto ſtandum ſit non aliter quam a concilio œcumenico, fidei articulum decernente, ad aliud concilium appellari non poteſt. Compactis vero ſuperioribus articulis alijſque ſanctionibus, exercitam in catholicos perſecutionem, refert chronicon Francofurtenſe Ioannis Latomi his verbis e: *Cum canonici*, ſcilicet Francorfurtenſes, *illic ſummo Pontifici obedientiam, vt tenentur præſtarent, Ludouicus ſuperbiæ eos inſimulans, paulo poſt potiſſimis prædijs, villis, & decimis ſpoliauit, Dominicanos poſtridie oppido eiecit, qui* XXIV. *annis excluſi fuerunt: Carmelitæ ab Henrico de Firnberg archiepiſcopo Moguntino*, nempe ob periuria anathemate percuſſo, *in gratiam Imperatoris quoque ſunt puſi. A Teutonicis & Franciſcanis ſimiliter diuina officia ſunt ſuſpenſa vſque ad depoſitionem epiſcopi*. Nonnulliſque interiectis, quibus ait, præpoſitum ſancti Bartholomæi & collegium S. Leonardi in gratiam Ludouici diuina prophanaſſe, ſubdit: *Talis fuit ſtatus non ſolum Francofordiæ, ſed per totum Rheni tractum, & in Sueuia*. Hæc ille, quibus conſentanea tradunt alij.

16 At licet tot tantaque facinora Ludouicus in Pontificem & catholicos in dies patraret, falcinatus ab hæreſiarchis, quos inſtar draconum alebat in ſinu; Benedictus tamen inſtar pij patris non literis modo, quibus ſpiritum conſilij ſanioris benedictionis Apoſtolicæ vice comprecabatur eum excitauit, verum internuntium quoque Arnaldum e Verdala tranſmiſit a, hortatuſque ipſum eſt, vt arcanos ei animi ſui receſſus panderet, conſiliaque perſpicue expromeret. Inconſtans enim hactenus adeo erat viſus b, vt vix eius verbis dari fides poſſet: ac recenter, cum Albertum Eberacenſem abbatem Ciſtercienſem ad ſedem Apoſtolicam cum literis miſiſſet, in ijs ſe in priſtina pia mente atque fidiſſimi obſequij præſtandi Pontifici voluntate, quam ſub pontificatus primordijs detulerat, conſtantem perſtare ſignificabat: at longe Alberti oratoris verba Pontifici expoſita ab eius literis diſcrepabant. Inſtruxit c vero nuntium apoſtolicum Benedictus, qua ratione cum Ludouico ſe gerere deberet, atque in primis aperiret quanto eripiendæ ex æterno exitio & inferorum ſupplicijs, quibus ſe hactenus obnoxium reddiderat, illius animæ & aliarum, quæ errantem ſequebantur, ad gregem dominicum & vitæ paſcua reducendarum deſiderio teneretur: *Ad hæc*, inquit, *quidem nos & eccleſiam ipſam, quantum cum diuino beneplacito, ac decentia et honeſtate noſtris & ipſius eccleſiæ fieri poterit, ſuaque ſaluti expedierit, reperiet propitios & benignos, ſicut, niſi ſtetiſſet per partem ſuam, noſcitur reperiſſe*. Ex his & alijs refelluntur, qui Benedictum velut hebetem ex Alberto Argentinenſi d deſcribunt, & Gallicis manicis conſtrictum, ne Ludouicum iuſtum & pium (vt volunt) abſolueret.

17 Imperat præterea nuntio Benedictus, vt ſuadeat Bauaro, ne ſe eorum conſilijs ſubornari ſinat, qui vel ad captanda ſua commoda, vel ex inſita improbitate ipſum a ſuſcepto redeundi in gratiam cum eccleſia conſilio abducunt: oratores idonea auctoritate, ſed perfectius ac ſincerius inſtructos quam alij fuerint, ad rem perficiendam mittat; iuſta enim petita ſe promptiſſime admiſſurum: ſignificare etiam ſtudeat de concordia inter Reges ſancienda, *qualiter*, inquit, *via dudum tacta, vt videlicet inter ipſius perſonam, & Franciæ ac Siciliæ & Angliæ Reges iuxta dudum formam prælocutam, vel alias ſolida concordia in noſtris manibus firmaretur, eſſet proculdubio magnum præparatorium, & patens aditus ad reconciliationem prædictam facilius et liberius obtinendam.* Flagitatum fuerat vt ad muniendam concordiæ cum eccleſia viam templorum & ſacrorum vſus ad aliquod tempus reſtitueretur; internuntioque data prouincia, vt ſignificaret, nõ videri vlli bono rem futuram, cum omnes pene earum partium ex decretis apoſtolicis anathematis vinculis irretiti tenerentur: quæ literæ e extremo anno idibus decembris Arnaldo e Verdala miſſæ ſunt. Data vero illi antea, nimirum x. kal. nouembris, erant imperia f, ne ad habenda cum principibus electoribus colloquia, vel ineundos tractatus ſe implicaret.

18 In Germania hoc anno ingentes Iudæorum ſtrages editæ, efferatique ſunt in eam barbariem aduerſus eos, fideles, vt nullo iudiciorum ſeruato ordine fontes inſonteſue trucidarent. Dedit tumultui occaſionem, hoſtiam in oppido diœceſis Patauienſis ſub paleis ſanguine delibutam repertam eſſe haud procul a Iudæi domo, creditumque a Iudæis ferro violatam. Perlatare ad Albertum Auſtriæ ducem, vehementer is æſtuare cœpit, an vere ſacrata eſſet hoſtia, & miraculo diuino tincta ſanguine, an ab aliquo reſperſa cruore ad creandam Iudæis inuidiam, cum alias nonnulli clerici de ſimili ſcelere conuicti eſſent;

Pon-

*al. VIII

a Apud Naucler. vol. 2. gen. 45. Freher in append. rer. Germ. to. vn. Hervvart. to. 2. ad hũc ann. n. 47. & ſeq. Permixta Ludouici ſtatutis hæreſis.

b Ext. apud Nic. Minor. M. S bib. Vat ſign. n. 4008. pag. 196. Vt eius geſta a vero Imp. ſint reſciſſa.

c Ext. in lib. prim. Rom. eccl. to. 2. pag. 162.

Michaelis hæreſiarchæ & ſociorum impia mo limina.

d Ext. apud Nicol Minorit. M. S. bibl. Vat. ſign. n. 4008. pag 199.

e Apud Freher. to. vn. rer. German. Catholicꝰ clerus diuexatus a Ludouico

Ad reuocandũ ad officium Lud. tranſmiſſus nũtius Apoſtolicus.

a An. 4 p. 1. ep. cur. 50.

b To. 4. ep. ſecr. 319.

c Ib. ep. 321.

Iuſſus illi diuinum timorem inſerere.

Ludouicꝰ culpa ſua in gratia cũ eccleſia non reſtitutus

d Alb Arg in chron.

Admonitus cum Gallo & Siculo ſuas lites cõponere

e Super ep. 321.

f To. 4. ep. ſecr. 333.

Seditio in Iudæos concitata

Pontificemque consuluit, quid in ea re agendum videretur. Cui Benedictus rescripsit [a], diligentissimam inquisitionem agendam, eamque se episcopo Patauiensi commisisse, vt si Iudæi consecratam hostiam Christi odio confodissent, traderentur supplicio, vel eo afficerentur impostores, qui magno religionis scandalo id scelus ipsis affinxissent.

[a] *Ib. ep. 294.*

Benedictus, &c. dilecto filio nobili viro Alberto duci Austriæ.

Illius cautela.

Ex zelo fidei, & deuotionis feruore processisse confidimus, ea quæ nobis nuper tamquam vir catholicus & zelator fidei orthodoxæ tuis litteris intimasti. Ex tenore siquidem dictarum literarum accepimus, quod in quodam oppido Pulka nomine Patauiensis diœcesis quædam hostia cruore consperſa ante domum cuiusdam Iudæi, extra tamen limites eius, in strata sub paleis a quodam laico fuit inuenta, quam populus dicti oppidi, verum corpus Dominicum fore credentes per manus sacerdotis ecclesiæ loci tolli fecerunt, & in ecclesiam transportauerunt: quam etiam, in dicta ecclesia consistentem, non cessarunt, nec cessant laudibus venerari, asserentes illam existere corpus Christi, & secundario Christum a Iudæis perfidis fore passum, & martyrizatum: propter quod in terris tuis magna Iudæorum strages a Christi fidelibus fuit exorta, quæ timetur inposterum verisimiliter augumentari, multique Iudæi a Christianis fuere perempti, non tantum ob causam seu occasionem prædictam quantum, vt aliquorum habet opinio, ad Iudæorum pecuniam rapiendam; ex eo præsertim quod eadem cædes Iudæorum, iuris ordine totaliter prætermisso, ac sine iudicio terrenæ cuiuslibet potestatis, impetu vulgi crudeliter fuit commissa. Præmissis etiam adiecisti, quod nouissime in oppido Syntz eiusdem diœcesis contra Iudæos occasione simili error cœpit similis pullulare: sed quia euidentiorum signorum scientia, eiusdemque hostiæ sic repertæ, consecrationis certitudo aliqua non habetur, tu vna cum pluribus alijs Christi fidelibus, quid circa præmissa credere, quidue super his tenere debeatis, incipitis sicut asseris dubitare.

Hostia cruore tincta reperta.

Dubitatũ an flagitio conflata Iudæis inuidia.

19 Quam quidem dubitationis materiam, inde te asseris suscepisse, quod olim in ducatu Austriæ in oppido Neirmiburch præfatæ diœcesis quædam hostia non consecrata cruore madefacta per quendam clericum in ecclesia dicti oppidi posita fuit, qui postmodum in præsentia bonæ memoriæ Vveruhardi episcopi Patauiensis, præsentibus fidedignis personis adhuc viuentibus confessus fuit, se dicto cruore præfatam hostiam madidasse, ad præsumptionem inducendam, quod a Iudæis contumelioſe dehonestata taliter extitisset in opprobrium Saluatoris: quæ etiam cum a Christi fidelibus per aliquod temporis spatium, tanquam verum corpus Christi adoraretur, demum vermibus tineisque scaturiens, demolita extitit penitus & consumpta. Quam quidam clericus eiusdem ecclesiæ sic consumptam aspiciens, suggestione diabolica persuasus, errorem errori accumulans, aliam hostiam non consecratam, cruore per ipsum intinctam, loco prædictæ hostiæ sic consumptæ reponere minime formidauit, sicut postmodum per confessionem eiusdem clerici, talia perpetrantis, extitit reuelatum: eademque hostia in alterius locum supposita, vt scripsisti, vsque ad hodiernum diem tanquam verum corpus Dominicum a Christifidelibus, huiusmodi fraudem ignorantibus, veneratur. His etiam addidisti, quod casus similis ob inuidiam & odium Iudæorum in oppido Vverchartstorf cœperat exoriri; sed huiusmodi casum fuisse erroneum, Deo faciente, probationibus luce meridiana clarioribus extitit comprobatum: quare nobis humiliter supplicasti, vt quomodo te regere debeas circa præmissa, tibi qui doctrinæ sanctæ Romanæ ecclesiæ ac sedis Apostolicæ tanquam fidelis Christianus in omnibus, maxime in ijs, quæ catholicam fidem respiciunt, obedire desideras ac firmiter adhærere, nostris rescribere literis curaremus.

Præsumpta a clerico impietas.

Nouo cumulata scelere.

Consult' in eo dubio Pont.

20 Quia igitur propter locorum distantiam, eorundem factorum, & circumstantiarum ipsorum inuestigare veritatem, sicut expedit, non valemus; considerantes quod ad indagationem veritatis præmissorum, non segniter & remisse, sed solerter & diligenter est summæ prudentiæ studio procedendum, cum exhibere laudes diuinas hostiæ non consecratę vergat in ludibrium, & deceptionem fidelium; & scelus tanti facinoris, si illud execrabilis Iudæorum impietas perpetrauit, per dissimulationem vel negligentiam indiscussum relinquere, & per consequens impunitum, fidei nostræ confusionem induceret, & aduersus fideles, qui talia paterentur, diuinæ indignationis aculeos prouocaret; ac de venerabilis fratris nostri .. episcopi Patauiensis circumspectionis industria, & experta prudentia plenam in Domino fiduciam obtinentes, onus indagandæ veritatis huiusmodi, & processus super præmissis habendi eidem episcopo, qui dictorum locorum diœcesanus existit, prouidimus imponendum. Propter quod eidem episcopo nostris damus literis in mandatis, vt de præmissis & circumstantijs omnibus, in talibus attendendis & inuestigandis, adhibitis; ad hæc secum viris grauibus & prudentibus, habentibus Deum præ oculis, diligentius & consultius per fide dignos testes locorum, vbi talia contigerunt, & modos alios, & quæcumque alia adminicula, ex quibus præmissorum possit elici & detegi veritas, & falsitas reuelari, eiusque conscientia non ex credulitate leui & temeraria, sed probabili & discreta potius informari, inquirere studeat veritatem: qua comperta, sic super præmissis consulte & circumspecte prouideat, vt reatus tanti facinoris, si forsan ad patrationem illius dictorum Iudæorum processit impietas, non transeat impunitus; sed animaduertat pro expiatione sic flagitiosi piaculi debite in eosdem, quod si inquisitio & indagatio huiusmodi veritatis compertæ dictos Iudæos ostenderit innocentes, in huiusmodi tam detestabilis commentæ nequitiæ patratores, ex qua dictorum Iudæorum strages & bonorum prædationes & spolia processerunt, talem rigorem canonicæ seueritatis exerceat, quod pœna ipsorum cedat alijs in correctionem pariter & terrorem. In quo casu prædictas hostias non consecratas tollat de dictis ecclesijs, vt per populares & vulgares personas, & alios vanis deceptos erroribus, eisdem hostijs non consecratis diuinæ laudes de cætero non præstentur. Ex quibus omnibus, cum per dictum episcopum fuerint consulte peracta, tibi fili, & alijs Christifidelibus plena patebit instructio, qualiter circa præmissa vos gerere debeatis. *Dat. Auin. 10. kal. septembris anno 10.*

Patauien. præsul de his iussus inquirere.

Plagiarium coercere supplicio.

21 Extant hoc argumento ad Patauiensem episcopum literæ [a], in quibus post expositа superiora dubia subiectis verbis indagandæ di-

[a] *An. 4. p. 1. ep. cur. 49.*

li-

ligentiſsime rei prouincia impoſita eſt.

Benedictus, &c. venerabili fratri epiſcopo Patauienſi.

Ad eundē Pont. literæ.

Praternitati tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus de præmiſsis & circumſtantijs omnibus in talibus attendendis & inueſtigandis, adhibitis ad hoc tecum viris grauibus & prudentibus, habentibus Deum præ oculis, diligentius & conſultius per fide dignos teſtes locorum, vbi talia contigerunt, & modos alios, & quæcumque alia adminicula, ex quibus præmiſſorum poſsit eligi & detegi veritas & falſitas reuelari, tuaque conſcientia non ex credulitate leui & temeraria, ſed probabili & diſcreta potius informari, inquirere ſtudeas veritatem: qua comperta, ſic ſuper præmiſsis conſulte & circumſpecte prouideas, vt reatus tanti facinoris, ſi forſan ad patrationem illius dictorum Iudæorum proceſsit impietas, non tranſeat impunitus; ſed animaduertas pro expiatione ſic flagitioſi piaculi debite in eoſdem. Quod ſi huiuſmodi inquiſitio & indagatio veritatis compertæ dictos Iudæos oſtenderit innocentes, in huiuſmodi tam deteſtabilis commentæ nequitiæ patratores, ex qua eorundem Iudæorum ſtrages & bonorum prædationes & ſpolia proceſſerunt, talem rigorem canonicæ ſeueritatis exerceas, quod pœna ipſorum cedat alijs in correctionem pariter & terrorem. In quo caſu prædictas hoſtias non conſecratas tollas de dictis eccleſijs, vt per populares & vulgares perſonas, & alios vanis deceptos erroribus, eiſdem hoſtijs non conſecratis diuinæ laudes de cætero non præſtentur, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Quibus omnibus per te conſulte peractis, eidem duci [nempe Alberto Auſtriaco] & alijs Chriſtifidelibus plena patebit inſtructio, qualiter ſe gerere debeant in præmiſsis. *Dat. Auin. 10. kal. ſeptembris anno 10.*

Meminit de Iudæorum ſtrage edita ſub hæc tempora Benedicti vitæ auctor a, ac deinde in Chriſtianos ad prædas agendas ruſticorum furorem verſum: *Surrexit*, inquit, *quidam in partibus Alemanniæ, qui, adunata ſibi multitudine ruſticorum, Iudæos quoſcumque reperire poterat trucidari ordinabat ſub colore zeli fidei Chriſtianæ. Sed demum hic in perniciem & damnum Chriſtianorum redundare cœpit; nam etiam tales ſic coadunati in Chriſtianos ſæuire tentarunt: propter quod fuit eis obuiatum, & præſertim per Ludouicum ducem Bauariæ memoratum, qui licet alias eſſet admodum peruerſus, prout ſua facta demonſtrant; tamen in hoc bene egit: procurauit namque, & operatus eſt, quod capitaneus ſeu ductor prædictorum occiſus eſt: & ſic demum illa congregatio diſperſa & confuſa diſparuit.*

a Ben. vita auct. apud Bosq

Cæſus fœditionis auctor a Lud. Bau.

22 In Vngaria graui iugo Carolus Rex oppreſſerat eccleſiaſticos, qui libertatis ſuæ tuendæ cauſa confugere ad ſedem Apoſtolicam, atque hunc libellum ſupplicem Benedicto porrexere b.

Vngari præſules a Rege oppreſſi.

b Extr. apud Ben. to. 4. poſt ep. ſecr. 522.

Significant ſanctitati veſtræ deuoti & humiles filij veſtri epiſcopi Vngariæ, & maxime ij ex eiſdem, qui de ſalute regia & de bono ſtatu regni, ac eccleſiarum Dei & veſtrarum deuotiori animo, potiori vigilantia intendunt, in primis quod ſtatus eccleſiarum, libertates, & priuilegia, regni etiam immunitates, ac iura aut penitus annullata, aut in excidio læthali conſtituta exiſtunt, &c. Recenſent præſules iniurias ſibi illatas, extincto nimirum aliquo præſule, mox omnia illius bona ſiue eccleſiaſtica ſiue paterna a regijs adminiſtris occupari, & contra decus illius corpus multis diebus inſepultum iacere, vt alienis ſumptibus funus curandum ſit, diffugientibus hinc inde ſuis affinibus, ne tormentorū vi ad ea non modo, quæ pro exhibitis officijs accepere, verum etiam aliunde parta donanda cogantur, eccleſiarum poſſeſſiones a laicis teneri, obuentioneſque diſſipari: ſi quem adminiſtrandæ eccleſiæ admoueri contingat, regiorum miniſtrorum opera in poſſeſſionem induci, atque ingentem vim auri pendere; adeo vt bona eccleſiæ oppignerata maneant: eccleſias etiam cathedrales diu antequam excedant e viuis antiſtites, a Rege conferri; itaut a viginti tribus annis nullus niſi ad Regis imperium electionis iure promotus ſit, ſicque intrudi gerendo muneri viros impares, ſimoniaca labe infectos: ius patronatus, quod diuinum eſſe conſtat, pro libidine dari a Rege ijs, qui non patrocinium ſed latrociniū in eccleſias exerceant: vocari ad ſigna præſules ſeculares ac regulares; cum tamen officij ratio ipſos ad id non aſtringat, niſi ad propulſandos infideles, aut ſchiſmaticos, cum in regnum irruperint: ineunte quoque anno archiepiſcopos duos ad ducentas marchas, epiſcopos ad quinquaginta xeniorum nomine offerendas cogi: eccleſiarum ſubditis grauiſſima imponi vectigalia: clericos nulla exceptione fori ad tribunal ſeculare rapi: ſeculares contra eccleſias triginta annorum præſcriptione ſe defendere, eccleſias vero contra laicos etiam centum annorum non poſſe, niſi priuilegiorum inſtrumenta exhibeant, quæ duplici Tartarorum excurſione flammis deleta fuerunt: in diſceptandis litibus damnari ſæpius ad ſingulare certamen ſubeundum eccleſiaſticos, vt iuribus ſuis cadant, cum leges canonicas in eo violare perhorreſcant: vetitos eſſe generales ordinum conuentus, in quibus regni ſtatus temperabatur: nobiles ſine iudiciorum ratione ſuis muneribus deijci, boniſque exui: extinctas eſſe iam omnes probas conſuetudines, abolitas libertates, iura ſublata, quibus nobiles ac populi a ſanctiſſimis Regibus Stephano, Ladiſlao, alijſq; aucti fuerant: quamuis ſæpius Rex ſacramento ſe ea iura libertateſq; in priſtinum ſtatum reuocaturum deuinxerit: effluxiſſe iam præfixa ab eo pro ijs reſtituendis tempora adeo, vt ob ſpretam ab ipſo fidem vniuerſorum Vngarorum animi verſi ſint in ſeditionem, ac grauis terror impendeat, ne fides Chriſtiana in eo regno extinguatur: ac licet vetus conſuetudo ferret, vt Reges præſulum conſilijs ducerentur, adeo tamen illorum obſoleuiſſe auctoritatem, vt fœdiſſimam etiam repulſam patiantur, cum viduarum, pupillorum, orphanorumque vel aliorum, qui iniuſte ſpoliati ſint, cauſas ſuſceperint. Demum omnibus precibus a Benedicto demiſſe contendunt, vt tot tamque mala pontificia auctoritate comprimat: pergunt enim.

Recēſent grauamina.

Morientium præſulum opes inuadi.

Extorqueri iniquè aurum.

Electiones vi regia fieri.

Xenij nomine exerceri latrocinia.

Eccleſiar. iura diſſipari.

Veteres leges aboleri.

23 *Vnde eum in præmiſſis & ijs ſimilibus, ad quem recurrere pro remedio ſalutari, poſt diuinum auxilium neminem habeant, poſſint, vel debeant niſi profundam prouidentiam veſtræ clementiſſimæ ſanctitatis, formidantes vltra modum apud Dei iudicium, & veſtræ ſanctitatis examen dirius redargui de taciturnitate, & tantæ calamitatis eccleſiarum, & etiam animarum, ne præmiſſa in detrimentum eccleſia-*

Pro reſtituenda re eccleſ. implorata Pont. auctoritas.

Confugiunt ad Pont.

fiarum veſtrarum & regni Vngariæ, quod ſemper deuotum & peculiare ſanctæ Romanæ eccleſiæ extitit, per abuſionem introducta, per diuturnitatem ab alijs regni ſucceſſoribus in exemplum trahi valeant, ſupplicant veſtræ benignæ ſanctitati quatenus ſancta veſtræ circumſpectionis ſapientia & iuſtitia, quæ de veſtra ſanctitate cum Dei laude, per orbem prædicantur, de benignitate ſedis Apoſtolicæ præmiſſis dignetur compaſſionis viſceribus miſericordibus remedio ſuccurrere opportuno; ita tamen, pater ſanctiſſime, quod propter relationem præmiſſorum, regia indignatio non poſſit inuenire contra quem vel quos in his partibus vel alijs queat quoquo modo debacchari, quia aliter tam prælati, quam nuncij ineuitabiliter ſubijcerentur ſcandalo, & confuſioni aut periculo perſonali.

Auditis præſulum querelis, Pontifex vindicandæ eccleſiaſticæ libertatis in priſtinum ſplendorem ſtudio Carolo Regi porrectum ſedi Apoſtolicæ libellum ſupplicem tranſmiſit, vt quæ in eo erant contenta, ſi veritate niterentur, emendaret. Tum grauiſſimis ſententijs recuperatum ab eo diuino præſidio regnum, partas de infidelibus & ſchiſmaticis clariſſimas victorias propoſuit ob oculos a, quibus ad diuini Numinis adminiſtros venerandos, ſuæque aſſerendos dignitati obſtrictus eſſet, ad maiorum, Regum ſcilicet Gallorum, Siciliæ, & Vngariæ exempla prouocauit, qui eccleſiaſticos ſingulari honore & amore eſſent proſecuti; cum maxime ipſe eccleſiæ patrocinio fretus ad eam, qua fulgebat, gloriam ac ſolium Vngaricum aſſurrexiſſet.

Monitus Vngarus, vt hæc emendet.

a Ead. ep. ſecr. 522.

Carolo Regi Vngariæ.

24 Si diligenter attenderes, fili chariſſime, geſta magnifica, & piæ deuotionis inſignia, quibus progenitores tui catholici Reges, & principes regnorum Franciæ, Siciliæ, & Vngariæ, de quorū claro germine proceſſiſti, ad Deum & eccleſias rectitudine deuotionis & fidei claruerunt, eaſdem eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, bona, & libertates earum ſuæ potentiæ clypeo protegendo, eaſque in ſuis munificentijs, erga illas immenſitatem pro menſura ponentes, multis libertatibus ampliando; ſi commoda plurima, & immenſa beneficia tibi miſericordi & miraculoſo munere Dei collata (qui te ab olim ad regnum Vngariæ, ad perſonam tuam iure hereditario deuolutū, ab annis teneris ſub aliorum tutela non tuta & ambigua curatorum cura deductum, & inter manus extraneas tāquam pupillam oculi ſalubriter cuſtodiuit; cuius gratia de virtute in virtutē proficiens, ac in virilis & robuſtæ ætatis annos perueniens, regnū tuum in diuerſas partes multorum tyrannide laceratum, eiſdem tyrannis ſola diuina virtute ſublatis, ad integrum & ſolidum tuum dominium reduxiſti, & de tuis hoſtibus paganis, & alijs per conceſſas tibi dextera diuina victorias feliciter triumphaſti) in obliuionem non duceres, ſed ad mentis tuæ memoriam, vt teneris, frequentius reuocares; zelus Domini & eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum regni tui in te exardeſceret velut ignis, & quid Domino retribueres pro omnibus, quæ retribuit ipſe tibi, vt te ingratitudinis rubigo non tangeret, iugis meditationis ſtudio cogitares.

Propoſita diuina in eum beneficia.

Partę cœlitus victoria.

Referendam Deo gratiam.

25 Cum igitur, ſicut multorum minus grata relatio ad apoſtolatus noſtri deduxit auditum, multa per te inſolita & damnoſa grauamina eccleſijs & perſonis eccleſiaſticis hactenus ſint illata, & quaſi in conſuetudinem diſpendioſam eccleſijs iam deducta, quæ dicenda eſt verius corruptela, continue inferantur, & per alios nobiles regni tui per diſſimulationem vel patientiam tuam eiſdem eccleſijs & perſonis in grauem diuinæ maieſtatis offenſam, ſimilia irrogentur, ex quibus, ſi vera ſint, Regem Regum & dominum vltionum contra te & domum tuam grauiter prouocari dubium non exiſtat; nos præmiſſa, ſi veritate nitantur, quæ in tuæ ſalutis periculum & famæ diſpendium redundare noſcuntur, ſalua conſcientia, equeuntes conniuentibus oculis pertranſire, quin illa ponentes ante oculos mentis tuæ, prout ad apoſtolicæ ſeruitutis ſpectat officium, paternis obiurgationibus arguere ſtudeamus, ſerenitatem tuam, &c.] mixtis precibus imperijs monet, vt immunitate eccleſiaſtica in priſtinum ſtatum vindicata, diuinam beneuolentiam quam illatis illis damnis atque iniurijs a ſe abalienauit, conciliet. *Dat. Auin. xii. kal. octobris anno iv.*

Cracouiē. epiſc. in Polon. Regem coniurat.

26 Contraria ſorte in Polonia vir eccleſiaſticus regiam maieſtatem indigne habuit a: Ioannes enim epiſcopus Cracouienſis manu promptus ac temerarius, cum Caſimirus Rex abeſſet regno, Reginam Annam in arce obſedit. Impulerat ipſū in eum furorem ea occaſio, aliquem e ſuis in ea arce teneri in vinculis: tum etiam præſente in templo Rege Caſimiro nulla illius culpa, non ſine regia ignominia, diuina intermitti iuſſerat: pontificiam etiam lædere auctoritatem non erat veritus, retentis contra iuſſa apoſtolica decimis, quas e clero collegerat. Quibus querelis permotus Pontifex, acerrime Ioannem epiſcopum ab officio diſcedentem corripuit b, & Caſimiri Regis & Annæ Reginæ gratiam quibus par erat officijs conciliare iuſſit: tum ex benignitate apoſtolica Galhardum e Carceribus præpoſitum eccleſiæ Titulenſis Colocenſis diœceſis A.S.N. ſedandis inter Regem & epiſcopum Cracouienſem diſcordijs operam dare iuſſit: Regis iras blandis ſtuduit mulcere literis, vtque Ioannem in gratiam admitteret, ac Polonum clerum commendatum haberet, exorauit.

a Eod. to. 4 ep. ſecr. 83

b Ib. ep. ſecr. 82.

Luſitania eccl. Rom. vectigalis.

27 Vt vero aliarum eccleſiarum iuribus tuendis non defuit Benedictus, ita ad defendenda eccleſiæ Romanæ iura Gonzaluo archiepiſcopo Bracharenſi partes dedit c, vt duarum marcharum auri cenſum pontificio nomine exigeret a Rege Luſitaniæ, cui expoſuit d, vt Alfonſus Rex, olim ab Alexandro III. inſignibus regalibus auctus, Luſitaniam eccleſiæ Romanæ vectigalem ad quatuor vncias auri pendendas hactenus obnoxiam, liberalitatis ergo ad duas marchas auri obligaſſet: *Cum ſicut*, inquit, *in regeſtis eccleſiæ Romanæ continetur antiquis, claræ memoriæ Alfonſus Rex Portugalliæ prædeceſſor tuus, olim a felicis recordationis Alexandro Papa III. prædeceſſore noſtro regij nominis titulo inſignitus, quatuor vncias auri, quas pro tota terra ſua, quam tunc habebat vel haberet in poſterum, de cenſu annuo eccleſiæ Romanæ prædictæ ſoluere tenebatur, in duas marchas auri puriſſimi poſt Lateranenſe concilium duxerit augumentandas; excellentiam rogamus regiam attentius, & in Domino exhortamur, quatenus animæ tuæ conſulere in hac parte procurans, de cenſu huiuſmodi, prout teneris, venerabili fratri noſtro Gonſaluo archiepiſcopo Bracharenſi, nomine noſtro & eiuſdem eccleſiæ recipienti, cui ſuper hoc per alias literas poteſtatem concedimus, ſic liberaliter & plene facias impendi, quod a Deo conſequaris meritum, ac noſtram & Apoſtolicæ ſedis benedictionem & gratiam vberius merearis. Dat. Auin. ii. kal. decembris anno iv.*

c Eod. to. 4. ep. ſecr. 431.

d ep. ſecr. 428.

Duas marchas auri pendit.

Exigit hūc cenſum a Pontif.

Exa-

Exactum Sard. & Corſicæ vectigal.

28 Exactum etiam eſt a Petro Rege Aragonum vectigal Sardiniæ & Corſicæ, iure beneficiario acceptarum ergo; ac duo millia marcharum argenti ab eo recepta nonis aprilis, quæ ſuperiori anno in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli ærario pontificio inferēda erant, data ea de re ſyngrapha docet a. Defuit vero officio Petrus Rex, nō ſoluto alio cēſu, vt tenebatur, hoc anno recurrente eorūdem Apoſtolorum feſto, quem cū nec euolutis a conſtituta die quatuor menſibus ſoluiſſet, anathema contraxit: ſed cum imminente natali Domini feſto ſoluturum ſe illum polliceretur, atque regio nomine Bernardus clericus Cæſarauguſtanus cenſuris liberari depoſceret, ea ipſum lege Pontifex reſtituit b fidelium communioni v i. id. decembris, vt niſi excurrente ad natalitia Domini temporis ſpatio cenſum penderet, ijſdem pœnis irretitus cenſeretur.

a To. 4. ep. ſecr. 91.

b Ep. ſecr. 436.

Similiter ne alia Romanæ eccleſiæ iura, quæ in Calaritanum principatum in Sardiniæ inſula, in Aragoniam, in Angliam, in vtramque Siciliam obtinebat, lapſu temporum obſoleſcerent, ſolicitus Pontifex (neque enim auaritia vel nimio rerum terrenarum amore, a quibus in ſumma earum affluentia erat auulſus, ducebatur; ſed ad diuinam gloriam ſeruandi ſplendoris pontificij ſtudio incitatus) Ioanni de Amelio archidiacono Foroiulienſi cameræ apoſtolicæ clerico iniunxit c, vt Aſiſium ſe conferret, aſcitiſque Spoletano præſide ducatuſque eiuſdem ærarij præfecto, ac duobus vel pluribus tabellionibus adhibitis, vetera monumenta in theſauro Romanæ eccleſiæ in Aſiſinate ſacrario aſſeruato recondita perquireret, atque opera tabellionum exſcribenda redigendaque in publicam formam curaret, vt ijs fidem præſtandam auctoritate apoſtolica decerni poſſet; confectaque accurate exempla mitteret, deferretue. Præfectum vero d ærarij Spoletani ducatus, & præſidem ac Minoritas Aſiſinates e, eorumque rectorem f, quem guardianum vocant, Ioanni opera non deeſſe iuſſit: quæ res ab illo perfecta ſumma cum diligentia. Pretioſiſsima vero ea monumenta g, a Cardinale Baronio cum pluribus alijs hereditario iure congregationi oratorij noſtræ tranſmiſſa, in bibliotheca Vallicellana aſſeruantur, e quibus plura in annalibus velut tot floſculos decerpſimus, publicique iuris fecimus.

c Ep. ſecr. 353.

Vetera eccleſiæ monumēta iuſſu Benedicti deſcripta.

d Ib. ep. 354.

e Ib. ep. 362.

f Ib. ep. 361.

g To. 5. ep. ſecr. 34. Extant. in M. S. bibl. Vall. ſign. lit. B. n. 12 & M. S. ſign. lit. D. n. 1.

Sed ad inſtitutam narrationem de Benedicti in tuendis Romanæ eccleſiæ iuribus ſtudio redeamus. Intendi iuſſit h ab epiſcopo Albienſi iudicium Oliuerio vicecomiti Montisclari tutori Sicardi Scurienſis caſtri domini, vt accepti ab eccleſia iure fiduciario eius caſtri nomine clientis officia ſedi Apoſtolicæ præſtaret; *Cum*, inquit, *caſtrum de Scuria tuæ Albienſis diœceſis ſub certo cenſu annuo in feudum ab antiquis temporibus a Romana eccleſia teneatur, & domini dicti caſtri, qui fuerunt præteritis temporibus, pro eodem caſtro Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſicut tenebantur, certis temporibus fidelitatis iuramentum & homagium ligium præſtiterint, prout conſtat ex regeſtis eiuſdem eccleſiæ aliiſque documentis autenticis & publicis euidenter, &c. Dat. Auin. xi. kal. iunij anno iv.*

Scuria eccleſiæ beneficiaria.

h To. 4. ep. ſecr. 176.

29 Nec diſpari diligentia prouinciam dedit Benedictus Bertrando patriarchæ Aquileienſi, vt comitatum Cenetenſem ad Romanam eccleſiam ſpectantem viriliter (vt ait) ac potenter ex inuaſorum eriperet manibus: tum etiam in eos, qui Bartholomæum epiſcopum Veronenſem enecarant, apoſtolica auctoritate legibus animaduerteret a. Neque minor collocata eſt ab optimo Pontifice ſolicitudo, vt ditionem eccleſiaſticam ex inuaſorum tyrannide vindicaret, quam in tuendis alijs fiduciarijs bonis poſuerat. Incitabat pleroſque cupiditas adrapiendas opes eccleſiaſticas, inuadendas vrbium præfecturas, atque nouos principatus e ruinis eccleſiæ conflandos. Vt improbos igitur reprimeret, decretum pontificium edidit b quo, obiectis diuinis humaniſque pœnis grauiſſimis, ne quis vrbium, oppidorum, municipiorum, arcium, vicorum, pagorum dominium adminiſtrationemue ſine pontificia auctoritate capeſſeret: idque ab Hugone Augerij canonico Narbonenſi patrimonij B. Petri in Tuſcia præſide diuulgari, atque in præuaricatores legis ſeueritatem exerceri iuſſit c.

a Ib. ep. ſecr. 318.

Ditio eccleſiaſtica a tyrannis laniata.

b Ib. ep. ſecr. 116. Sātio Bened. in eos lata.

c Ib. ep. ſecr. 117.

30 Defixi cenſuris Bononienſes ob pulſum Bertrandum epiſcopum Oſtienſem A. S. L. exercitamque in eius milites & adminiſtros ſæuitiam, redeundi in Pontificis iuſti eorum principis obſequium voluntatem concepere, miſereque oratores, qui Bononiam iuris eſſe pontificij profeſſuri, de concordiæ legibus paciſcerentur: de quorum acceſſu, habitaque in Cardinalium ſenatu oratione, multis demiſſionis & obſeruantiæ notis inſigni, hæc tradit Benedictus. d

d Ben. an. 4. ep. cur. 66. & an. 6. ep. cur. 48. & M. S. Vall. ſig. lit. B. n. 1) pag. 481.

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Commune, vniuerſitas, & populus Bononienſis, tangente Domino cor ipſorum, & caliginem de mentalibus eorū oculis auferente, ad ſinū eiuſdem eccleſiæ matris ſuæ, a qua velut alienati filij propria culpa receſſerant, redire ſaniori conſilio cupientes; dilectos filios magiſtros Paulum de Lizarijs decretorum, & Mathaguanum de Aczoguidis, ac Petrum de Bompetris legum doctores ambaſſiatores, ac Rolandum quondam Ioannis de Fantucijs ſyndicum & procuratorem & nuncium ſpecialem, eorum ciues Bononienſes, ad noſtram & eiuſdem ſedis præſentiam deſtinarunt. Qui coram nobis & eiſdem fratribus noſtris in conſiſtorio publico comparentes, præſente in dicto conſiſtorio tam prælatorum quam aliorum fidelium multitudine copioſa, a nobis ex parte communis, vniuerſitatis, & populi prædictorum deuotę & humilis ſupplicationis inſtantia poſtularunt, vt non attendentes eiuſdem populi inſipientiam & exceſſus, ſed pie conſiderantes eiuſdem ſedis & Romanæ eccleſiæ benignitatem & clementiam conſuetam; & quod prædicti Bononienſes fuerunt hactenus eiuſdem eccleſiæ deuoti filij, & eſſe perpetuo proponebant; & quod idem populus in ſeruitio eiuſdem eccleſiæ contra indeuotos ipſius ſanguinem ſuum fundere & bona ſua exponere minime dubitarat, populum ipſum dignaremur reſpicere oculo pietatis, & ei redeunti & pœnitenti ſinum & gremium eiuſdem eccleſiæ miſericorditer aperire, dictumque populum dirigere, vt ipſa ciuitas noſtra ſub alis pietatis noſtræ & eiuſdem eccleſiæ in pacis plenitudine & pulchritudine valeat gubernari: quod fieri indubitanter credebant ſi eiuſdem ſedis clementia ſuper articulis infraſcriptis pie dignaretur ipſorum communis, vniuerſitatis, & populi ſupplicationibus inclinare. Idemque ſindicus & procurator, habens ad infraſcripta omnia & ſingula recognoſcenda, tractanda, petenda, ſupplicanda, facienda, promittenda, iuranda, perficienda, & complenda ſpeciale mandatum, ſindicario & procuratorio nomine conſtituentium eorundem de-

Bononienſes pro fligitanda rebellionis venia oratorem mittunt.

Cenetenſis comitatus eiuſdem eccl. vectigalis.

Profitentur Bononiam iuris eſſe pontificij.

uo-

uote & humiliter confessus fuit, & etiam recognouit, quod ipsa ciuitas Bononiensis, & comitatus & districtus eiusdem pleno iure & in temporalibus, quoad dominium, ac merum etiã mixtum imperium, & omnimodam iurisdictionem ad Romanam ecclesiam in solidum pertinerent, ac etiam ab antiquo pertinuerunt: ac iurauit ad sancta Dei euangelia, a se supradictis nominibus & in animas constituentium prædictorum corporaliter sponte tacta, dictos constituentes recognoscere, nos & omnes Romanos Pontifices successores nostros veros esse eorum dominos; nosque & successores eosdem pro ipsorum veris dominis in perpetuum habere & tenere, ac nobis nostro, & successorum nostrorum & eiusdem Romanæ ecclesiæ nomine possessionem & quasi ciuitatis, comitatus, & districtus, ac meri & mixti imperij, & omnimodæ iurisdictionis; nec non cæterorum iurium ciuitatis, comitatus, & districtus eorundem, quibus nos ac dictus prædecessor noster [nimirum Ioannes] & eadem Romana ecclesia fuimus spoliati, plene & integre restituere, reddere, & integrare, & ex nunc ea omnia & singula nobis & dictis successoribus, ac eidem Romanæ ecclesiæ libere dictus sindicus & procurator sindicario & procuratorio nomine supradicto omnino dimisit; nosque & successores nostros & eandem Romanam ecclesiam redintegrauit & restituit plene & libere ad dictam possessionem & quasi, & ad omnia & singula supradicta: & in signum & nomine traditionis huiusmodi corporalis possessionis & quasi, ac restitutionis & redintegrationis prædictarum, claues ciuitatis eiusdem sindicario & procuratorio nomine supradicto nobis in eodem publico consistorio præsentialiter tradidit, & realiter assignauit: ac promisit solemniter & iurauit nomine & in animas constituentium prædictorum, quod infra medietatem proxime futuræ quadragesimæ dicti commune, vniuersitas, & populus dictam possessionem & quasi omnium & singulorum prædictorum illi seu illis personis, quam seu quas ad hæc duxerimus deputandas, realiter, plene, & integre reddent, restituent, & assignabunt nostro & dictorum successorum nostrorum & dictæ ecclesiæ nomine recipiendam, habendam, & tenendam libere & absque impedimento quocumque. Promisit etiam solemniter & iurauit nomine & in animas constituentium prædictorum, quod in ciuitatem eandem, eiusque comitatum & districtum Ludouicum de Bauaria vel quemuis Imperatorem seu Regem Romanorum, vel de ipsorum gentibus aliquem vel aliquos notabilis preeminẽtiæ, potẽtiæ, seu potestatis, de quo vel quibus posset verisimiliter dubitari seu præsumi, mutationem status, vel occupationem ciuitatis eiusdem debere contingere aduersus nos & ecclesiam memoratã, nõ introducent, non assument, nec recipient absq; licentia sedis Apostolicæ speciali per ipsius literas concessionem licentiæ huiusmodi specialiter exprimentes, &c.]

Pristina ecclesiæ jura restituunt.

Spondent Cæsarem sine Pontificis iussu se non admissuros in vrbem.

31 Nuncupauit idem orator Bononiensium nomine fidei sacramentum in verba Pontificis, cuius iurisiurandi formula suis concepta verbis a nobis allata est alias. Spopondit etiam, conscendentibus primum sacrosanctum solium singulis successuris Pontificibus vnius anni flexu Bononienses misso procuratore idem sacramentum repetituros: additaque est sponsio, nunquam cum hostibus ecclesiæ contionem vllam inituros. Tum aliæ leges adiectæ de ducentis equitibus egregie armis instructis ad septuagesimum a Bononia milliare annis singulis mittendis ad castra pontificia, ac trimestri sumptu Bononiensium sustentandis, cum a Pontifice aut senatu Cardinalium iussi fuerint; resarciendis iniurijs illatis Bertrando Cardinali ac Bononiensi & Mirapiscensi episcopis, restituendis seditione raptis, reuocandis exulibus, pendendo censu & alijs exhibendis officijs, asserendoque iure ecclesiastico; quibus litteris hæc temporis nota adiecta est: *Dat. Auin. iv. id. octobris anno* iv. Ad hæc mandanda operi Guigo e S. Germano Apostolicæ sedis internuntius decretus est, instructusque hisce mandatis. a

Fidei sacramentum nuncupant.

a An 4. p. 1 ep. 1 ur. 67.

Benedictus, &c. Guigoni de S. Germano A. S. N.

Discretioni tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus tenore dictarum literarum diligenter inspecto, teque ad ciuitatem, comitatum, & districtum Bononiensem prædictos personaliter conferens, dictisque vniuersitati, communi, & populo ciuitatis eiusdem præfatis literis publicatis solemniter & expositis diligenter; factaque prius per eos actualiter, realiter, & corporaliter restitutione & assignatione corporalis possessionis & quasi ciuitatis, comitatus, & districtus prædictorum, ac meri & mixti imperij, ac omnimodæ iurisdictionis cæterorumque iurium ipsorum, ad nos & Romanam ecclesiam pleno iure spectantium, tibi recipienti nostro & successorum nostrorum ac Romanæ ecclesiæ prædictorum nomine, ac per te nomine supradicto huiusmodi reali & corporali possessione & quasi recepta, apprehensa, & habita pacifice & quiete; factis etiam per constituentes eosdem recognitionibus, ratificationibus, acceptationibus affirmationibus, confirmationibus, emologationibus cum iuramentorum præstationibus, obligationibus quoque super dicto censu, & alijs omnibus, & singulis cõtentis in dictis literis distincte, specialiter, & expresse; ac præmissis omnibus iuxta promissiones, obligationes, & iuramenta dicti syndici, ac secundum modum, formam, & ordinem in eisdem literis nostris expressos debite & efficaciter adimpletis, & de his omnibus & singulis confectis publicis instrumentis, iuxta dictarum literarum seriem nobis quantocyus, vel saltem infra prædictam proximo futuram mediam quadragesimam fideliter destinandis, *& infra*, sententiam interdicti, cui ciuitas, comitatus & districtus prædicti, ac vniuersitates, & communia eorundem propter præmissa subiacere noscuntur, *& infra*, auctoritate prædicta omnino relaxes, &c.] Amplissimis etiam mandatis instructus est nuntius, vt alias pœnas solueret, academiam pristino restitueret statui, commissaque crimina venia deleret. *Dat. Auin. iv. id. octobris anno* iv.

Missus ad ineundã Bononiæ possessionẽ internuntius.

Et soluendas censuras.

Data etiam eidem nuntio prouincia, vt cum ex concordiæ legibus Bononienses Pontifici tres cines idoneos ad publicam rem administrandam essent proposituri, vnum ex ijs nomine pontificio Bononiæ præficeret a. Verum postea obortæ incomplendis promissis nouæ difficultates; cumque condicto tempore Bononienses initas cum ipsorum oratore pactiones non confirmassent Benedictus prioribus illos pœnis deuinctos teneri promulgari iussit. Vt vero demum, mitigata nonnullarum conuentionum acerbitate, in gratiam fuerint admissi, dicetur inferius.

a Ib. ep. 63 Ortæ nouæ difficultates. Extracta reconciliatio.

Factiones aliquas ineunt.

32 Impacata erat per id tempus Italia ob Florentinorum & Venetorum, aliorumque sociorum Insubrum bella aduersus Mastinum Scaligerum, in quem cum tyrannidem latius proferre nite-

Bellum in Scaligeros gestum.

niteretur, vnanimes coniurarant. Promota sunt fœderatorum castra, atque ab ijs arx, cui Montecchium nomen est, capta a: inde Vincentia, expugnatis suburbanis, in discrimen adducta b, iterumque auxiliares Mastini cohortes fusæ: quæ ipse clade consternatus, cum se Veronæ obsidendū expauescceret, Venetos pacis arbitros constituit c: datæque a senatu Veneto eæ leges, vt Taruisium, Castrum francum, & Bassanum Venetæ reipublicæ parerent: parta a fœderatis retinerentur: (Carrarienses Patauium, nouo principatu condito, & Azo Vicecomes Brixiam iam eripuerant) Florentini vero præter plura oppida, quæ ex Lucano principatu detraxerant, Pisciam, Bugianum, & Altopasium reciperent. Ita elisa est Mastini, quæ adeo excrescebat, vt Italiæ dominium affectaret d, potentia ad quam ex infima conditione assurrexerat: tradit enim Io. Villanus e familiæ conditorem Iacobum nomine compingendarum scalarum artem exercuisse, illiusq; filium Mastinum sub Ezelino e Romano sæuissimo marchię Taruisinæ tyranno stipendia fecisse, vnde canes innitentes scalæ prætulere insignibus, quæ ab arte & nomine acceperant: quamquam alij a mercatore Montagnanæ genus duxisse ferant. Cæterum in illum iudiciariæ actionis instruendæ ob cæsum Bartholomæum episcopum Veronensem prouincia demandata est a Pōtifice f Aquileiensi patriarchæ. Vt vero detestum facinus rite expiarit Mastinus, nec non qui hactenus exercuerat tyrannidem, iusti principis titulum fuerit assecutus, sequenti anno dicetur, quo Veronæ, Vicentiæ, & Parmæ vicariatum a Romana ecclesia, propter interregnum accepisse visuri sumus. Nunc reliqua bella Italica prosequamur.

a Io. Vill. l. 11. c. 76. Accisa eorum potentia.
b Eod. lib. c. 88. Datę ipsis a senatu Venetorum leges.
c Cap. 89.
d Super c. 76.
e Cap. 49. Scaligerorum exordia.
f An. 4. p. 1 epicur. 53

33 Pertentauit Petrus g, Friderici olim Regis Trinacriæ filius, transfusum flagitio insulæ dominatum varijs rationibus sibi asserere aduersus Robertum, qui illud regnum tum auito iure, tum ex fœderis a Bonifacio sanciti legibus repetebat: misitque ad curiam pontificiam oratores, qui apostolica liberalitate Trinacriam sibi tradi deposcerent, clientelarem exhiberent Pontifici ritu solemni sponsionem, ac de remittendo sibi annuo censu, quem Fridericus annis pluribus fisco pontificio non intulerat, paciscerentur; quos amplissimis mandatis subiectis literis instruxit.

g Ext eius lit. in lib. priuil. Rom. eccl. to. 1. pag. 349.

Petrus secundus Dei gratia Rex Siciliæ.

Præsentis scripti serie manifestum fieri volumus vniuersis, etsi zelo sanctissimæ fidei Christianæ, studio charitatis sinceræ, quam erga sanctam catholicam & apostolicam & vniuersalem ecclesiam ardentibus desiderijs animo gessimus & gerimus, cordi nobis & in voto nostro fuerit; & sic nunc præcipue in regni nostri primordijs ardentissimis affectibus & mente deuota noster animus propulsetur ad sanctissimum patrem & dominum dominum Benedictum, digna Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ matris & vniuersalis ecclesiæ summum Pontificem, & reuerendissimum cœtum venerabilium dominorum Cardinalium, qui dictam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam constituunt & repræsentant, vt cultui Christiano et sanctæ & reuerendissimæ sedi Apostolicæ debitam reuerentiam & honorem præcipuum redderemus, ac omnia, ad quæ de iure tenemur & debemus, deuotissime & plenissime nostra firma & indefessa deuotio, vt desiderat, adimpleret personaliter nos conferre, & eos debitis & humilibus obsequijs visitare; tamen quia consideratis guerrarum tempestatibus, & periculis, quæ inter Christicolas, specialiter Italicos, nunc vehementius solito inardescunt, & præsertim guerræ calamitatibus, quæ inter nos & illustrem Regem Robertum efferbuit, & actu manifesto nunc efferuet, noster accessus ad Romanam curiam, qui non sine magno nostro nostrorumq; fidelium personali & reali periculo posset verius consummari, nobis rationabilibus excusationibus denegatur; propterea habito, consilio diligenti, ad vitandum præcipue personalia pericula, & ad præmissorum & infrascriptorum conceptum & desideratum opus perficiendum coram prædicto domino summo Pontifice, & præfato cœtu venerabilium Cardinalium, proposuimus, & ordinauimus per mediam personam in prædicta Romana veneranda curia comparere.

Petri Trinacrij conatus pro asserendo sibi regno.

Se studiosum esse ecclesiæ ostendere nititur.

Oratores ad curiā pontificiā decernit.

34 Et ideo confisi de fide, sufficientia, & legalitate nobilium Nicolai de Lauria & Andreæ de Ioffo de Messana militum, consiliariorum, familiarium, & fidelium nostrorum, eos & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior cōditio occupantis, sed quod vnus incœperit, alter prosequi valeat & finire, sponte constituimus, fecimus, & ordinauimus nostros veros & legitimos procuratores, ambaxiatores, & nuncios speciales præsentes, & procurationem & ambaxiatam & nuntiationem ipsas sponte susscipientes, ad conferendum & præsentandum se nomine & pro parte nostra in dicta Romana curia coram sanctissimo patre & domino nostro Benedicto, digna Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ matris & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifice, & reuerentissimo cœtu venerabilium Cardinalium, & coram eis, debitis reuerentia & honore propensius exhibitis, præmissa narrandum, & nos excusandum, qualiter præmissis rationibus atque causis & alijs, de quibus sunt verbo informati, ad prædictam Romanam curiam & coram eis nunc accedere personaliter commode non valemus; nec non ad petendum, impetrandum, & recipiendum ab eisdem domino summo Pontifice, & dicto reuerendissimo cœtu dominorum Cardinalium pro nobis nostrisque heredibus & succesoribus inuestituram perpetuam, confirmationem, & concessionis renouationem prædicti regni Siciliæ, cum omnibus insulis ei adiacentibus & vicinis, & cum omnibus & singulis dignitatibus, honoribus, iurisdictionibus, mero & mixto imperio, iuribus & pertinentijs eorum, sub debito & consueto annuo censu, præfato domino summo Pontifici & præfatæ sanctæ Romanæ ecclesiæ singulis annis in perpetuum per nos, heredes, & successores nostros integraliter præstando & soluendo: ac ad offerendum & obligandum nos, heredes, & successores nostros, & promittendum quod ex nunc inantea prædictum regnum Siciliæ cum omnibus prędictis insulis habebimus, tenebimus, possidebimus, et recognoscemus a dicto domino summo Pontifice, et prædicta sancta Romana ecclesia sub recognitione et annua solutione dicti annui census; et quod prædictum annuū censum pro prædictis regno et insulis anno quolibet dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ integraliter persoluemus: nec non ad offerendum eisdem domino summo Pontifici, et reuerendissimo cœtui dominorum Cardinalium nomine dictę sanctę Romanæ, et eidem ecclesię pro prędictis regni et insulis puram et perpetuam fidelitatem, et amodo in perpetuum eorum esse subditum et fidelem, et sub eorum fidelitate stabiliter perpetuo permanere. Et ad maiorem securitatem ipsorum domini summi Pontificis, et

Petit sibi regnum pontificio beneficio tradi.

Pollicetur censum & penfitatum.

Ad clientelarem sponsionē se obstringit.

reue-

reuerendiſsimi cœtus dominorum Cardinalium, et prefatæ ſanctę Romanę eccleſiæ debitum fidelitatis offerendum, et preſtandum efficax ſacramentum & manus & oris homagium; etiam de pecunia reſtanti ad ſoluendum dictæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ pro temporibus retroactis, pro quibus eidem eccleſiæ ſolutum & ſatisfactum non extitit pro annuo cenſu non ſoluto, a prædicto domino ſummo Pontifice, & præfato reuerendiſſimo cœtu dominorum Cardinalium, gratiam, remiſsionem, liberationem, finem, & quietationem omnimodam & finalem petendum, impetrandum, & recipiendum de prædicto ipſo annuo cenſu non ſoluto ſed reſtanti ad ſoluendum pro prædictis retroactis temporibus dictæ ſanctæ eccleſiæ vt ſupra cum prædictis domino ſummo Pontifice, & dicto reuerendiſsimo cœtu dominorum Cardinalium nomine præfato, & cum eadem eccleſia componendum, tranſigendum, & paciſcendum, prout cum eis poterunt melius & commodius conuenire: inſuper etiam ad petendum, obtinendum, & impetrandum nomine & pro parte noſtra, ſucceſſorum & vaſallorum noſtrorum indulgentiam, remiſsionem, & relaxationem omnium & ſingularum pœnarum, culparum, & ſententiarum, quas bonæ memoriæ Rex Fridericus reuerendiſsimus genitor noſter, nos, noſtri regales conſiliarij, familiares, ſubditi, & vaſalli noſtri, cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, regnum etiam noſtrum ratione dicti cenſus non ſoluti, vel quacumque alia ratione, occaſione, vel cauſa, de iure, vel de facto incurriſſemus vel incurrere aliquatenus potuiſſemus, &c. *Dat. Meſſanæ anno dom. incarnationis* M.CCCXXXVIII. *menſe martij vltimo eiuſdem ſextæ indictionis*.

Solui ſuſceptis cē ſuris efflagitat.

35 Iniqua erant Petri petita, cum ex ipſis Roberto iuſto inſulæ Regi fieret iniuria, quare eius oratores repulſam ſunt paſſi. Miſſis quippe oratoribus Robertus Rex, ius a ſede Apoſtolica dici popoſcit, cauſæque ſuæ æquitatem propoſuit: in primis Fridericum vitio Trinacriæ imperium poſt concitatam a Petro ſeditionem corripuiſſe; cumque iuſto bello Catania & plures inſulæ arces ac loca a Caroli II. ducibus parta fuiſſent, ſpeſque de ſubijcienda Trinacria affulgeret, compoſitum a Carolo Valeſio ijs pactionibus diſſidium, vt Fridericus ad vitam tantummodo Trinacriæ adminiſtratione regioque titulo potiretur, atque eccleſiaſticis eorum iura reſtitueret: poſt mortem autem ipſius Trinacria Carolo vel heredibus traderetur: at violatas a Friderico fœderis leges; nam primum pacto cum hoſte Henrico Cæſare fœdere, cum nulla de eo ſuſpicio maleuolentiæ concepta eſſet, proditione Calabriam inuaſiſſe, iterumque cum Ludouico Bauaro eccleſiæ perduelli coijſſe armorum ſocietatem, ac filium Petrum claſſe inſtructum, vt ſe illi coniungeret, ſubmiſiſſe variaque maritimæ oræ loca vaſtaſſe: denique licet ex fœdere antea eſſet profeſſus, Trinacriam poſt ipſius mortem reſtitutum iri; contra iura tamen Petrum filium heredem regni teſtamento ſcripſiſſe. Popoſcit igitur Robertus a Pontifice, vt ius in ea cauſa tanquam Siculi regni ſupremus princeps daret. Benedictus itaque iudiciariam inſtruxit actionem aduerſus Petrum inique Trinacriæ incubantem, in qua varias ob cauſas nullo iure illius corripuiſſe imperium demonſtrauit, ac legatos creauit, qui cenſuris ipſum eccleſiaſticis defigerent, ni iniuſtam poſſeſſionem dimitteret.

Repulſam patitur Petrus.

Robertus Rex implorat ecclesiæ opē pro recuperanda Trinacria

Quæ ad iuris ſui gratiam, Propoſuerit.

Decreti ad illius gratiam a Bened. legati.

Benedictus, &c. venerabilibus fratribus Go-

tio patriarchæ Conſtantinopolitano & Raterio epiſcopo Vaſionenſi A. S. N.

36 In agro dominico ab eo, per quem Reges regnant, & principes imperant, & qui ſolus habet in regnis hominum præcipuam poteſtatem, licet inſufficientibus meritis, operarij poſiti & cuſtodes, neceſſe habemus interdum de ſtatu dictorum regnorum, & ſpecialiter quæ Romanæ eccleſiæ iuris & proprietatis exiſtunt, cum fratribus noſtris ad pacem & iuſtitiam populorum ſic conſulta prouiſione diſponere, vt per inuaſiones & occupationes illicitas eorundem populorum, quinimmo eccleſiarum ac perſonarum eccleſiaſticarum ſtatus non turbetur publicus, iuſtitia exir de non patiatur exilium, nec tranquillitas, quæ ex concordia prouenit, extinguatur; ſed, euulſis exinde malorum radicibus, in pacis pulchritudine ſedeant, & in requie opulenta quieſcant. Dudum poſt proteruæ rebellionis inſultum, in inſula Siciliæ contingentem, ac ſubſequentem inuaſionem & occupationem ipſius per quondam Petrum olim Regem Aragonum attentatas, & per quondam Fredericum eiuſdem Petri genitum cum acceſſione vitij continuatas in culpam (ex quarum rebellionis, & inuaſionis exceſſu, & illicita continuatione prætacta, prout declarat, proh dolor! multiplicium malorum ſecutus euentus, multa prouenerunt Chriſtianitati non facile numeranda diſcrimina, quæ guerrarum diffidia, colliſioneſque regnorum, animarum pericula, corporum ſtrages, facultatum lapſus, & deſtructiones multimodas induxerunt) dum eodem Frederico, eandem inſulam continuato vitio tam obſtinate quam illicite detinente, Apoſtolicæ ſedis & claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ potens militaris exercitus contra dictum Fredericum & rebelles Siculos proceſſiſſet, inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Robertum Regem Siciliæ illuſtrem, præfati Regis Siciliæ primogenitum, tunc ducem Calabriæ, & quondam Carolum Alanconij & Valeſij comitem præfectos eiuſdem exercitus ex parte vna, & iam dictum Fredericum ex altera tractatus pacis fuit habitus mutua inter ipſos, vt potuit, firmitate vallatus. Quo quidem tractatu præſentato conſpectui felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & per ſolemnes nuntios Frederici præfati ab eo cum deuotione petito, vt tractatum ipſum confirmare benignius de Apoſtolicæ poteſtatis præſidio dignaretur; idem prædeceſſor, penſans attente, quid Apoſtolicæ ſedis exigeret in ea parte decentia, quid vtilitas ſuaderet, quia tractatum ipſum inuenit in multis informem, & a cenſura conſiderationis rationabilis diſcrepantem, illum abſolute primo reſpuit confirmare: ac eligens viam mediam, omiſſis extremis, volenſque dictum Fridericum in benedictione dulcedinis preuenire, vt reduceret tramites eius ad lineam, & vt erroris ac deuij fugata caligine eo libentius atque ſuauius veritatis poſſet ſemitam ingredi, quo per apoſtolicę benignitatis ſuffragium ſentiret ſecum benignius, atque clementius fore actum, mandauit & fecit ipſum ab excommunicationis ſententia, qua ligatus erat, abſolui certo modo, quem prouidi cautela conſilij ſuadebat: & proſequendo debitū paſtoralis officij, & charitatem etiam pij patris, benignas literas & ſpeciales nuntios ſuos ad memoratum Fredericum in inſulam præfatam tranſmiſit, inducens eundem, vt ipſe de deuio, in quo eum falſitas erroris aduexerat, ad rectum ſalutis ingreſſum ſe prudenter

Datum illis diploma.

De Sicula coniuratione, & quanta mala inuexerit.

De inito poſtea fœdere.

conuerteret,& circa informationem prædicti tractatus suum animum rationabiliter inclinaret.

37 Qui prædecessoris eiusdem exhortationibus acquiescens, quondam Hugonem de Empurijs marescallum,Fredericum de Incisa militem magistrum rationalem, & Bartholomæum de Insula iudicem curiæ Frederici præfati ad eundem prædecessorem transmisit cum certo procuratorio sufficienter instructos, super reformatione prætacta,& distinctis capitulis eiusdem Frederici noto sigillo sigillatis a tergo (quæ dictus prædecessor in archiuio Romanæ ecclesiæ seruari mandauit) continentibus supplicationem & reformationem pariter multorum, quæ series iam dicti tractatus pacis omiserat, & quæ minus prouide deducta fuerant in eodem. Qui siquidem nuntij pro parte eiusdem Frederici eisdem prædecessori & Romanæ ecclesiæ, prout in mandatis habebant, promiserunt solemniter & expresse, quod dictus Fredericus præfatam Siciliæ insulam cum insulis ei adiacentibus, omnibusque alijs prædictis iuribus & pertinentijs suis in vita sua teneret, haberet, & possideret ab eodem prædecessore sub eo ac ecclesia memorata, & esset vassallus & censuarius ipsius ecclesiæ pro illo iure, quod idem Fredericus in ipsa insula Siciliæ, dicta sua vita durante obtinebat: & ex tunc eius nomine præfati nuntij promiserunt bona fide tenere sub annuo censu trium millium vnciarum auri ad generale pondus regni Siciliæ in festo B. Petri, vbicumque Romanus Pontifex foret, eisdem Romano Pontifici & Romanæ ecclesiæ per eundem Fredericum, dum viueret, annis singulis soluendarum,& pro certo alio seruitio, in dictis promissionibus tunc expresso, per dictum Fredericum eidem ecclesiæ exhibendo: quod si per Fredericum prædictum, dum viueret,in præfati census trium millium vnciarum foret suo termino a solutione cessatum, in illas spirituales & temporales pœnas Fredericus præfatus incideret, quæ in conuentionibus initis inter Romanam ecclesiam & claræ memoriæ Carolum primum Regem Siciliæ in capitulo solutionis & cessationis census, seruato ordine in eodem expresso capitulo, continetur.Pro quibus quidem recognitione,& promissione prætactis efficacius roborandis præfati nuntij eiusdem nomine Frederici eisdem prædecessori & Romanæ ecclesiæ pro illo iure, quod in ipsa insula Siciliæ cum prædictis iuribus & pertinentijs suis idem Fredericus, sicut prædicitur, tunc fuerat habiturus ad vitam, ligium fecerunt homagium,& præstiterunt fidelitatis debitum iuramentum.

38 Promiserunt etiam præfati nuntij pro parte & nomine Frederici præfati eisdem prædecessori & Romanæ ecclesiæ, quod idem Fredericus teneret & haberet inimicos eorundem Romanorum Pontificum & Romanæ ecclesiæ pro inimicis suis,& amicos eorum pro amicis haberet: quinimmo præfatos inimicos Romani Pontificis & ecclesiæ prædictorum ad ipsius ecclesiæ mandatum intenderet persequi toto posse,& quod idem Fredericus restitueret & restitui faceret omnes ecclesias prædictæ insulæ Siciliæ & aliarum insularum circumadiacentium, si forte tunc non restitutæ fuerant, plenarie & cum effectu ad omnia bona & iura ipsarum, in quorum possessione fuerant eo tempore, quo insula memorata Siciliæ contra dictum Regem Carolum rebellarat, per quoscumque præfata bona & iura ablata & occupata fuissent vel essent, & etiam tunc detinerentur;nisi forte infra prædictum tempus aliqua iusta alienatio per personas auctoritatem habentes inde iuste & rationabiliter facta esset: & quod omnes prædictas ecclesias, & personas ecclesiasticas ecclesiarum ipsarum idem Fredericus libertatibus, priuilegijs, & immunitatibus, a sacris canonibus eis concessis: & specialiter quod immunes essent a collectis & tallijs,gaudere permitteret & faceret; & quod si aliqua dubietas vel contentio emergeret in præscripto tractatu pacis vel circa ipsum,idem prædecessor Bonifacius, seu successor ipsius Romanus Pontifex inde foret tanquam communis dominus cogniturus; eidem prædecessori humiliter supplicantes, vt cum Fredericus ipse secundum assertionem ipsorum ad dictorum prædecessoris & Romanæ ecclesiæ mandata in spiritu sinceritatis integre ac deuotionis interne redijsset, ac circa reformationem præfati tractatus pacis obedienter ac paterne descendisset,& obedienter in futurum dictorum prædecessoris & ecclesiæ beneplacitis se disponeret coaptare, tractatum ipsum cum reformatione promissionum huiusmodi confirmare benigne de auctoritate sedis Apostolicæ dignaretur.

39 Idemque prædecessor præmissum tractatum, ad hoc ipsius Regis Siciliæ accedente consensu, cum reformatione præscripta ex certa scientia confirmauit; ita quod per tractatum ipsum reformationemque prætactam, & per huiusmodi confirmationem suam, ac dicti Regis assensum,conuentionibus ipsis initis inter Romanam ecclesiam & prefatum Carolum primum Regem Siciliæ,quibus ipsum regnum Siciliæ & terra alia citra pharum prohibetur diuidi, nullum præiudicium mutilatio vel diminutio afferretur, quin præfato Frederico defuncto iam dicta insula Siciliæ cum iusulis ei adiacentibus, omnibusque alijs præfatis iuribus & pertinentijs suis ad vnitatem, integritatem, & soliditatem alterius partis dictæ terræ citra pharum positæ,sicut erat concessionis tempore factæ per Romanam ecclesiam præfato quondam Carolo Regi Siciliæ de regno & terra prædictis, & tempore motæ guerræ in insula prælibata Siciliæ,ipso iure, & sine aliquo facto hominis iuxta dicti tractatus pacis seriem reuerteretur; sicq; liceret tunc prænominato Regi Siciliæ & legitimis heredibus suis dictam insulam Siciliæ cum insulis ei adiacentibus alijsque prædictis iuribus & pertinentijs eius ad integritatem & soliditatem prædictæ terræ alterius citra pharum,& vnitatem totius regni Siciliæ auctoritate propria & sine iussu alicuius præsidentis seu iudicis reuocare,præfatis conuentionibus inter ecclesiam Regemque prædictos habitis, ac tractatu pacis prædicto in sua permanentibus firmitate.

40 Idem quoque prædecessor de fratrum suorum consilio & assensu declarauit expressius ac decreuit,quod nec per diuisionem ipsam præfatæ insulæ Siciliæ a terra posita citra pharum,quæ per memoratam tenutam,quam Fredericus prædictus de ipsa insula Siciliæ tunc fuerat habiturus,in vita sua contingebat,nec per eandem confirmationem prædecessoris eiusdem & reformationem prætactam,aut per dicti Regis assensum vel distributionem & receptionem dictorum census & seruitij,nec per nominationem dicti Frederici factam & faciendam de titulo Regis Trinacriæ, ius sibi aliquod acquireretur vltra vel præter tenutam ipsam, quam habiturus erat in vita sua iuxta formam prælibati tractatus de insula Siciliæ memorata:

Missis pro eo confirmando ad sedem Apost. oratoribus.

Vt spopondit Fridericus Trinacriæ restituti.

Persolutum census ecclesiæ.

Eosdem hostes & amicos cũ ecclesia habituri.

Ea pacis ne confirmatum fœdus, insula Caroli redes diret.

Sancitũ nullũ ad pol ros Fri rici de uatũ iri

rata; ſpecialiter exprimendo, quod per nominationem ipſam Regis Trinacriæ honori regalis tituli, qui de toto regno Siciliæ vltra pharum & citra apud prefatum Carolum Regem Siciliæ remanebat, quemque apud eum idem prædeceſſor remanere volebat, nullum in aliquo, etiam quantum ad vulgi labia, prejudicium afferretur: nec ex prædictis vel prædictorum aliquo eidem Regi Siciliæ aut heredibus ſuis vltra tẽpus poſſeſſionis & tenutę prefatę in proprietate, poſſeſſione, ac iure ipſius inſulę Siciliæ & pertinẽtijs eius, ad quantumcumq; temporis ſpatium ſe dicti Friderici vita protenderet, generaretur diſpendium ſeu præiudicium aliquod quoquo modo; cum poſſeſſio prefatæ inſulæ Siciliæ & pertinentiarum ipſius (quam ex premiſſis recognitione & præſtatione homagij & iuramenti fidelitatis, tunc factis dictis prædeceſſori & eccleſiæ pro parte Frederici prefati per nuntios ſepedictos, ac ſolutione cenſus & preſtatione ſeruitij prædictorum faciendis in antea, eiuſdem Frederici vita durante, idem prædeceſſor & Romana eccleſia retinebat (prædicto Regi Siciliæ & ſuis heredibus tanquam directis & veris feudatarijs Romani Pontificis & eiuſdem eccleſiæ ſpecialiter afferret preſidium, & dicta poſſeſsio eis prodeſſet; nullaq; per aliquos contra ipſos ex præfata poſſeſsione ſeu tenuta allegari poſſet preſcriptio vel opponi.

41 Sane in conceſsione eiuſdem regni Siciliæ & dictę terrę citra pharum, prefato Carolo II. Regi Siciliæ facta, ſuper capitulo præſtationis iuramenti fidelitatis & ligij homagij, Romano Pontifici faciendorum ſeu preſtandorum, continetur expreſſe, quod idem Carolus Rex Siciliæ verum & legitimum vaſſallagium faciens eccleſiæ Romanę pro regno prædicto & tota terra, quę eſt citra pharum vſque ad confinia terrarum ipſius eccleſiæ, ciuitate Beneuentana cum toto territorio, diſtrictibus, & pertinentijs ſuis excepta, fidelis & obediens eſſet B. Petro & Romano Pontifici, &c. vt in iuramenti capitulo continetur; & quod huiuſmodi homagium ipſe & heredes ſui facere & iuramentum fidelitatis preſtare ſecundum preſcriptam formam, ſi Romanus Pontifex in Italia foret, infra ſex menſes; ſi vero eum extra Italiam eſſe contingeret, infra annum poſt dicti regni adeptum dominium teneretur: & quod ſingulis ſucceſſoribus & eidem Romanę eccleſiæ renouaret tam ipſum homagium, quam huiuſmodi iuramentum. Continetur etiam in dictis conuentionibus, videlicet in prefato capitulo ſolutionis & ceſſationis cenſus, quod ab eodem Carolo I. Rege pro toto generali cenſu ipſorum regni & terrę octo millia vnciarum auri ad pondus ipſius regni in feſto B. Petri, vbicumque Romanus Pontifex eſſet, ipſi Romano Pontifici & Romanę eccleſiæ annis ſingulis ſoluerentur. Si vero ipſe vel ſui in ipſo regno heredes quocumque termino non ſoluerent integre cenſum ipſum, & expectati per duos menſes, terminum ipſum immediate ſequentes, de illo ad plenum non ſatisfacerent, eo ipſo forent excommunicationis ſententia innodati; quod ſi ſecundo termino infra ſubſequentes duos menſes eundem cenſum ſine diminutione qualibet non perſoluerent, totum regnum Siciliæ ac tota terra prædicta eccleſiaſtico eſſent ſuppoſita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos mẽſes proximos per plenam ſatisfactionem illius eiuſdem cenſus ſibi ducerent conſulendum, ita quod tranſactis eodem tertio termino & duobus proximo ſubſequentibus menſibus non eſſet de octo millibus vnciarum huiuſmodi primi termini ipſi eccleſiæ integre ſatisfactum, ab eiſdem regno et terra ipſo iure caderent ex toto, et regnum ipſum et terra integre et libere reuerterentur ad Romanam eccleſiam prælibatam. Si autem de cenſu octo millium vnciarũ huiuſmodi primi termini infra dictos tertium terminum, et duos ſubſequentes menſes plenarie * ſatisfacerent, ſeu pro ſingulis octo millibus vnciarum ſingulorum terminorum ſimili modo in eorum ſolut one ceſſarent, vel illa non ſoluerent, ſimiles pœnas incurrerent, ſaluis alijs pœnis et proceſsibus, quæ vel qui de iure inferri vel haberi poſſent per Romanum Pontificem in hoc caſu. Dicti quoque nuncij eiuſdem Frederici promiſerunt, quod idem Fredericus huiuſmodi capitula et omnia et ſingula contenta in prętactis conuentionibus habitis inter eandem Romanam eccleſiam et prefatum Carolum I. Regem Siciliæ tam affirmatiue quam negatiue, ſeu in faciendo ſeu non faciendo conſiſterent, prout contingebant dictum Fredericum, et contingere poterant, tempore vitę ſuę compleret integre, et inuiolabiliter obſeruarer. De quibus omnibus & ſingulis, complendis integre & obſeruandis inuiolabiliter per Fridericum iam dictum, dicti nuntij, ad hæc plenam poteſtatem habentes, in animam eiuſdem Friderici præſtiterunt ad ſancta Dei euangelia iuramentum.

42 Porro, ſicut nobis & fratribus noſtris certum reddit indubia & notoria certitudo, idem Fredericus nec eidem prædeceſſori Ioanni, dum vixit, nec nobis poſtquam diuina prouidentia fuimus ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, iuramentum fidelitatis præſtitit, nec ligium homagium fecit iuxta reformationem conuentionis & capitula ſupradicta, nec etiam toto apoſtolatus noſtri, nec antea dicti Ioannis prædeceſſoris tempore per multos annos præfatum cenſum trium millium vnciarum, prout ſecundum præfatam reformationem, conuentiones, & capitula arctabatur, ſoluere curauit eccleſiæ memoratæ: propter quæ eo ipſo fuit excommunicationis vinculo innodatus, dictaque inſula eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto; ac nihilominus ab omni iure & beneficio dictarum conuentionum, & tenutæ dictæ inſulæ & aliarum inſularum ſibi adiacentium ex toto cecidit ipſo iure.

Rurſus Fredericus præfatus eccleſijs eiuſdem inſulæ Siciliæ non reſtituit bona & iura earum, ſicut illa habuerant & tenuerant ante tempus & tempore rebellionis præfatæ: ſed dicta bona per ſe & alios ſibi adhærentes occupauit, & occupata detinere præſumpſit vſque ad obitus ſui tempus, & alias contra priuilegia, libertates, & immunitates eorum, a ſacris canonibus eis conceſſa, multa eiſdem eccleſijs grauamina irrogauit. Terram quoque regni eiuſdem Regis Roberti poſitam citra pharum, dum per aduentum quondam Henrici Romanorum Imperatoris ad partes Italiæ proſperioris & potentioris fortunæ arridere ſibi ſperaſſet auſpicia, cum dicto Henrico, eiuſdem Roberti Regis publico inimico, inito & firmato conſpirationis fœdere, inuadere, ac ciuitatem Rhegij & nonnulla alia caſtra dicti Regis, in confinibus Calabriæ ac terra, vtique dicti Regis poſita citra pharum, conſtituta, inſperato & inopinato hoſtili, quinimmo inſidioſo congreſſu violenter occupare & detinere diutius occupata præſumpſit, pacem inter dictum Robertum Regem & eum firmatam, & conuentiones alias iuramento

Quæ conuenta inter Carolum I. & eccleſiam fuerint firmata.

* non

Vt Fridericꝰ ad eadem officia ſe obſtrinxerit.

De multiplici illiꝰ in eccleſiam periurio.

Non ſeruatis ab eo fœderis legibꝰ.

Vt armorum ſocietatem cũ Henrico, aduerſus Robertũ pepigerit.

Inuaſerit Calabriã.

vallatas, non absque reatu periurij, temere violando.

Ludouico Bauaro se coniunxerit.

43 Ludouico quoque de Bauaria, hosti Dei & ecclesiæ manifesto, ac per processus eiusdem prædecessoris Ioannis pluribus & diuersis excommunicationis sententijs cum suis participibus & fautoribus innodato, & de crimine hæresis & schismatis condemnato, tam in Vrbe quam in diuersis alijs partibus, prout notoria facti euidentia docuit, & fere notum reddit toti mundo, publice adhærere; & ad eum, tunc morantem in Vrbe, Petrum primogenitum suum cum non modico stolio galearum temere & damnabiliter destinare præsumpsit, faciens per præfatum Petrum in eius progressu, quem fecit ad Ludouicum præfatum, & regressu ciuitates, loca, & castra eiusdem

Bellum contra fas mouerit.

Roberti Regis, citra pharum consistentia, & nonnullas etiam alias ciuitates & loca terrarum eiusdem Romanæ ecclesiæ hostiliter inuadi, & per hominum cædes, spolia, rapinas, atque incendia nequiter denastari: ex quibus pœnas & sententias in fautores, auxiliatores, & valitores Ludouici præfati, & adhærentes eidem, vel sibi præstantes auxilium, consilium, vel fauorem per processus eiusdem Ioannis prædecessoris, nec non in hæreticorum fautores, tam a sacris canonibus, quam legibus promulgatas, noscitur incurrisse. Ex quibus etiam eundem Fridericum cõtra reformationem & conuentionem præfatas, iuramento vallatas, publicos hostes dictę ecclesię nõ habuisse pro hostibus, sed amicis, & amicos ac deuotos eiusdẽ ecclesiæ pro inimicis habuisse, ostendit ex suorum

Excideritipso Trinacriæ vsufructus iure.

operũ euidentia manifeste. Ex quarum etiã reformationis & conuentionũ, quæ iuramenti vinculo fuerant roboratæ, violatione multiplici, vt præfertur, idem Fredericus non solum fuit notatus infamia, verum etiam omni emolumento priuatus, quod ex reformatione & conuentionibus illis fuerat consecutus: quæ quidem omnia adeo sunt nobis & dictis fratribus nostris notoria, quod nulla possunt tergiuersatione celari.

44 Nec omittendum duximus, quinimmo in exaggerationem suarum culparum prouidimus referendum, quod olim in promotionis nostræ primordijs ad pacem apostolicæ dignitatis attendentes, eiusdem Frederici excessus & culpas, sine

Vt ad resipiscentiã prouocatus monita spreuerit.

pœnitentiæ salutaris remedio per longa tempora continuatos, iugiter nouarum coaceruatione culparum in diuinæ maiestatis offensam & eiusdem ecclesiæ scandalum augmentari; ad Fredericum eundem literas nostras, ac venerabilem fratrem nostrum Bertrandum archiepiscopum Ebredunensem, virum vtique prouidum & consilij maturitate pollentem, personaliter duximus destinandos; per easdem literas præteritas suas offensas & culpas, & multas alias per succedentium temporum decursiones prædictis grauiores adiectas, tam in violatione pacis prædictæ reformatæ per sedem eandem, quam in fractione treguarum, per eundem Ioannem prędecessorem inter dictum Robertum Regem & præfatum Fredericum indictarum (propter quod idem Fredericus excommunicationis sententiam in infringentes treguas ipsas per eundem prædecessorem prolatam incurrerat, & prædicta insula Siciliæ & aliæ insulæ sibi adiacentes suppositæ fuerunt ecclesiastico interdicto) non ad certiorationem ipsius, cum de culpis proprijs esset certus, sed potius ad suorum recognitionem errorum, eiusque conuersionem in melius, si forte cor ipsius tetigisset Dominus referantes: per hæc eum ad deuotionem eiusdem ecclesiæ & communionem fidelium & recognitionem dictorum excessuum & culparum reuocare totis desiderijs affectantes; firmiterque etiam tunc sperantes, quod ipse per salubres monitiones & inductiones nostras, per dictas literas & præfatum archiepiscopum paternæ dilectionis affectu efficaciter sibi factas, deberet in hac parte per obedientiæ bonum & satisfactionis debitum Deum sibi exhibere propitium, placare eandem ecclesiam, ac saluti & honori suo salubriter prouidere; adijciendo in literis supradictis, quod si huiusmodi monitionibus & exhortationibus paternis acquiesceret cum effectu, & de præmissis omnibus satisfactionem debitam nobis & eidem ecclesiæ exhiberet, aperte cognosceret, nos & dictam ecclesiam adesse sibi, quãtum cum Deo possemus, fauoribus & auxilijs opportunis: alioquin pro firmo teneret, quod talia sustinere vlterius non possemus, quin procederemus debite contra eum, prout expediens videremus. Et licet dictus archiepiscopus eidem Frederico dictas literas assignasset, ac nihilominus super reductione ipsius ad deuotionem nostram & eiusdem ecclesiæ, & communionem fidelium per satisfactionem prædictorum excessuum & culparum salubriter, quantum in eo fuit, consilijs, inductionibus, & exhortationibus inducere laborasset; idem tamen Fredericus huiusmodi monitis interioris hominis non præstans auditum, nullumque conuersionis in melius votum ferens, nec pœnitens de commissis, sed voluntariam & obstinatam habens perseuerantiam in similibus committendis, nonnullas friuolas excusationes prætendit, per quas nitebatur ostendere, sibi prædicta cõmittere licuisse: cuius excusationes fuisse dolosas, continuata ipsius inobedientia, ac indeuotio & præmissorum incorrectio manifestant.

Inanibus fucis colorarit flagitia.

45 Rursus Fredericus præfatus dictas reformationem & conuentiones & contenta in eis & iuramenta super ijs præstita, velut propriæ salutis oblitus, ducens penitus in contemptum, non absque nostro & eiusdem ecclesiæ dictique Roberti Regis præiudicio, sicut habet fidedigna relatio, eundem Petrum primogenitum suum de facto in Regem dictæ insulæ coronauit. Nec his contentus, de dicta insula Siciliæ, cuius in vita sua dumtaxat simplicem tenutam habebat, de facto testari, & in ea dictum Petrum heredem instituere, & alias institutiones & substitutiones descendentium & collateralium suorum facere, sicut percepimus ex multorum insinuatione, præsumpsit; nil aliud ex tali partu nequitiæ & testamenti reproba factione laturus, vt creditur, nisi vt eisdem ecclesiæ & Roberto Regi in posterum pareret obiectus, & taliter seminato guerrarum incendio, eundem Robertum Regem & heredes ipsius iniustis bellorum commotionibus fatigaret: quamuis de dicta insula, vtpotę re aliena ac nostro & eiusdem ecclesiæ, dictique Roberti Regis nomine possessa, nulla testandi habuerit factionem. Quod quidem testamentum, si est ita vt præfertur, ex abundanti quatenus de facto processit, quoad dictam insulam Siciliæ & alias insulas adiacentes eidem, reuocamus, annullamus, & irritamus omnino, ipsumque decernimus, prout est, nullum, cassum, vacuum, irritum, & inane.

Contra conuentã filium corona redimire aus⁹.

Et testamento cõtra fas heredẽ scribere.

46 Nos igitur iustitiam nostram & ecclesiæ sponsæ nostræ nolentes negligere, qui alios in sua iustitia confouemus; ac attendentes, quod pœnæ prædictæ, quas, vt præfertur, idem Frederi-

cus incurrit, non solum eundem Fredericum, sed di-

dictum Petrum eius primogenitum proprijs etiam iniquitatibus aduersus eandem Romanam ecclesiam, vt præmittitur, perpetratis per eum eiusdem insulæ & aliarum insularum prædictarum omni emolumento priuatos, alioſque natos & posteros eius afficere dignoscũtur; desiderantes quoque ad tanti executionem negotij tales deputare personas, quæ per circumspectionem prouidam, & prouidentiam circumspectam illius magnitudini debeant conuenire, quæue ea, quæ ipsis per nos & sedem committentur eandem, studeant exequi laudabiliter & prudenter; ad vos, quos per familiarem notitiam nobiscum fidelitate probatos, & consilij maturitate discretos, & de quibus propterea in ijs & alijs plenam & specialem in Domino fiduciam obtinemus, direximus oculos mentis nostræ. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ad dictam insulam Siciliæ seu loca vicina, de quibus vobis expedire videtur, vos personaliter conferentes, cum prædicti excessus contumaciæ atque culpæ, aduersus nos & eandem ecclesiam Romanam commissi, per publicam euidentiam eorundem sint notorij, & nullius ope examinationis indigeant; sed solum executionem pœnarum, quibus dicti Fredericus, Petrus, & alij eius heredes propterea sunt affecti, exposcere dignoscantur; eundem Petrum & alios natos seu heredes Frederici præfati auctoritate apostolica declaretis a iure dictæ tenutæ omnique, commodo & emolumento ipsius tenutæ eiusdem insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adiacentium ex præmissis tam in faciendo quam non faciendo commissis, vt clare superius enarratur, totaliter cecidisse: dictamque insulam Siciliæ & alias insulas sibi adiacentes ex ijs ad eandem Romanam ecclesiam fore reuersas, & per consequens alteri parti terræ Siciliæ citra pharũ redintegratas & consolidatas existere ipso iure, & ad dictum Robertum Regem tanquam verum & directum feudatarium eiusdem ecclesiæ pertinere: ac nihilominus eundem Petrum & alios natos Frederici præfati, qui de facto post eiusdem Frederici obitum incubuerunt detentioni dictæ insulæ & aliarum insularum sibi adiacentium et incumbunt, dictasque insulas in dictorum Romanæ ecclesiæ et Roberti Regis Siciliæ damnum et præiudicium, et animarum suarum periculum detinent occupatas, auctoritate Apostolica, per vos, vel per alium, seu alios, si tute fieri poterit, personaliter vel per publicæ requisitionis edictum per vos solemniter præsente multitudine copiosa fidelium proponendum, diligenter et solicite requiratis et inducatis auctoritate prædicta; districtius præcipientes eisdem, quod prædictam Siciliæ et alias adiacentes insulas cum omnibus iuribus ac pertinentijs earundem præfato Roberto Regi Siciliæ, tanquam vero et directo feudatario nostro et eiusdem ecclesiæ, ac alij vel alijs eius nuntijs, quos idem Rex ad id duxerit deputandos, infra certum terminum peremptorium competentem, quem eisdem Petro et alijs natis eiusdem Frederici ad hoc duxeritis præfigendum, plene et integre restituant, et ea omnino dimittant, vel dimitti faciant, reuocatis omnino et exclusis omnibus, per quos dictas insulas ac ciuitates, castra, fortelitia, et alia bona ipsarum faciunt detineri; ipsa vacua, libera, et ab omni impedimento penitus expedita prædictis nuntijs eiusdem Regis Roberti totaliter dimittentes, nunquam vlterius dictam insulã Siciliæ, et alias insulas sibi adhærentes per se vel alios, directe vel indirecte, publice vel occulte occupaturi, vel ad eas præter voluntatẽ dictæ Romanæ ecclesiæ reuersuri; sic quod idem Robertus Rex eiusdem insulę Sicilię et aliarum insularum sibi adiacentium, ac ciuitatum, castrorum, fortelitiorum, et aliorum bonorum ipsarum possit libera, pacifica, et plena possessione gaudere.

Nuntij promulgare iussi, insulam contra fas a Petro detineri.

Præceptũ vt eandẽ restituat.

47 Omnes insuper, qui eidem Petro, vel ipsius nato, aut fratribus suis, vel alicui eorundem ratione dictæ insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adiacentium iuramento tenentur fidelitatis astricti, a iuramento huiusmodi auctoritate apostolica perpetuo absoluatis, ac firmiter inhibeatis eisdem, ne quisquam deinceps eisdem Petro, & nato, ac fratribus ratione iuris cuiuslibet dictæ insulæ vel insularum sibi adiacentium, cum nullum ius eis competat in eisdem, pareat vel intendat. Quod si præfati Petrus & alij fratres eius nati eiusdem Frederici, ad huiusmodi requisitionem nostram infra prædictum terminum per vos præfigendum eisdem, præfatas Siciliæ & alias insulas ac ciuitates, castra, & fortelitia ipsarum cum omnibus iuribus & pertinentijs suis plene & integre non restituerint eidem Roberto Regi, seu nuntio vel nuntijs eius; ipsaque vacua, libera, & penitus expedita non dimiserint, vel dimitti fecerint, reuocatis & exclusis cunctis omnino, per quos detinentur prædicta; præfatos Petrum & fratres ipsius, & omnes consiliarios, fautores, auxiliatores, & valitores eorum, cuiuscumque dignitatis, etiam si pontificali, vel regali, vel qualibet alia præfulgeant dignitate, & alias singulares personas dictæ insulæ, qui vel quæ facto, verbo, consensu, auxilio, vel fauore quocumque culpabiles fuerint in prædictis, excommunicationis sententia percellatis, a qua nullus præterquam in mortis articulo ab alio, quam a Romano Pontifice, vel vobis seu vestrum altero possit absolutionis beneficium obtinere: & si aliquis de prædictis in mortis articulo a prædicta sententia fuerit absolutus, nisi postquam ad conualescentiam peruenerit, quam primum commode poterit de ijs, pro quibus excommunicationem incurrit, satisfecerit, in eandem sententiam recidat ipso facto.

Soluti sacramẽto fidei, qui in Petri verba iurauerant.

Et Petro, & sequacibus censuræ, ni pareãt, obiectæ.

Verum cum, crescente contumacia, pœna debeat augmentari, si præfati Petrus & fratres post decursum primum terminum, infra alium terminum competentem, quem sibi duxeritis præfigendum, in contumacia perstiterint supradicta; contra eos & quoscumq; alios; eis in dicta contumacia adhærentes, seu fauentes, vel præstantes auxilium, consilium, vel fauorem, cuiuscumque status, ordinis, conditionis, vel dignitatis extiterint, etiam si pontificali aut quacumque alia dignitate fulgeant, ad pœnas alias spirituales & temporales, etiam priuationis dignitatum ecclesiasticarum & secularium, & feudorum & beneficiorum, quæ in dictis insulis obtinent & inhabilitationis personarum et alias grauius, auctoritate apostolica, qua plene vos in hac parte fungi volumus, procedatis sicut videritis expedire; non obstantibus quibuscunque priuilegijs, etc. *Dat. Auin. iv. non. iulij anno iv.*

48 Instructi a sunt ijdem internuntij amplissimis prærogatiuis, vt impositum munus cum dignitate gererent. Tradueere etiam ad Roberti Regis obsequium Trinacriæ populos blandis literis nisus est Benedictus, pollicitus Robertum illos regia clementia complexurum, restituturum veterem libertatem, quæ in Sicilia Guillelmo II.

a *Ibid. ab ep. 15. ad 46.* Traducere ad Roberti partes Trinacrios nititur Bened.

Rege floruerat; nec non ſanctiones Honorij IV. ad leuanda onera populorum latas, inſtauratum iri. Conceptæq; ſunt eadem verborum formula ad Syracuſanos, Agrigentinos, Panormitanos, Meſſanenſes ſcriptę literę a. Adiungenda erat verbis armorum vis, ac Robertus Rex florentiſſimã claſſem ad redigendos ad officium Trinacrios immiſerat cui Pontifex his verbis eſt prudie kal. maij, gratulatus: *Accepimus quod tu iuſtitiam tuam, quinimmo S. R. E. cœleſtis auxilij virtute ſuffultus aduerſus indeuotos eccleſiæ & inuaſores ac detentores inſulæ Siciliæ, ad eandem eccleſiam ac te & ſucceſſores conceſſione eiuſdem eccleſiæ pertinentis, intendis viriliter proſequi & potenter.* Vt felicius gereretur ea expeditio, quam Carolus dux Dyrrachij Roberti nepos erat ducturus, conceſſit Pontifex, vt is princeps tum alij proceres ac tribuni portatili ara vterentur, in qua ſacerdotes diuinam rem peragerent. Adiunctum Dyrrachino Nouellum e Baucio comitem narrat Io. Villanus b, ſed tanto apparatui belli exitum non reſpondiſſe. Neque inteſtinarum diſſenſionum expers Neapolitanum regnum fuit, cum populi varias factiones ſectarentur. c

a *Ib. ep. cur.* 41. 42 43. 44.

Inſtructa a Roberto in Trinac. expeditio.

Præfectus illi Carolus Dyrrachinus.

Aræ ſubductiles permiſſæ in caſtris,

b Io. Vill. l. 11. c. 78. *et alij.*

c *Eod. l. c.* 79.

Res haud proſpere geſta.

Concitare porro Petrum Regem Aragonum ad inferẽdum Roberto Regi bellum Iolanda Dœſpina Grecorum deſpotę vidua, annitente miſſoque oratore diſcordiam verbis in Robertum atrocibus incendere moliente; Pontifex, vt malo occurreret, Aragonium Regem admonuit d, vt inter Aragoniam et Siculam ſtirpes fœdera arctiſſima inita fuerant, atque affinitatibus confirmata, ex quibus matrimonijs procreati erant principes, ac multę vtilitates in vtrumque regnum redundarant; nec Sicilię Rex quidquam aduerſus Aragonios molitus vnquam fuerat: coleret itaque Roberti amicitiam, nec peruerſis conſilijs ſubornari ſe pateretur. Quibus literis XVI. kal. ſeptembris dies adſcripta.

Aragonię monitus ne Roberto bellũ inferat.

d *To. 4. ep. ſecr.* 283.

49 Fouendę quoque publicę pacis ſtudio, cum belli diſcrimen inter Petrum Aragonum ac Iacobum Balearium Reges immineret; vocabat enim Petrus Iacobum, vt Aragonię aulę fiduciarium ſolemni ritu ſe profiteretur, Iacobus vero ab eo vehementer abhorrebat; Pontifex cum Petro Rege egit e, vt diem Iacobo indicere ad recurrens S. Ioannis Baptiſtæ natale feſtum inſequẽtis anni, vel ipſius Petri acceſſum ad ſedem Apoſtolicam ad clientis nimirum officia Sardinię et Corſicę beneficio Romanæ eccleſiæ acceptarum nomine preſtanda differret; cum maxime neceſſarium eſſet, vt Iacobus aduerſus Garporum Regem, magnos bellicos apparatus inſtruentem, ſe compararet.

Balearis Aragonij clientem ſe profiteri refugit.

e *Eod. to. 4 ep. ſecr.* 450.

Quæſita Africani belli excuſatio.

Petro Regi Aragonum illuſtri.

Qualiter immanis hoſtis ille catholicę fidei, Rex Garporum videlicet, ad regnorum Hiſpaniarum exterminium et confuſionem aſpirans, ſe vt habet rumor implacidus et infeſtus, ad inuadendum et occupandum regnum Maioricarum et inſulas adiacentes, in quibus viget cultus eiuſdem fidei, conſlatis viribus diſpoſuerit et diſponat, excellentiam tuam, fili chariſſime, credimus non latere. Cum autem chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Iacobum Regem Maioricarum illuſtrem ad reſiſtendum hoſtis prędicti malitię regnumque ſuum in manu forti, ſicut opus fuerit, defendendum multos, laborioſos, et ſumptuoſos facere oporteat, vt intelleximus, apparatus; magnificentiam regiam attentius deprecamur, quatenus prędictis, quę non ſolum te, fili dilectiſſime, regnaque tua, quin etiam Reges alios Hiſpaniarum dignoſcuntur contingere, conſideranter attentis, a citatione ſeu vocatione dicti Regis Maioricarum, quam ad certum terminum feciſſe occaſione quarumdam recognitionum diceris, abſque tui et ſui iuris prędiudicio vſque ad inſtans feſtum natiuitatis B. Ioannis Baptiſtę, vel quouſque ad noſtram veniens preſentiam nobiſcum (qui ſuper hoc vt inter te et ipſum vnitatis et pacis fœdera, ſicut exigunt iura ſanguinis remaneant ſolida, partes noſtras interponemus) libẽter colloquium habueris et tractatum, ſic prompte et beneuole velis, pro noſtra et Apoſtolicę ſedis reuerentia ſuſpendere vel differre, quod dictus Rex non impediatur ſuper apparatu prędicto; nec ſcintilla diſcordię, quę vtrique periculoſa eſſet, prędictis his temporibus, valeat quomodolibet ſuboriri. *Dat. Auin. XII. kal. ianuarij anno IV.*

Hiſpaniæ cupiditate immiſcet.

Aduerſus illum Rex Balear. ſe munit.

50 Vt Petrum Regem facilius ad ſua adduceret vota Benedictus, proceres Aragonios, ad quos regni conſilia referebantur, Petrum ſcilicet principem comitem Ripacurtię Regis patruum, ac Petrum Cęſarauguſtanum, et Arnaldum Tarraconenſem archiepiſcopos rogauit a, vt ſuam apud Regem auctoritatem adhiberent. Erumpebat enim ea inter Reges controuerſia in bellum, in qua ſequenti anno ſopienda Pontificem occupatum videbimus, vt rei Chriſtianę in graue diſcrimen adductę conſuleret. Albohacenus enim Rex Marrochitanus cum Rege Granatenſi ad inuadendas Hiſpanias bello ſe comparabat. Augebat barbarorum animos Chriſtianorum diſſenſio, pacata namque omnino non erat Aragonia, et Caſtellę ac Luſitanię Reges acriter diſſidebant: ad quos conciliandos miſſus anno ſuperiori fuerat Bernardus Rutenenſis epiſcopus A. S. N. adeoque apud eos perfecit b, vt inducię primum inter Reges feliciter initę fuerint ad natalitia Domini, de quo certior factus Pontifex Alfonſo Caſtellę Regi eſt gratulatus c: eius vero ſocerum Alfonſum Luſitanię Regem eſt adhortatus d, vt inducias ſeruaret, ſeque compararet ad pacem firmandam: *Sic te*, inquit e, *fili benedictionis & gratiæ, ſuper ijs habiturus, quod merito Rex dici debeas pacificus; & illam beatitudinem, quam veritas repromittit pacificis ſub nomine Dei, fily merearis.*

a *Ib. ep. ſecr.* 451. 452. 453.

Pontificię pro concordiandis Hiſp. curę.

b *Ep.* 125. 195. 321.

c *Ib. ep. ſecr.* 190.

d *Ep. ſecr.* 191.

e *Eod. ep.* 191.

51 Concitarat Luſitanum ad id bellum iuſta indignatio, generum Regem Caſtellæ, habita ludibrio Regina Maria, pellicem Guſmaniam habuiſſe in delitijs, & ad regium pene faſtigium euexiſſe. Vt itaque e voluptatum cœno Caſtellanum extraheret Pontifex, hiſce literis f propoſuit illi ob oculos quantum dedecus ſibi eo adulterio apud homines pareret, quantum diuinam læderet maieſtatem, in quanta denique pericula ſe ac regnum conijceret.

Monita Caſtellano data.

f *Ib. ep. ſecr.* 196.

Benedictus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Alfonſo Regi Caſtellæ illuſtri.

Sane, fili dilectiſſime, dolemus ſuper te grauiter; & afflicta prę anguſtia paterna viſcera commouentur, dum te qui, ſicut titulus exigit regiæ dignitatis, tam te ipſum, quam tuos ſubditos regere imperio rationis teneris & debes, ipſa ſuccumbit ratio, ſeque non ſine diſpendioſis periculis ſubijcit voluptati, cum illam mulierem publice tenes concubinam & adulteram, & ei adhæres impudice, chariſſima in Chriſto filia noſtra, Regina vxore tua legitima derelicta quodammodo, & contempta. Vtinam, fili amantiſſi-

Garporũ Rex Chriſtianorũ hoſtis.

tissime, regalis circumspectio diligenter attenderet, & reuolueret apertis rationis oculis intra præcordia mentis suæ, quam grauiter Regem æternum, cuius gratia solium regiæ dignitatis obtines, ex præmissis offenderis & offendis; quantamque maculam posueris in tui nominis gloria, detrahendo non modicum famæ tuæ longe lateque per orbem diffusæ, quam facis labijs obloquentium, proh dolor! plusquam posset forsan credere tua sublimitas, lacerari. Nam, etsi de quocumque catholico, quantumcunque in statu infimo constituto, per reatum adulterij dehonestante matrimonium a Domino institutum, irritetur Altissimus merito, de persona tamen sublimi, populis præsidente, prouocatur vehementius non indigne, cum peccatum illius redditur manifestius pluribus, qui exinde ad damnationis præcipitium impelluntur. Quid autem exinde vulgus non solum in regnis & terris tuæ ditioni subiectis, sed vbique per orbem de te clamet, attende fili quæsumus; & considera diligenter, si vox communis, quæ tantum Regem vociferat publicum adulterum, & famæ claritatem obfuscat nominis regij, dulcis vel amara esse debeat in auribus cordis tui, cum non solum subditos inficit, sed hostibus fidei catholicæ tuis prædictis regnis & terris vicinis materiam deridendi & contemnendi, proh dolor! tribuat, sicut intelleximus, legem Dei.

Proposita crimiū grauitas.

Exempli in subditos transfusi pernicies.

Nec esse in hac parte credimus tuis rectis considerationibus omittendum, sed tibi potius terribiliter formidandum, quod quamuis diuina pietas, quæ omnes quærit saluos fieri, & neminem vult perire, ad pœnitentiam diutius peccatores expectet; quandoque tamen, cum demum conuerti renuunt, iugiter post sua peccata currentes, eos punit in quo peccauerunt, condigne vltionis iudicium exercendo. Vnde visum & auditum est alias, quod magnates in tali perseuerantes peccato, prole legitima Dei iusto iudicio priuabantur. Colligi autem & ad memoriam reduci satis potest de facili, quot & quanta dispendiosa, & pernicioſa pericula propter bastardos in illis partibus retroactis temporibus contigerunt. Rogamus igitur, &c.] addit preces, vt Reginam Mariam coniugali amore prosequatur, atque honorifice tractet. *Dat. Auin. iv. id. iunij anno iv.*

Dei misericors patientia.

52 Parere apostolicis monitis visus est Rex Castellæ, ac Benedicto ad iungendum cum Rege Lusitano socero fœdus paratissimum se exhibuit, atque arma in barbaros vertere decreuisse significauit: quem Pontifex ad bellum strenue aduersus Saracenos, qui ex ipsius discordijs insolescebant, instruendum hisce literis incendit. [a]

Redit ad officium Castellanus.

[a] *Rod. to. 4. ep. secr. 322.*

Benedictus, &c. Alfonso Regi Castellæ.

Fili chariſſime, quia respondendo exhortationibus & monitis nostris salubribus, de fonte charitatis, qua te velut benedictionis & gratiæ filium prosequimur, vtique manantibus, vt ad reformanda pacis & vnitatis fœdera cum chariſſimo, in Christo filio nostro Alfonso Rege Portugalliæ illustri tecū, hostis humani generis procurante malitia, dissidente regium animū inclinares, venerabilis fratris nostri Bernardi episcopi Rutenensis apostolicæ sedis nuntij, ad partes illas per nos propter hoc specialiter destinati, persuasionibus & inductionibus benigne acquiescendo, super his prudenter & deuote regia serenitas per literas prædictas obtulit se, sicut treugas cum Rege præfato [nimirum Lusitano] exhortationibus nostris obtemperando inierat, ad huiusmodi pacis & concordiæ tractatum adeo prompte ac beneuole condescendere rationabilem & decentem, quod merito possemus cognoscere qualiter tu, fili dilectissime, Rex esse vis & vocari pacificus, tuæque vires potentiæ aduersus Agarenos inimicos fidei catholicæ desideras exercere; nos ex his exultantes in Domino, & ei, qui cor tuum rore suæ perfudit gratiæ, sic illustrare dignatus est mentem tuam, laudis iubilum exoluentes; & exinde nihilominus magnitudinem regiam laudum & commendationum præconijs extollentes, regalem celsitudinem rogamus attentius in Domino & hortamur, quatenus rectum huiusmodi conceptum & a Domino inspiratum spiritum sic accendas, quod currus præsumptuosi fastus & superbiæ, quem prætextu dicti diffidij ascendisse creduntur infideles prædicti, Christianorū sitientes sanguinem, & ad tuum & Regis præfati exterminium aspirantes, non solum deprimatur, sed potius per tuam & memorati Regis potentiam, inuicem reformata concordia, dilaceretur penitus & frangatur, & in illis partibus per tua gesta magnifica dilatetur cultus fidei orthodoxæ, vt sicut claræ memoriæ progenitorum tuorum clarum nomen tuum exaltetur in gentibus, & tandem in retributione iustorum coronam regni merearis percipere sempiterni. *Dat. Auin. iv. non. octobris anno iv.* Scriptis eodem die ad Alfonsum Regem Lusitaniæ literis ipsum hortatus est, [a] vt cum genero firmam pacem sanciret, ac tum Reginam Beatricem [b] pluresque proceres [c], vt in id summo studio incumberent rogauit: iterumque anni exitu vtrique Regi acriores stimulos ad fœdus illud optatum redintegrandum, armaque socialia in barbaros imminentes coniungenda auctor extitit [d]. Et quidem feliciter inter Petrum Aragonum, Alfonsum Lusitanum, Alfonsumque Castellanum Reges percussum ad retundendos Saracenos fœdus, Surita testatur [e]: quæ de re sequenti anno sermo recurret. Bernardus vero episcopus Rutenensis, cuius industria strenue in tanto opere desudarat, cardinalitia purpura, vt dicetur, extremo hoc anno ornatus est. [f]

Arma in Saracenos vertere cogitat.

Ad id cōsilium vrgetur.

[a] *Rod. to. 4 ep. secr. 324.*
[b] *Ib. ep. secr. 326.*
[c] *Ep. 323. 325. 327.*
Initum fœdus inter Hispaniar. Reges.
[d] *Ep. 448. 449.*
[e] *Sur. l. 7. c. 46.*
[f] *To. 4. ep. secr. 444.*

53 Neque externis modo bellis cum finitimis Christianis Regibus finem posuit Castellæ Rex imminentium barbarorum metu, sed intestinas etiam dissensiones pacare studuit, Ioannemque Manuelis principis filium in gratiam admisit, auxitque honoribus. Cui Benedictus glorioſum victoriæ genus in vincendo clementia hoſte retulisse, est gratulatus [g]: *Tu*, inquit, *quidem prudenter considerans & attendens, quod per clementiam vincere glorioſum victoriæ genus in principibus reputatur, dilectum filium nobilem virum Ioannem Manuelis natum recolendæ memoriæ Manuelis infantis, qui dudum satore discordiæ, humanæ quietis & salutis æmulo procurante a gratia regia seperatus, te plerumque grauiter offenderat; ad gratiam huiusmodi per viam benignitatis & manſuetudinis, remiſſis clementer culpis & offensis præteritis, & expulſis de corde regio rancorum odijs reuocaſti, cum ad tua benignius obſequia nihilominus admittendo. Hæc ſiquidem a Rege ſupremo, qui ſuam omnipotentiam parcendo & miſerando maxime manifeſtat, tibi fili dilectiſſime inſpirata diuinitus, ad illius cedant beneplacitum, tuique commodi, famæ, & honoris augmentum, &c. Dat. Auin. xv. kal. ſeptembris anno iv.* Hactenus de turbis Hispanicis: iam funesta Anglorum & Francorum bella aggrediamur.

Pacatæ inteſtinæ diſſenſiones.

[g] *Ib. ep. 284.*

Solicitat[o] ad clemē tiam Castellæ Rex

Ad

De Anglico in Gallijs bello.

54 Ad discutiendā imminentia rei Christianæ luctuosissima mala Benedictus superiori anno Petrum Hispanum,& Bernardum e Monte Fauentio Cardinales ad Francorum & Anglorum Reges conciliandos transmiserat: cumq; Philippus Rex se ad pacem redintegrandam paratum offerret, circa huius anni initia in Angliam nauigarūt; quibus de felici traiectu Pontifex gratulatus est a. At auersos a pacis consilijs Anglos reperere. Queritur Vvalsingamus b, ipsos Francorum magis studuisse quam Anglorum Regi, atque in prælulum conuentu Cantuariensem archiepiscopū ijs se opposuisse; deinde disseminatum in Anglia rumorem, Eduardum in Gallicum sceptrum potiora quam Philippum iura contendere: ferturque eam Eduardi animo ambitionem infudisse transfugam Robertum Atrebatensem. Subornarunt c mox Angli Flandros, pulsusque est Ludouicus comes a Iacobo Arteuelda, qui tyrannidem arripuit. Concitato in rebellionem aduersus Philippum Regem Belgio, atque Germania d ad conspirationem magna vi auri adducta, cum Ludouicus Bauarus ad principes magis commouendos, præter Anglorum ingentia proposita stipendia, in pluribus solemnibus conuentibus iactaret, se Francorum Regis inuidia ab ecclesiæ gratia repulsum, imperij iura ab eo occupata, armisque vindicanda, nec bello discessurū e nisi in Gallias victor irrupisset, Eduardus f Rex vigesimo secundo iulij Antuerpiam trecentarum nauium classe vectus, plurimoque auro atque ampliſſimo exercitu instructus applicuit.

Cardd. legati in Angliam pergunt. a Ib. ep. secr. 249.

b Vvalsing in Ypodig. Neustr.

Eduardus Gallicum sceptrum affectat.

c Io. Vill. l. 11. c. 82. Vvalsing. vbi supr. Paul. Aemil. Meyer. l. 12. Frossar. l. 1. & alij

Subornati ab eo Flandri, Bauarus in Gallū conspirat.

d To. 4. ep. secr. 130.

Angli in Belgium aduentus.

e Ibid.

f Io. Vill. l. 11. c. 83. Frossard. Meyer. Vvalsing. Paul. Aemil. vbi sup. & alij.

55 Audito eius aduentu Benedictus, cum bellum atrox Gallię imminere prospiceret, Philippum Regem ad diuinum implorandum præsidium excitauit, atque adeo ad adipiscendam diuini Numinis gratiam, ac tollenda omnia, quæ illius læderent maiestatem; pacanda m conscientiam, ne intus bellum gereret, absistendum ab ecclesiasticorum & inopum oppressione, denique vt pacis vel inducirum honestas leges, admitteret, consuluit g; cum enim in eo bello plurimus sanguis Christianus spargendus esset, coram diuino tribunali atque etiam apud homines ab omni illius effusi crimine purus appareret: ne spem in virium potentia sed in diuina virtute collocaret; se vero cum vniuersa ecclesia Deo preces pro ipso porrecturum.

Monita a Pont. Gallo data, g To. 4. ep. secr. 272.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

Non sine mentis amaritudine, doloreque cordis audimus nimio, qualiter tui, fili charissime, hostes & æmuli ad tuam & regni tui offensionem, conglobatis in multitudine magna viribus, se disponunt. Sane quia nescitur quo Dei occulto iudicio huiusmodi procellarum & turbinum tempestates insurgunt, ad eum, qui dormiens in mari discipulorum mergi timentium precibus excitatus imperauit marinis intumescentibus fluctibus, & eius imperio facta tranquillitate prospera quieuerunt, esse cum sinceritate deuotionis & fidei credimus principaliter recurrendum, vt ipse, qui pacis est auctor & humanæ salutis amator, si forsan prouocatus peccatis extiterit, suam misericorditer indignationem auertens, procellosos dissensionum & guerrarum turbines in auram optatæ pacis & tranquillitatis conuertat. Vt autem preces effundendæ super ijs ante thronum diuinæ clementiæ offerantur confidentius, & pro te, fili dilectissime, regnoque prædicto exaudibiliores in auribus Altissimi possint credi; magnitudini regiæ paternis & charitatiuis affectibus suademus, vt in domo propriæ conscientiæ pacem stabilias & cōfirmes, ne remorsus peccati alicuius, diuinæ maiestatis oculos offendentis, eam aggrauet, vel bellum in ea tibi moueat intestinum. Et quia ecclesiarum & personarum tam ecclesiasticarum, quam secularium, maxime pauperum, oppressiones indebitæ Deum offendunt, procul dubio grauiter eum, qui iustitiam, misericordiam, et veritatem diligit, ad iracundiam nihilominus prouocando, videat et circumspiciat, quæsumus, regalis prouidētia diligenter, si per se aut eius officiales et ministros in regno eodem oppressiones huiusmodi sint illatæ, et eis, quos oppressos minus iuste repererit, sic pie, misericorditer, et benigne prouideri de remedio faciat opportuno, quod placato Domino, cuius oculis nuda et aperta sunt omnia, gratiam et benedictionem diuinam assequi merearis vberius non indigne.

Hortatur, vt ad Deū confugiat.

Mundet omni no. xa animā

56 Rursus admodum expediens, considerata præsentis qualitate temporis, existimatur, quod si pacis vel treugarum tractatus, aut earum seu alterius ipsarum finales offerantur effectus, qui rationabiles vel tolerabiles reputentur, celsitudo non respuat regia, nec similes etiam offerre, sicut fuerit opportunum, omittat, vt te, fili, velle vitare innoxij effusionem sanguinis, et amplecti pacem, charitatem, et concordiam per hæc euidentius attesteris, et eiusdem pacis dulcedine, si eam Dominus dederit, spiritualiter et temporaliter perfruaris; alias autem, cum per te non steterit, habearis merito in conspectu Dei et hominum excusatus. Demum vero, ponens ante oculos mentis tuæ, quod in exercitus multitudine non est victoria, sed de cœlo fortitudo consistit, et quibus vult, cum paucis etiam Dominus victoriam impertitur, non in tua et tuorum potentia, sed in Dei virtute cōfidas, anchoram spei et fiduciæ tuæ, agendo tamen magnanimiter et viriliter, in eo semper ponens. Speramus igitur in Domino, quod si huiusmodi monitis et persuasionibus nostris, de fonte charitatis vtique prodeuntibus, acquieueris effectualiter in hac parte, ipse qui cor contritum et humiliatū non despicit, sed potius eleuat et exaltat, tibi præsidijs opportunis propitius super tuis agendis assistet; maxime cū ab hostibus fidei, et sanctæ matris ecclesiæ rebellibus impugneris. Nos quoque, qui tuam et regni prędicti salutem et statum prosperum appetimus, preces deuotas super præmissis cum sancta Dei ecclesia effundimus et etiam effundemus, prompti quantum cum diuino beneplacito, ac honore Dei et ecclesiæ poterimus, ad ea, quæ tuum et regni prædicti commodum respicient et honorem. *Dat. Auin. v. id. augusti anno* IV.

Ad inducias pacē. que promptus sit.

Spem victoriæ in Deo collocet.

57 Incubuit eo maiori ardore Benedictus ad tentandam inter Francorum et Anglorum Reges concordiam, quo ij ad pugnam instructi procurrebant; Philippo enim atque Eduardo grauissimis literis, quibus adiecta x. kalend. augusti dies, datis proposuit ob oculos a, quam nefarium et horrendum esset, Christi domini sanguine redemptos homines in mutuas cædes consurgere: cum maxime sanguine essent coniunctissimi. Tum subijcit in literis Philippo missis: *Videtur nobis, quod multum tibi & dicto Regi ac vtriusque regno foret expediens, si per te proparte tua aliqua vel aliquæ sufficientes eligerentur personæ; & per dictum Regem Anglorum similiter personæ assumerentur idoneæ, potestatem habentes, inter te & dictum Regem exortas controuersias & discordias prouidis & salubribus consilijs terminandi*; quæ etiam ad

Carpitur ob inuasas sacras opes.

a To. 4 ep. secr. 270. 271.

Propositæ a Pont. inter Reges cōcordiæ rationes.

Re-

Regem Anglorum monita scripta sunt. Vrgebant illum pacis tractatum Cardinales legati Petrus tit. S. Praxedis presbyter, & Bertrandus S. Mariæ in Aquiro diaconus Cardinales a iussu pontificio b: quibus demum imperia data c x. kal. decembris, vt cum concordiæ ex eo tractatu oriundæ spes euanescceret, proponent vtriq; Regi Pontificem componendę controuersiæ prouinciam admissurum: *Quia*, inquit, *reformatio pacis inter Reges præfatos mutuæ non solum Regibus ipsis ac eorum regnis & subditis, sed toti Christianitati multipliciter accommoda insidet admodum cordi nostro, & eam intensis & ardentibus desiderijs affectantes, deuotis & instantibus precibus a Domino postulamus: pro ea non respuemus anxios & intolerabiles etiam subire labores: propter quod præmissis vobis alias scriptis, vt præfertur, non obstantibus, nos cum illius auxilio, qui vera pax est, suscepturos labores huiusmodi si, quando, & prout honori nostro & ecclesiæ, ac vobis, & negotio, de quo agitur, expedire præuia deliberatione cognoueritis, offeratis. Dat. Auin. xv kal. decembris anno IV.*

a *Ib. ep. secr. 271.*
b *Ib. ep. secr. 311.*
c *Ib. ep. 399.*

Pontifex se pacis arbitrum offert.

58 Desudarunt Cardinales nuntij pro coniungendo inter Reges fœdere in conuentu Atrebatensi, de quo meminit Meyerus d, atque a Philippo Rege archiepiscopum Rothomagensem, Lingonensem & Bellouacensem episcopos missos addit: ab Eduardo vero Cantuariensem archiepiscopum, ac Lincolniensem & Dunelmensem episcopos, præfuisseque Cardinales legatos; nec tamen pacem conciliari potuisse: neque enim ignobilia Aquitaniæ oppida Anglum, sed nobiles prouincias repetijsse ferunt. Quod ad Eduardi in Germaniam ex literis pontificijs profectionem attinet; Ioannes Villanus ac plerique auctores testantur e eo se contulisse, vt a Ludouico Bauaro vicariatum, vt vocant, imperij excepta Italia acciperet; idque etiam increpatoriæ ad Eduardum datæ literæ demostrant f, quibus illum obiurgat Benedictus eo nefario facinore & regiam obscurasse dignitatem, & censuris ecclesiasticis alijsque pœnis grauissimis se irretijsse: Ludouicum Bauarum inuasorem esse imperij, neq; vlla in eo iura obtinere; ac licet vt ab impio fœdere discederet, admonitus iãdiu antea fuisset, apostolica tamen iussa protriuisse. Iactas præterea de nimio in Regem Francorum studio querelas refringit, hortaturque, vt titulum vicarij regio indignum fastigio deponat: ac denique, ni paternis monitis morem gesserit, seueritatem in eum ex officij religione se districturum.

Atrebati agitata pax.

d *Meyer. hist. Flan. l. 12.*

Irrito exitu discussa.

Eduardi in Germ. profectio.

e *Io. Vill. l. 11. c. 83. Alb. Arg. in chron. gest. Bened. apud Bosq. Thom. Walsig. Paul. Aemil. in Phil. IV. Frossard. hist. l. 1. Meyer. l. 12.*

Vicarij cæsarei nomen accipit a Bauaro.

f *To. 4. ep. secr. 380.*

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

59 Dudum te, fili charissime, clara imitari vestigia progenitorum tuorum Regum Angliæ, qui erga Deum & sacrosanctam Romanam ecclesiam, velut peculiares eius alumni & deuoti filij, plenitudine deuotionis & fidei claruerunt, tuæque splendorem prosapiæ a quauis obfuscatione nebulosi contagij præseruari, eamque in te prælucere clarius cupientes; ex paternæ charitatis & dilectionis affectu, quo te statumque tuum prosequimur, nostras tuæ celsitudini literas direxisse meminimus, inter cætera recensentes, qualiter excessus per nobilem virum Ludouicum de Bauaria, olim vt asserebatur, discorditer in Regem Romanorum electum, aduersus Deum & eandem Romanam ecclesiam, ac felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum per coaceruationem multiplicium & atrocium offensarum nequiter perpetrati, tuum præterisse nequibant auditum: quos, velut toti mundo notorios, non omnes, cum longa & prolixa nimis eorum narratio extitisset, sed ex eis aliquos in eisdem literis prouidimus, vt sequitur, recitandos.

Corriptura Põt.

Proposita Ioannis edicta in Bauari studiosos.

Idem namque Ludouicus contra processus prædecessoris eiusdem et inhibitiones ipsius, de consilio fratrum suorum eiusdem Romanæ ecclesiæ Cardinalium factos et habitos, diuersas spirituales et temporales pœnas et sententias continentes, intrauit Italiam, et nonnullos hæreticos, de hæresi publice et notorie condemnatos in consortium publicæ participationis admisit, tenens et asserens hæreses manifestas, ac fouendo, secumque tenendo hæreticos publice dogmatizantes prædictarum hæresum detestabiles et horrendos errores; hæretica quoque dogmata scienter immo potius dementer approbans, et in euidentiam approbationis huiusmodi ea per diuersas literas suo noto sigillo munitas deduxit in aliorum publicam notionem. Sibi etiam nomen imperiale postmodum vsurpare, et administrare iura imperij in eadem Italia et Alamannia contra processus et prohibitiones prædictos detestabili temeritate præsumpsit, ex ijs, præter pœnas alias, excommunicationis et anathematis sententias incurrendo.

Vt idem Bauar. hæresim sit professus.

Imperiũ contra fas corripuerit.

60 Et tandem ausus ausibus, et excessus accumulando excessibus, se conferre non expauit ad Vrbem, vbi in illam nequitiæ prorupit insaniã, vt meditatus Vrbi et orbi vniuersalis schismatis suscitare dispendium, quendam hypocritam, diabolicæ præsumptionis virum, nomine Petrum de Corbaria, velut abominationis horrendæ simulacrum in Apostolica sede pro Romano Pontifice statuere moliretur, idque quantum in eo fuit, produxit in actum, et eum fuit veneratus vt Papam; consecrationemque, immo verius execrationem, ac diadema imperiale de facto recepit ibidem, vt de multis alijs insanis processibus, quinimmo detestandis excessibus, per eosdem Ludouicum et Petrum præsumptione perpetratis hæretica, taceatur. Propter quæ dictus prædecessor præfatum Ludouicum fore a Domino denunciauit omni dignitate et honore priuatum, et ipse in eum, tantarum hæresum et schismatum maculis irretitum, exerens gladium apostolicæ potestatis, eumque cum omnibus, qui adhærerent eidem, vel præstarent auxilium, consilium, vel fauorem, seu pro Romanorum Rege aut Imperatore scienter haberent, tenerent, vel nominarent eundem, non solum excommunicationis et anathematis, sed etiam alias pœnas et sententias, tanquam in fautores, auxiliatores, et valitores hæretici et schismatici promulgauit, et a iure declarauit prolatas, sicut in diuersis processibus, per præfatum prædecessorem habitis, seriosius continetur. Super quibus quidem pœnis, quantumcumque per ipsum Ludouicum promeritis, et in eum iusto ecclesiæ iudicio promulgatis, si vere pœnitens se habilitasset ad gratiam, benignam reperisset eandem ecclesiam, quæ ipsum tanquam filium prodigum, de longinquo redeuntem ad suum gremium, apertis brachijs recepisset, immolatura pro eo in vbertate diuinæ laudis vitulum saginatum.

Schisma conflarit.

Nefaria edicta edi derit.

Vt ob hęc Ioannes Ludouicũ ac sequaces damnarit.

Vt Lud. vere pœnitens nõ dum exti terit.

61 Rursus adiecimus in literis supradictis, quod quamquam tam prædictorum excessuum, quam eorundem processuum per dictum prædecessorem contra dictum Ludouicum, exigente iustitia, postmodũ habitorum, notitiam habuissemus

mus et etiam habeamus; vt tamen ipsum a peccatorum nexibus liberatum de faucibus sempiternæ mortis possemus eripere, postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, diuersos nuncios eius diuersis vicibus et temporibus ad nos missos receperamus benigne, ac pro reconciliatione ipsius per fructum veræ pœnitentię promouenda, prolocutiones varias habueramus cum eis, et tunc pendebat etiam ad proloquendum vlterius terminus assignatus: in quo proculdubio per nos non stetit, quominus vlterius fuerit super negocio reconciliationis eiusdem processum.

Sæpius monitus sit officij.

62 Quare, fili dilectissime, serenitatem tuam requirendam tunc duximus per easdem literas et rogandam, vt prudenter aduertens, et in scrutinium internæ considerationis adducens grauitatem pœnarum, in quas inciderant, et sententias quas incurrerent; quantisque se periculis et discriminibus implicarent, qui præfato Ludouico, sic publice et notorie de prauitatibus hęresis, et sic odiosi toti Christianitati schismatis condemnato, antequam reconciliationis gratiam eiusdem ecclesiæ meruisset, participare præsumerent, sibique impenderent consilium, auxilium, vel fauorem, vel sibi tanquam Imperatori aut Regi Romanornm reuerentiæ cultum, seu titulum regalis vel imperialis nominis assignarent scienter; a cuiuslibet participationis fœdere, contrahendo cum ipso et exhibitione reuerentiæ, et honoris sibi tanquam Regi vel Imperatori, quousque dictus Ludouicus reconciliationis eiusdem ecclesiæ meruisset gratiam obtinere, penitus te retrahere, et totaliter abstinere curares, vt tibi famæ integritas, et illibata tui generis claritas seruarentur.

Vetitus Anglus nondum ecclesiæ conciliato adhærescere.

63 Cum autem rumor implacidus admodum et infestus ad nos perduxerit his diebus, quod tu, fili, requisitionibus et rogaminibus nostris huiusmodi, vtique salubribus et de fonte prodeuntibus charitatis, non sine detrimento tuæ salutis, et famæ (quod dolentes referimus) obauditis, non solum cum prędicto nondum eidem reconciliato ecclesiæ, nec a pœnis & sententijs, quibus propter præmissa & alia multa grauia commissa per ipsum implicatus esse noscitur, liberato; nec etiam processibus sæpefati prædecessoris, per quos, vt præmittitur, aduersus omnes & singulos cuiuscumq; præeminentiæ, dignitatis, conditionis, vel status, etiam si pontificali, regali, vel quacumque alia ecclesiastica seu mundana dignitate fulgerent, præfato Ludouico adhærentes, seu præstantes directe vel indirecte, publice vel occulte consilium, auxilium, vel fauorem, vel sibi tanquam Imperatori aut Regi Romanorũ reuerentiam exhibentes seu titulũ regalis vel imperialis nominis assignantes, seu ascribentes, graues spirituales & tẽporales pœnæ ac sententiæ infliguntur, nequaquam relaxatis, immo in sui roboris efficacia perdurantibus, participationis confœderationes inire, sibique adhærere, ac præstare fauorem, consilium, & auxilium præsumpsisti: immo (quod perniciosius, proh dolor! & damnabilius noscitur existere) si veritas relatibus suffragetur, vicariatus officium per totam Alamanniam & Germaniam, ac vniuersas & singulas earum prouincias siue partes, ab eodem Ludouico, sub imperialis nominis titulo, vt asseritur, suscepisti de facto, cum idem Ludouicus nec Rex, nec Imperator sit, vt præfertur. Cuius prætextu nonnullis prælatis ecclesiarum & personis ecclesiasticis in terris imperij constitutis, ac in nostra & ecclesiæ memoratæ deuotione ac fidelitate debitis persistentibus, sub pœnis grauibus per tuas eis literas comminatis, mandasse diceris, & districtius iniunxisse, vt ad te tanquam eiusdem Ludouici in Alamannia & Germania & partibus supradictis vicarium, audituri sententiarum & iudiciorum ipsius Ludouici, tuorumque mandatorum recitationem, ac præstituri eidem Ludouico vel tibi eius nomine recognitiones & homagia de terris, bonis, & iuribus, quæ tenent ab imperio, conuenirent.

Monetur patrati flagitij ex inito cum Bau. fœdere.

Ludouicũ nec Imp. nec Regẽ esse.

Eduardi iniquum edictum.

64 De te igitur, fili, vbi sit tua tuorumque consiliariorum prudentia, ex eo præsertim non sufficimus admirari, quod cum tu, sicut audiuimus, pro illorum repetitione iurium, quæ ad te asseris pertinere, non sine grandium personarum periculis, ac expensarum & sumptuum profluuijs, peregrinari ad partes Alamanniæ curaueris, & multos super hoc feceris apparatus; nunc spretis dictis eiusdem prædecessoris nostri processibus, ac deductis damnabiliter in contemptum, pœnis & sententijs supradictis, quibus te manifeste, si quæ nobis referuntur vera sunt, non absque horrenda nota, quæ non parum obfuscat tui claritatem generis, proculdubio implicasti. Et nihilominus, quamuis nos & ecclesia ipsa te nunquam offenderimus, nec contra te aliquid fecerimus (quamquam, vt intelleximus, falso & mendaciter suggestum tibi per eos, qui te, salutem, & honorem tuum minime diligunt, fuerit quod nos charissimo in Christo filio nostro Philippo Regi Franciæ illustri in auxilium guerræ suæ ingentem pecuniæ quantitatem de nostra camera dederamus, quodque institutionem personarum ecclesiasticarum concesseramus eidem in omnibus ecclesijs regni sui; quæ omnimoda carere veritate noscuntur, talia namque nunquam postulata fuerunt a nobis, nec nos ea concessissemus quomodolibet, cum quantacumque instantia petita fuissent; nec decimas contra te Regi præfato Franciæ concessimus; sed aduersus Theutonicos Ludouico adhærentes prædicto, ipsiusque Romanæ ecclesiæ inimicos, qui ad inuasionem regni Franciæ se, vt habebat rumor publicus & notorius disponebant, sicut in concessione decimarum ipsarum continetur expresse; non fuit nempe intentionis nostræ aduersus te fomentum ministrare discordijs, vel eas alicuius subsidij administratione fulcire, quinimmo statum regni tui & etiam regni Franciæ pacis & concordiæ prosperitate & vnanimitate potiri summis desiderijs affectantes, ad hoc serenitati tuæ & dicto Regi Franciæ per nos sæpe directis literis & etiam nuncijs, videlicet sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus ad partes illas de latere nostro missis, votis ardentibus laborauimus, & laborare non cessamus nec cessabimus, vt inter te ac Regem eundem & vtriusque regna pacis & vnitatis serenitas illucescat) tu tamen, fili dilectissime, fide vt videtur adhibita prædictis falsis suggestionibus & mendosis, te nostrum & eiusdem Romanæ ecclesię matris tuę constituendo persecutorem & hostem, inuadere ac occupare honores & iura nostra, & eiusdem ecclesię, ad quos regimen & administratio imperij Romani, eo vacante, sicut nunc vacare noscitur, pertinent pleno iure, moliris molestando prælatos & personas ecclesiasticas, in nostra & ipsius ecclesię deuotione ac fidelitate debitis, vt premittitur, persistentes; ipsosque ad obedientiam dicti Ludouici de diuersis, vt premittitur, hęresibus & schismatibus, alijsque crimi-

Arguitur ecclesiam læsisse.

Mendacibus susurronibus dare aures.

Persecutorem se ecclesiæ promulgasse.

nibus ſententialiter condemnati, ac iure regni & imperij, ſi quod ad eum forſan competierat, vel etiam competebat, iuſto Dei & eccleſię iudicio priuati, ac prędſtationem huiuſmodi recognitionis et homagij ſibi vel tibi eius nomine faciendam attrahere ac inducere coactiuis impulſibus, et commonitionibus ſatagendo. Vtinam, fili, antequam te ijs tam periculoſis & deteſtandis inuoluas amplius, attente conſideres, et matura deliberatione prędſtituas ante oculos mentis tuę circuitus periculoſos, et nodoſos laqueos, quibus te ſubtilibus ingenijs et fraudibus exquiſitis aliqui, de ſuis potius quam de tuis ſoliciti negotijs et commodis, prędſtiſſis inuoluere, tibiq; onus, quod a ſe quodammodo reijcere cupiunt, non nimis leue, ſi diligenter circumſtantias attendis, imponere moliti ſunt, et non ſine periculo tui prędſtipitij moliuntur.

Inuoluere ſe grauib⁹ periculis.

65 Nec latere te volumus, quod prædſtatus prædeceſſor olim per quandam conſtitutionem, ab ipſo de dictorum fratrum ſuorum conſilio editam, in omnes & ſingulos, cuiuſcunque ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſterent, etiamſi patriarchali vel quauis alia ſuperiori, aut pontificali, vel regali dignitate fulgerent, qui abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali vicarij ſeu cuiuſuis alterius officij nomen in prædicti terris imperij, eo vacante, ſicut tunc vacabat & nunc etiam vacat, vt prædſtiſſum eſt, aſſumere, vel aſſumptum vltra duorum menſium ſpacium retinere, ſeu dimiſſum reaſſumere quoquo modo; ac in obedientes, parentes, & intendentes eiſdem excommunicationis et alias graues pœnas, et ſententias promulgauit.

Contraxiſſe ſtatutas Ioannis edictis pœnas.

66 Nos itaque, qui erga te, fili, claudere viſcera paternæ dilectionis nequimus, & cordis dolore tangimur intrinſecus, cum talia percipimus ad tuum tuique honoris, ſtatus, ſalutis, & famæ diſpendium machinari; tuam rogamus magnificentiam, requirimus, & in Domino attentius exhortamur, ſano paternoque tibi nihilominus conſilio ſuadentes, quatenus ea quæ prædſtiſimus, & alia quæ circa illa tibi poſſunt occurrere, deducens in rectæ deliberationis & diſcuſſionis examen; ac inſuper tenens certius & attendens, quod dictus Ludouicus, vt prædſtiſimus, nec Rex nec Imperator eſt, nec aliqua quæ ipſe fecerit vel faciet quamdiu fuit & erit dictis proceſſibus ac pœnis & ſententijs irretitus, quicquam valuerunt, vel valent, nec ſunt aut fuerunt alicuius auctoritatis, roboris, vel momenti; quodque tibi periculoſum eſt, ac multipliciter formidandum, te bellorum ſubijcere diſcriminibus, maxime ſi eſſes ſupradictis proceſsibus, pœnis, & ſententijs, a quibus liberari non poſſes, niſi dumtaxat per ſedem Apoſtolicam, quæ abſolutionem eorum ſibi expreſſe retinuit, inuolutus, ac Dei & eiuſdem Romanæ eccleſiæ perſecutor & hoſtis effectus (a quibus te miſericordiarum Dominus protegat & defendat) conſideranſque prædſterea diligenter quod, licet humanum ſit peccare, in peccatis tamen perſeuerantia diabolica eſt cenſenda; te a prædſtiſſis & ſingulis ſic horrendis deuijs, ſi ad illa forſan declinaueris ſerpentina deceptione ſeductus, antequam inualeſcant pernitioſius, ſeu in conſpectu Dei & hominum fœteant deterius & putreſcant, reſilire penitus, pedeſque tuos ad viam rectam, Deo placidam, ac tuis ſtatui, ſaluti, & honori congruam, dirigere quantocyus non poſtponas, eorundem Cardinalium, qui te ſtatumque tuum ſincere diligunt, ſuper reformatione pacis inter te dictumque Regem mutuæ, placibili Deo, & hominibus amabili acquieſcens.

Præſumpta a Lud non valere.

67 Videtur equidem, quod, etiamſi prædicti proceſſus, pœnæ, ac ſententiæ * quibus, vt prædſtiſſum eſt, adhærentes dicto Ludouico ligantur, & abſque Dei & eccleſiæ memoratæ a vero & catholico Imperatore, ſi eſſet, alicui valeret vicariatus officium aſsignari; adhuc tamen tuum, qui tam magnus tantuſque Rex & princeps exiſtis, tantoque nomine ac titulo regio exiſtere noſceris inſignitus in orbe, nō deceret honorem, quod nominareris vicarius alicuius domini temporalis. Quanto minus ergo tuam decuit vel decet excellentiam, illius vicarium appellari, qui auctoritate nulla, ſicut ſæpedictum eſt ſuperius, præeminet; ſed, proh dolor! tantorum exiſtit reſperſus labe criminum, tamque grauibus pœnis & ſententijs cum omnibus ſibi adhærentibus implicatus? ſciturus, fili amantiſsime, quod ſi monitis noſtris huiuſmodi ſalutaribus acquieueris cum effectu, tibi ſic impulſo, vt caderes, manum benignam porrigemus, quantum cum Deo poterimus, ſubleuantem: alias autem non poterimus deſiſtere, cum id a nobis exigit officium apoſtolicæ ſeruitutis, quo minus ſuper prædictis prouidere de opportunis remedijs, procedendo contra te, quod moleſtum & graue nobis erit admodum, ſi neceſſe (quod abſit) fuerit, prout exigente iuſtitia debebit & poterit, fieri procuremus. *Dat. Auin. idib. nouembris anno* IV.

Solicitatur, vt paci ſe accō modet.

* non eſſent

Ne regiū decus vilis tituli adiectione inquinet.

68 Sane Eduardum, in Germaniam hoc anno profectum, Confluentiæ cum Bauaro iunxiſſe fœdus, porrecta illi maxima auri vi, narrat Rebdorfius a. Immo Nicolaus Minorita addit b tunc in Confluentinis illis conuentibus, ſecunda die menſis ſeptembris huius anni editam Francofurti ſanctionem; quæ ab his verbis, *Licet iuris vtriuſque teſtimonia*, exorditur (de qua actum eſt) præſente Eduardo repetitam fuiſſe: ſiquidem, cum hæc duo contineret, primum ad electum Regem a ſeptemuiris ſpectare adminiſtrationem imperij ſine pontificia confirmatione; ſecundum eos proſcriptos qui ipſi non parerent, ſiue vt exponit Rebdorfius, *quod quicumque de cætero ipſum Ludouicum tenet excommunicatum, aut qui ceſſat a diuinis propter ſententias papales, proſcriptus ſit corpore & in rebus*; armatus eiuſmodi ſanctione eſt Eduardus, vt præſules Ludouici, exauctorati ab eccleſia, reſpuentes imperia obtereret, ac præcipue epiſcopum Cameracēſem, qui ſuo principe viduato imperio, Galli patrocinium ſibi aſciuerat, de quo hæc habet M.S. Vaticanum c: *Huius temporibus Eduardus Rex Angliæ, iam factus inimicus Philippi Regis Franciæ, venit in Franchford Maguntinæ diœceſis ad Ludouicum Bauariæ, gerentem ſe pro Imperatore, pro auxilio ſibi ferendo: qui Ludouicus eundem fecit vicarium imperij. Cuius vicariatus prætextu renitentem ſibi populum Cameracenſem & ciuitatem, quæ eſt camera imperij in Francia obſedit, ſed non cepit.* De Cameracenſi obſidione poſtea agetur.

Eduardi in Germaniam acceſſus.

a *Rebdorf. in annal. hoc anno & alij.*

b *Nic. Min* M.S. *bibl. Vat. ſign. n.* 4008. *pag.* 192.

Non parētes Ludouico oppreſſos ſuſcipit.

c M.S. *bib. Vat. ſign. n.* 3765. Accerſit⁹ proregis Cæſarei fucus.

69 Interea Pontifex ad reprimendos iniquos illius conatus legatis Cardinalibus prouinciam dedit d, vt cum vacuo auguſtali ſolio imperij adminiſtratio ad ſedem Apoſtolicam ſpectet, neq; iuſtus vicarius imperij Eduardus eſſet, nec Ludouicus Rex vel Imperator, vetarent clientes imperij Eduardo vel Ludouico iura imperialia accepta ſolemni ſponſione referre: prędſterea vt antequam in præſules, qui Eduardo vel Ludouico ſtudebant, grauiora ederent decreta, ipſos mo-

Vetiti clienſe imperij Eduardo parere.

d *To. 4. ep. ſecr.* 392.

monerent a officij, vtque ab illarum partibus se subducerent. Incubuit belli moles in Leodiensem & Cameracensem episcopos. Et quidem in Leodiensem Brabantiæ ducem cum Ludouico Bauaro coniurasse, vt cum octo millibus equitum & sexaginta peditum millibus in eum incurrerent, ne hostis a tergo relinqueretur, refert Ioannes Villanus. b

a Ib. ep. 398.

b Io. Vill. l. 11. c. 77.

In rebus vero adeo trepidis Benedictus Leodienses confirmare ad constantiam annisus est subiectis literis. c

c An. 4. p. 1 ep. com 66

Dilectis filijs Scabinis, magistris, & consiliarijs ac vniuersitati ciuitatis Leodiensis.

Solicitantur a Pōt. ad constā tiam.

Claruit antiquis & modernis temporibus fidei vestræ constantia erga sacrosanctam Romanam ecclesiam vniuersalem matrem fidelium & magistram: claruit etiam commendabilis vestra deuotio erga defensionem honorum & iurium Leodiensis ecclesiæ, cuius estis peculiares filij & fideles; & ideo, cum temporis opportunitas exigit, ad ea, quæ circa continuationem deuotionis & fidei erga Deum & ecclesias prælibatas fidelitatis vestræ incrementa respiciunt, & profectum vestrarum sapiunt animarum, eo fiducialius vos requirimus, quo ex præteritis vestræ deuotionis insignijs vos promptiores apostolicis beneplacitis credimus inuenire. Sane nuper fidedigna insinuatione percepimus, quod Ludouicus de Bauaria, hostis Dei & eiusdem sanctæ matris ecclesiæ manifestus, de præteritis culpis non pœnitens, sed atrociores continue prioribus coaceruans, nouiter venerabili fratri nostro . . episcopo Leodiensi minaces, requisitorias, & monitorias literas destinare præsumpsit, inter alia, vt dicitur, continentes quod in octauis resurrectionis dominicæ proxime venturæ in ciuitate Colonien si vbi, sicut in dictis literis dicitur contineri, se prætendebat principes electores cæterosque magnates, prælatos, barones & vassallos imperij conuocasse super arduis imperij negotijs coram eo sub debito fidei & feudi, quod idem episcopus ab imperio obtinet, dictum feudum ab ipso Ludouico inibi susceperus omnibus postpositis excusationibus debeat personaliter comparere: alioquin idem Ludouicus in dictis literis, vt dicitur, minabatur contra dictum episcopum secundum iura & leges curiæ imperialis processus suos certitudinaliter se facturum.

Propositę inique Ludouici minæ.

70 Cum itaque Ludouicus præfatus per processus felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri velut abiectus & reprobatus a Deo omni iure, si quod sibi forsan fuerat ex electione, quæ dicebatur de ipso in discordia celebrata, quæsitum, prædictis culpis suis & sceleribus exigentibus, sententialiter sit priuatus propter publicam fautoriam hæreticorum & damnatam hæresim, quam astruxit, & publicum schisma, quod in vniuersali ecclesia mente vesana & sacrilega suscitauit; de hæresi & schismate iusto eiusdem matris ecclesiæ iudicio fuerit condemnatus, ac pro suorum coaceruatione facinorum non solum in eum præcipuum tantarum iniquitatum actorem, sed in omnes participes, fautores, valitores, & auxiliatores ipsius per diuersos processus prædecessoris eiusdem plures & diuersæ excommunicationum sententiæ, in vniuersitates quoque & personas quaslibet singulares, cuiuscumque status, ordinis, conditionis, vel dignitatis existerent, quæ dicto Ludouico adhærere, vel sibi tanquam Imperatori vel Regi Romanorum obedire, vel eum pro Imperatore habere, recipere, vel nominare, vel sibi quandiu in rebellione seu contumacia contra dictam Romanam ecclesiam perstiterit, dare præsumpserint auxilium, consilium, vel fauorem, priuationis feudorum, quæ ab ecclesijs vel imperio obtinerent, ac quorumlibet priuilegiorum, honorum, & dignitatum, & nonnullæ aliæ pœnæ per processus eosdem legitime fuerint promulgatæ, prout in eisdem processibus plenius & serioſius continetur; vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, vobis per apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus præfato episcopo vestro præsuli & animarum vestrarum pastori in omnibus, quæ ad honorem Dei & eiusdem Romanæ ac Leodiensis ecclesiarum, et libertatum, et iurium suorum et ecclesiæ suæ defensionem, antiquæ quoque fidelitatis et deuotionis vestræ præconium, atque laudem, quas erga Deum et dictas ecclesias hactenus habuistis, redundare noscantur, robustis et intrepidis animis assistentes; ac prouida meditatione pensantes graues pœnas, non solum per dictos processus, sed etiam per nonnullas aliorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum sacras constitutiones in generalibus concilijs editas, tam in dictorum hæreticorum et schismaticorum personas, quam in receptatores et fautores eorum et adhærentes eisdem, ac etiam in progeniem eorundem notabiliter promulgatas; eidem Ludouico, quamdiu damnatis prius erroribus per eundem se reconciliare non studuerit Deo et ecclesiæ memoratæ, in nullo obediatis, sed ab eius communione, participatione, et obedientia penitus abstinere curetis, non trahentes iugum cum infideli contra doctrinam Apostoli, sed ipsum totaliter deuitantes, ac in ecclesiæ deuotione constantissime persistentes. Alioquin si, quod absit, pro vano timore vel fauore transitorio et caduco, seu quocumque præmio temporali, quæ velut nubes matutina et ros mane pertransiens subito euanescent, obedire tyranno elegeritis contra Deum, diuinæ indignationis aculeos, in hac parte Deum et sponsam suam ecclesiam offendendo, insallibiliter incurretis. *Dat. Auin. III. kal. aprilis anno IV.*

Iure illam exauctoratum insinuatur.

Exercendam in ad uersis virtutem.

71 Excitati a pariter Leodienſis principatus ordines ad constantiam, vt ad Ludouici Bauari retundendos impetus fortiter se accingerent: tum Adolphus episcopus Leodiensis vetitus b, Coloniam ad clientelarem sponsionem Ludouico exauctorato exhibendam se conferre. Monitus c etiam Vvalramus archiepiscopus Colonienſis, ne cum Ludouico aduersus Leodienses sentiret: *Quia*, inquit, *nuper audiuimus, quod idem Ludouicus, culpas culpis accumulans, & scelera sceleribus coaceruans, ad offensionem venerabilis fratris nostri episcopi & ecclesiæ Leodiensis sua molimina conflare proponit; fraternitati tuæ in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quod in tuæ considerationis scrutinium consulte deducens graues pœnas, quæ participando cum dicto Ludouico eiusque complicibus, fautoribus, & sequacibus tam per dictos processus, quam per antiquos sacros canones incurruntur, teque a prædictarum incursione pœnarum, eiusdem Ludouici participium & communionem totaliter deuitando, præseruans immunem, eidem Ludouico in nullo pareas vel intendas: nec præfatos episcopum & ecclesiam Leodiensem offendas, nec permittas, quod a tuis gentibus offendantur; sed eisdem assistas auxilijs & fauoribus opportunis, &c. Dat. Auin. III. kal. aprilis anno IV.*

a Ib. ep. com. 67.

b Ib. ep. 68.

c Ep. 59.

Colonien sis archiepisc. vetit. communicare Ludouico.

De præmonitis episcopo & clero Leodiensi,

vt

vt ad retundendos Ludouici impetus ſtrenue ſe accingerent; meminit Hocſemius a, ac literas eo argumento datas ſuperioribus conſentientes adducit. Conſuluit b etiam Adolpho Pontifex, vt armorum ſocietatem cum epiſcopis catholicis imperij iniret: *Quia*, inquit, *virtus vnita fortior eſſe noſcitur ſe diſperſa, cum venerabilibus fratribus noſtris Colonienſi & Biſuntino archiepiſcopis, ac Virdunenſi, Baſilienſi, Argentinenſi, Cameracenſi, Metenſi, Tullenſi, Lauſanenſi, Bellicenſi, Traiectenſi, Monaſterienſi epiſcopis, quibus per noſtras opportunas literas inde ſcribimus; vel illis ex eis, de quibus tuæ circumſpectioni videtur expedire, colligationes & confœderationes, prout expediens cognoueris, ineas & facias, &c.* Dat. *Auin. idib. nouembris anno* IV. demum Leodienſis vi oppreſſus fœdus cum hoſtibus iniuit c. Excepit vero fortius primos Eduardi impetus epiſcopus Cameracenſis, quem Pontifex idibus iulij eſt adhortatus ne Ludouicum Bauarum vel ſequaces, qui in Regem Francorum conſpirarant, admitteret: atque ad id clerum ac populum Cameracenſem adduceret, quem etiam alijs literis, vt hoſtem repellerent excitauit d: qua de re extant ad Francorum Regē vt ipſis opem ferret, datæ literæ e Philippum vero validiſſimo præſidio eam vrbem muniuiſſe, teſtantur auctores: ſed de his proximo anno agetur.

72 Feliciora gerebat bella Hugo Rex Cypri, qui cum nobilem de Turcis victoriam anno ſuperiori, vt facile ex adſcripta Pontificijs literis die colligitur, retuliſſet, Benedictus hoc ineunte anno ipſi eſt eam gratulatus: ac nouos alios triumphos illi a diuino Numine conferri precatus, ſtudia Apoſtolica eſt pollicitus f.

Benedictus, &c. Hugoni Regi Cypri illuſtri.

Fili chariſſime, literarum prædictarum lectio, glorioſam tibi dudum datam de cælo victoriam contra Turcos blaſphemos nominis Chriſtiani recenſens, & infidelitatem illorum falſorum Chriſtianorum, qui velut ſuæ profeſſionis Chriſtianæ degeneres, & fidei catholicæ inimici, Turcis eiſdem contra te tuamque gentem catholicam aſtitiſſe, damnaque intuliſſe gentibus eiſdem inmari, ſeries denotat literarum ipſarum, ſubiungens nobis de victoria ipſa; gaudium & lætitiam, & de damnis prædictis triſtitiam non immerito miniſtrauit. Verum, fili dilectiſſime, quia dum circa depreſſionem Turcorum prædictorum, qui ad confuſionem & exterminium redemptorum pretioſo Chriſti ſanguine, aſpirare noſcuntur, intendis, non ſolum tuam, ſed illius, qui pro redemptione humani generis ſeipſum in ara crucis obtulit, cauſam agis, ſpes tibi certa promittitur, & præſtatur fiducia, quod ipſe tibi, puro zelo & recta intentione agenti, nequaquam ſuper his deficiet, ſed ſuum potius dirigendo, & fulciendo negotium, tibi de ſua omnipotentia opportunum tribuet auxilium, ſi ad eum deuote leuaueris oculos mentis tuæ. Ideoque regalem excellentiam in Domino attentius exhortamur, quatenus conſideranter attendens, quod Deus, cuius occulta ſunt iudicia, fideles ſuos pati aduerſitates quandoque non ad depreſsionem eorum, ſed ad probationem potius pro acquirenda maioris meriti corona permittit; dāna & aduerſitates huiuſmodi non demittant in hac parte magnanimitatem regiam, ſed extollant, vt aduerſus infideles hoſtes prædictos eorumque fautores, adiutores, & complices (etiam ſi falſi & impij Chriſtiani exiſterent, ſicut ſuperius eſt expreſſum) fortior & robuſtior, dextera Dei tecum faciente virtutem, tanquam princeps catholicus & ſtrenuus appareas & exiſtas; tam prædictam victoriam, quam alias, quas tibi aduerſus præfatos hoſtes concedet Dominus, vt ſperamus, non ex humana ſtrenuitate virtutis, ſed de manu Domini, a quo eſt omnis virtus & potentia, te ſuſcepiſſe recognoſcendo cum ſpirituali lętitia, & fatēdo, &c. *Dat. Auin. v. id. feb. an.* IV.

Florebat tum in Cypro Elias archiepiſcopus Nicoſienſis, qui ſtrenuam in Græcis, Armenis, et Iacobitis ad eccleſiæ Romanæ pium ſtudium reuocandis operam collocabat: cuius zelum Benedictus eo nomine commendauit a, deque ampliſsimis miſsis muneribus gratias egit. Cæterum lugendum admodum eſt Chriſtiano charactere inſignitos adeo obcœcatos fuiſſe, vt quaſi nulla ipſos in alia vita ſupplicia vel præmia manerent, tanto ſacrilegio religionem obtriuiſſe, vt pro Turcico nomine contra Chriſtianum arma gererent. Sed adoranda etiam diuina prouidentia in ſuam eccleſiam, quæ dum hi deficiebant, coniungebantq; ſe Turcis in Cyprios, alij ducibus Ludouico Bauaro et Eduardo Anglo ipſam oppugnarent, diſtraherentque arma Gallica, ne in Turcas et Saracenos ſtringerentur; in extremo oriente ferociſsimos populos ad eccleſiæ obſequium pelliceret.

73 Acceſſere hoc anno ad ſedem Apoſtolicam oratores Magni Chami Tartarorum Imperatoris, quibus Alanos et alios imperij ſui Chriſtianos pontificiæ beneuolentiæ commendabat, rogabatque vt apoſtolicam benedictionem ſibi impertiret: tum vt de nuncijs ad pontificiam et Tartaricam aulam vltro citroque commeaturis agerent. Adiunctique erant ijs alij principum Chriſtianorum, qui in imperiali aula Tartarica auctoritate florebant, oratores de Chriſtiana amplificanda in Tartaria religione agitaturi. De quibus honorifice atque amantiſsime receptis hæc Philippo Benedictus ſignificauit b.

Benedictus, &c. Regi Francorum illuſtri.

Nuntij maioris Imperatoris Tartarorum nec non et quorundam principum Chriſtianorum, qui familiaribus obſequijs eiuſdem Imperatoris inſiſtunt, nuper ad noſtram præſentiam venientes exhibuerunt nobis literas, quarum tranſcriptum per eos, qui linguam & literas nouerunt ipſorum, in Latino translatum vna cum copia literarum dictorum prælatorum Alamanniæ continet cedula præſentibus intercluſa. Quos quidem nuncios mente benigna, & ſereno vultu recepimus, & quæ voluerunt coram nobis proponere, mediante interprete intelleximus, & eos fuimus etiam dulciter & fauorabiliter, vt decuit, allocuti. Tandemque omnibus plenarie intellectis, tam eidem Imperatori, quam alijs Imperatoribus ſibi ſubiectis, regratiando eis ſuper multis fauoribus, quos impendunt Chriſtianis in ſuis dominijs degentibus, eoſque mouendo & inducendo ad deuotionem, & vt lumen fidei Chriſtianæ aſpiciant ſinceris cordibus, illiuſque radijs illuſtrentur, ac fauores prædictos continuent, & exuberēt erga Chriſtianos prædictos; præſertim vt eccleſiæ, baſilicæ, & oratoria reparentur, & de nouo conſtruantur ibidem, in quibus diuina officia celebrentur, liceatque antiſtitibus & religioſis prædicare verbum Dei, & veritatem fidei orthodoxæ; inſuper Chriſtianis principibus in illis conſtitutis imperijs, & generaliter omnibus Chriſticolis, in partibus orientalibus degentibus, exponendo per extenſum fidem catholicam, per diuerſas ſcribimus literas opportunas, & nihilomi-

Plures Iacobitę pelecti ad eccleſiam a Eod. l. 4. ep. ſecr. 181.

Imp. Tartaror. ad Pontif. legatio.

b Ib. ep. ſecr. 130.

Actæ illi ob impenſa Chriſtianis ſtudia gratię.

nus intimamus eisdem, quod iuxta supplicationem eorum nuntios vel legatos, qui eos consolentur, instruant, & confirment in fide prædicta, ipsamque prædicent clarius & ostendant, ad eos & partes illas proponimus, diuina suffragante gratia, destinare. Præfatis quoque Imperatoribus offerimus, sicut maior prædictus instanter petijt, quod nuncios eorum recipiemus libenter & amicabiliter, & nostros mittemus ad ipsos, vt salubrius & clarius eis via possit ostendi, per quam de faucibus erepti diaboli, circuire quærentis iugiter quos deuoret, ad semitam æternæ vitæ dirigere valeant feliciter gressus suos. *Dat. Auin. IX. kal. iulij anno IV.*

74 Producendæ in lucem visæ a sunt Tartarorum Imperatoris literæ, vt pudeat hæreticos, ac peruersos Christianos religione ab infideli vinci; & discant a Tartaris, quam honorifice sit de Romano Pontifice sentiendum.

a Extant apud Ben. ib. ep. 131.

In fortitudine omnipotentis Dei Imperatoris Imperatorum præceptum.

Literę Imperatoris Tart. ad Pont. Expetit eius benedictionē.

Nos mittimus nuncium nostrum Andream Francum cum quindecim socijs ad PAPAM DOMINVM CHRISTIANORVM in Franchiam vltra septem maria, vbi sol occidit, ad aperiendum viam nuncijs sæpe mittendis per nos ad Papam, & per Papam ad nos; & ad rogandum ipsum Papam, vt mittat nobis suam benedictionem, & in orationibus suis sanctis semper memoriam faciat de nobis, & quod Alanos seruitores nostros, filios suos Christianos habeat recommendatos. Item quod adducant nobis ab occasu solis equos & alia mirabilia. *Scripta in Cambalec in anno Rati mensę sexto tertia die lunationis.* Porrectæ fuere aliæ a principibus Tartaris, qui religione Christiana erant imbuti, literæ quibus flagitabant supplices, vt pontificius legatus ac sacerdotes in Tartariam mitterentur.

In fortitudine omnipotentis Dei, & in honore Imperatoris domini nostri.

Principū Christian. Tart. lit.

Nos Futim Ioens, Charicen Tungy, Gemboga Euenzi, Ioannes Iukoy sanctum patrem dominum Papam nostrum, capitibus ad terram positis pedes osculantes salutamus, petentes benedictionem suam & gratiam, & quod in orationibus suis sanctis faciat de nobis memoriam, & nunquam obliuiscatur nostri. Hoc autem sanctitati vestræ sit notum, quod longo tempore fuimus informati in fide catholica, & salubriter gubernati, & consolati plurimum per legatum vestrum fratrem Ionnem Valentem, sanctum & sufficientem virum, qui tamen mortuus est ante octo annos, in quibus fuimus sine gubernatore & sine spirituali consolatione, licet audiuerimus, quod prouidistis de alio legato: ille tamen nondum venit. Quare supplicamus sanctitati vestræ, quod mittatis nobis bonum, sufficientem, & sapientem legatum, qui curam habeat de animabus nostris, & quod cito veniat, quia quile stamus sine capite, sine informatione, & sine consolatione.

Præsulem poscunt.

Supplicamus etiam sapientiæ vestræ, quod domino nostro Imperatori respondeatis gratiose; ita quod aperiatur via, sicut & ipse petit, & apta nuncijs sæpe mittendis a vobis ad ipsum, & ab ipso ad vos, & ad conferendam inter vos & ipsum amicitiam; quia si hoc feceritis, magnum bonum sequetur pro salute animarum, & pro exaltatione fidei Christianæ, quia fauor eius in imperio suo facere potest innumera bona: & ideo recōmendetis nos sibi filios vestros & fratres, & fideles alios, qui sunt in imperio eius, quia si ita feeeritis, bona maxima facietis. Cum ita factum fuerit, quod ex parte vestra diuersis temporibus tres vel quatuor nūcij venerint ad præfatum Imperatorem dominum nostrum, a quo gratiose recepti fuerunt & honorati & remunerati, & ex tunc dictus Imperator nullum a vobis vel a sede Apostolica responsum accepit, licet singuli promiserint se a vobis responsa ad præfatum dominum reportare. Quare prouideat sanctitas vestra, quod hac vice, & deinceps habeat certum a vobis responsum & nuncium, sicut decet sanctitatem vestram, quia magna verecundia est Christianis in partibus istis, quando mendacia inueniuntur in ipsis. *Scripta in Cambales in anno Rati mensę sexto tertia die lunationis.*

Vt mittātur ad Chamum oratores.

75 Cumulauit gaudio Pontificem optimum tam pia barbari Imperatoris legatio; scriptisque ad Chamum literis a, ipsum ob eximium in fouendis Christianis studiū laudibus ornauit: excitauit ad cultum diuini Numinis, & Christiana sacra amplectenda: rogauit vt ecclesias ac sacella condi in imperij terris permitteret, in quibus diuina hostia pro ipsius ac Tartarorum salute incruente immolaretur; nuntios denique Apostolicos ad ipsum euangelica luce collustrandum, curandamque animæ salutem se missurum est pollicitus.

a Ed. ep. 198. etiam M.S. Vat. Arm. alior. & sch. pag. 3

Magnifico principi.. Imperatori Imperatorum omnium Tartarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

De ep. gio in Christ. nos fa dio gra latur. Imper ri Tar ror.

Celsitudinis tuæ nuncios ad nostram nuper præsentiam venientes, vultu sereno, & læta mente recepimus, eosque fauorabiliter audiuimus & benigne. Sane quia tam ex his, quæ proposuerunt ipsi nuncij coram nobis per fidelem interpretem ad hoc adhibitum intellecta, quam ex tenore literarum tuæ magnificentiæ nobis exhibitarum per ipsos, percepimus & collegimus manifeste, quod tu ad sanctam Romanam, catholicam, & apostolicam ecclesiam, nostro commissam regimini, & ad nos qui, licet immeriti, locum Dei tenemus in terris, deuotionem magnam gerens, teque nostris humiliter orationibus recommendans, ob nostram, & eiusdem ecclesiæ reuerentiam, dilectos filios nobiles viros Fodim Iouens, Chyansam Tongi, Chembogam Venfij, Iohannem Yochoy, & Rubeum Pinzanum principes Alanorum & alios Alanos Christicolas, in tuo degentes imperio, beneuolis fauoribus, & opportunis gratijs pertractasti hactenus & pertractas; nos tam ex his, quam de missione nunciorum ipsorum admodum nobis grata, tibi referentes gratiarum vberes actiones, magnitudinem tuam rogamus attentius, & hortamur, quatenus beneuolentiam & fauores huiusmodi, erga præfatos Alanorum principes & alios Christicolas in eodem imperio commorantes, continuare pro nostra & ecclesiæ prædictæ reuerentia velit tua sublimitas, & augere: & vt antistites, & Religiosi catholici & Christiani alij ecclesias, basilicas, & oratoria, in quibus iuxta ritum & morem supradictæ Romanæ ecclesiæ diuinæ laudis peragantur officia, & offeratur pro delictis & peccatis populi hostia salutaris, per dictum imperium habere libere, fundare, construere valeant, & tenere; possitque vbique ibidem ab eisdem antistitibus, religiosis, & alijs Christicolis auctoritatem habentibus, super ijs verbum Dei, & veritas fidei catholicæ, sine qua nemo potest saluus fieri, prædicari, placeat tuæ magnitudini licentiam elargiri.

Alano comm dat.

Rogat eccles excit permi

76 Nos autem pro te, tuaque salute, & vt ille qui omnem hominem venientem in hunc mundum

dum illuminat, ſic illuſtrare dignetur ſuę charitatis & gratiæ lumine mentem tuam, quod eum cognoſcas veraciter, & lumen recipias fidei, per quam in præſenti abundanter replearis gratia, & in futura vitæ æternæ beatitudinis aſſequaris præmium, oramus & orabimus humiliter & deuote. Porro cum tua ſublimitas affectu ſincero, ſicut credimus, nobis amicitias offerens, & illas a nobis poſtulans petieris, quod tui ad nos, & noſtri ad te nuncij ſuper ijs deſtinentur; ſcire magnitudinem tuam volumus, quod hæc nobis placibilia ſunt & accepta, & nuncios tuos, quandocunque ad nos tranſmiſſi venerint, recipiemus fauorabiliter & lętanter: noſtros vero nuncios ſeu legatos ad tuam præſentiam & partes illas mittere diſponimus, qui te de noſtra beneuolętia, & alijs quæ tuæ ſalutem animæ reſpiciunt, plenius informabunt. Quęſumus igitur vt eoſdem nuncios noſtros, cum ad te venerint, placide ſuſcipias, ſicque patienter audias & benigne, quod ſpargenda in agro cordis tui vitæ ſemina fructus producant vberes, quorum dulcedinem tandem, connumeratus inter redemptos pretiolo Chriſti ſanguine, in cæleſti deguſtes patria, & eis æternaliter ſatieris. *Dat. Auin. id. iunij anno* IV.

Ad fidem amplectędam hortatur.

Miſſurum legatos ſpondet.

77 Confirmare etiam in fide Chriſtiana ſtuduit Pontifex principes Alanos memoratos, quibus formulam orthodoxi dogmatis ſubiectis literis [a] tranſmiſit.

[a] *Ext. in eod.* M.S. *pag.* 32.

Dilectis filijs nobilibus viris Fodim Iouens, Chyauſam Tongi, Chemboga Venſz, & Ioanni Totboy, & Rubeo Puiſano Alanorum principibus, ac alijs vniuerſis & ſingulis Chriſticolis in partibus orientalibus conſtitutis ſalutem, &c.

Lit. Pont. ad Tartaricæ aulæ Chriſtianos.

Serena facie, lætoque animo veſtros, filij principes, nuncios ad noſtram nuper præſentiam venientes, recepimus & eis ſuper omnibus, quæ voluerunt coram nobis proponere, audientia benigna conceſſa, per interpretem fidelem adhibitum ea, quæ ipſi propoſuerunt, intelleximus: & & ipſi etiam reſponſionem noſtram, & alia, quæ ipſis explicauimus, plenarie perceperunt. Sane quia tam per literas nobis per eoſdem nuncios præſentatas, quarum ſeriem exponi fecimus, quam per ea, quæ propoſuerunt, vt præmittitur, veſtram & aliorum Alanorum Chriſticolarum illarum partium magnam deuotionem, quam ad nos & ſacroſanctam Romanam eccleſiam, matrem omnium fidelium & magiſtram, fidemque catholicam, ſine qua ſalus non eſt alicui, geritis; quodque in eadem fide, prout eam dicta Romana eccleſia tenet & prædicat, deſideratis inſtrui & confirmari, percepimus euidenter; nos, qui velut paſtor vniuerſalis gregis dominici ſalutem omnium Chriſti ſanguine redemptorum quærimus, grandi perfuſi gaudio, ei qui vobis dictum dedit ſpiritum, & illuſtrare dignatus eſt ſuæ charitatis & gratiæ lumine mentes veſtras, in laudis iubilum aſſurgimus, ac de ijs, dictorumque miſſione nunciorum ſanctum & ſalubre deuotionis veſtræ propoſitum cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendamus; nobilitatem & vniuerſitatem veſtram exhortantes attentius & rogantes, quatenus in eodem propoſito, per quod ad brauium cœleſtis & æterni præmij poteritis attingere, eum augmento deuotionis & fidei perſiſtatis: nos equidem pro vobis oramus, et orabimus inceſſanter. Et vt eadem fides catholica, quam nos et eccleſia Romana cum toto cœtu Chriſtianorum fidelium profitemur, prædicamus firmiter, et tenemus, vobis et cæteris partium prędictarum Chriſticolis clarius innoteſcat, voſque illam ſequi, profiteri, et tenere firmius valeatis, eam clarius & apertius tenore præſentium explicamus.

Laudatur eorũ pietas.

Excitati ad conſtãtiam.

78 Et quidem credimus ſanctam Trinitatem Patrem, Filium, et Spiritum ſanctum vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem coeſſentialem et conſubſtantialem, coæternam et coomnipotentem, vnius voluntatis, poteſtatis, et maieſtatis: creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quę ſunt in cælo et in terra, viſibilia, corporalia et ſpiritualia. Credimus ſingularem quamque in Trinitate perſonam, vnum verum Deum plenum et perfectum. Credimus ipſum Filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, et coæqualem per omnia Patri in diuinitate; temporaliter de Spiritu ſancto conceptum, ac natum ex Maria ſemper virgine cum anima rationali; duas habentem natiuitates, vnam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: Deum verum, et hominem verum, proprium in vtraque natura atque perfectum: non adoptiuum neque phantaſticum; ſed verum et vnicum Filium Dei in duabus et ex duabus, diuina ſcilicet et humana naturis, ſed in vnius perſonæ ſingularitate: impaſsibilem et immortalem diuinitate; ſed in humanitate pro nobis et pro ſalute noſtra paſſum vera carnis paſsione, mortuũ, et ſepultum, et deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione, die XL. poſt reſurrectionem cum carne, qua reſurrexit, et anima aſcendiſſe in cælum, et ſedere ad dexteram Patris: inde venturum iudicare viuos et mortuos, et redditurum vnicuique ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint ſiue mala. Credimus etiam Spiritum ſanctum plenum et perfectum, verumque Deum ex Patre et Filio procedentem, coæqualem, et coeſſentialem, coomnipotentem, et coæternum per omnia Patri et Filio. Credimus hanc ſanctam Trinitatem non tres Deos, ſed vnum Deum omnipotentem, æternum, inuiſibilem, et incommutabilem. Credimus ſanctam catholicam & apoſtolicam vnam veram eſſe eccleſiam, in qua vnum datur baptiſma & vera omnium remiſsio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem eiuſdem carnis, quam nunc geſtamus, & vitam æternam. Credimus etiam noui et veteris teſtamenti legis, ac prophetarum, et Apoſtolorum vnum eſſe auctorem Deum ac dominum omnipotentem. Hæc eſt vera fides catholica, et hanc ſuper dictis articulis tenet et prædicat ſacroſancta Romana eccleſia.

Propoſita ijs fidei formula.

Baptiſmũ non iterãdus.

79 Sed et propter diuerſos errores a quibuſdã ex ignorantia, et ab alijs ex malitia introductos, dicit et prædicat eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos; ſed per veram pœnitentiam ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum: quod ſi vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignæ pœnitentiæ fructibus de commiſsis ſatisfecerint et omiſsis, eorum animas pœnis purgatorij poſt mortem purgari, et ad pœnas huiuſmodi releuandas prodeſſe eis fidelium viuorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, et eleemoſynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro alijs fidelibus fieri conſueuerint ſecundum eccleſiæ inſtituta: illorum inſuper animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt peccati contractam maculam, vel in ſuis manentes cor-

Lapſis pœnitentiæ ſacramentum datum.

Animæ omnis labis immunes in cælum mox admittuntur.

poribus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, confitemur in cælum mox recipi, & eſſentiæ diuinæ beatifica perfrui viſione. Illorum autē animas, qui in mortali peccato vel cū ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas, eadem ſancta Romana eccleſia credit, & firmiter aſſeuerat; & quod nihilominus in die iudicij omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, redditurі de factis proprijs rationem.

Diuina perfruuntur viſione.

Decedentes in peccato lethali, & alij in originali tantum in diſparia inferorum loca deſcēdunt.

Tenet etiam & docet eadem Romana eccleſia ſeptem eſſe eccleſiaſtica ſacramenta. Vnum ſcilicet baptiſma, de quo dictum eſt ſupra. Aliud eſt ſacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem epiſcopi conferunt chriſmando renatos. Aliud eſt pœnitentia. Aliud eſt Euchariſtia. Aliud eſt ſacramentum ordinis. Aliud eſt matrimonium. Aliud eſt extrema vnctio, quæ ſecundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana eccleſia, tenens & docens, quod in ipſo ſacramento panis vere tranſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti. De matrimonio tenet, quod nec vnus vir ſimul plures vxores, nec vna mulier ſimul habere permittitur plures viros; ſoluta vero lege matrimonij per mortem alterutrius coniugum, ſecundas, & tertias, & deinceps nuptias ſucceſſiue licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum ex cauſa alia non obſtat.

De ſacramentorū numero.

De tranſubſtantione in euchar.

Nuptiæ ſecundæ, &c.

Nec omittimus, quod ipſa ſacroſancta Romana eccleſia ſummum & plenum primatum ſuper vniuerſam catholicam eccleſiam obtineat, quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum principe ſeu vertice, cuius Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit. Sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debet iudicio definire; ad quam poteſt grauatus quilibet in negotijs, ad forum eccleſiaſticum pertinentibus, appellare. Sed & in omnibus cauſis, ad examen eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt recurri iudicium, & eidem omnes eccleſiæ ſunt ſubiectæ, ipſarumque prælati & obedientiam & reuerentiam ſibi debent: apud quam ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod eccleſias cæteras ad ſolicitudinis partem admittit, quarum multas, & patriarchales præcipue, diuerſis priuilegijs eadem Romana eccleſia honorauit: ſua tamen prærogatiua tam in generalibus concilijs, quam in quibuſcumque alijs ſemper ſalua.

De prima tu Rom. eccleſiæ.

Ad eam in cauſis eccleſiaſticis prouocari poteſt.

Porro cum præſcriptam puriſſimam & fideliſſimam orthodoxæ fidei veritatem, euangelicæ doctrinæ conſonam, a ſanctis patribus traditam & Romanorum Pontificum in ſuis ſynodis diffinitione firmatam, in vobis confirmari & augeri, fidemque ipſam vbique ampliari, vt ad laudem diuini nominis populus Deo ſeruiens & in numero & merito noſtris augeatur temporibus, & animæ diabolica fraude deceptæ, agnita & ſuſcepta huiuſmodi fidei veritate, de faucibus eripiantur dæmonum, ſummis deſiderijs affectemus; certos nuntios ſeu legatos noſtros, qui vos & alios Chriſticolas partium illarum conſolentur, & in fide ipſa inſtruant, conſolident, & confirment, & ad eam errantes attrahant, ad partes eaſdem proponimus, diuina ſuffragante gratia, deſtinare. *Dat. Auin. id. iunij anno* 10.

80 Conſcriptæ a ſunt ijſdem principibus literæ, quibus ſingulos ſeorſim hortatur ad fidem Chriſti amplificandam, & ſacras ædes extruendas, *in quibus*, inquit, *iuxta ritum & morem eiuſdem Romanæ eccleſiæ diuina peragantur officia, & immoletur hoſtia ſalutaris pro peccatis populi*. Actæ b etiam a Pontifice gratiæ Chanſi principi Tartarorum ob ſacros concionatores beneuole exceptos, conceſſamque euangelij promulgandi facultatem. Commendati c pariter Caraſmon & Iohanam in Tartarica aula gratia & auctoritate floretes, ob promotam eorum ſtudijs rem Chriſtianam, conditamque Armalechi eccleſiam. Rogati præterea Vsbech d Imperator Tartarorum Aquilonarium, eiuſque filius Tynibech e, vt efflorescenti religioni orthodoxæ fauerent, extrui ſacella permitterent certiſſima diuinæ remunerationis ſpe: ijſdemque ſtudia apoſtolica pro adipiſcenda felici immortalitate eſt pollicitus. Decreti f porro legati ad Tartaros ad fidem apud eos amplificandam fuere Nicolaus Bonetus theologus, Nicolaus Molanus, Nicolaus Ioannes Florentinus & Gregorius Vngarus Minoritæ ampliſſimis ad proferendam latius religionem prærogatiuis, quas in pari re meminimus proficiſcentibus ad gentes conceſſas, inſtructi; ac literis g apoſtolicis omnium Tartarorum ſummo Imperatori, tum Chanſi mediæ Tartariæ, tum Vsbecho Aquilonarium Imperatoribus, ac Tynibecho huius filio: denique Fodim Iouens h Alanorum fidelium principi commendati.

a To. 4. ep. ſacr. 199.

b Ib. ep. 104.

c Ep. 205.

d Ep. 206

e Ep. 369. Aquilonares Tartari, vt faueāt Chriſtianis ſolicitari.

f Ep. 364. Minoritæ miſſi ad Tartaros.

g Ep. 366. 367. 368. 369.

h Ep. 371. Nonnulli impoſtores Armeni tribules ſuos vexant.

At contra animaduertendum fuit in nonnullos impoſtores Armenos, qui cum ſe antiſtites fingerent, ac Romanæ eccleſiæ addictos, eoque nomine a Latinis fouerentur, in tribules tamen ſuos orthodoxa fide informatos tyrannidem exercebant, variiſque erroribus eos inficere moliebantur. Ex quorum hominum genere Petrus i Armenus, archiepiſcopi Ieroſolymitani eiuſdemque Nazarethani antiſtitis titulos ſibi arrogans, graſſabatur Patauij; Florentiæ Ezechiel l iſtius vicarias partes ſibi vendicabat: Romæ Athanaſius m Verienſem epiſcopum ſe iactabat, cuius ſcelera hiſce verbis deſcribit Benedictus: *Errores contra fidem catholicam dogmatizabat, ac quibuſdam falſis literis & priuilegijs apoſtolicis, falſo ſub quorundam Romanorum Pontificum nomine fabricatis, vti ſeu verius abuti temere præſumebat: Armenos catholicos, tenentes quod tenet, & credentes quod credit ſancta Romana eccleſia mater cunctorum fidelium & magiſtra, diuerſis perſecutionibus affligebat: baptizatos quoque ſecundum formam eiuſdem eccleſiæ abominabatur, & aſſerebat ſeu vocabat renegatos, eoſque per perſonarum captionem, incarcerationem, aliaque flagella, variaſque perſecutiones retrahere nitebatur a deuotione & fide eiuſdem eccleſiæ, & ad priſtinos errores & perfidiam, quibus idem Athanaſius imbutus eſſe creditur, reſumendas damnabiliter reuocare*. Conſentiebant in eodem ſcelere Petrus Armenus, eiuſque vicarius memorati: quare Benedictus hos tres in carcerem compingi ab Anagnino epiſcopo, vicariam in Vrbe gerente ſacrarum rerum præfecturam, atq; a Florentino & Patauino epiſcopis iuſſit n. Dedit etiam imperia Geraldo ſupremo ordinis Minoritarum præpoſito o, vt comprehenderet Laurentium Anconitanum Minoritam fugitiuum, antea ſacræ fidei cenſorem apud Picenates, quod in abſoluendis Andrea & Lipatio a crimine hæreſcos, quo antea fuerant rite damnati ab alijs cenſoribus, exagita-

i An. 4. p. 1 ep. cur. 58.

l Ib. ep. 57.

m Ep. 56.

Male ſentiunt de baptiſmo Latinorū.

Vinculis tradi iuſſi.

n Ibid.

o Ib. ep. 5.

ti-

tique a Ioanne XXII. pontificiam auctoritatem inuasisset.

Creati a Bened. Cardd.

81 Exeunte hoc anno, cum Pontifex grauissima rerum mole premeretur, augendum numerum Cardinalium ad optima in dubijs & difficillimis rebus consilia explicanda, censuit: quo honoris gradu tantum præsules insignes virtutibus ornauit, vt ipse in subiectis literis ad Petrum archiepiscopum Rothomagensem, quem in summis rebus a Francorum Rege adhibitum vidimus, datis a testatur: quemq; postea, accepto Clementis VI. nomine, lapsis aliquot annis Apostolicam sedem conscendentem intuebimur.

Inter hos Rothom. arch. numeratus futurus Pont. a To. 4. ep. sscr. 443.

Dilecto filio Petro S. R. E. presb. Card. olim archiepiscopo Rothomagensi.

Bened. ad eum lit.

Vrgens vniuersalis ecclesiæ, non dissimulanda, necessitas ijs temporibus nos & fratres nostros reddidit anxios in perquirendis viris secundum cor nostrum idoneis ad Cardinalatus præeminentiam assumendis. Opus quidem esse ipsi ecclesiæ conspicimus, vt ad tantum ministerium exercendum viri assumantur idonei, Deum timentes, diligentes iustitiam, & auaritiam abhorrentes. Ideoque nos cum fratribus eisdem, præhabita deliberatione prouida & matura, inter alios, quos ad tantum gerendum officium nostrum & dictorum fratrum consilium honorari decreuit, ad personam tuam, quam bonorum omnium largitor Altissimus multis virtutibus insigniuit, nostræ considerationis intuitum dirigentes, te ad onus huiusmodi ministerij de fratrum ipsorum consilio duximus assumendum, &c. *Dat. Auin. XIV. kal. ianuarij anno* IV.

b lib. ep. 442. c Ep. 444.

82 Conceptæ sunt eadem verborum forma literæ ad Gotium b patriarcham Constantinopolitanum & Bernardum c episcopum Rutenensem, quem ad firmandam inter Alfonsos Castellæ & Lusitaniæ Reges pacem incumbentem vidimus, vt arma in Marrochitanos & Granatenses verterentur.

d Gesta Ben. apud Bosq. Aliorum Cardd. nomina. *fuit

De his vna cum alijs Cardinalium numero ascriptis agit vitæ Benedicti auctor his verbis d: *Anno Domini* MCCCXXXVIII. *die decima octaua mensis decembris, quæ* *feria* VI. *quatuor temporũ, dictus Benedictus Papa vnam fecit creationem sex Cardinalium, quos in presbyteros assumpsit, qui fuerunt isti, videlicet Gotius de* * *Aramono Italicus tunc patriarcha Cõstantinopolitanus, dominus Bertrandus de Dencio* * *diœcesis Vticensis tunc archiepiscopus Ebredunensis, dominus Petrus Rogerij diœcesis Lemouicensis monachus ordinis S. Benedicti tunc archiepiscopus Rothomagensis, dominus Guillelmus Curti diœcesis Tolosanæ ordinis Cisterciensis tunc episcopus Albiensis, dominus Bernardus de Albia diœcesis Apamiarum tunc episcopus Rutenensis, & dominus Guillelmus de Aura diœcesis Carcassonensis tunc abbas monasterij S. Oliui ordinis S. Benedicti: fuitque reputata creatio huiusmodi multum notabilis, nam omnes prænominati erant famosi & profundi doctores in iure canonico vel ciuili, aut magistri in theologia.* Hæc auctor: quibus consentanea affert ex libro obligationum Felix Cantelorius e. Meminit etiam de hac Cardinalium creatione Bosius f, additque ad Benedicti commendationem, illum proculcato carnis & sanguinis affectu neminem nisi virtutibus & meritis spectatissimum ad Cardinalatum euexisse, quibus Albertus Argentinensis consentanea scribit, dum hæc de Benedicto tradit g: *Rogatus*, inquit, *ipse Benedictus super promotione suorum respondit: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Porro e memoratis Cardinalibus tres tantum in pontificia curia versabantur, nimirum Ebredunensis, Albiensis, & Montis Oliui; alij vero tres legationibus amplissimis in Gallia, Hispania, & Italia fungebantur: quare celeberrimo ritu agentibus in aula apostolica proximo ineunte anno ijs pilei & tituli Cardinalitij attributi fuerunt. Ritus vero in huiusmodi creatione Cardinalium, vetere more & instituto seruati, describũtur ab auctore eius temporis teste oculato, & rituum præfecto, qui de ijs luculentum volumen edidit a, ex quo ea, quæ sequuntur, delibauimus.

Cerimoniæ & solemnitates solitæ seruari in creatione nouorum Cardinalium.

De ritib⁹ in creatione Cardinalĩ seruari solitis a Ext. in M.S. bibl. Vat. sign. n. 4737. pag. 34. etc

Cõsulitur Cardinalium senatus de creandis nouis Cardinalibus.

83 *Die mercurij* IV. *temporum dominus Papa in consistorio consuecuit quærere a Cardinalibus, an expediat fieri creationem nouorum Cardinalium, faciendo ibidem primitus aliqualem breuissimam collationem, quod expediat creare nouos Cardinales: Cardinales vero postea omnes, quilibet secundum ordinem suum, consueuerunt respondere & consulere an expediat vel non. Quo facto, dominus Papa consuecuit dicere: Nos sequimur consilium dicentium, quod fiant, vel non fiant, secundum quod melius videtur ei fiendum. Et vbi eligit viam, quod fiant, immediate interrogat Cardinales, de quanto numero videtur eis fiendum. Quo responso per eos vt supra, dominus Papa dicit: Nos sequimur consilium dicentium, quod fiant vsque ad talem numerum. Deinde dicit ibidem: Cogitabimus & cogitetis de personis nominandis, & die veneris agemus super eo, Deo dante. Ista sunt vera quando Cardinales omnes in consistorio sunt præsentes. Si autem sint aliqui in domibus suis infirmitate detenti, est consuetum in consistorio per dominum Papam mandare duobus Cardinalibus, quod vadant ad Cardinales absentes, & requirant & habeant eorum consilium super prædictis duabus quæstionibus: & relatione facta postea domino Papæ in consistorio, audientibus omnibus Cardinalibus, per illos Cardinales deputatos, ipse postmodum eligit in consistorio, an velit sequi consilium Cardinalium dicentium, quod fiat noua creatio Cardinalium, & de quanto numero.*

Deque eorum numero.

Die veneris vero sequenti mandatur etiam in consistorio per dominum Papam duobus Cardinalibus, quod vadant ad requirendum & habendum consilium Cardinalium absentium super personis in Cardinales de nouo creandis. Quo consilio habito veniunt ad consistorium dum dominus Papa audit consilia auricularia Cardinalium, & ei referunt ad partem, dum est in cathedra sua, consilia Cardinalium absentium. Qua die veneris, facta primitus reuerentia Papæ per Cardinales, Papa mandat quod portetur cathedra nuda. Quo dicto omnes Cardinales exeunt consistorium, & ponũt se in fine illius aulæ vel cameræ, vbi tenetur consistorium excepto priore episcopo Cardinale, qui remanet ibi, & ponit se ad sedendum super cathedram nudam, quæ debet esse ad latus Papæ dextrum parata. Dominus Papa consuecuit dicere illi Cardinali, & alijs post eum venientibus secundum ordinem suum: Nos cogitauimus de talibus personis, quas ibi nominat: dicatis quid vobis de istis, vel de alijs videtur esse fiendum. Tunc Cardinalis ille, & alij successiue postea per ordinem suum venientes, respondent quid eis videtur, secundum quod Deus eis ministrauit. Et cum omnes Cardinales successiue secundum ordinem suum responderunt, omnes redeunt ad sedendum in consistorio secundum ordinem suum. Quo facto dominus Papa consuecuit eis dicere: Deo gratias. Nos habemus

Priuatim etiam expendũtur singulorũ consilia.

Exponuntur creandorum nomina & merita.

de perſonis concordiam omnium fratrum, vel quaſi omnium, vel maioris partis, ſecundum quod fuerit; nihil tamen aliud ſuper ipſa concordia ſpecifice exprimendo: & immediate ipſe ibi creat Cardinales tam præſentes quam abſentes a curia, dicendo: Auctoritate Dei omnipotentis, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & noſtra talem, ſi ſit prælatus, abſoluimus a vinculo, quo tenebatur eccleſiæ ſuæ, & ipſum aſſumimus in presbyterum S. R. E. Cardinalem; vbi vero ille non eſſet prælatus, dicit: Talem aſſumimus in presbyterum vel diaconum S. R. E. Cardinalem, ſecundum quod eidem domino Papæ magis placebit ſuper hoc ordinare. Quibus Cardinalibus creatis dominus Papa vadit ad cameram ſuam, & Cardinales ibidem publicant prouiſionem nouorum Cardinalium, quibus eis placet. Dominus vero Papa interdum ibidem, cum ad cameram ſuam redierit, conſueuit nouis Cardinalibus creationem de eis factam mandare per domicellum ſuum, interdū non.

Formula qua renūtiatur Cardinalis.

De publico habendo conſiſtorio.

84 *Die ſabbati ſequenti dominus Papa, facta ei reuerentia in conſiſtorio per Cardinales, mandat quod aperiantur portæ aulæ, vbi tenetur conſiſtorium, omnibus intrare volentibus: & ibidem debent venire ad conſiſtorium, & infra conſiſtorium in terra ſedere camerarius, notarij, & capellani domini Papæ & auditores palatij & clerici cameræ domini Papæ: alij vero debent ſtare pedes extra conſiſtorium. Domini Cardinales noui debent tunc temporis eſſe extra conſiſtorium in aliqua camera ibi ſatis prope, quouſque dominus Papa mandet eos vocari. Dominus vero Papa facit ibi in præſentia omnium vnum breuem ſermonem: in fine vero ſermonis deſcendit per ordinem ad nominationem Cardinalium tam præſentium in curia quam abſentium, quos creauerit quemlibet ipſorum commendando de ſcientia, fidelitate, prudentia, & alijs, prout merita cuiuslibet requirunt, & in fine commendationis dicit cuilibet nouorum Cardinalium ſic: Talem abſoluimus a vinculo, quo ipſe eccleſiæ ſuæ tenebatur, & eum aſſumpſimus & aſſumimus in presbyterum S. R. E. Cardinalem. Si vero non ſint prælati, non fit mentio de abſoluimus, ſed dicit: Aſſumpſimus & aſſumimus in presbyterum vel diaconum S. R. E. Cardinalem. Quo facto dominus Papa facit vocari Cardinales nouos, qui debent venire ad eum ſecundum ordinem, quem dominus Papa dederat in eos nominando, & ſtare pedes retro conſiſtorij, & firmare ſe retro bancham, quæ eſt ab oppoſito ſedis cathedræ domini Papæ, vbi ſedent alij antiqui domini Cardinales. Et tunc dominus Papa debet dicere nouis Cardinalibus aliqua ad inſtructionem eorum, quales debent eſſe in concilijs & alijs agendis. Quibus dictis vocat eos, quod veniant ad eum, & in introitu conſiſtorij duo diaconi Cardinales antiquiores recipiunt nouum Cardinalem primo nominatum per dominum Papam, alij vero duo diaconi Cardinales antiquiores poſt primos recipiunt alū Cardinalem ſecundo nominatum, & ſic deinceps faciūt alij Cardinales diaconi per ordinem ſuum, ſi ſint plures Cardinales de nouo creati, & eos adducant ad oſculū pedis domini Papæ.*

Vt cuique nouo Cardinali ſiū tribuatur elogium.

Vt præcepto informentur.

Quibus per Papam ad oſculum pedis receptis, immediate omnes Cardinales antiqui & cæteri ſupranominati ſurgunt, & capellani Papæ, Te Deum laudamus, cantare incipiunt alta voce. Et Cardinales antiqui ſecundum ordinem ſuum bini & bini primo vadunt ad altare, quod debet in aula, vbi dominus Papa tenet conſiſtorium, tunc temporis eſſe paratum, ſine cruce tamen: & poſt eos duo diaconi Cardinales antiquiores ducunt nouum Cardinalem ad altare primo nominatum per dominum Papam, alij vero duo diaconi Cardinales alium, & ſic deinceps faciunt alij duo diaconi, ſi ſint plures Cardinales de nouo creati ſecundum ordinem ſupradictum. Et cum peruenerint ad altare, Cardinales noui debent ſtare genuflexo ante altare proſtrati, quandiu cantatur, Te Deum laudamus. Quo completo prior epiſcoporum Cardinalium debet dicere ſubmiſſa voce; Pater noſter; & poſtea cantando ℣. Et ne nos inducas in tentationem ℟. Sed libera nos a malo ℣. Saluos fac ſeruos tuos ℟. Deus meus ſperantes in te ℣. Mitte eis auxilium de ſancto ℟. Et de Sion tuere eos; ℣. Domine exaudi orationem meam ℟. Et clamor meus ad te veniat ℣. Dominus vobiſcum ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Quæ preces repetendæ.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus miſerere famulis tuis, & dirige eos ſecundum clementiam tuam in viam ſalutis æternæ, vt te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant.

Alia oratio.

Actiones noſtras quæſumus domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra operatio & oratio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Prædicta debent dici per epiſcopum prædictum in libro, qui ſuper altare debet eſſe paratus. Quibus finitis capellani domini Papæ bini & bini recipiunt nouos Cardinales, & eos faciunt oſculari altare. Deinde ipſos adducunt ſecundum ordinem ſuum ad oſculum oris Cardinalium antiquorum, & primo veniunt ad epiſcopos, ſecundo ab presbyteros, ſubſequenter ad diaconos Cardinales, quemlibet eorum ſecundum ordinem ſuum oſculando. Quo facto antiqui Cardinales bini & bini redeunt ad conſiſtorium ad ſedendum ſecundum ordinem ſuum. Diaconi vero Cardinales antiquiores ducunt iterum bini & bini nouos Cardinales ſecundum ordinem ſupradictum ad oſculum pedis & oris domini Papæ & poſtea eos ducunt vſque ad ſedem, in qua debent ſtare in conſiſtorio ſecundum ordinem per dominum Papam in nominatione eorum eis datum.

Vt admittantur ad oſculum & amplexum.

85 *Poſtea omnes alij non Cardinales recedunt: poſt quorum receſſum dominus Papa imponit ſilentium dominis Cardinalibus nouis, quouſque ipſe dominus Papa de conſilio antiquorum Cardinalium os duxerit eis aperire: & tunc dicit eis, qualiter debent cum reuerentia loqui in conſiſtorio, cum loquūtur alijs Cardinalibus, & etiam cum loquuntur tam in viam conſilij quam in viam collationis, non contradicendo ſeu impugnando dicta aliorum Cardinalium; ſed alias dicendo prudenter cum reuerentia quod eis Dominus inſpirauerit: & qualiter etiam alios Cardinales debeant honorare: qualiter etiam in conſilijs dandis debeant Deum præ oculis habere, & in mente & in ore tunc temporis ſinceritatem & puritatem habere, amota omni partialitate amoris, odij, vel fauoris. Aliquando conſueuit eis tum ſilentium imponere illo tunc, & reliqua proximo pro præcedenti eis dicere, dum eis decreuerit os aperire. Quibus dictis Papa ſurgit, & vadit ad cameram ſuam: & Cardinales omnes remanere conſueuerunt in domo Papæ quouſque menſæ pro prandio ſint paratæ, & illa die omnes Cardinales comedunt in aula cum Papa. Et cum dominus Papa exit de aulæ camera, et venit ad prandium, aſſociant ipſum duo diaconi Cardinales antiquiores vſque ad menſam ipſam, præcedendo: & poſt prandium ſimili modo aſſociant eum vſque ad cameram. Et ſedent Cardinales in menſa primo ſecundum ordinem ſuum a parte dextra Papæ epiſcopi & presbyteri Cardinales tam antiqui quam noui, diaconi Cardinales iuxta modum conſiſtorij.*

De imponendo eis ſilentio.

Ritus in dando pileo rubeo

Post prandium eundem ordinem seruant in sedendo tam antiqui quam noui Cardinales: & cum fuerit tempus recedendi, dominus Papa, sedendo in cathedra sua, dat capellum rubeum nouis Cardinalibus secundum ordinem per eum in nominando eos eis datum, & ipsum capellum cuiuslibet ipsorum capiti imponit, ipsis Cardinalibus, nouis stantibus, coram eo genuflexis: & immediate familiaris domini Papæ, qui debet ibi esse paratus, capellum de capite ipsius Cardinalis recipit: & tunc quilibet eorum post prædictam impositionem capelli immediate secundum ordinem suum pedem domini Papæ osculatur. Et postea ipse dominus Papa quemlibet eorum ad osculum oris recipit secundum ordinem prædictum, & quilibet nouorum Cardinalium, osculo per eum a domino Papa recepto, ad sedem suam ibi redit. Quo facto, dominus Papa surgit ac etiam omnes Cardinales: & postea si ecclesia cathedralis sit ibiprope, noui Cardinales aliquoties ad orandum consueuerunt immediate ire, deinde ad domos suas redire.

Vt salutãdi sint officij gratia Cardinales veterani.

Sequenti autem die noui Cardinales debent simul incipere visitationem omnium Cardinalium antiquorum, quemlibet ipsorum in domibus quas inhabitant visitando, non attendendo in visitatione Cardinalium antiquorum, qui sint vel fuerint antiquiores Cardinales, sed secundum quod Cardinalibus nouis magis placebit. Et ipsi Cardinales antiqui debent nouos Cardinales tunc, dum visitantur, in camera sua secrete instruere quam dominum Papam & Cardinales antiquos debeant verbo & facto honorare & etiam reuereri, et quem modum loquendi in consistorio vel alibi cum domino Papa vel Cardinalibus in viam consilij, seu collationis, seu alloquendo, vel in sedendo debeant obseruare. Postquam vero Cardinales noui Cardinales antiquos visitauerint in suis domibus, Cardinales antiqui debent Cardinales nouos singulariter singuli in eorum domibus visitare immediate cum sunt creati per Papam.

De apertione oris.

86 *Dominus vero Papa in consistorio secundo, quod tenuerit, vel ad tardius in tertio consueuit os Cardinalibus nouis de consilio Cardinalium antiquorum aperire: & tunc eos hortari quomodo debeant in consistorio loqui reuerenter, & etiam alia bona verba, prout supradictum est, tunc temporis eis dicendo. Attendendum est tamen, quod dum prædictum consilium petitur, Cardinales noui debent exire consistorium, & stare in aliqua camera ibi prope, donec datis prædictis consilijs per Cardinales antiquos, postea per iuniorem antiquũ Cardinalem de mandato Papæ vocetur quod redeant ad consistorium: quibus reuersis, Papa consueuit eis os aperire. Papa vero singulis nouis Cardinalibus in*

Quando dantur tituli & annuli.

consistorio die, qua eis os aperuit, dare consueuit titulos & annulos in fine consistorij: & quilibet nouus Cardinalis consueuit tunc temporis, dum Papa imponit annulum digito ipsius, genua flectere, & immediate post datione annuli manum & pedem dicti domini Papæ osculari, & osculo per eum a domino Papa recepto, postea redire ad sedem suam. Noui vero Cardinales annulos portare non debent, etiam si, antequam Cardinales fierent, prælati existerent, quousque dominus Papa in consistorio det eis titulos & annulos, vt est dictum.

Forma vero, quæ antiquitus consueuit seruari in apertione oris nouorum Cardinalium, & assignatione titulorum, & datione annulorum, est infrascripta; videlicet quod postquam sederint Cardinales tam antiqui quam noui in ordine suo in consistorio, tunc quando domino Papæ placebit, dicitur per eum nouis Cardinalibus, quod sedeant ad partem: & ipsis absentibus, dantur consilia circularia per Cardinales antiquos, an ora ipsorum nouorum Cardinalium sint aperienda: & si consulant, quod sic, reuocantur ad consistorium ijdem Cardinales absentes, & sedent in locis suis: & tunc Dominus Papa, proposita aliqua auctoritate, si placet, cum breui vel modica & quasi nulla ipsius prosecutione ora ipsorum aperit, dicendo: Nos aperimus tibi os, vel vobis, si sint plures, tam in collationibus quam in consilijs, & in electione Romani Pontificis, & in omnibus actibus tam in consistorio quam extra, qui ad Cardinales spectant, & quos sint soliti exercere. Ipsi vero ad proposita nihil respondent.

87 *Post hoc in fine consistorij, vel ibidem post apertionem prædictam, secundum quod domino Papæ videbitur, singuli Cardinales noui singulariter vnus post alium genuflectit coram Papa: & tunc Dominus Papa recipit vnum ex annulis præparatis ad hoc, & immittit digito Cardinalis noui, dicendo tunc hæc vel similia verba, quæ sequuntur: Ad*

Formula committẽdę ecclesiæ.

honorem Dei omnipotentis, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & S. Priscæ vel alterius sanctæ vel sancti, ad cuius honorem est fundata ecclesia, quam Cardinali nouo committit, committimus tibi ecclesiam S. Priscæ cum clero & populo & capellis suis, si est in presbyterum Cardinalem assumptus, & sic in similibus; & interdum adijcitur: Secundum formam, quæ committi Cardinali consueuit, qui eandem ecclesiam intitulatam pro tempore habuerunt. Si vero esset in diaconum Cardinalem assumptus, dicitur: Ad honorem, &c. vt supra, committimus ecclesiam sanctæ talis cum clero & populo suis, & omittitur capellis. Cardinalis, vero qui recipit annulum, osculatur manum & pedem Domini Papæ, & dominus Papa ipsum post ad osculum oris recipit: & sic consequenter de alijs nouis Cardinalibus obseruatur. Quibus completis, vadunt prædicti domini Cardinales noui sedere in locis suis, nec tunc etiam Cardinales noui aliquid prædictis verbis & factis respondent. Attendendum etiam quod Dominus Papa tunc, præsentibus omnibus Cardinalibus, ordinat quos titulos habere debeant noui Cardinales

Absentibꝰ etiam cõferuntur tituli.

absentes, vt inde solicitudo tollatur. Attendendum etiam, quod præmissa, quantum ad apertionem oris ac donationis annuli & tituli, interdum consueuerunt fieri extra consistorium, quando dominus Papa vocat omnes Cardinales ad cameram suam pro consilio super negotijs habendo: & tunc omnes præmissæ solemnitates per omnia seruantur secũdum ordinem antedictum; prout factum fuit anno a natiuitate Domini MCCCXXXIX *die* XVI. *mensis ianuarij Auin. per dominum Papam Benedictum XII. in personas dominorum Cardinalium Ebredunensis, cui tunc fuit commissus titulus S. Marci, & Albi, cui tunc etiam commissus fuit titulus* IV. *Coronatorum: & Montis Oliui, cui tunc etiam commissus fuit tit. S. Stephani in Cælio monte, in camera prædicti domini Papæ Benedicti.*

Memorati ritus in superiori Cardd. creatione seruati.

IESV CHRISTI

Annus 1339.

Præcipua hoc anno gesta.

1 PArta est de Africanis & Granatensibus Saracenis illustris victoria anno Christi millesimo trecentesimo trigesimo nono indictione septima: Aragonius Sardiniam & Corsicam pontificiæ liberalitati solemni ritu acceptas in apostolica aula retulit: egere Andronici Imperatoris oratores de ecclesia orientali ad coniunctionem

nem cum Romana adducenda: præfecit ſibi ducem, mutata publicæ rei forma, Liguria: dati apoſtolica auctoritate imperij prouincijs in Italia vicarij: Eduardus Anglorum Rex cenſuris ob id munus in Germania inferiori Ludouici auctoritate geſtum irretitus: concurrere infeſtis ſignis paratus Chriſtianæ nobilitatis flos, iniecto diuina prouidentia furori fræno, abſceſſit; denique Bauarus, intermiſſum de ſua reconciliatione tractatum redintegrauit. Pellicere ipſum ad Chriſtianam pœnitentiam atque ab æterno exitio eripere Pontifex optimus enitebatur, ſed nil ipſius benignitas profuit: ille enim impiorum, quibus agebatur, conſilijs ſubornatus, confirmata potentia Anglorum Regem Germanici imperij creauit vt diximus vicarium, vt reliquos quos nondum ſibi ſubiecerat, Eduardi Regis viribus opprimeret: elatuſque in id potentiæ faſtigium plura aduerſus pontificiam auctoritatem erat molitus. Benedictus mollire iterum furentem clementia ſtuduit, paterniſque literis propoſuit a ob oculos, quantis ac nunquam intermiſſuris ſupplicijs ſe addiceret: infelicis meminiſſet æternitatis humanæq; vitæ inconſtantiæ, nec diuinam patientiam nouis ſceleribus fatigaret.

Addita a Lud. Bauaro veteribus noua facinora.

a To.5.ep. fecr. 392.

2 *Magnifico viro Ludouico de Bauaria promereri gratiam in præſenti, per quam aſſequi valeat gloriam in futuro.*

Literas magnificentiæ tuæ benignitate ſolita recepimus, & quæ continebantur in eis, pleno collegimus intellectu. Sane cum tam per eas, quam diuerſas tuas literas alias hactenus nobis miſſas te reconciliationem tuam nobis & eccleſiæ ſanctæ Dei deſiderare aſſerueris, & aſſeras affectibus feruentibus & deuotis, in eis nihilominus ſubiungendo, quod noſtris & eccleſiæ Romanæ iuribus & honoribus derogare non intendis in aliquo, ſed ad eorum exaltationem te proponis impendere reuerenter; non ſufficimus admirari, quod licet nos propter prælocutiones olim ſuper eadem reconciliatione incœptas, quas deſiderabamus, ſicut adhuc deſideramus, ad debitum finem perduci, procedere contra te ſuper ijs etiam, quæ per te attentata referuntur interim, de quibus inferius aliqua exprimuntur, te per viam manſuetudinis ab ijs & alijs deteſtandis exceſſibus cupientes retrahere, omiſerimus aggranare proceſſus per prædeceſſorem noſtrum aduerſus te, vt noſti. habitos diuerſas ſpirituales & temporales pœnas & ſententias continentes, tenendo negotium huiuſmodi ſub ſpe reconciliationis eiuſdem de benignitate apoſtolica in ſuſpenſo; tu tamen, ſicut habet rumor implacidus & infeſtus, deducens, vt videtur, huiuſmodi noſtram beniguitatem & manſuetudinem in contemptum, ſtatuta de facto feciſſe vna cum nonnullis partium earum principibus his diebus præteritis diceris, per quæ licet nulla tibi eſſet vel ſit attributa quomodolibet auctoritas ſuper hoc vel poteſtas, prædictos proceſſus habitos, & ſententias promulgatas contra te per eundem prædeceſſorem de conſilio fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium cum magna ſolemnitate, præſente multitudine fidelium copioſa, & in diuerſis mundi partibus publicatos, dixiſti & pronunciaſti de facto, vt præmittitur, fore nullos (quamquam nulli homini quantacumque ſit auctoritate ſuffultus, liceat ſe de ijs, quæ per Romanum Pontificem, maxime ſuper ijs, quæ ad iudicium ſpectant eccleſiæ, ordinantur iutromittere, niſi de licentia & auctoritate ipſius) honori & primatiæ præfatæ Romanæ eccleſiæ præſumptuoſe nimis & temerarie, quantum in te fuit, ſi ſinceritas ſuffragetur relatibus, detrahendo.

Vt Ludouicus clementiæ pontificię illuſerit.

Detrahere niſus fit pontificio primatui.

3 Præterea ſtatuendo de facto mandaſti, vt aſſeritur, quod in partibus Alamanniæ mandata non recipiantur apoſtolica, nec pareatur eiſdem; nec illos, quibus per ſedem prædictam prouideri contigit de dignitatibus & alijs beneficijs eccleſiaſticis dictarum partium, permiſiſti aut permittis ad dignitates & beneficia huiuſmodi recipi & admitti. Et vlterius prælatos, religioſos, & alias perſonas eccleſiaſticas partium earundem ad violandum interdictũ eccleſiaſticum, auctoritate apoſtolica in diuerſis ciuitatibus, villis, terris, & locis partium earundem appoſitum propter captionem & captiuationem perſonarum ipſorum, ac bonorum ſubtractionem, & alias crudeliter & immaniter (non abſque plurimorum ſcandalis, contemptu clauium eccleſiæ, ac animarum periculis) non erubeſcis compellere, faciendo diuina officia in locis eiſdem interdicto eccleſiaſtico, vt præmittitur, ſuppoſitis damnabiliter profanari: quamplurimos etiam religioſos, & præſertim fratres ordinis Prædicatorum (qui Dei timorem & amorem, ac reuerentiam ſedis prædictæ, ſuarumque animarum ſalutem iniuſtis & iniquis mandatis & præſumptionibus ſacrilegis & damnandis huiuſmodi præferentes, profanare in locis prædictis recuſarunt diuina) fugando, affligendo, & ſic crudeliter perſequendo, quod multi conuentus eorum propter hoc ſunt, proh dolor! diſſipati.

Germaniam eccleſia diuelli ſit niſus.

Profana ſacra.

4 Ad hæc detrahendo non parum eiuſdem eccleſiæ Romanæ iuribus & honoribus, vicarium in certis partibus Alamanniæ, quamquam ad te non pertineat, deputaſti, vt fertur. Hæc autem, quæ præmiſimus (vt de multis alijs, quæ fert rumor huiuſmodi taceatur ad præſens) ſi vera ſunt, in diuinæ maieſtatis contumeliam & offenſam, ac iurium & honorum detractionem ſedis prædictæ, fideique læſionem catholicæ cedere proculdubio dignoſcuntur. Talia namque, quæ non ſolum Deum & ſedem eandem grauiter non immerito prouocant, ſed horrore mentes concutiunt & commouent catholicorum Regum, magnatum, & principum orbis terræ; maxime cum ex ijs fides tangatur catholica, ex qua iuſtus viuit, & extra quam non eſt alicui gratia neque ſalus; non ſunt ſigna vel facta pœnitentis hominis Deum timentis, ac volentis reuereri ſacroſanctam eccleſiam matrem ſuam, & reuerti ad eius gremium, cum ſe ſentit eſſe, delictis & offenſis ſuis exigentibus, extra illud. Quis enim fidelis dubitat, quin illi homines peſtilentes hæretici & ſchiſmatici manifeſti, qui adhuc ſub tegmine alarum tuarum morari dicuntur, te de cuius ſalute ac honore non curant; ſed ad hoc cum euidenti tuæ ſalutis & famæ detrimento tantum aſpirant, vt tuo protecti munimine ſibi pro ſuis ſceleribus effugiant vltionem, retrahere moliti fuerint hactenus, & etiam adulando peſtifere, moliantur in huiuſmodi & alia præcipitia confuſionis & damnationis æternæ * ?

Arguitur fictam eſſe eius pœnitentiam.

Hæreſiarchas ſuo tueri patrocinio

*te impellere

5 Nos igitur, qui te ſuper præmiſsis paterna charitate alloquimur, & tuam deſideramus ſalutem, præmiſſa quæ tuæ optatæ reconciliationi obuia ſunt admodum, & augmentum procurant indignationis diuinæ, ponentes tenore præſentium ante oculos mentis tuæ, tibi conſulimus, & paternis exhortationibus & ſalutaribus monitis ſuademus, quatenus diligenter conſiderans vias

Monitio vt animæ ſaluti proſpiciat.

tuas

tuas malas, & dum tibi vitæ tempus superest, ab eis conuertere, & ad vias rectas dirigere non differas gressus tuos, vt possis illa verba prophetica dicere Domino: *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua*; non solum sæpe, sed sæpius intra tua præcordia reuoluendo, quod moriturus es, & tibi, qui iam in annos processisti plurimos, mortis terminus appropinquat, & ignoras penitus dies mortis. Et quid etiam, si (quod absit) te contingeret in tali statu & cum talibus operibus terminum claudere vitæ tuæ, exinde, cum te tua sequerentur opera, reportares? Profecto nihil aliud, nisi pœnas cruciatus perpetui, & tormenta. Et vt tua reconciliatio, tibi vtique salutifera peccatis tuis non impediatur proprijs, sed potius Deum & ecclesiam sanctam suam, ac nos & eandem sedem tibi magis placabiles constituas in hac parte; a præmissis excessibus omnino desistere studeas, & cum effectu attentata, vt præmittitur, circa hæc tam pie quam prouide reuocare, non procrastinando, dum tempus habes, sicut præmisimus, prosequi reconciliationem eandem: circa quam, si te digne ad id coaptaueris, nos & sedem prædictam, quantum cum diuino beneplacito, & honore ipsius ecclesiæ fieri poterit, propitios reperies & benignos. Et inter cætera satis expediens videretur, quod ab offensa & irritatione illorum, qui prodesse vel obesse tibi valerent super his, abstineres. *Dat. Auin. x. kal. febr. anno v.*

Propositæ æternæ supplicia.

Pœnitenti ostensa veniæ spes.

Superiora decreta ac gesta impia aduersus pontificiam auctoritatem cum audisset Petrus Rex Aragonum, adeo exhorruit, vt tuendæ dignitatis Apostolicæ zelo Benedicto aduersus ipsius hostes armorum potentiam obtulerit; cui Pontifex gratias egit a ob eximium illius in ecclesiam studium, nuntiumque apostolicum ad Ludouicum, cum redeundi in gratiam cum ecclesia voluntatem præ se ferret, se transmisisse significauit.

Aragonij vires regias contra Bauarū offert. a Ead. to. 5 ep. secr. 12

6 Versabatur b in aula Bauarica Arnaldus e Verdala A. S. N. pontificioque nomine cum Ludouico agebat, vt illius animum ad Christianam pœnitentiam flecteret, abduceretque ab Eduardi Regis fœdere, quo occidenti ac rei Christianæ necessaria pax restitueretur: cumque propositas nonnullas a Ludouico reconciliationis ineundæ rationes exposuisset Pontifici, is adhibitis in consilium quibusdam Cardinalibus Arnaldo respondit c; ac primam quidem a Ludouico oblatam conditionem non videri nec vtilitati nec honori sedis Apostolicæ conducere, neque in opus perduci posse: cum enim in ea dicat, se in omnibus controuersijs, quæ ipsi vna cum Rege Francorum intercessere, vel exoriri possint, pontificio iudicio staturum; absonam esse, cum nulla dissensio inter Regem ac Ludouicum ipsum exarserit, nisi imperij causa, in quo nullum sibi ius Bauarus arrogare possit, ad quod assequendum ecclesiæ gratiæ restitui optabat; vnde fit, vt si eam Ludouici submissionem, antequam conciliatus esset, sedes Apostolica admitteret, non leuem sibi iniuriam ac damnum pareret. Quod ad secundam attinet; restituto fidelium consortio Ludouico, si Francorum Rex arbitrum Pontificem vellet deligere, Regem Anglorum Ludouici arbitrio controuersias omnes permissurum; atque ita, imperatis indutijs, bellum inter ipsos Reges sopitum iri. At neque id videri sedi Apostolicæ honorificum, cum vni parti se addiceret; illam vero deceat in neutram inclinare; neque etiam id fieri posse, cum Francorum Rex Anglorum Regem fiduciarium & clientem suum appellet; nec dissentiat Eduardus; vnde cum Francorum Rex sit Anglorum Regis in vectigalium terrarum causa, de quibus lis vertitur, iudex, non facile in alterius arbitrium controuersiam collaturum: tum maxime, si de omnibus controuersijs agatur, cum Philippum non lateat, Eduardum plura eaque maxima deposcere, de quibus putandum non sit, Francorum Regem compromissum facturum: præterea id exiguam vtilitatem pariturum, cum prius Ludouici reconciliatio perficienda, eaque diuturni temporis tractum consumptura sit: interea vero si bella sopita non fuerint, cum illorum incerti sint exitus, ea posse emergere, quæ resarciri postea non possint: & quamuis illa omnia abessent, non facile Pontificem & Ludouicum in eodem loco ad dirimenda, quæ compromissa essent, conuenturos; quare ab illis Francorum Regi denuntiandis se abstinuisse: hanc autem rationem conciliandæ totius rei componendæque ineundam.

b Ib. ep. secr. 393. Missus ad Lud. inter nuntius.

Propositæ a Lud. pactiones.

c To. 5. post ep. secr. 394.

Si, inquit, *idem Ludouicus ad nostram præsentiam suos certos super facto reconciliationis suæ destinaret nuntios, & dictus Rex Angliæ etiam suos cum potestate plena tractandi pacem cum eodem Rege Franciæ vellet transmittere, scribemus efficaciter eidem Regi Franciæ, quod idem duceret faciendum: & nos libenter laboraremus, vt reconciliatio & pax prædictæ ad bonum perueniret effectum; ita tamen quod interim pendentibus prædictis coram nobis guerræ, ex quibus innumera mala proueniunt, omnino hinc inde cessarent; & hæc via videretur cuilibet facilibilis & honesta, &c.* Præcipit vt Ludouicum ad hoc consilium inflectat, ac si ipsum ad id adducere non potuerit, ne se alijs tractatibus irretiat, sed ad sedem Apostolicam, his missis, se conferat. Petenti vero ad nonnullorum improborum hominum gratiam liberi & tuti commeatus syngrapham, cum ad eandem sedem pro flagitanda venia se conferre meditarentur, respondit: *Caterum quia non est de more ac honestate Romanæ curiæ sceleratis hominibus dare conductum, illis hominibus, de quibus fiebat in tuis literis mentio, non concederemus eundem: sed si de sua salute soliciti gratis & spontanee ad sedem Apostolicam venerint, veniam & misericordiam humiliter petituri, eos (quos magis lucrifacere Domino, quam perdere cupimus) misericorditer, prout eorum exegerit deuotio & contritio meruerint, mansuete tractabimus & benigne, rigore iustitiæ oleo misericordiæ temperato. Dat. Auin. x. kal. februarij anno v.*

Proposita a Pont. cō cordia ratio.

Liberi cō meatus syngrapha sceleratis non datur ab ecclesia.

7 Optabat sane Benedictus implere demādatas sibi illius vices, qui prophetico ore contestatur: *Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur et viuat*; idque etiam in Ludouici & aliquorum principum electorum, qui superiori anno Romanæ ecclesiæ maiestatem læserant, causa demonstrauit: hos enim, ac Ludouicum Pontifex paterno sinu, si flagitij ipsos pœnituisset, amantissime se excepturum respondit. a

a To. 5. ep. secr. 393

Benedictus, &c. magnifico viro Ludouico de Bauaria promereri gratiam in præsenti, per quam assequi valeat gloriam in futuro.

Quia principes electores, quorum aliqui Deum, ac nos & sedem eandem grauiter offendisse noscuntur, benigne ac mansuete tractari per easdem literas supplicasti, asserens id esse prædictæ reconciliationis negotio multipliciter opportunum; scire te volumus, quod cum sedes prædicta, quæ benignitatem seueritati consueuit

Electoribus eius sequacibus venia ostensa.

pro-

prout in Deo expedire cognoscit præferre, veré pœnitentibus & contritis non claudat gremium miserationis & gratiæ, tanto miserando benignius, quanto grauius fuerit prouocata; offensores prædictos, prout eos de commissis huiusmodi pœnitentes & contritos, ac nobis & eidem sedi fideles & deuotos, vt tenentur & debent, cognouerimus; præsertim dicti considerationè negotij, propter ea, quæ præmisimus, insidentis admodum cordi nostro, recipiemus clementer, ac fauorabiliter & benigne tractabimus, rigore iustitiæ oleo misericordiæ temperato. *Dat. Auin. x. kal. februarij anno v.*

Ludouici petitio. a *Super ep. 393.* Responsio Pontificis.

8 Flagitauit a quoque Bauarus a Pontifice, vt Arnaldo e Verdala apostolico nuncio reconciliationis illius perficiendæ auctoritatem tribueret: cui respondit Benedictus, missum illum ea de causa fuisse, vt ipsi suam mentem atque arcanas voluntates panderet: rem vero nisi in Cardinalium consistorio perfici non posse. Reuersus itaque est Arnaldus ad sedem Apostolicam, qui ob virtutis præmium ad Magalonensem episcopatum euectus est, de cuius legatione Germanici historici b meminere; ac significauit Pontifici, Ludouicum ac principes electores decreuisse solemnes oratores pro optatissima reconciliatione perficiēda transmittere: qua de re idem Pontifex ad Robertum Siciliæ, & Philippum Galliæ Reges scripsit c, vt legatos mitterent, quo rationibus suis consulerent.

b *Alb. Arg in chron. & alij.*

c *To. 5. ep. secr. 111.*

Extant porro in regesto pontificio nonnullæ pro Ludouici oratoribus ad sedem Apostolicam acceſſuris liberi commeatus syngraphæ, altera d quidem III. non. iunij huius anni consignata, in qua hæc adiecta conditio: *Dummodo dicti nuntij & familiares sexaginta numerum non excedant, nec sint de hæresi condemnati*; altera nonis octobris data e tum pro Bauari, tum principum electorum oratoribus. At interea Bauarus promissa Pontifici data infringebat, cumq; ab eo toties flagitatum esset, vt a coeundis molitionibus in Regem Francorum absisteret, ea enim re ipsius reconciliationē disturbatum iri; inuadendis tamē Gallijs, opprimendisque ecclesiasticis, qui sedis Apostolicæ partes tutati fuerant, inhiabat. Quem Benedictus monuit f, vt nonnulla, quæ contra datam fidem gesserat, et in arcana schedula descripserat, reuocaret: *Cæterum tibi*, inquit, *benigno suademus affectu, vt interim, huiusmodi coram nobis super reconciliatione prædicta pendente tractatu, prudenter abstineas a qualibet noxia nouitate; & maxime ne contra charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Franciæ illustrem, ac ecclesias & ecclesiasticas personas per te vel gentes tuas aliquid attentes aduersum: quinimmo ea, quæ contra promissiones tuas in dictis literis tuis contentas attentata sunt, studeas efficaciter reuocare; pro firmo scituras, quod si secus fieret, id dicto negotio magnum posset impedimentum & obstaculum generare. Dat. Auin. v. id. octobris anno v.*

d *Ib. ep. secr. 466.*

e *Reg. post eand. ep.*

f *Ib. ep. secr. 416.*

Monitus Bauarus, vt a Gall. & ecclesijs opprimendis absistat.

9 Inuadebat tum Gallias Eduardus Anglorum Rex Ludouici armorum præsidio fultus, et Cameracensem episcopum, accepta Germaniæ inferioris Bauari auctoritate præfectura, quam vicariatum vocant, imperij fiduciarium ad clientis præstanda Ludouico officia adigere, vtque Regis Francorum fœderatum bello opprimere tentabat. Vt vero in oppugnando ecclesiastico principe imperij aliquem iuris colorem Anglus prætexeret, subornato sacerdote Cameracensi, Guillelmo episc. iudicium ineunte anno intentauit, vt sibi tanquam proregi cęsareo comitatum Cameracensem imperiali beneficentia acceptum referret. At episcopus de intentata sibi lite ad sedem Apostolicam prouocauit, ad quam spectabat causa, cum Ludouicus iura cęsarea non teneret. Benedictus itaque, vt accersitos ab Anglo iuris fucos ad colorandum iniustum bellum dilueret, edicto pontificio promulgauit, iniquam esse motam ab illo literarum iuris formulas tamquam a cęsareo legato editas rescidit; ipsumque Eduardum Regem ac reliquos principes, qui bellum comitatui Cameracensi inferrent, anathemate defixit. a

Eduardus cæsaream præfecturam gerit.

a Ad. com.

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Nuper venerabilis frater noster Guillelmus episcopus Cameracensis, non sine graui querela ad apostolatus nostri deduxit auditum, quod licet ciuitas & comitatus Cameracensis iure veri dominij spectent ad episcopum & ecclesiam Cameracensem, ac episcopi Cameracenses, qui fuerunt pro tempore a longis retro temporibus per tempora, quorum in contrarium memoria non existit, iusto & vero titulo ciuitatem & comitatum possederint supradictos pacifice & quiete; nuper tamen (quod non absque multa admiratione percepimus) charissimus in Christo filius noster Eduardus Rex Angliæ illustris, prætendens se vicarium imperij constitutum per Ludouicum de Bauaria, a sede Apostolica de hæresi & schismate condemnatum, omnique iure, si quod sibi in regno vel in imperio Romanorum ex electione, quæ dudum de ipso celebrata dicebatur, vel alio quouis modo forsan competijsset, suis culpis exigentibus, sententialiter & iuste priuatum; licet etiam vacante imperio, sicut nunc vacare dignoscitur, ad Romanum Pontificem, cui in persona B. Petri terreni simul & cęlestis imperij iura Deus ipse commisit, iurisdictio, regimen, & dispositio ipsius vacantis imperij pertinere noscantur; de facto, quamquam de iure non posset, eundem episcopum citari fecit sub pœna priuationis & amissionis omnium bonorum, feudorum, priuilegiorum, honorum, & aliorum, quæ ab imperio tenere dignoscitur, vt coram eo certo iam elapso termino compareret: quare præfatus episcopus, qui huiusmodi citationi non paruit, prout nec parere etiam tenebatur, dubitans quod idem Rex forsitan eundem episcopum reputans contumacem, saltem de facto contra eum & præfatam ecclesiam Cameracensem procedat, ad Apostolicam sedem super hoc duxit humiliter recurrendum.

Intentata iniuria queritur Pontifex.

Licet igitur manifestum existat, quod prædicta citatio ac omnes processus, qui contra dictos episcopum & ecclesiam per præfatos Ludouicum & Regem, vel de mandato ipsorum propter hoc forsitan facti essent vel fierent, vel sententiæ, quæ propterea promulgarentur, iuribus non subsistant, nec subsistere possint, nec aliquam habeant, nec habere possint roboris firmitatem; ne saltem de facto dicti episcopus & ecclesia prægrauentur, nos prout tenemur ex apostolicæ seruitutis officio, huiusmodi insolentijs obuiare, & eiusdem & aliarum ecclesiarum præcauere dispendijs solicitis studijs intendentes, dictam citationem, omnesque processus & sententias per præfatos Ludouicum seu Eduardum Regem Angliæ, se vicarium dicti Ludouici vel imperij prætendentem, contra dictos episcopum & ecclesiam Cameracensem, forsan post dictam

cita-

citationem secutos vel subsequendos, dictasque pœnas in citatione prædicta comminatas, & sententias quaslibet super præmissis vel præmissorum occasione prolatas, vel in posterum proferendas per eosdem Ludouicum & Eduardum Regem vel alium, seu alios de mandato ipsorum super ciuitate & comitatu prædictis, & alijs bonis, feudis, priuilegijs, & honoribus, quæ ab imperio obtinent, habitos vel habitas, habendos vel habendas, latos vel latas, seu ferendos vel ferendas, quatenus de facto processerint vel procedent; auctoritate apostolica reuocamus, cassamus, annullamus, vacuamus, & irritamus omnino, ipsos nullos, cassos, vacuos, & irritos nunciamus, & nullam eos habere decernimus roboris firmitatem; districtius iniungentes, & etiam inhibentes vniuersis & singulis ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, & alijs personis singularibus quibuscumque, nec non cõmunibus & vniuersitatibus quibuslibet ciuitatum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, ne contra reuocationem, cassationem, annullationem, irritationem, & decretum nostra huiusmodi facere vel venire vel quidquam attentare, vel ciuitatem aut comitatum prædictos in toto vel in parte inuadere vel occupare, aut inuasos vel occupatos per se vel alios detinere præsumant in præiudicium dictorum episcopi & ecclesiæ, nec non præpositi, decani, & capituli ecclesiæ memoratæ. Ac nihilominus omnes & singulos, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, & status existant, etiamsi pontificali vel regali præfulgeant dignitate, contrarium facere præsumentes, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto: ac ciuitates, castra, villas, & alia loca ipsorum interdicti sententiæ eo ipso decernimus subiacere; nihilominus irritum & inane auctoritate apostolica decernentes, si secus super ijs per quoscumque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibuscumque priuilegijs & indulgentijs apostolicis vel imperialibus eidem Eduardo Regi, vel præfatis ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, & alijs personis singularibus, nec non cõmunibus & vniuersitatibus quibuscumque sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, &c. *Dat. Auin.* 11. *id. ianuarij pontificatus nostri anno v.* Data [a] est Leodiensi, Traiectensi, & Tornacensi episcopis diuulgandi huius edicti prouincia.

Reſcindit Ludouici & Eduardi edita.

Vetat Cameracum inuadi.

[a] Reg. post cand. ep.

10 Verum Eduardus, cum frustra proditione nonnullos Cameracenses subornare nisus esset, aperto bello rem gerere aggressus, exeunte septembri maximo succinctus exercitu, stipatusque duce Brabantiæ, Geldriæ & Iuliaci comitibus, quorum primus ducis, alter marchionis titulos a Ludouico erant eblanditi, Cameracum cæsareæ quidem ditionis vrbem, sed quam episcopus idemque comes, vacuo solio imperiali, Francorum Regis clientelæ addixerat, eiusque militi præsidiario firmarat, obsidione cinxit; de qua hæc prodit vitæ Benedicti auctor b: *Dictus Odoardus Rex Angliæ intrauit Alemanniam, venitque in Frankford oppidum imperiale ad dictum Ludouicum ducem Bauariæ, petens ab eo auxilium & iuuamen contra dictum Philippum Regem Franciæ; fueruntque adinuicem contra dictum Philippum confœderati & colligati: dictusque Ludouicus, qui licet se falso gerebat pro Imperatore, talemque se nominabat, ipsum Regem Angliæ, quantum in ipso fuit, constituit vicarium imperialem in partibus Italiæ * & nonnullis alijs terris. Cuius occasione & prætextu idem Rex Angliæ Cameracensem ciuitatem, quæ est camera imperij, voluit intrare: sed negato sibi aditu, eam obsedit: ciuibus tamen eiusdem sibi viriliter resistentibus.* Dum Cameracum vrgeret obsidione Eduardus, Pontifex illum anathemate deuinctum ob fœdus armorum cum hoste ecclesiæ percussum, bellumque episcopo Cameracensi præfecturæ Germaniæ susceptæ scelere prætextu indictum, reuocare a cœptis studuit hisce datis ad ipsum literis a.

Non parium est Pontifici.

b Gesta Benedict. apud Bosq.

Cameraci obsidio

*Cod. Reg. Gallic. Germanicæ potius legendum ex Benedicti. constat.

Benedictus, &c. magnifico principi Eduardo Regi Angliæ illustri spiritum consilij sanioris.

Dudum te, fili charissime, clara imitari vestigia progenitorum tuorum Regum Angliæ, qui erga Deum & sacrosanctam Romanam ecclesiam velut peculiares eius alumni & deuoti filij plenitudine deuotionis & fidei claruerunt, suæque splendorem prosapiæ a quauis obfuscatione nubili contagij præseruarunt, eaque in te prælucere clarius cupientes; ob paternæ charitatis & dilectionis affectum, quo te statumque tuum prosequimur, nostras tuæ celsitudini literas direxisse meminimus, inter cætera recensentes, qualiter excessus per nobilem virum Ludouicum de Bauaria olim, vt asserebatur, discorditer in Regem Romanorum electum, aduersus Deum & eandem Romanam ecclesiam, ac felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum per coacernationem multiplicium & atrocium offensarum nequiter perpetrati, tuum præterire nequibant auditum: quos velut toti mundo notorios non omnes, cum longa & prolixa nimis eorum narratio extitisset, sed ex eis aliquos in eisdem literis prouidimus, vt sequitur, recitandos.

Idem namq; Ludouicus contra processus prædecessoris eiusdẽ, &c. [Repetit vetera Ludouici in ecclesiã facinora ijsdem pene verbis, quibus antea illa recensuerat b, nimirum irruptionem Italicam, susceptum hæreticorum patrocinium, promulgatam publico libello hæresim, creatum pseudopontificem, arreptum contra leges imperiale nomen, contractas censuras a Ioanne XXII. irrogatas, tum subdit:] Super quibus quidem pœnis, quantumcumque per ipsum Ludouicum promeritis, & in eum iusto ecclesiæ iudicio promulgatis, si vere pœnitens se humiliasset ad gratiam, benignam reperisset eandem ecclesiam, quæ ipsum tanquam filium prodigum de longinquo redeuntem ad suum gremium apertis brachijs recepisset, immolatura pro eo in vbertate diuinæ laudis vitulum saginatum.

Proposita in eum maioresq; sedis Apost. benevolentia.

De edictis in Ludouicum Bauar.

b An. Chr. 1337. n. 7 & 8. vsq. cõmetur.

11 Rursum adiecimus in literis supradictis, quod quamquam prædictorum excessuum contra eorundem processuũ per dictum prædecessorem contra dictum Ludouicum, exigente iustitia, postmodum habitorum notitiam habuissemus & etiam habemus; vt tamen ipsum a peccatorum nexibus liberatum de faucibus sempiternæ mortis possemus eripere, postquam fuimus ad apostolatus summi apicem assumpti, diuersos nũtios eius, diuersis vicibus & temporibus ad nos missos, receperamus benigne: ac pro reconciliatione ipsius, per fructum veræ pœnitentiæ promerenda, prolocutiones varias cum eis *.. & tunc pendebat etiam ad proloquendum vlterius terminus assignatus, in quo proculdubio per nos non stetit quominus vlterius fuerit super negotio reconciliationis eiusdem processum: quare, fili dilectissime, serenitatem tuam requirendam tunc duximus

Monitus deinde sit vt in sinũ ecclesiæ redeat.

*habuera mus:

Monitus Eduardus ne Ludouico non cõciliato ecclesiæ adhæreret.

mus per easdem literas, & rogandam, vt prudenter aduertens, & in scrinium internæ considerationis adducens grauitatem pœnarum, in quas incideret & sententiarum quas incurreret, quantisq; periculis, & discriminibus se implicaret, qui præfato Ludouico sic notorie & publice ab omnibus hæresis & sic odiosi toti Christianitati schismatis condemnato, antequam reconciliationis gratiam eiusdem ecclesiæ meruisset, participare præsumerent, sibique impenderent auxilium, consilium, vel fauorem, vel sibi tanquam Imperatori vel Regi Romanorum reuerentiæ cultum seu titulum regalis vel imperialis nominis assignarent scienter, ac cuiuslibet participationis fœdera contrahendo cum ipso, & exhibitione reuerentiæ & honoris sibi tanquã Regi vel Imperatori quousq; dictus Ludouicus reconciliationis eiusdem ecclesiæ meruisset gratiam obtinere, penitus te retrahere & totaliter abstinere curares, vt tibi famæ integritas, & illibata tui generis claritas seruarentur.

Post quæ rumore implacido & infesto ad aures nostras deducto, quod tu requisitionibus & precibus nostris huiusmodi, de fonte prodeuntibus charitatis, non sine detrimento tuæ salutis & famæ, quod dolentes referimus, obauditis eisdem processibus prædecessoris eiusdem, per quos aduersus omnes & singulos cuiuscumque præeminentiæ, conditionis, vel status, etiam si pontificali vel regali vel quacumque alia ecclesiastica vel mundana dignitate fulgerent, præfato Ludouico adhærentes seu præstantes directe vel indirecte, publice vel occulte, consilium, auxilium, vel fauorem; vel sibi tanquam Imperatori vel Regi Romanorum reuerentiam exhibentes, seu titulum regalis vel imperialis nominis assignantes seu ascribentes, graues spirituales & temporales pœnæ & sententiæ infliguntur, in sua perdurantibus fitmitate; præsumpseras confœderationes inire cum eo, sibique adhærere ac præstare auxilium, consilium, & fauorem: &, quod est grauius, in serenitatis tuæ gloria notabilem ponere maculam non formidans, per totam Alamanniam & Germaniam ac vniuersas & singulas earum prouincias vicariatus officium sub imperialis nominis titulo susceperas ab eodem de facto, cum idem Ludouicus nec Rex nec Imperator existat; tali prætextu ecclesiarum prælatis & personis ecclesiasticis in terris imperij constitutis, ac in nostra & eiusdem ecclesiæ deuotione et fidelitate consistentibus, sub pœnis grauibus per tuas literas iniungendo, vt ad te, tanquam eiusdem Ludouici in partibus illis vicarium, super diuersis contentis in eisdem tuis literis conuenirent, prout in dictis tuis literis, quas tuo sigillo munitas præsentatas nobis oculata fide perspeximus, plenius continetur, contemnens damnabiliter pœnas et sententias supradictas, illis te manifeste, non absque horrenda tui status macula atque nota, proculdubio implicando; nos considerantes, quod huiusmodi vicariatus officium et alia præmissa per te præsumpta ad tui honoris et status et famæ dispendium tendebant, te per dictas literas nostras requisiuimus et hortati fuimus, tibi paterno consilio suadentes, vt præmissa et alia, quæ circa illa tibi possent occurrere, deducens in rectæ discussionis et deliberationis examen, ac insuper tenens certius et attendens, quod idem Ludouicus, vt præfertur, nec Rex nec Imperator existit, nec aliqua, quæ fecerit vel faciat sub imperiali vel regali nomine sunt alicuius roboris vel momenti; quodque tibi periculosum erat ac multipliciter formidandum bellorum subire discrimina, si fores dictis processibus, pœnis, et sententijs inuolutus, ac per hoc Dei et eiusdem ecclesiæ persecutor et hostis effectus, a quibus semper desiderauimus reddere te immunem; ab huiusmodi præsumptionibus penitus resilires, gressusque tuos in viam rectam ac Deo placitam, tuisque statui, saluti, et honori congruam dirigere quantocyus nõ differes. Sperabamus enim, quod oculis tuis apertis ad bonum, et declinantibus non in erroris deuium, sed in callem rectitudinis et semitã veritatis, salutis monita deuote susciperes, et efficaciter adimpleres; nec Deum ac nos et eandem ecclesiam vlterius per grauiores excessus, ac oppressiones ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum contra te ad iracundiam prouocares.

Propositæ pœnæ canonicæ in Ludouici sequaces.

Arguitur illis se irretijsse.

Ludouicũ cæsareos apices iure non tenere.

Iniquum in Cameracenses bellum geri.

12 Sed, sicut nouiter ex conquestione venerabilis fratris nostri Guillelmi episcopi Cameracensis, non sine admiratione et animi turbatione percepimus, et referimus cum dolore, tu prædictis monitis, requisitionibus, hortationibus, et precibus apostolicis deductis penitus in contemptum, aduersus præfatum episcopum et ecclesiam Cameracensem, ac comitatum & terras ipsorum quosdam voluntarios & odiosos processus, non absque diuinæ maiestatis & Apostolicæ sedis offensa & derogatione ecclesiasticæ libertatis, de facto prætextu vicariatus huiusmodi habere cœpisti, & grauiores facere continuas, ac contra ciuitatem Cameracensem, quæ ad episcopum & ecclesiam prædictos pleno iure noscitur pertinere equitum & peditum armatorum exercitum congregasti, ipsamque in dictorum episcopi & ecclesiæ damnum non modicum & præiudicium obsedisti, eamque detinere præsumis obsessam.

Cum itaq; processus, vel verius excessus huiusmodi non possimus salua conscientia, nec etiam debeamus conniuentibus oculis pertransire, quin ad tuitionem & defensionem eiusdem Cameracensis & aliarum ecclesiarum, in quarum oppressione iura nostra & Romanæ ecclesiæ opprimi dubium non existit, apponamus manum apostolicæ potestatis; excellentiam tuam iterato requirimus, & rogamus attente, per apostolica scripta tibi districtius iniungentes, quatenus attendens consultius, & reuoluens prudentius in scrutinio mentis tuæ quam periculosum tibi tuisque heredibus in posterum reddi posset, quod aduersus eiusdem prædecessoris processus notorie habitos, & per vniuersa fere orbis climata publicatos te procaciter erigas, & publice venias contra eos; quantaq; infamiæ & ignominiæ ex præsumptione tam damnabili respergaris: considerantius etiã cogitãs quale tibi tuisq; heredibus possit in posterum parturiri dispendiũ, si publicatus fautor hæretici & schismatici de hæresi & schismate condẽnati per solemnes processus eiusdem sedis Apost. deueniteris, consulto & prouiso consilio per emendationem debitam huiusmodi studeas præcauere pericula, et dispendia euitare, prædictum exercitum ab obsidione prædicta quantocyus reuocando, et a similibus in posterum abstinendo, dictoque vicariatus officio, per quod fama tua lædituri, et status dignitatis regiæ non mediocriter minoratur, vlterius non vtendo. Alioquin, cum non sit deferendum homini contra Deum, nec ecclesiarum oppressiones possimus salua conscientia æquanimiter sustinere, contra te, licet inuiti, ad publica ipsarum dictarum pœnarum et sententiarum, in dictis eiusdem prædecessoris processibus et constitutione contentarum ex etiam prolata-

Propositæ Ioannis XXII. edicta.

rum,

rum, quas te propter prædicta non est dubium incurrisse, infallibiliter procedemus, & procedi per alios faciemus, prout viderimus expedire. *Dat. Auin. IV. id. octobris anno V.*

13 Florebant apud Eduardum gratia & auctoritate Ioannes archiepiscopus Cantuariensis, & Richardus episcopus Dunelmensis, quibus Pontifex apostolico pro imperio iniunxit a, vt Regi exponerent, quantis periculis in gerenda Germanica præfectura, colendoque Bauarico fœdere se obijceret; atque ad sedis Apostolicæ capessenda iussa adducerent. Data etiam Cardinalibus nuntijs Petro tit. S. Praxedis & Bertrando S. Mariæ in Aquiro imperia b, vt Eduardum Angliæ Regem pœnas & censuras in decretis apostolicis aduersus Bauari sequaces latas contraxisse pronuntiarent: atque etiam pontificio nomine ipsi denuntiarent, nisi Cameracensem obsidionem solueret, ac præfecturam imperij in Germania Ludouici auctoritate susceptam abijceret, grauioribus in eum pœnis ac sententijs animaduersurum. Compararat sibi aduersus Eduardum æmulum Philippus Francorum Rex ingentia auxilia, accesserant c enim illius signis Ioannes Boemiæ & Philippus Nauarræ Reges, Aymo comes Sabaudiæ, Imbertus delphinus Viennensis, ac vigintiquatuor vel quinque millia equitum, peditumq; innumeram multitudinem ad bellum traxerat, parabatque d florentissimo illo succinctus exercitu irrumpere in Germaniam inferiorem, ne bellum in suo, sed hostium solo gereretur; cum Benedictus, veritus ne Germanis sæuiendi magis in Gallos præberetur occasio, suasit Philippo, vt hostem intra regni limites opperiretur: *Cum*, inquit, *intellexerimus nouiter, quod Theutonici Regi Angliæ adhærentes prædicto prætextu cuiusdam processus, quem Rex ipse, se vicarium imperij nominans abusiue, aduersus ecclesiam & comitatum Cameracensem fecisse de facto dicitur aliquas in eodem comitatu cœperunt facere nouitates, existimantes forsitan callide quod tu, fili dilectissime, regnum tuum ad ipsos aggrediendos exires, sicque præstaretur occasio principibus & alijs Alamanniæ nobilibus te ac regnum tuum ex eo iuste inuadendi & offendendi, quod tu primo intrando terras regni Romani & imperij hostiliter inuasisses; nobis, qui te regnumque tuum prædictum sincera dilectione prosequimur, deliberatione cum quibusdam ex fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus honoris & commodi regni zelatoribus habita diligenti, expediens non videtur, quod regnum tuum prædictum quomodolibet exeas pro præmissis: sed sicut illum inclytæ memoriæ Philippum Regem Franciæ prædecessorem tuum in casu quasi consimili gessisse testatur historia, cum apparatu decenti eos infra dictum regnum tuum, si forte, quod absit, illud ingredi attentarent, expectes: super quibus mature, prudenter, & consulte circumspiciat regia prouidentia, quid agendum; &c. Dat. Auin. VIII. id. octobris anno V.*

Secutus est pontificium consilium Philippus Rex, & castra ad flumen Isaram Regis Anglorum castris proxime admouit e. Laborare cœperat commeatuum inopia Germanorum Anglorumq; exercitus, cum Eduardus, metuens f ne exercitus sensim absumeretur, vniuersi certaminis aleæ spes suas committendas censuit. Prouocauit itaque Philippum Regem ad pugnam: sed prudentes eam suaserunt declinandam ne Gallia in apertum discrimen conijceretur; hostemque vincendum consilio, atque intercluſis commeatibus atterendum, vt obseruat Hocsemius a, qui rei exitum accurate describit: *Sextadecima*, inquit, *die dicti mensis*, nempe octobris huius anni, *Rex Franciæ cum vigintiquatuor millibus equitum transit flumen Sommam per pontem Peronæ interim Rex Angliæ se retraxerat versus Guisiam versus Terraciam propter defectum victualium, quæ gens Regis Franciæ non permittebat venire: & die XXIII. scilicet sabbatho de sero, exercitu soluto, recessit.* Tribuendum visum est diuinæ prouidentiæ, vt potentissimi exercitus infestis signis non concurrerent, ne tantus Christianus sanguis funderetur, ex quo fidei hostes maiores animos collegissent ad rem Christianam euertendam, vt expendit Benedictus in suis ad Eduardum Anglorum & Philippum Francorum Reges datis literis. Scriptas ad Eduardum Regem affert Thomas Vvalsingamus b: quæ vero Francorum Regi missæ, subiecta verborum forma sunt conceptæ. c

14 *Benedictus, etc. Philippo Regi Franciæ illustri.*

Dum diligenter attendimus, & profundis cogitationibus meditamur, quanta summi & æterni Regis fuerit benignitas, & misericordissimæ affluentia pietatis, quod pridem tuis, charissime fili, & illustris Angliæ Regis eiusque colligatorum ordinatis aciebus, & multum ex propinquo ad confligendum terribiliter ex animo se dispositis hinc & inde, secuta non extiterunt pericula, quæ tantus fragor armorum & armatorum impetus minabantur; eidem laudum exoluimus præconia, cum hoc ad donum Dei maximum, & grande operatum misericorditer a clementia diuinæ prouidentiæ, quæ in sui dispositione non fallitur, miraculum reputetur. Ex hoc quidem colligi potest etiam apertius, quod Altissimo, qui bella conterit, & gentibus ea volentibus per prophetam dissipationis exterminium comminatur, tanta sanguinis redemptorum pretioso cruore dominico, quanta fuisset, si conflictum sibi dedissent acies prædictæ tunc temporis in totius Christianitatis damnum & opprobrium ac animarum multarum periculum, effusio non placebat. Regalis quoque circumspectio potest etiam aduertere diligenter, quantum tu & Rex prædictus indignationem haberetis formidare diuinam, si populos Dei, quos ipse a periculis animarum & corporum eripuit sic benigne, iterum simili subijcere discrimini curaretis. Timendum esset proculdubio, vt adeo accenderetur, et præsertim vehementius contra illum, qui huiusmodi discrimini daret ampliorem operam, ira Dei, vt tanta strages tantaque confusio sequerentur, quod tota concuteretur Christianitas, et reformatio pacis et concordiæ non solum difficilis, sed impossibilis (quæ non sinat misericors et miserator Dominus contingere) redderetur. Et insuper nec minus considerandum videtur, quantum occasione guerrarum præsentium multis et varijs modis, vt fertur, regij subditi non modicum sunt exhausti pecunijs, et alijs bonis suis; et etiam quod, si continuatio talium onerum sequeretur (quod absit) amplius grauarentur: quodque bellorum euentus est dubius, et multum, vbi Dei timetur indignatio, formidandus.

Ideoque regiam magnificentiam rogamus in Domino attentius, et hortamur, eam nihilominus per Dei misericordiam obsecrantes, quatenus præmissa et alia, quæ possunt occurrere circumspectioni regiæ in hac parte, reuoluens intra claustra pectoris regij, et deducens in exactæ deliberationis examen; ad reformandam

a Ecd. l. 5. ep. secr. 418 419.

Legati Cardinales ad Anglū missi.

b Ib. ep. 420.

Intentata illi eccles. iniuria.

Parat Gallus irrumpere in Germ.

c Io. Vill. l. 11. c. 85. Masson. vbi sup.

d To. 5. ep. secr. 415.

Id consilium discutit Pōtifex.

Addita ratio.

Confirmata exēplo.

e Io. Vill. l. 11. c. 85. f Masson. in Phil. VI

a Hocsem. l. 2. c. 25. Gallus XXIV. mill equitum educit.

Intercluſi Anglo cō meatus. Soluti vtrinq; sine cæde exercitus.

b Vvalsin in Eduard. III.

c To. 5 ep. secr. 425.

Monitus Phil. vt certamen detrectet.

Paci animum accõmodet.

pacem cum Rege præfato vel treugas incundas (vt tuis, dilectiſſime fili, tuorumque obuietur periculis; & Deo, qui pacem diligit, & in viris pacificis delectatur, magis placeas, teque acceptiorem eidem efficias) animum habilites regium & inclines; dilectorum filiorum noſtrorum Petri tit. S. Praxedis presbyteri & Bertrandi S. Mariæ in Aquiro diaconi Cardinalium, Apoſtolicæ ſedis nunciorum, zelatorum vtique regij honoris & commodi, quos dudum ad partes illas propterea de conſilio fratrum noſtrorum deſtinauimus, monitis & ſalubribus circa hæc perſuaſionibus effectualiter nihilominus acquieſcens, &c.] Adiungit preces, vt ſi ad mutuam pacem a Cardinalibus adduci non potuerint, inducias ineat: ſeque apoſtolicas partes in concilianda controuerſia adhibiturum; atque ideo oratores ſumma ad id auctoritate inſtructos mittat, quibus regiam aperiat voluntatem. *Dat. Auin. x. kal. ianuarij anno v.*

15 Ex ſuperioribus literis atq; alijs antea indicatis pontificius illuſtratur zelus in conciliandis Regibus, belloque exitiabili ſopiendo adhibitus: ad quem magis colluſtrandum tentata ab eo varijs huius anni temporibus cumulanda viſa ſunt. Egit [a] in primis III. non. martij cum Cardinalibus nuntijs de varijs ineundæ pacis inter Reges rationibus explorandis: menſe vero iulio induciarum paciſcendarum nonnullæ leges propoſitæ ab Anglis, quarum primæ rationi conſentaneæ, duæ poſtremæ Regi Francorum admodum iniquæ, vt nimirum Scotis nulla auxilia ſubmitterentur, atque arces in Aquitania ſuperiori anno occupatæ reſtituerentur; de quibus ſuam ſententiam Pontifex ita protulit. [b]

[a] To. 5. ep ſecr. 395.

Propoſita a Pont. cõcordiæ ratio.

[b] Ib. ep. ſecr. 410.

Petro tit. S. Praxedis presbytero Card. A. S. L.

Velle ad tractatum pacis pro parte dicti Regis Angliæ aſſerentes redire, petunt in treugis pro tractatu eodem ineundis quinque ſubſequentes conditiones apponi. Primo videlicet, quod damna, quæ illata durantibus treugis fuerint, hinc inde rationabiliter emendentur. Secundo quod alligati & amici vtriuſque partis, vigẽtibus treugis, poſſint ire per terras & dominia vtriuſque Regum prædictorum libere ac ſecure. Tertio quod mercantiæ reſque aliæ de vno regno ad aliud deferri ſimiliter valeant & conduci. Quarto quod dictus Rex Franciæ Scotis interim auxilium non impendat. Et quinto quod reſtituat occupata per ipſum de ducatu Aquitaniæ, poſtquam idem Rex Angliæ mare tranſiuit. [Expugnaſſe [c] nonnullas arces Philippi duces, referunt hiſtorici, ac Burdegalam [d] ipſis deditam hoc anno, cum repente coniurati ciues in Francos incautos duce Inghamo Anglo inſurrexere, atque vrbe non ſine ſtrage pepulerunt. Porro conditiones duriores ita mollire ſtudet Pontifex]: Nos igitur præmiſſis diligentius intellectis, primam & tertiam ſimpliciter & ſecundam conditiones huiuſmodi cum temperamento, quod alligati & amici prædictorum Regum terras & dominia ipſorum hoſtiliter vel cum armigera gente non intrent, ſatis rationabiles, & reliquas duas difficiles exiſtimamus; quamquam ſuper quarta poſſe videretur lenitatis antidotum adhiberi, vt ſcilicet Rex præfatus Franciæ procuraret, vt inter Scotos & Regem Angliæ prædictum inirentur treugæ per tempus, quo inter Reges eoſdem fierent duraturæ; vel quod negotium Scotiæ vna cum principali Regum prædictorum negotio in noſtris manibus poneretur. Ea vero, quæ quinta conditio continet, magis principale negotium deducendum in pacis tractatu, quam treugas indicendas concernit. Sane quia veremur, quod via pacis prædictæ, quam accenſis optamus deſiderijs, intentione recta & modo debito non quæratur, expedire credimus, quod per te dictumque Cardinalem collegam tuum non reſpondeatur præmiſſis; ſed potius per partem alteram & vos tanquam mediatores ad temperandum, parteſque reducendum ad concordiam, ſicut iuxta ea quæ præmiſimus, & alia quæ vobis occurrerint expedire cognoueritis, diligentibus ſtudijs intendatis; vt ſi, miſericordia faciente illius, qui concordiam in ſublimibus operatur, aditus pandatur accõmodæ pacis tractatui, adſit veſtra fidelis & ſedula ſolertia operatrix: alias autem nec nobis nec vobis, quin quod potuimus in hac parte fecerimus, poſſit a Deo vel hominibus, ſicut ſæpe refricauimus, imputari, &c. *Dat. Auin. XVII. kal. auguſti anno v.*

Variæ in Aquitan. conuerſiones.

[c] Froſſard. hiſt. l. 1. [d] Vualſin. in Eduard III.

16 Cum nullæ firmari inducíæ potuiſſent, iterum XII. kal. octobris Benedictus Reges flectere ad pacis conſilia pertentauit [a], propoſuitque ob oculos rem Chriſtianam ex eo bello euerti, inſoleſcere fidei hoſtes, perire animas, atque innumera mala pullulare in republica Chriſtiana. Obſurduerant regiæ aures ad hæc monita apoſtolica, armorum fragore oppletæ, feſſique Cardinales nuntij pacem ſurdis canere, flagitabant ad ſedem Apoſtolicam reuocari: quos Benedictus eo maiori ardore ad procurandam concordiam XI. kal. octobris iuſſit incumbere [b], atque ad Eduardum ſe conferre, quo Reges maiori furore ad bellum procurrerent; tum VIII. id. octobris Philippum grauibus monitis, ne ſectandæ paci deeſſet, inſtruxit. [c]

[a] To. 5. ep. ſecr. 413.

Diſſecta pacis cõſilia.

[b] Ib. ep. ſecr. 41

[c] Ep. 41

Non deerant porro muneri ſuo Cardinales in his Eduardo exponendis: at non niſi triſtia belli nuntia retulere Benedicto, qui vna cum ijſdem Cardinalibus verſus in lachymas conceptum ex rei Chriſtianæ exitio dolorem cum ipſis partiri ac delinire conſcientiæ integritate ſtuduit [d]: *Ex ijs quidem*, inquit, *filij dilectiſſimi, amaricata corda veſtra ſentimus hactenus, proculdubio ſentimus, & nos non minus paternis commotis viſceribus dolore cordis tangimur intrinſecus, & ſuſpiramus amare præfatorum Regum & aliorum Chriſti fidelium grauia exinde pericula formidantes. Verum quia nos & vos quod potuimus circa præmiſſa fecimus ſic, quod credimus eſſe debere apud Deum & homines excuſati, reſtare non videtur agendum aliud, niſi quod ad diuinum auxilium recurrentes, ſi per operationes noſtras & veſtras aliud vtile ad obuiandum tantis malis & periculis poſſit agi, non ſimus tepidi vel remiſſi. Dat. Auin. v. kal. nouembris anno v.* Confectus itaque dolore ob filiorum, in mutuas cædes ruentium, diſſenſiones pater optimus Cardinalibus, deſperatis de concordia rebus, præceperat [e] XIV. kal. decembris, vt ad ſedem Apoſtolicam, ſi Philippo Regi ita viſum eſſet, reuerterentur; cum X. kal. ianuarij Anglorum & Francorum Regibus ſignificauit [f], ſe ad ſuſcipiendam dirimendarum omnium controuerſiarum prouinciam paratiſſimum, modo ea de re miſſis ad ſedem Apoſtolicam oratoribus inducias paciſcerentur.

Concepſ exinde Pont. gr uis dolor

[d] Ib. ep. ſecr. 41

[e] Eod. ep. ſett. 423.

[f] Ib. 42 425. 4

17 Perfici pax non potuit, cum in ea tractanda Eduardus Anglorum Rex difficillimum ſe præberet, vt queritur Pontifex [g]; cum tamen Francorum Rex ad pacis conſilia inclinaret, ac

Anglus concord reſpuit

[g] Ib. ep. 413.

Pon-

Pontifici & nuntijs Cardinalibus obſequeretur a: affectabat enim Eduardus non ignobilia oppida Aquitaniæ, ſed vniuerſum Francorum regnum, vt vel aliquam prouinciam, Normanniam, Britanniamue adipiſceretur. Auxit vero eius res Belgarum a Gallo Rege defectio, quam extremo anno contigiſſe Hocſemius, harum conuerſionum ſpectator, narrat b.

a Idib.

b Hocſem. l. 2. c. 25. Belgarū a Gallo defectio.

Interim, inquit, *Flamingi, percipientes quod Rex Angliæ in Francia ſic iacebat, terram comburendo & depradando, ſibi nemine reſiſtente, ſe congregauerunt in finibus terræ ſuæ; mandantes Regi Franciæ, quod Inſulam, Duacum, & terras reliquas, quæ dudum ad Flandriam pertinebant, reſtitueret: alioqui Inſulam obſiderent.*

Deſciuiſſe Belgas a Francorum Rege, ſeditionis principe Iacobo Arteuelda Gaudauenſi ceruiſiæ venditore, comitemque pepuliſſe, tradunt hiſtorici: ipſiuſque conſilio ad religionem, qua Gallo ictis præteritis fœderibus obſtricti erant Flandri, eludendam Eduardum Gallica corripuiſſe inſignia ne periuri dicerentur; de quibus dicetur inferius. Extant porro Eduardi literæ hoc anno Antuerpiæ ad Benedictum & Cardinales datæ, quibus plura de Philippo Rege conqueſtus, rationes, quibus ad regnum Francorum aſpirabat, expoſuit. a

Abeo vſurpata Gallica inſignia.

Argumenta Eduardi in conſectanda Gall. corona.

a Ext. apud Vval in Edward. III.

Euidentia, inquit, *facti notorij præſupponit, quod celebris recordationis Philippus olim Rex Franciæ, pater claræ memoriæ Caroli Regis Franciæ immediate defuncti & ſereniſſimæ dominæ* Iſabellæ *Reginæ Angliæ matris noſtræ, fuerit auus noſter, cum eidem Carolo tempore mortis ſuæ ex deſcendentibus ſecum ab eodem Philippo maſculus ſuperſtes proximior fuerit nullus nobis; & perſona fœminea dicti regni per ius in eodem regno ſeruatum antiquitus, ſit non capax: quod ius regni præfati fauorem in viam cauſæ finalis attendens, ne regnum ipſum ſub fœminea fragili gubernatione labatur, & propter hoc perſonam mulieris excludens, non excludit perſonam maſculi per ſic excluſam fœminam deſcendentis, ne fiat iuribus ſemper odibilis prorogatio odiorum, perſonæ videlicet ad perſonam, ſexus ad ſexum, cauſæ ad cauſam, odij ad fauorem, nec contra legum traditiones communes* * *fœmineum genus, vbi maxime de odio agitur, concipiat maſculum.*

* in

Ad hoc etiam per ius memoratum a regno fragilitas muliebris excluditur, vt regno ſalubrius conſulatur, & proximior maſculus admittendus alias admittatur potiſſime ad ius illius, qui primordialiter a matre ſic excluſa non oritur; ſed in nepotem propagatum ab auo originaliter deriuatur: alioquin ſequeretur & alia iniquitatis abſurditas per prorogationem odibilem ſupradictam, quod excluderentur collaterales coniunctorum, vt remotior vocaretur, cum ipſo iure gentium naturali fratres eorumque filij in ſucceſſione mutua collateralibus alijs alterius lineæ præferantur, & inde dictum ius pro regni fauore, ac odio fœmineæ inhabilitatis ad regnum exoritur tam * *iuris quam deſcendentium, ne per fœmineam maſculorum iniuriæ occaſio naſceretur, &c.*

* mulieris

Interiectis in eandem ſententiam nonnullis, queritur Eduardus latam contra ſe a paribus Francorum proceribus iniquam ſententiam, ac ſuos procuratores, obiecta mortis formidine, reiectos: tum Philippum eiuſdem iura oppreſſiſſe in Aquitania, fœdus cum Scotis Anglicæ coronæ perduellibus coniunxiſſe: coniuraſſe ſemper in exitium ſuum; ac nocendi ſtudio iuratam Chriſti cauſam deſerere exprobrat: atque ideo ad conquirenda vndique auxilia iure naturæ ſe incubuiſſe; excuſatque initam cum Ludouico Bauaro coitionem, cum id eo conſilio egerit, vt ipſo veluti ſcuto in hoſtem vteretur; bellumque in ſolo hoſtili gereret: neque ea re ab eccleſia defeciſſe, erga quam regium ſtudium, ſupremamque in terris Pontificis auctoritatem hiſce verbis profitetur.

Querelæ in Philippum.

Periurij illi obijcit

18 *Non igitur apud veſtræ viſcera miſericordiæ & ſanctitatis locum inueniat detrahentium informatio æmula, vel ſiniſtra, facta de filio, qui ſuorum hereditario iure maiorum in veſtra & Apoſtolicæ ſedis gratia & obedientia ſemper inconcuſſe perſiſtet: immo ſi quæuis de filio taliter facta ſuggeſtio pulſauerit benitudinis* * *forſitan aures, nō prius a veſtra dignatione ſancta credulitas illi detur, quam auditus ſit filius, qui tangitur, qui confidit, et indefinenter intēdit ante ſanctitatis veſtræ iudicium omni præſidens creaturæ (quod negare, hæreſim eſt probare) iuſtā dicere vel iuſtam facere quamlibet cauſam ſuam. Illud demum dicimus, ad noſtræ intentionis maioriſque deuotionis euidentiam ſubiungentes, quod ſi ſit aliquis nobis fœdere naturæ coniunctus, nobiſque ad noſtram defenſionem adiunctus, quiper viam obedientiæ Apoſtolicæ ſedis veſtræ non ambulat, ſicut debet, dare intendimus, quam non parum vtiliter dare poſſe fidimus, operam indefeſſam, vt omnium dimiſſo deuio, ad viam obedientiæ redeat, omnemque faciat ſemitam ſuam rectam.*

Initum cum Bauaro fœd⁹ excuſat.

* veſtræ

Supremā Pont. auctoritatē negare hęreſim vocat.

Vnum rurſus quod a multis audiuimus, petita venia cum reuerentia, non tacemus, quod alias inauditum fuit quanto⁹ conſideretur attentius, pungit atrocius mentem noſtram, videlicet quod aduerſarij noſtri manus, notorie nunc vt prius ad noſtri tantum laborantis exitium cum guerram faceret nemo ſibi nec ipſe alij niſi nobis de Chriſti patrimonio ſit armata, quod certe Reges Angliæ noſtros prædeceſſores illuſtres Chriſti pugiles, fidei atbletas, ſanctæ Romanæ iuris eccleſiæ amantiſſimos zelatores, eiuſque mandatorum deuotiſſimos ſeruatores, vt nos etiam, nec ſcimus nec credimus meruiſſe. Et licet propter hoc dicatur a pluribus, non a nobis, quod contra nos facta ſubuentio quod ad nos actus patris vel matris non extiterit, ſed nouercæ, nihilominus tamen conſtanter aſſerimus quod ſumus & perſeueranter erimus veſtræ ſanctitatis veſtræque ſedis deuotus & humilis filius, non priuignus, &c. Dat. apud Andouerp. XVI. die iulij anno Domini MCCCXXXIX.

Queritur ſacras decumas ad ſe ſuperſum ipſum auertī.

Corripuiſſe ſequenti anno Gallica inſignia Eduardum viſuri ſumus, eaque de re a Pontifice obiurgatum. Vt vero potentiam ſuam confirmaret magis ad inuadendas Gallias, filium cum ducis Brabantiæ filia matrimonio iungere ſtatuit: ſed Pontifex Philippo Regi canonicas leges ad filij Eduardi gratiam preceſſe non ſolutum iri, eſt pollicitus a, cum non deceat vt eccleſia eos ſuis beneficijs proſequatur, qui ipſam iniurijs, inito cum hoſte fœdere, affecerunt.

a To. 5. ep. ſecr. 411.

19 Dum occidens Eduardi Philippique Regum diſſenſionibus æſtuabat, orientis Imperator Andronicus iam ante a Ioanne XXII. Philippo Francorum & Roberto Siciliæ Regibus, ac Venetis, inuitatus ad coniunctionem, Barlaamum abbatem ac Stephanum Dandalum oratores ad ſedem Apoſtolicam miſit, qui Benedicto exponerent, Græcos ad coniunctionem eccleſiarum inclinare ijs legibus, vt in concilio œcumenico de proceſſione Spiritus ſancti orthodoxum dogma

Græcorū ad Pont. legatio.

concertationibus theologicis illuſtraretur ſtatueretur-que: & antequam cogeretur ſynodus, auxilia Græcis ad quatuor vrbes principes a Turcis in Aſia recuperandas ſubmitterentur. Confectæ ſunt de eo tractatu ſubiectæ tabulæ a, quæ ob rei dignitatem ſilentio prætiri non poſſunt.

a Ext. apud Bened. 10.5. ep. ſecr. 289.

*In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Anno a natiuitate ipſius milleſimi trecenteſimo triceſimo nono ad præſentiam ſanctiſſimi patris domini Benedicti diuina prouidentia papæ XII. apud ciuitatem Auinionenſem, vbi cum ſua curia reſidebat, Barlaam dictus abbas monaſterij domini noſtri Ieſu Chriſti ſaluatoris Conſtantinopolitani vna cum nobili viro Stephano de Dandulo milite veniens, & literas * . . dominorum Philippi Franciæ & Roberti Siciliæ Regum illuſtrium, continentes inter cætera, quod idem Barlam cum milite prædicto ex parte magnifici principis Andronici moderatoris Græcorum pro negotio reunionis Græcorum eccleſiæ Romanæ, ac ipſius catholicæ vnitati miſſus fuerat ad has partes; coram præfato domino noſtro ſummo Pontifice ipſiuſque ſacro collegio dominorum Cardinalium in effectu propoſuit quæ ſequuntur: videlicet quod in generali concilio, per eundem dominũ noſtrum ſummũ Pontificem conuocando, articulus de proceſſione Spiritus ſancti per diſputationes & concertationes ibidem concordaretur inter Latinos & Græcos: quodque ante omnia ſuper recuperatione trium vel quatuor ciuitatum magnarum, quæ per Turcos infideles in præiudicium imperij Græcorum occupatæ detineri dicuntur, per ipſum dominum ſummum Pontificem & eccleſiam, dictoſque Reges ac fideles alios præſtaretur auxilium, & aliæ non modici ponderis gratiæ a ſede Apoſtolica Græcis exhiberentur prædictis.*

*ferens Barlaam & Steph. Dandalus ea functi.

Poſcunt Græci cõcilium.

Et auxilia contra Turcas.

Et licet prædicti Barlaam & miles interrogati ab eodem domino noſtro ſummo Pontifice ipſiuſq; collegio, ſi habebãt ſuper præmiſſis vel alijs proponendis & audiendis ab illo, qui ſe dicit patriarcham Conſtantinopolitanum in illis partibus, aut moderatore prædicto, vel alijs perſonis magnatibus dictarum partium, eccleſiaſticis aut mundanis, literas vel mandatum, ne fruſtratorie aut deluſorie procederetur ſuper his; cum, ſicut ex geſtis antiquis colligitur, olim ſuper vnione prædicta ſolemnibus tractatibus habitis & negotio concordato, poſtquam Ioannes tunc patriarcha Conſtantinopolitanus & quondam Michael Palæologus moderator Græcorum ſynodano ſuo celebrato concilio per ſuos ſolemnes apocriſiarios idoneis mandatis ſuffultos fidem catholicam, quam tenet, docet, & prædicat eadem Romana eccleſia, fuerunt in generali concilio Lugdunenſi profeſſi; retro reſpicientes damnabiliter a profeſſione huiuſmodi receſſerunt, & ad vomitum redierunt, eadem eccleſia Rom. quantum in eis fuit, remanente deluſa.* Confirmantur hæc ex ijs, quæ ante a nobis dicta ſunt b, Palæologũ a Martino IV. fuiſſe percuſſum anathemate non iniuria ad Caroli Siciliæ Regis gratiam, ſed ob turpem in vetus ſchiſma lapſum. Pergunt ſuperiora documenta: *Finaliter Barlaam & miles reſponderunt prædicti, ſe nequaquam habere huiuſmodi literas vel mandatum. Tamen præfati dominus noſter & ipſius collegium reunionem affectantes prædictam, ex qua, ſi daretur a Domino, ſalus animarum multarum proculdubio reſultaret, ea quæ dicti Barlaã & miles volebant proponere ad experiendum, ſi forte fructus exinde poſſet aliquis elici, vnde via vtilis aperiri valeret negotio reunionis prædictæ, fecerunt ſibi dari quæ quibuſdam colorata rationibus ſequuntur in hunc modum.*

Expetitũ ab ijs principis patriarchæque mandatum.

Poſtulati cauſa.

b To. 14. ann. Chr. 1281. n. 26.

Quid reſponſum a Barlaamo

20 *Quoniam diuinum & adorabile mandatum factum eſt mihi a veſtra ſanctitate, vt dicam modum per quem reputo ego poſſibile eſſe orientalem eccleſiam vniri occidentali, ecce veſtro obediendo mandato, hoc Deo præcedente iam faciam. Primum autem omniũ deprecor Deum, vt ſicut ego cum omni veritate & puritate cordis loquar de iſtis, ſic & ipſe emittat ad ſanctam animã veſtram quod ſit ad gloriam quidem & laudem veſtræ magnificentiæ, deſtructionem autem impiorum, perfectionem vero & vnitatem omnium Chriſtianorum. Sanctiſſime pater. Duo ſunt modi, per quos poteſt aliquis reputare poſſibile eſſe fieri prædictam vnionem, vnus quidem, qui ſit violenter, hoc eſt ſi vim paſſi habitantes orientem nolentes recipiant veſtram communitatem. Alius vero, qui ſit voluntarie, hoc eſt ſi per doctrinalia verba eruditi & humiliati volentes vobiſcum vniantur. Horum ergo duorum modorum prior quidem omnino dimittatur, quoniam & vobis placet. Secundus autem, qui eſt voluntarius duplex eſt, alius eſt enim modus, per quem poſſibile eſt ſapientes noſtros concordari vobiſcum, & alius per quem populum communem. Sapientium quidem modus ſimplex eſt & facilis: nam ſi venerint ad veſtram ſanctiſſimam maieſtatem ex noſtris ſapientibus triginta & quadraginta, aut quotcumque ſint, bene ſcio quia concordabuntur vobiſcum ſtatim facillime. Quare? quia neque vos quæretis vt irrationalis appetitus vincat, neque illi: ſed & vos & illi quæretis vt vincat veritas. Ergo quoniam & ambo deſideratis veritatem, credendum eſt, quia & cito ipſam inuenietis, & cito concordabimini: ſed iſti, poſtquam fuiſſent concordati vobiſcum, reuerſi ad orientem non poterunt reducere populum noſtrum ad credendum, quæ fuerunt concordata vobiſcum, cum ſalua eſſent dogmata ſanctorum patrum: ſed ſurgent alij quidam aut propter inuidiam aut vanam gloriam, aut forte reputando benefacere, & docebunt totum contrarium plebi, & dicent: Viri fratres, videte ne ſeducamini neque audite eos: iſti enim, cum ſint corrupti propter munera & vanam gloriam, dicunt quæ dicunt. Nihil ergo remoueatis ex his quæ tenetis. Iſti ergo, ſanctiſſime pater, dicendo talia verba, humiliabunt plebem credere magis eis: ſapientes autem, qui vobiſcum fuerint concordati, nihil facere poterunt, ſed magis erunt in periculo a turba pereundi: vnde prædictus modus propter quidem ſapientes ſufficiens eſt, propter vero populum nequaquam.*

Eiuſdem ad Pont. & Cardd. oratio.

Qui modi ad Græcos ad Latinorum coniunctionem reuocandos fingi poſſint.

21 *Quis ergo eſt modus, qui & plebem & ſapientes ſimul adducet ad vnionem veſtram? Ego dicam: audiendo communis populus, quia ſexies factum eſt generale concilium, & quoties factum eſt, ad perfectionem eccleſiæ factum eſt, & ad correctionem errorum, qui erant in illis temporibus opinionem receperunt omnes ad animas ſuas, quia quod ſit determinatum a generali concilio rectum & ſanum eſt. Ergo ſi fiet & nunc de differentijs, quas habetis cum Græcis, generale concilium, et nos oſtendemus quæcumque a generali concilio determinata fuerint, omnes orientales libenter hæc recipient, & nemo erit, qui bis contradicat: & ſic vnanimitas ſtatim & vnio facta erit. Si autem aliquis dicet, quia iam factum eſt de iſtis generale concilium in Lugduno, in quo fuerunt & Græci; ſciat quod nemo poterit humiliare populum Græcorum, vt recipiant illud concilium ſine alio concilio. Quare? quia illi Græci, qui interfuerunt iſti concilio, non fuerunt miſſi neque a quatuor patriarchis, qui gubernant orientalem eccleſiam, neque a populo; ſed a ſolo Imperatore, qui conatus fuit facere vnionem vobiſcum ex vi, & non voluntarie.*

Cur non ſequatur vnio ex miſſis in occidentẽ Græcis.

Lugdunẽ ſe concilium ſine alio concilio ab oriẽtalibus nõ exceptum iri.

Si

Expetuntur legati pontificij in orientē mittendi.

Si ergo veſtra ſanctitas concedat, vt fiat de iſto generale concilium, ſit taliter eius initium. Mittantur a vobis ad orientalem eccleſiam legati viri religioſi & timentes Deum, & pleni ſpiritu humilitatis & patientiæ, & portent a vobis literas, habentes iſtum modum: Viri fratres, ſcitis quia communis inimicus noſter diabolus poſuit ſcandala inter nos & vos, & ſeparauit nos ad inuicem: debemus ergo & nos & vos triſtari ſuper hoc, & commune damnum reputare iſtam ſeparationem. Rogamus ergo vos, vt fratres in Chriſto, patriarcham Conſtantinopolitanum & patriarcham Alexandrinum, Antiochenumque & Ieroſolymitanum, & alios pontifices ac electos viros, vt conueniamus ſimul in aliquo loco, & quæramus communiter cum ſpirituali affectu de propoſitis, & quod nobis reuelabit Spiritus ſanctus, hoc determinabitur: & ſperamus in miſericordia Dei, quia ſcandala foris eycientur, & vnanimitas & amor dominabuntur noſtri. Si ſic, ſanctiſſime pater, manſueta verba audierint orientales, Imperatorque & patriarcha & populus maxime gaudebunt, & ſtatim incipient operari ad propoſitum, & cum veſtris nuntijs ordinabunt modum, tempus, & locum, in quo vniuerſale fiet concilium, in quo ſine omnium dubio eſt credendum, quia vnio firmiter facta erit. Poſtea quot interfuerimus iſti concilio, exibimus ad communem populum, & dicemus: Viri fratres, ſanctum & generale concilium determinauit hæc & hæc; debetis ergo recipere ea: & omnes ea ſine dubio recipient. Iſte, ſanctiſſime pater, ſolus modus eſt, ſicut videtur mihi, per quem vnio eccleſiæ fieri poteſt. Conſulo autem, id hoc magis vero deprecor.

Obiectæ conuerſionis populorū ſpes.

De recuperandis quatuor inſignibus Aſiæ vrbibus.

22 *In Turchia quatuor ſunt ciuitates magnæ & diuites, quæ hactenus fuerunt Græcorum, & propter peccata noſtra multo tempore iam traditæ fuerunt in manus impiorum: nunc vero qui tenent & cuſtodiunt illas, erant quidem Chriſtiani, ex vi autem facti ſunt Turchi. Iſti ergo, volendo iterum reuerti ad Chriſtianam fidem, notum fecerunt domino meo Imperatori, vt vadat cum exercitu ad eos, & ipſi illi tradent prædictas ciuitates: Imperator vero, non confidendo in ſola ſua gente, miſit nos ad Chriſtianiſſimum Regem Francorum, quærens propter hoc auxilium: nam ſi apprehenſæ fuerint illæ ciuitates & reuerſæ ad nos, primum quidem totam virtutem, quam habent Turchi per mare, ſtatim perdent & deficient mala, quæ patiuntur Chriſtiani per mare ab eis. Etiam regiones & ciuitates, quæ ſunt inter prædictas ciuitates & nos, omnes tradentur nobis, & erit magna ianua aperta ſancto paſſagio. Et audiens hæc Rex Francorum, miſit nos ad vos, vt diſcat quid vobis de iſto placeat. Vnde ſupplicamus vobis, ſanctiſſime pater, vt concedatur & mittatur auxilium ad partes illas aut priusquam vadant illuc prædicti veſtri legati, aut ſimul: hoc autem dico propter duas rationes.*

Turcas in de reprimendos.

Conciliādos Græcos benefactis.

Prima quidem, quod naturaliter omnes homines magis volunt ſubiugari benefacientibus eis, quam vim facientibus: nam & Iudæi, cum ſint ingratiſſimi omnium hominum, tamen quando Chriſtus nutriuit eos ex quinque panibus in deſerto, eum voluerunt eorum Regem facere: ergo et Græci, videntes ſibi iam factum veſtrum auxilium, magis erunt parati recipere verba veſtrorum legatorum, et ipſa adimplere. Etiam nos, qui deſideramus eccleſiæ vnionem, poterimus fiducialiter vnionem populū docere, et Imperator noſter, accipiens occaſionem, poterit & patriarchæ & alys pontificibus & principibus dicere: Videte quomodo Latini ſunt boni homines, & quærunt nos fructuoſis operibus & gratioſis verbis. Debemus ergo & nos ſimiliter diligere eos, et quærere modum, per quem cum ipſis concordemur.

Perdomitis Turcis de concilio œcumenico actum iri.

Secunda autem ratio eſt iſta: non poterit Imperator dare ſe ad ordinandum generale concilium, niſi prius guerra, quam habet cum Turcis, finiatur; neque enim dum guerra fit, poterit quatuor patriarchas et alios pontifices in vnum coniugare, nec concilio poterit intereſſe: & propterea oportet, vt ipſi æmuli prius ab imperio aliquantum longius expellantur, & tunc Imperator accepta tranquillitate, quantum ex ſua parte eſt, poterit perfecte adimplere. Quod vero dicunt quidam ex vobis, quia oportet prius vniri nobiſcum Græcos, & tunc ibimus contra Turcos; non mihi videtur bene dictum eſſe propter ſex argumenta. Primum quia Turci non ſolum nocent Græcis, ſed etiam Armenis & Cyprianis et Heraclÿs, qui omnes ſunt ſubditi veſtri, & omnibus habitantibus inſulas: vnde quando propter Græcos non vultis mittere auxilium contra Turcos, ad minus propter miſeros Armenos, qui ſunt iam deſolati, & propter alios Chriſtianos ſubditos veſtros debetis mittere ad partes illas veſtrum auxilium.

Argumēta cur vertenda occidentaliū arma in Turcos. Non Græcorū modo, ſed & Latinorū rem agi. Oppugnari Græcos non, vt ſchiſmaticos, ſed vt Chriſti cultores.

Secundum: quia Turci expugnant Græcos nō tanquã Græcos, nec quoniam differunt a vobis: ſed quia crucem ſunt adorantes: vnde per ſe quidem expugnant crucem, per accidens autem Græcos. Si ergo abieritis contra Turcos, non ibitis ad auxilium Græcorum, ſed crucis, quæ eſt communis ſalus omnium Chriſtianorum. Ergo iuſtum eſt ſicut Græci ſunt defenſores crucis, & vos ſimiliter ſitis.

Stante Græcorū imperio Turcos facile perdomitum iri

23 *Tertium quia nunc quidem, dum ſit ſaluum imperium Græcorum, & ſit in viribus ſuis, facillimum eſt Latinis cum Imperatore Græcorum Turcos proſternere. Quare? quia primum quidem Græca militia ſcit bene per experientiam modum guerræ Turcorum, & inſuper per totam Turchiam & Saraceniam ſunt commixti plurimi & adhuc Chriſtiani, & alÿ iam renegati, qui valde diligunt dominium Græcorum: iſti ergo cum audiuerint quia cum exercitu Imperator vadit ad eos, ſtatim vnanimiter ſubÿcientur ſibi. Si autem, quod Deus non permittat, Turcæ euerterent imperium Græcorum, tantum erunt fortiores ex natura loci & rerum, quod aut omnino impoſſibile aut difficillimum erit vobis proſternere eos. Vnde donec facile eſt proſternere eos, ne vos pigeat, nec dimittatis venire illud tempus, in quo erit vobis meditatio non quomodo ibitis ſuper eos, ſed quomodo cauebimini ab eis, & erit magnum quid vobis vlciſci ab eis.*

Victis Græcis Latinos peri clitaturos

Infideliū ſocietas admittitur aduerſus alios infideles multo magis admittenda Græcorum ſocietas.

Quartum: ſi ſoli Turchi veniſſent ad vos, dicentes: O Latini, volumus quidem eſſe ſaltem Turchi, tamen rogamus vos, vt ſimul vobiſcum expugnemus Tartaros & Saracenos, & diſperdamus eos, recepiſſetis vtique eorum ſupplicationem. Quare? quia magis eſſet vtile vobis cum Turchis expunare Tartaros & Saracenos, quam ſi ſoli expugnaſſetis omnes tres. Ex ſimili ergo vtilius eſt vobis cum Græcis tam ſi concordentur vobiſcum, quam ſi non, impios expugnare, quam ſi ſoli expugnetis Græcos & impios.

Lenienda eſſe beneficijs Græcorū odia

Quintum: ſcitote etiam hoc vere, quia non tantum differentia dogmatum ſeparat corda Græcorum a vobis, quantum odium, quod intrauit in animas eorum contra Latinos ex multis & magnis malis, quæ per diuerſa tempora paſſi ſunt Græci a Latinis, & adhuc patiuntur per ſingulos dies: quod odiū niſi primo abÿciatur ab eis, non poterit vnio fieri. Verumtamen niſi prius eis fiat a vobis magnū beneficium, neque prædictum odium abÿcietur, neque poterit aliquis audere loqui ad eos ea, quæ ſunt vnionis.

Missa ab Imp. auidovnionis ex arcano hæc legatio.

Sextum: scitote et hoc, quia nunc non communis populus Græcorum misit me, vt quæram a vobis auxilium & vnionem; sed Imperator solus secrete, qui nisi prius mittatur auxilium ad partes illas, non poterit se manifestare plebi suæ, quod vult vestram vnionem.

24 *Ecce dixi & narraui vobis omnia. Deus faciat quod melius est. Prædictum quidem modum vnionis habeo manifestum: & si possibile est vobis facere eum, sit gratia Deo: si vero non, dicam vobis alium modum, qui in dubio quidem est, tamen potest Deus facere etiam per ipsum vnionem. Quod ergo iam dixi, magnum odium intrauit in animas Græcorum contra Latinos ex multis malis, quæ passi sunt ab eis: quod odium nisi prius eyciatur, nemo poterit docere Græcos vestram vnionem. Vt ergo prædictum odium prius eyciatur, supplicamus vt adimpleatis nobis istas tres supplicationes. Primam, vt concedatis Regi Francorum mittere ad partes illas auxilium. Secundam, vt detis indulgentiam peccatorum omnibus volentibus ire ad auxilium Græcorum contra impios, & omnibus volentibus adiuuare cum rebus eorum, & omnibus morientibus in bello Turcorum. Tertiam, vt omnes Græci, qui fuerunt venditi a Latinis vbicumque sunt, liberentur & de cætero vt non vendantur Græci; & si quidam vendiderint vel emerint eos, vel vadant contra eos, sint excommunicati. Et postquam facta essent ista, mittantur a vobis ad partes illas doctores; & doceant populum, Imperatore dante eis securitatem: et forsitan illi, videntes prius vestra beneficia, verecundabuntur, & humiliabuntur recipere etiam sine generali concilio vestram vnionem. Tamen supplico sanctitati vestræ, vt si inuenietis alium modum, per quem possibile erit populum recipere vestram vnionem, ostendatis nobis ipsum: & nos, quod possibile est, parati sumus ducere ad effectum.*

Petitum vt indulgentiæ in auxilium Græcorũ ituris proponantur.

Capti a Latinis Græci liberentur.

Mittantur ad Græcos eruediendos doctores.

25 *Quibus per eosdem dominum nostrum summum Pontificem & collegium visis & diligentius intellectis, habitaque super eis deliberatione matura, breuiter responderunt, quod cum olim a sanctis patribus & viris catholicis in Ephesino partium Græciæ, quod est vnum de quatuor principalibus concilijs; nec non Toletano & Lugdunensi, & alijs diuersis concilijs per Romanos Pontifices & ecclesiam Romanam, vel auctoritate ipsorum in diuersis mundi partibus tam orientalibus quam occidentalibus celebratis solemniter, determinatum catholice fuit ac etiam definitum, quod Spiritus sanctus æternaliter a Patre & Filio tanquam ab vno principio & vna spiratione procedit; & quæuis opinio contraria reprobata extiterit & damnata, non esset decens nec expediens præfato domino nostro & ecclesiæ sanctæ Dei, cœtuique fidelium sic clarum, determinatum, & definitum articulum fidei huiusmodi, quem Græci antiquissimo tempore piæ memoriæ Hormisda Papa Romanæ & Ioanne patriarcha Constantinopolitanæ ecclesijs tunc præsidentibus, & Iustino Imperatore regnante, professi fuerunt expresse; nec non subsequenter post lapsum longi temporis super professione ipsius articuli Ioannes tunc patriarcha Constantinopolitanus, & Michael Palæologus tunc temporis moderator Græcorum, prius ab eodem patriarcha synodatico celebrato concilio, solemnem epistolam recolendæ memoriæ Ioanni Papæ XXI. miserunt; nunc per nouas disputationes vel altercationes, aut alias quomodolibet in dubium reuocare: nec prouidentia sedis Apostolicæ circumspectæ, quæ in suis actibus & processibus, maxime super his, quæ fidem orthodoxam concernunt, maturitatem obseruat & obseruare solet debitam, a rectitudinis & veritatis tramite non discedens, ea quæ per eam prouide, solemniter, & catholice determinata & definita sunt, in concertationes vel disputationes superfluas deducere, maxime ad schismaticorum & hæreticorum instigationem vel instantiam, consueuit: & si hoc fieri super articulo memorato determinato iuxta veritatem catholicam, vt præfertur, permitteret, circa illum videretur dubitare, quod absit.*

Quæ respõsa sint a Pont. & Cardd.

Habita de processione Spiritus S. plura cõcilia.

Non adducendã in disceptationẽ fidem.

Græcos Iustino & Palæologo Imperatoribus eum articulũ professos.

26 *Rursus cum prædicti Barlaam & miles, huiusmodi responsione audita, dicerent quod saltem si ad profitendum dictum articulum Græci forsan induci non possent, reunione facta permitterentur ipsi Græci quod super eodem articulo tenent credere, Latinique crederent catholice Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere secundum veritatem catholicam, sicut credunt; responsum extitit, hoc esse nullatenus tolerandum, quia in ecclesia catholica, in qua vna fides esse noscitur, quoad hoc duplicem fidem minus veraciter esset dare; dictusque dominus noster summus Pontifex cum ipsa ecclesia, huiusmodi manifesto non resistendo errori, videretur eidem, quod auertat Dominus, consentire.*

Barlaami iniqua deprecatio.

Constãter repulsa.

27 *Verumtamen ad huiusmodi & alios expellendos de cordibus Græcorum errores, ipsosque inducendos ad vnitatis catholicæ veritatem, idem dominus noster aliam viam magis facilem et accommodam, quæ sibi et dicto collegio dominorum Cardinalium occurrebat, duxit prælibatis Barlaam et militi ostendendam, videlicet, quod per illum, qui se in partibus illis patriarcham Constantinopolitanum appellat, et per moderatorem Græcorum, qui nunc est, conuocatis illis, qui se Alexandrinæ, Antiochenæ, et Ierosolymitanæ ecclesiarum antistites in eis partibus nominant, ac clero partium earundem, principalibusque nobilibus et maioribus populi in synodatico concilio conuocatis, certi assumerentur sapientes, et ad has partes occidentales mitterentur idoneis mandatis suffulti, qui cum alijs viris sapientibus, doctis in lege Domini et peritis, per sedem Apostolicam super hoc deputandis, non per modum disputationis vel concertationis, sed instructionis quoad Græcos ipsos salutifere haberent maturos et diligẽtes tractatus, vt tandem super prædicto articulo et dubijs, si quæ Græci prædicti habeant, alia circa fidem ab ipsis Græcis luce catholicæ veritatis percepta, et de cordibus eorum fugatis errorum tenebris, ad ouile reuerterentur dominicum, cuius est vnus pastor, & extra quod non est alicui gratia neque salus: nam concilij generalis conuocatio, quæ longi temporis tractum exigeret ac expensas, et labores varios et intolerabiles, quod occidentales et orientales prælatos et personas ecclesiasticas, nec non Reges, principes, et alios conuocandos ad illud secum traheret, non videtur (præsertim hoc præsenti, turbato, et impacato tempore, peccatis, prob dolor! exigentibus) expedire. Ad hoc autem, quod de præstando eisdem Græcis ante omnia subsidio, et aliquibus exhibendis gratijs, vt exprimitur superius, petebatur, fulciebatur pro parte dicti Barlaam rationibus quibusdam ab eo datis in scriptis, vt sequitur in hunc modum.*

Propositã a Pont. vnionis modus.

De celebranda a Græcis synodo.

Si ab ea viri prudẽtes mittantur instructum iri.

28 *Licentia mihi data a vestra sanctitate respondendi, fiducialiter respondebo. Dicunt quidam inconueniens esse, si posuerimus iterum in examinationem quod habemus iam sicut manifestum. Mihi autem videtur totum contrarium: si manifestum est, multo magis conuenit ipsum poni in examinationem, si aliqui dubitant de eo propter quatuor rationes, quarum prima est ista: vos confitemini nunc, quia Spiritus sanctus procedit ex*

Vrget Barlaamus congregandum œcumenicum concilium.

Fi-

Filio ſicut & ex Patre; ſed hoc a Græcis dubitatur: ſi autem verum eſt & ponetur in communem examinationem, ſicut eſt nunc vobis ſolis manifeſtum, ſic & tunc fiet Græcis manifeſtum, quod vos deberetis maxime deſiderare: quemadmodum enim natura aromatum quanto quis iſta mouet manibus, maiorem emittit odorem, ſic & natura veri quanto magis examinatur diſputatione, tanto magis pura & clara apparet; omnis enim examinatio non conſueuit facere dubia quæ primo erant manifeſta, ſed contrarium: ea enim, quæ prius erant dubia, ipſa examinatio habet a natura ad clarum ducere. Ea ergo quæ prius erant manifeſta, ipſa examinatio manifeſtiora faciet. Secunda ratio eſt; iuſtum eſt, vt vos exemplum aſſumatis a ſanctis patribus: illi enim habebant quidem manifeſtum, quia Filius Dei eiuſdem ſubſtantiæ eſt Patri; tamen quia Ariani dubitauerunt de hoc, poſuerunt hoc in examinationem, vt & illos ſaluarent: ſimiliter & in aliis conciliis orthodoxi patres habebant quidem manifeſta ea, de quibus hæretici dubitabant; tamen quoniam deſiderabant & illos iuuare, ponebant ea in communem examinationem: non enim erat in eis prohibens eos facere, & credebant vere, quia quæ habebant ipſi manifeſta, poſita in examinationem adhuc manifeſtiora fierent: & multos iuuabant. Ergo & vos, ſi ſimiliter volueritis facere, ad gloriã vobis continget.

Eius ratio cur id a Latinis expetendum.

Confirmat exẽplo.

Tertia ratio eſt iſta: ego quidem ſciens bene Latinos, nunquam audebo dicere de eis aliquid blaſphemum, prudentes enim viros & ſapientiſſimos ſcio eos: ſed alij Græci, qui non noſcunt eos ſicut ego, dicent quia pro timiditate noluerunt venire ad examinationem, timendo ne forte videantur Græci dicere veriora quam ipſi: qui enim confidit ſibi & reputat firmiter habere veritatem, non effugit examinationem; qui autem hanc effugit præſtat ſuſpicionem timiditatis: ſicut enim ſi quis cambians aurum negat experiri in lapide, cum recipiens ipſum peteret hoc fieri, ſuſpicionem dat, quia non credit purum eſſe aurum ſuum; ſic & vocatus in iudicium & examinationem pro aliqua re, & nolens accedere, ſuſpicionem dat, quia non confidit in ſeipſo, neq; reputat firmiter firmari in veritate. Attendite ergo ſi bonũ eſt talem opinionem dare aliquibus de vobis ipſis, quia ab omnibus hominibus differtis ſecundum meam opinionem ſapientia & magnificentia.

Si negetur concilium, datũ iri Græcis detrahendi occaſionem.

29 *Quarta ratio eſt iſta: Non debet aliquis timere, ne forte contingat eccleſiæ Dei ex iſto concilio aliqua defaltatio, conſiderando quia quoties factum eſt generale concilium, ſemper ad exaltationem & honorem eccleſiæ & maiorem firmitatem veritatis factum eſt. Ergo et nunc credendum eſt, quia ſi fiet de propoſitis generale concilium, exaltatio magna eccleſiæ ſequetur.*

Nullum e concilio in eccleſiã redundaturum malum.

Si aliquis autem vult dicere, quia iſtud opus indiget multis temporibus & magnis expenſis, ſciat quia pro iſto opere non tantum pecuniam & tempora pro nihilo debemus reputare, ſed & ſanguinem noſtrum libenter propter hoc effundere, ſi neceſſe fuiſſet, debemus. Quod maius opus quam vniri Græcos cum Latinis, ſub cælo poterit homo inuenire?

Tantum eſſe coniunctionis eccleſiarũ bonum, vt non modo opes, ſed corpora pro eo exponenda ſint.

Quem ergo habeo reſiduum modũ vnionis, iam dicam; tantum proteſtando, quia certiſſime quidem non poſſũ dicere ſi fiet per iſtum modum vnio; tamẽ credo, quia Deo poſſibile eſt. Poteſtis, ſi vultis mittere ad quatuor patriarchas orientalis eccleſiæ, et ad Imperatorem legatos veſtros, dicentes: Viri fratres, quoniam vos et nos confitemur in diuinis vnam ſubſtantiam et tres perſonas, etiam vnum principium, et neque vos neque nos adducimus in dubium aut identitatem perſonarum, aut diuiſionem ſubſtantiæ, ſufficiant iſta vobis, vt haberemus vnionem: de proceſſione autem Spiritus ſancti non diuidamur ab inuicem; ſed ſapientes quidem veſtri cum noſtris diſputent de iſta quæſtione ſi volunt: communiter vero non haberemus propter hoc diuiſionem, ſed tenete vos quod vultis de iſto, & nos ſimiliter: & non damnemus propter hoc alterutrum, ſed factum ſit tantum. Vos quidem date eccleſiæ Romanæ illum honorem, quem dabant & antiqui patriarchæ in tempore vnionis, quem determinauerunt etiam leges Imperatorum & canones ſanctorum patrum, & plus non petimus a vobis. Nos autem parati ſumus dare & firmare eccleſiæ orientali, & ſpecialiter eccleſiæ Conſtantinopolitanæ & imperio Conſtantinopolitano omnia iura, quæ ſunt, vel ab antiqua conſuetudine, vel determinata aut a legibus Imperatorum aut a canonibus ſanctorum patrum. Iſta verba, ſanctiſſime Pater, audientes Græci, ſi omnes recipient non poſſum dicere: tamen credo, quia plurimi recipient, & forſitan per iſtum modum Deus dabit vobis vnionem. Tamen ſupplicamus veſtræ ſanctitati non emittatis nos ſine portare aliquam gratiam a vobis domino meo Imperatori, vt optatum ſuum, quod habet, vnionis eccleſiæ, non obſcuretur, ſed potius illuminetur.

Iniquus definitare concordiæ modꝰ ſuggeſtus a Barlaamo.

30 *Supradictus dominus noſter ſummus Pontifex cum ſuo collegio prædicto reſpondendo dixit, quod eiſdem rationibus nequaquam obſtantibus, ex eo iuſta prædicta petitio non videtur, quia ſi fortificati, ditati, exaltati, & confortati per ſedem Apoſtolicam, Reges, principes, & populos catholicos ante reunionem prædictam poſtea terga & non faciem verterent Romanæ eccleſiæ memoratæ ſicut alias dum credebantur reuniri, prout expreſſum eſt ſuperius, feciſſe noſcuntur: proculdubio idem dominus noſter ſummus Pontifex, eccleſia, & fideles alij remanerent deluſi: & dici poſſet opprobrioſe non modicum, quod ſuos & fidei iuuauerant & fortificauerant inimicos & hoſtes, & participaſſent ſcandaloſe cum eis: ſed ſi per illum qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, eorundem Græcorum cordibus infuſione gratiæ ſpiritualis illuſtratis per viam tactam per eundem dominum noſtrum vel aliam accommodam & honeſtam ad obedientiam, vnitatem, & deuotionem eiuſdem Rom. eccleſiæ redire curauerint cum effectu: ipſos tunc effuſis gaudijs, ac gratijs & fauoribus largiſſime diſpenſatis, tanquam de regione diſſimilitudinis reuertentes, ipſe dominus noſter & Apoſtolica ſedes recipient, eos charitatiuis brachijs amplexando, non ſolum ſuper his quæ petunt, ſed ſuper alijs eorum opportunitatibus exhibituri tunc, quantum cum Deo & honeſtate fieri poterit, auxilia, conſilia, & fauores.*

Refellitur a Pontifice.

Promiſſa redeuntibus ad gremium eccleſiæ auxilia.

Porro poſt præmiſſa dictus Barlaam, qui ad partes Græciæ prædictas erat, vt aſſeruit, rediturus, quamuis reſponſionem huiuſmodi iuſtam & rationabilem reputaret; viam tamen, quam de mittendis pro parte Græcorum prædictorum ſapientibus tactam, vt præmittitur, difficilem ſeu impoſſibilem æſtimat, niſi Deus, cui nihil eſt impoſſibile, illam ſola ſua virtute perficere dignaretur; cauſas difficultatis huiuſmodi exprimendo per quandam ſchedulam, quam in ſcriptis tradidit ſub hac forma.

Barlaami tertius ſupplex libellus.

31 *Sanctiſſime Pater. Quamuis receperim a vobis perfectum reſponſum, adhuc ſupplico veſtræ ſanctitati, vt dignetur audire & iſta pauca verba: neceſſaria enim ſunt & mihi dicere & vobis ſcire. Quod iam veſtra ſanctitas mihi dixerat ſuper facto vnionis eccleſiæ orthodoxæ, vt veniant ex partibus illis legati, habentes literas imperiales & ſynodicas; exoro Deum vt faciat iſtud, poſſibile, quia ex ſe eſt*

valde

valde difficile multis de causis, videlicet quia Imperator non audet manifestare se, quod velit vniri vobiscum, quoniam si manifestasset se, multi ex principibus suis etiam ex populo, timentes ne forte ipse vellet facere, sicut fecit ipsis Michael Palæologus, quarerent opportunitatem interficiendi illum. Præterea ecclesia Constantinopolitana non mitteret ad hoc negotium legatos suos sine consilio & consensu patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Ieroſolymitani: quare oportet eos in simul congregare, quod est difficile propter guerras; & præter hoc incertum est, si vocati ad hoc voluissent venire: & dato, quod iam venissent, & omnes vnanimiter concordassent ad mittendum legatos super prædictis, ipsi non darent vnquam plenum posse super hoc talibus legatis, nec promitterent illud, quod factum fuisset per ipsos legatos ratum habere, nisi sub certis articulorum pactis, quæ pacta vos nullatenus admitteretis. Quapropter videtur mihi, quod tales legati aliqualiter non venirent, eo quod scirent pactorum articulos per vos nullatenus admittendos: vnde si tales legatos contingat ad vestram sanctitatem venire, habeatis quod ex Deo est, cui difficile nihil est: si autem non veniant, non imputetur Imperatori, neque suspicetur, quod eius negligentia sit in causa, cum ipse diu est ad prædictam vnionem animatus. Adiecit quoque verbotenus postmodum Barlaam supradictus, quod non obstante quod, vt præmisit, præmissa ei difficilia, vel impossibilia videantur; ipse tamen circa ea fideliter laborabit. E sic ab eodem domino nostro summo Pontifice explicante expressius, quod aliter eidem dictoque collegio posse non videbatur, nisi prout superius dixerat & tetigerat, negotium perfici supradictum, rediens vt dixit præfatus Barlaam ad partes Græciæ prædictas, discessit.

Pontificię sententiæ in exitum perducendæ difficultatem exponit.

Promittit se nauaturũ operã pro Græcis reducendis.

32 Hactenus publica documenta de Græcorum oratorum cum Pontifice gestis. Quæ vero a Benedicto Papa & senatu Cardinalium responsa sint, tum ex antea dictis, tũ ex subiectis literis ad Gallorum Regem datis constat, nimirum rogatos primum fuisse, num aliquibus mandatis ab Imperatore & patriarcha instructi essent, quibus caueretur, ne post instauratam ecclesiarum coniunctionem iterum a cœptis deficerent, vti antea Palæologo Imperatore post celebratam synodum Lugdunensem, tantaque maturitate habita plurã cõsilia, acciderat. Negante vero Barlaamo, fultum se ad id idonea auctoritate, sed vt tantum subsidiarias copias ad aliquas prouincias Asiaticas Turcarum seruitute liberandas deposceret; deinde de synodo œcumenica, in qua veteres controuersiæ dirimerentur, congreganda ageret; responsum a Benedicto est, Spiritum sanctum ex Patre Filioq; procedere, iam ante in Ephesino concilio in Græcia, Toleti in Hispania, Lugduni in Gallia definitum, idemque Græcos Iustino primum tum Palæologo Imperatoribus professos; nefasque iam in disceptationem fidei articulum adducere. Si tamen Græci post habitam suorum synodum aliquos misissent, eos a Latinis doctoribus instruendos fore, & omnem dubiorum & obiectionum caligĩnem discussum iri. Quod ad petita autem auxilia spectabat; ea demum submittenda, cum Græci ad Romanæ ecclesiæ gremium reuersi essent, ne si ijs fulti subsidijs suas res amplificarent, confirmatis inde viribus insolescentes Romanæ ecclesiæ illuderent. Quæ singula Francorum Regi, a quo Græcus Imperator flagitabat auxilia, Benedictus hisce literis exposuit a. Reperitaq; ob rei dignitatem luminatori tẽdiũ allatura putamus.

Responsi pontificij summa.

a Fo. 5. ep. sec. 290.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ illustri.

Nuper ad nostram venientes præsentiam Barlaam dictus abbas monasterij domini nostri Iesu Christi saluatoris Constantinopolitani, & dilectus filius nobilis vir Stephanus de Dandulo miles, nobis literas præsentarunt regias, inter cætera continentes, qualiter ipsi cum literis credentiæ magnifici principis moderatoris Græcorum se pridem cõspectui regio præsentantes, duo proposuerant sub credentia eis per dictum moderatorem commissa, primo quod ordinaretur tractatus super reunione Græcorum sanctæ Rom. ecclesiæ, ipsorumque reuocatione vnitati eiusdem. Secundo vero vt super recuperatione trium vel quatuor ciuitatum magnarum, quæ detineri dicuntur per Turcos infideles occupatæ in præiudicium imperij Græcorum, eis a nobis & ecclesia, teque fili chariſſime, alijsque fidelibus auxilium præstaretur: super quibus excellentia regia nos rogabat, vt partes nostras circa hæc interponere, tuæque celsitudini ad hoc auxilium offerenti rescribere, quæ ordinare super ijs nos contingeret, curaremus.

Pont. de his ad Franc. Rẽ gẽ literæ.

33 Sane regalem volumus prudentiam non latere, quod præfatis Barlaam & milite benigne receptis a nobis, & quæ super prædictis voluerunt proponere fauorabiliter & plenarie intellectis, nos & fratres nostri S. R. E. Cardinales ad memoriam reducentes, quod olim super reunione Latinorum & Græcorum inter ecclesiam Romanam & ipsos Græcos solemnibus & diutinis tractatibus habitis & finaliter concordatis, ac per patriarcham tunc Constantinopolitanum & moderatorem Græcorum synodatico per eos tunc celebrato concilio, & solemni præcedente tractatu, & suis apocrisarijs mandatis suffultis idoneis, fide catholica, prout eam tenet, prædicat, & docet eadem Romana ecclesia, specialiter & expresse in concilio generali Lugdunensi professa, totoque reunionis negotio sicut credebatur feliciter consummato; dicti Græci retro respicientes damnabiliter, a professione recesserunt huiusmodi, & ad vomitum in eorum damnationem & delusionem eiusdem Romanæ ecclesiæ redierunt; & propterea cupientes, ne nobis illuderetur præsentialiter, quantum potuimus præcauere, præfatos Barlaam & militem interrogauimus, si ab illo, qui se dicit patriarcham Constantinopolitanum, & moderatore prædicto, aut alijs personis ecclesiasticis vel mundanis magnatibus partium illarum, ne quod ageretur cum eis redderetur delusorium habebant super ijs, quæ proposuerant vel intendebant proponere, literas vel mandatum: quibus licet se, protinus respondentibus, literas vel mandatum huiusmodi non habere; quia tamen nos & fratres prædicti reunionem eandem, ex qua, si daretur a Domino, salus animarum multarum, & alia innumera commoda vniuersis Christi fidelibus prouenirent, feruentibus desiderijs affectantes; & nihilominus experiri volentes, si ex propositis vel dictis prædictorum Barlaam & militis elici fructus posset aliquis vtilis, viã aperiẽs negotio reunionis prædictæ, illa quæ proposuerant, & proponere intendebant ab eis, in scriptis fecimus nobis dari. Quæ quidem, aliquibus colorata rationibus, hæc erant breuiter in effectu; vt scilicet in generali concilio, a nobis super tractatu reunionis huiusmodi conuocando, articulus de processione Spiritus sancti, per disputationem & concertationem concordaretur inter Latinos & Græcos: sed

Quid fit Pont. Græcis respo sum.

Obiecta a Lugdun. concilio defectio.

quod

Postulata a Græcis subsidia.

quod ante omnia super recuperatione dictarum ciuitatum, per nos & ecclesiam teque, fili dilectissime, præparetur eisdem Græcis auxilium, & aliæ gratiæ non modici ponderis in fauorem & releuationem ipsorum Græcorum exhiberentur a nobis, ad quæ nos & dicti fratres deliberatione matura præuia prouidimus, vt sequitur, respondendum.

34 Primo namque, quod cum a sanctis patribus & viris catholicis olim in Ephesino partium Græciæ, quod est vnum de quatuor principalibus concilijs, nec non Toletano, Lugdunensi, & alijs diuersis concilijs per Romanos Pontifices prædecessores nostros & ecclesiam Romanam, vel auctoritate ipsorum in diuersis mundi tam orientalibus quam occidentalibus partibus solemniter celebratis, determinatum catholice fuerit, ac etiam definitum, quod Spiritus sanctus æternaliter a Patre & Filio tanquam ab vno principio & vna spiratione procedit, & quæuis opinio contraria reprobata extiterit & damnata; non esset decens, nec expediens nobis & ecclesiæ sanctæ Dei cœtuique fidelium, sic clarum determinatum & definitum fidei articulum huiusmodi, quemque Græci antiquissimo tempore, tunc piæ memoriæ Hormisda Papa Romanæ, & Ioanne patriarcha Constantinopolitanæ ecclesijs præsidentibus, ac Iustino Imperatore regnante, professi fuerunt expresse: nec non subsequenter post lapsum longi temporis, super professione ipsius articuli, Ioannes olim patriarcha Constantinopolitanus & Michael Palæologus tunc moderator Græcorum, prius ab eodem patriarcha synodatico celebrato concilio, solemnem epistolam recolendæ memoriæ Ioanni Papæ XXI. prædecessori nostro miserunt, nunc per nouas disputationes vel alias in dubium quomodolibet reuocare. Nec prouidentia sedis Apostolicæ circumspecta, quæ in suis actibus et processibus (maxime super ijs, quæ fidem orthodoxam concernunt) maturitatem obseruat & obseruare solet debitam, a rectitudinis & veritatis tramite non discedens, ea quæ per eam prouide, solemniter, & catholice determinata & definita sunt reuocare per concertationes vel disputationes vanas & superfluas in dubium (maxime ad schismaticorum & hæreticorum instigationem vel instantiam) consueuit: & si hoc fieri super articulo memorato, determinato iuxta veritatem catholicam, vt præfertur, permitteremus, circa illum videremur dubitare, quod absit.

De processione Spiritus sancti.

Vt eam Græci sint professi.

Negat Benedictus illam in disceptationem ad ducere.

35 Rursus cum prædicti Barlaam & miles, huiusmodi responsione audita, dicerent quod saltem, si ad profitendum dictum articulum Græci forsan non possent induci, demum reunione facta permitterentur ijdem Græci, quod super eodem articulo tenent credere, Latinique crederent catholice Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere secundum veritatem catholicam sicut credunt, diximus diuersitatem huiusmodi fore nullatenus in ecclesia tolerandam, quia in ipsa ecclesia, in qua vna fides esse noscitur, sic quoad hoc duplicem fidem minus veraciter esset dare; nosque cum ipsa ecclesia, huiusmodi manifesto non resistendo errori, videremur eidem, quod auertat Dominus, consentire. Veruntamen ad huiusmodi & alios expellendos de cordibus Græcorum errores, ipsosque reducendos ad vnitatis catholicæ veritatem, aliam viam magis facilem & accommodam, quæ nobis & fratribus ipsis occurrit, prælibatis Barlaam & militi duximus ostendendam, videlicet quod per illum, qui se patriarcham Constantinopolitanum in illis partibus Græciæ nominat, & moderatorem Græcorum, qui nunc est, conuocatis illis, qui se Alexandrinæ, Antiochenæ, & Ierosolymitanæ ecclesiarum antistites nominant in eisdem partibus, ac clero partium earundem, principalibusque nobilibus & maioribus populi in synodatico concilio congregatis certi assumerētur sapientes, & ad has partes occidentales mitterentur idoneis mandatis suffulti, qui cum alijs viris sapientibus, doctis in lege Domini & peritis, a nobis super hoc deputandis non per modum disputationis vel concertationis, sed instructionis, quoad Græcos ipsos salutifere haberent maturos & diligentes tractatus, vt tandem super prædicto articulo & dubijs, si qua Græci prædicti habeant alia circa fidem ab ipsis Græcis luce catholicæ veritatis percepta, & de cordibus eorum fugatis errorum tenebris, ad ouile reuerterentur dominicum, cuius est vnus pastor, & extra quod non est alicui gratia, neque salus. Nam concilij generalis conuocatio, quæ longi temporis tractum exigeret ac expensas, & labores varios & intolerabiles, quoad occidentales & orientales prælatos & personas ecclesiasticas, necnon Reges, principes, & cæteros conuocandos ad illud secum traheret; non videtur (præsertim hoc præsenti turbato & impacato tempore peccatis, proh dolor! exigentibus) expedire.

Inuitati præsules Græci ad disceptandam controuersiã.

36 Cæterum ad hoc, quod de præstando eisdem Græcis ante reunionem prædictam subsidio, & alijs exhibendis gratijs & fauoribus petebatur; diximus respondendo, quod ex eo iusta huiusmodi petitio non videtur, quia si fortificati, ditati, exaltati, & confortati per nos & alios fideles Græci prædicti ante reunionem eandem postea terga & non faciem verterent nobis & ecclesiæ memoratæ, sicut alias, dum credebantur reuniti, vt expressum est superius, fecisse noscuntur; proculdubio nos & fideles alij remaneremus delusi: & dici posset opprobriose non modicum, quod nostros & fidei iuueramus & fortificaueramus inimicos & hostes, ac scandalose participaueramus cum eis. Sed si per illum, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, cordibus eorundem Græcorum, infusione spiritualis gratiæ illustratis, per viam prædictam, quam tetigimus, vel aliam accommodam & honestam, ad obedientiam, vnitatem, & deuotionem eiusdem Romanæ ecclesiæ redire curauerint cum effectu, eos tunc, effusis gaudijs ac gratijs & fauoribus largiflue dispensatis, tanquam de regione dissimilitudinis reuertentes, recipiemus lætanter, ipsos paternæ charitatis brachijs amplexando; nō solum super his quæ petūt, sed alijs eorū opportunitatibus exhibituri tunc, quantum cum Deo & honestate fieri poterit, auxilia, consilia, & fauores.

Cur negata Græcis auxilia, ni prius redirent ad officium.

Paterna in Græcos exposita benevolentia.

Fides vnita est.

37 Demum vero præfatus Barlaam, qui ad partes Græciæ prædictas erat, vt asseruit, rediturus, quamuis responsionem nostram huiusmodi iustam & rationabilem reputaret; viam tamen, quam de mittendis pro parte Græcorum prædictorum sapientibus tetigimus, difficilem prorsus existimās (nisi Deus, cui nihil est impossibile, illam sua sola virtute perficere dignaretur) causas difficultatis huiusmodi sic expressit. Præfati namque qui se asserunt Alexandrinæ, Antiochenæ, & Ierosolymitanæ ecclesiarum patriarchas, & clerus earundem partium adeo a Constantinopoli sunt distantes, quod vix, præsertim guerrarum fremitibus in diuersis locis partium illarum ingruentibus, valerent commode congregari: & si forsan

adeſ.

adesset eis super congregatione huiusmodi facienda facultas, deesset, vt opinamur, voluntas. Præterea moderator Græcorum, quamquam optet reunionem prædictam, suum non audet propositum propalare, timens a suis principibus & populis exinde sibi mortis periculum intentari: & adiecit vlterius Barlaam memoratus, quod si omnes prædicti conuenirent in vnum, & de dictis mittendis sapientibus concordarent, plenam & sine conditionibus, per nos & ecclesiam minime admittendis, eis vt arbitratur, non concederent potestatem. Sed quamuis hæc sibi difficilia vel impossibilia, nisi a Deo solo fierent, videantur; ipse tamen circa hæc fideliter laborare promisit: & sic a nobis, expresse sibi explicantibus, quod aliter nobis & fratribus prædictis posse non videbatur negotium prædictum commode perfici, redeundo vt asseruit ad dictas partes Græciæ, cum licentia nostra discessit. *Dat. Auin. 11. von. septembris anno v.* Conceptæ eadem verborum forma literæ ad Robertum Regem transmissæ [a], cui etiam Pontifex Barlaamum Constantinopolim redeuntem, commendauit [b].

Andronicus ob suorum metũ clã reconciliationem tentauit.

[a] *Eod to. 5 ep. secr. 291.*
[b] *Ib. ep. secr. 288.*

38 Plurimam sane ad Græcos in sinum Romanæ ecclesiæ traducendos nauauit operam Barlaamus, extantque insignia ipsius opuscula, quibus eorum errores refellit, ac doctrinam orthodoxam de primatu ecclesiæ Rom. deque processione Spiritus sancti ex Patre & Filio asserit [c] varijs argumentis, quorum nonnulla delibanda visa sunt: *Deus nullam multitudinem in entibus dimittit inexpertem virtutis vnius, per quam infinitum multitudinis & indeterminatum termino & ordine formari valeat: sed semper multis superstatuit vnum commune principium, non solum longinquum & alterius generis, & multa alia non eiusdem generis comprehendens, sed etiam propinquum & cum multis eiusdem generis. Et hoc, si quis incipiendo a Deo, qui est commune omnium principium, voluerit mente transire per supercælestes & cælestes, & inferiores naturas, & cum his videre veteris testamenti facta, & quæcumque alia prouidentiæ acceptantis sunt in vniuerso opera, indubitabiliter ita se habere in omnibus inueniet, & conuenienter. Vt enim ait theologus in primo de Filio sermone, pluralitas principiorum & carentia principij initia sunt inordinationis, ex hac autem oritur solutio: solutio vero est omnino Dei alienum. Quapropter & factus propter nos homo, & duodecim eligens viros, quos sapientia decorans missurus erat ad nostri generis reconciliationẽ, his principem & caput superstatuit Petrum, primum aliorum eum constituens, per ea (quamuis communiter omnibus data) singulariter ipsi & manifestius tradita. Ligandi enim & absoluendi potestatem, atque pastorale ministerium, quæ & ante resurrectionem & post per communia & alia verba omnibus dederat, specialiter & expressius Petro dat, ipsi dare pollicens claues regni cælorum, & super eum ecclesiam suam firmissime ædificare, & eius fidem nunquam deficere, & suos ipsum fratres confirmare, & adhuc pascere totam ecclesiam ter ei præcipiens: quia enim per hæc caput ipsum aliorum Apostolorum constituebat Dominus, & hoc intendebat, multa huius argumenta esse possunt.*

[c] *Ex MS. bibl. Vat. sign. n. 4068. pag. 7. & apud Canis. antiq. lect. to. 6. pag. 13. etc*

Barlaam docet Græcos primatũ Rom. ecclesiæ agnoscendum. Argumẽtum quod debeat vnus esse ecclesiæ princeps.

Institutũ re ipsa a Christo Petrum.

39 *Primum enim si nihil differentius ab aliis per ea Petrus accipiebat, non facile inuenietur alia causa, ob quam nihil frustra faciens sapientia hæc singulariter Petro loquebatur. Deinde & euangelistæ & in euangelijs & in actis vbicumq; commemorant Petrum cum aliis, vel omnibus vel aliquibus, semper & vbique ipsum aliis præordinant: quod non vtique obseruanter facerent, nisi scirent, eum primum aliorum a Domino constitutum. Inuenio etiam Apostolos illi vt suo primati semper cedentes: in actibus enim, a iis Apostolis pariter cum eo existentibus, ipsum video semper sermonem inchoantem, alios vero sequentes. Deinde & illud considero, quod cum ea, quæ sacramenti incarnationis magis sunt necessaria, sicuti est crux, passio, mors, resurrectio, & per quatuor euangelistas plenius scribantur: ea vero quæ in tantum non sunt necessaria, ab iis omittantur, & ab alijs dicantur; illa, per quæ Petri primatus ostenditur, tanquam existentia illorum, quæ magis sunt necessaria, & a quatuor conscripta sunt: tanquam valde necessarium sit, omnes scire cui ecclesiæ principatus a Domino creditus est. At vero & diuinus Dionysius in tertio de diuinis nominibus verticalem theologorum summitatem magnum Petrum nominat, & ex tunc vniuersa ecclesia, addito ipsi diuino Paulo, summos Apostolorum Petrum & Paulum nominat, illum similiter præordinans. Quare vndique manifestum est ab ipso domino Christo ipsum accepisse aliorum principatum? & hoc valde decenter, quoniam enim oportebat eum, qui erat proprie & vere aliorum Apostolorum princeps, non semper eis corporaliter adesse, sed secundum corporalem præsentiam relinquere eos, vnum de duodecim vice sua principem aliorum præponit hominem hominum, vt facta dispensationis neque * in hoc alijs prouidentiæ operibus appretianda sunt: sed videamus reliqua.*

Collatum Petro principatum demonstratur.

* minus

*Multi nostrorum doctorum * .. pontifices quidem locum obtinere duodecim Apostolorum, presbyteros vero septuaginta. Ergo primi pontificum Apostoli sunt. His adhuc prior quidem primitus Christus, secundo vero & ab omnium primo constitutus ad habendam principandi rationem ad alios beatus Petrus. Quid igitur? oportet ne pontificale quidem ministerium non in ipsis Apostolis circumscribi, sed etiam successoribus ipsum tradi vsque ad fines seculorum, vt semper in mundo sint pontifices successores eorum; pontificatus vero primatum in ipsis oportebat finiri, vt quemadmodum in illis factus est aliquis decreto Dei primus, quem alij pro capite suo ducebant, hoc nequaquam ad reliquos transeat, vt alij aliquem vnum suum principem putent, sed omnes per omnia coæquales sint? Et ex qua differentia hoc deberet contingere, vt pontificale quidem ministerium transeat ad successores, principandi vero officium secundum pontificatum minime, cum vtraque similiter essent a Domino ostensa & similiter multitudini fidelium necessaria existant? Vel quomodo totaliter prouidentiæ opus esset, omnia sapienter administrantis, Apostolis quidem prouidere, vt habeant primatem, quos ita gratia erat perfectura, vt non indigeant in multis ducem hominem habere; post illos vero multitudines fidelium inprincipatas & inordinatas deserere ferre? Ego enim contrarium credo, ideo Petrum principem aliorum constitutum fuisse, vt secundum eandem formam semper in ecclesia ad vnum reducantur omnes principium.* Et infra.

* scribæ

Illum a successoribus necessario propagatum propagari ecclesia.

40 *Aliarum quidem ciuitatum pontifices inuenies nihil, vt plurimum, æstimantes oportere curiosius agere vltra illa, quæ ad suam diœcesim pertinebant: Romanos vero Pontifices, tanquam totius orbis prælaturam & curam habentes, vniuersalia administrare mox ordientes, ad vniuersas partes regulares epistolas mittentes, & quæ vbiq; peccabantur corrigere nitentes, & quod agendum erat omnibus statuentes, vt potest hoc scire, si quis regulares epi-*

Petri successores eum principatum exercuisse ostenditur.

ſtiolas Romanorum Pontificum *a B. Clemente vſque ad S. Silueſtrum diſcurrere voluerit, in quibus non pauca inueniet contenta etiam eorum, quæ nunc eccleſia Græcorum facit, ab illis Pontificibus inſtituta, & originem habentia: vnde quod in machina vniuerſi contingit, quod quæ longinquius a Deo diſtant, procliuiora ſunt ad peccandum, & minus determinata, & mutabiliora; quæ vero propinquiora ſunt, eadem in bono permanentiora, & ſtabiliora, & magis determinata; idem etiam in eccleſia profecto contingit: plurimæ enim & deterrimæ hæreſes in partibus magis a Romana diſtantibus ortæ ſunt, Romæ vero vel prope auctores hæreſum facti non ſunt: matre enim eccleſiarum omnibus veritatis radios emittente, profecto contingebat propinquiores magis, quam longinquiores clarius illuminari. Cum autem diuina prouidentia reſpublica ad Chriſtianos veniſſet, piorum* Imperatorum *legislatores* Conſtantinus *& poſt eum* Iuſtinianus *conſequenter ſuperiori traditioni & poſſeſſioni legibus & decretis eiuſdem eccleſiæ primatũ ſtatuunt, in parte pietatis hoc facientes, manifeſte determinantes Rom. eccleſiam oportere habere rationem ad reliquas omnes, & ipſi conuenire omniũ dominari, & omnia retractare, & quæ vbiq; de fide & dogmatibus dubitantur, ad ipſam referri, & conuenientem examinationem & definitionem conſequi; atque Sardicenſis concilij canones, omnium aliorum Pontificum ſententias iudiciales, ſi quis ad ipſam appellauerit, ipſam oportere retractare & confirmare vel irritare.*

Viguiſſe ſemper in Rom. eccleſia fidei puritatem.

Cultum a concilijs Rom. Pontificis primatum.

Similiter ſtatuũt & generalia quadam concilia, nouæ Romæ epiſcopum honorare volentia, oportere ipſum habere decernunt primatum poſt epiſcopum antiquæ Romæ: *& quod omnium maximum eſt, quod & in canonibus & legibus nullius eccleſiæ ſedes Apoſtolica nominatur, niſi tantum* Romanæ: *vnde multi magni viri de orientali eccleſia, arbitrantes ſe iniuriam eſſe paſſos, ad ſedem illam refugerunt: magnus* Athanaſius, *S. Maximus. Sed neque B. Chryſoſtomus ſuum ignorauit caput: paſſus enim maximas iniurias ad tunc ſanctiſſimum Papam omnia refert, qui quantum in ſe erat, manum auxiliatricem dare iniuriam paſſo nullo modo neglexit. Sed & Agapetus ſanctiſſimus Papa, cum aduenijſſet nouam Romam tempore Iuſtiniani Imperatoris, quoniam vidit Antinam patriarcham quandam hæreſim defendentem, illum quidem deponit de ſede, Menam vero virum orthodoxum in patriarcham creat: & cum aliquando quatuor patriarchæ cum Imperatore aduerſus venerabiles imagines impie geſſiſſent, non pauciſque annis in hac hæreſi perſeueraſſent, atque ad delendas honorabiles figuras communia quædam concilia, quæ generalia eſſe & nominari probabant, celebraſſent, & ſuis decretis B. Stephanum ſe ſubſcribere cogere voluiſſent, repudiat eos ille ſanctus non ex alio, niſi quod non habebant conſentientem Romanum Pontificem, dicens huiuſmodi ſynodum non debere generalem nominari, illo abſente, quo ſine non licet fieri generale concilium, & ſi fiat robur non habere: quamquam Epheſinum concilium nihil impediuit generale & eſſe & nominari, neque* Antiocheno patriarcha *præſente, neque* Conſtantinopolitano *aſſentiente: & Chalcedonenſe ſimiliter,* Alexandrino patriarcha non aſſentiente. *Neque igitur generale concilium, neque aliud quidquam ad vniuerſi vtilitatem vnquam celebratum eſt ſine illa ſede. Et ex illa quidem eccleſia nulla hæreſis ſuperioribus temporibus ortum habuit: nulla vero aliunde ortarũ occidit ſine illius prouidentia. Omnibus quidẽ modis, quibus iuſte aliquid poſſideatur, totius eccleſiæ illa primatum obtinuit ſedes, ſcilicet diuina ſententia, Apoſtolorum inſtitutionibus, ſynodorum canonibus, ſanctorum decretis, multitudinis aſſenſu, temporis præſcriptione, ab omnibus conſenſu, & quod omnibus ſuperioribus temporibus pie & rebus communibus vtiliter dominium exercuit, &c.*

Patriarchas Conſtantinopolitanos illi fuiſſe ſubditos.

Præfuiſſe concilijs Romanũ Pontificẽ.

41 Interiectis nonnullis, ratiocinatur Romanæ eccleſiæ primatum agnoſcendum: ac primum grauiſſima ſcandala exponit oboritura, ſi eccleſiæ omnes ab inuicem diuulſæ eſſent, vt altera alterius imperio libera foret: pullulaturas quippe hæreſes, neque vnquam eas exciſum iri. Vtilius itaque & pulchrius eſſe, vnam alijs imperare. Omnes vero dotes, quæ in eccleſia cæterarum principe deſiderari poſſint, in Romana eccleſia radiare: nam & illam ex viris pietate & doctrina conſpicuis collectam, & qui ſenatum pontificium conſpexerit, nullam aliam eccleſiam parem dignitate viſurum. Spectare etiam ad decus principis omnium eccleſiarum, vt nulli terreno Regi ſubſit, cum poſcat ratio vt anima imperet corpori, & cœleſtia præſint terrenis, tum vt contra electorum voluntatem nullus ſolio ſeſe obtrudat. Eo vero imperio & hac libertate Romanam eccleſiam potiri opertere etiam, vt illius immortalis eccleſiæ principatus nõ aliquo corruptibili fundamine, ſed incorruptibili innitatur: & Regum quidem potentiam in exercitibus, qui interdum cæduntur ferro, in arcibus quæ corruunt, locatam; at Romanam eccleſiam diuinis verbis Petro dictis, cælo & terra firmioribus, inniti. Si etiam digna illius eccleſiæ faſtigio ſpectentur opera, illam per vniuerſum orbem terrarum ſacros præcones ad euangelium gentibus inferendum mittere, cohortari ſchiſmaticos ad officium, afflictis vbiuis Chriſtianis ſubuenire, nec ſi luſtretur vniuerſus orbis, vllam reperiri eccleſiam, quæ hiſce ornamentis ſit inſignita. Hanc itaque concluſionem infert: *Quoniam ergo, mouens meas cogitationes vndique, inuenio per omnia melius eſſe, vt ſit aliqua eccleſia, ſub qua aliæ ordinatæ ſint; & has perquirens, ſolam video Romanorum, & habentem & facientem quæcumque oporteret, diuino beneplacito omnium dominaturam, & habere, & facere; non poſſum, prouidentiam eſſe credens, Romanæ eccleſiæ maieſtatem & ſublimitatem fortunæ & caſui dare, & non in maximis prouidentiæ operibus & ſolemniſſimis & hoc computare. Ex his igitur primatum illius eccleſiæ ſufficienter demonſtratum eſſe puto. Venio rurſus ad Paracleti proceſſionem.*

Sublato eo primatu, quanta mala oboritura.

Quæ ſit baſis pontificij primcipatus.

Pia auctoris concluſio ad Græcos.

42 *Quoniam multis annis poſt ſeptem generalia concilia vidit eadem eccleſia aliquos eorum, qui denuo conſueuerant in hæreſes frequentius delabi, aſſerentes Spiritum ſanctum ex ſolo Patre procedere, & minime ex Filio, & ſermonibus perſuaſibilibus ex humana mente hoc dogma affirmantes; propinquiorem vero ſibi multitudinem, & ad hæreſes ſemper tardiorem, a principio ſapientem Spiritum ſanctum a Patre Filioque procedere, quid eam, quæ ſemper conſueuerat huiuſmodi controuerſijs finem congruum imponere, & vnitatem omnibus monſtrare, oportuit facere? ſilentione rem præterire, & ordinem ſuum deſerere? Sed non erat hoc eius.* Et infra: *Quid igitur fecit? Ad ſuos doctores, quos longis ſurſum temporibus pro ſanctis habuit, recurrit beatos Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, & Gregorium: & horum ſcripta perſcrutata, videt eos tamquam ex vno ore multis locis & frequentius, Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere aſſerentes. Et neque vſque ad hoc ſtat: ſed & orientalis eccleſiæ patres perquirit, & videt horum ſimiliter plures & principaliores id ipſum ſapientes: reli-*

De controuerſia proceſſionis Spiritus ſancti.

quos

Vt in ea Rom. ecclesia consensum SS. Patrum Græcorum, & Latinorum fecuta sit.

quos vero minime obiam dicentes, præter vnum scilicet Damascenum, qui videtur contrarium dicere: quamquam non dicit ipse, quod Spiritus sanctus non est ex Filio; sed quia non dicitur ex Filio: ac si diceret, quod in diuina scriptura non inuenitur verbo dictum; quia ex Filio. At vero videtur & ipse dicere Spiritum sanctum a Patre per Filium emanare, & imaginem esse Filij Spiritum, & ad Patrem ita se habere Filium & Spiritum, quemadmodum ad solem se habent radius & illuminatio, quæ vtraque ex sole quidem sunt, sed per radium ait illuminationem nobis dari. Ex quibus videtur & ipse non penitus contrarium tenere: ipsum enim illuminationem, & ex sole per radium esse dicere, & rursus ex sole & radio, verum est. Quemadmodum & in Trinitate: quorum enim est communiter auctor Pater & Filius, hæc & vtroque modo dici verum est, & ex Patre per Filium, et ex Patre et ex Filio.

Tantorum itaque Patrum concordiam cum vidisset, et propter rei magnitudinem adhuc his non contenta, conuocat ad se vniuersos ecclesiarum prælatos ad inquisitionem communicandam. Vno itaque verbo his, qui voluerunt interesse, simul congregatis, et omnibus post factam rei congruam inquisitionem ad idem consentientibus, denique apostolica auctoritate hoc esse, quod oportet credi, declarando determinat, et contrarium dicentes in portione hæreticorum decernit. Quæ igitur erit nunc mea excusatio, si noluero quiete obedire; sed tantorum patrum et matris ecclesiarum sententiæ de re vincente vires naturalis cogitationis præposuero meam cognitionem; neque illud valens considerare, quod indignum erat penitus diuina prouidentia, non solum illam ecclesiam sublimare et caput catholicæ ecclesiæ a principio facere, quam nouit insanabiliter casuram, et infinitas multitudines secum dimissuram, sed et cum a rectis cecidit dogmatibus, adhuc magis magnificare, & omnibus bonis ditare; eam vero, quæ recte ei a principio restitit, contrarium pati permittere? Concludit demum Barlaamus, veriſſimum esse Christi oraculum, portas inferi nunquam aduersus ecclesiam prævaliturας esse; cum autem illæ aduersus Græcam prævaleant, inferendum Romanam veram esse ecclesiam: *Cogor*, inquit, *Romanam ecclesiam orthodoxam in omnibus putare, & hanc solam esse, cum sibi subiecta multitudine vnam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, in quam credere iubemur, & aduersus quam portæ inferi neque præualuerunt, neque vnquam, Deo ipsam tanquam nouam Ierusalem regente, præualebunt.* Hactenus Barlaamus, quem nonnulli Græci orarunt [a], vt sanctorum Ambrosij, & Hieronymi commentaria, vbi illi de processione Spiritus sancti loquuntur, Græcis verbis redderet: respondit que ad varias obiectiones a Demetrio Thessalonicēsi propositas.

Humanas argutias aduersus illum non valere.

Certissimum signū quo Rom. ecclesiam verā esse demonstretur.

[a] Ita cod. M.S. bibl. Vatic. & apud Canis.

43 Floruit hoc tempore in Germania egregiæ pietatis opinione Græca sanctimonialis Vngara genere, quæ Coloniæ in monasterio vndecim millium virginum & martyrum rebus diuinis vacabat: cui Pontifex ob missas sibi S. Margaritæ vnius ex illo triumphali agmine sacras reliquias gratias egit, atque ad constantiam in rerum cœlesti m tractatione est adhortatus [b]. Tum hæc non prætermittenda subiecit: *Cæteram cum, dilecta filia, nobilis vir Henricus miles, qui nobis pro parte tua reliquias præsentauit, te sibi narrasse asseruerit coram nobis, quod omnipotens Dominus meritis eiusdem virginis & martyris Margaretæ multa fecerat te sciente miracula, tuque quasdam visiones deuotas & reficientes animam videras propter ea; exhortationibus nostris adiicimus, vt nos per tuas literas particulariter & serioſe certiores de iis omnibus efficere, quanto citius commode poteris, non postponas.* Dat. Auin. III. id. iunij anno V.

Græcamonialis sanctitate illustris.

[b] To. 5. ep. secr. 207.

44 Grassabantur a eodem tempore in orientali mari nonnulli Ligures Monachienses, qui grauiora Venetis damna intulere, & eorum diripuere naues; inuasere etiam pontificias, quæ ad reprimendos Turcas ea sulcabant maria; adeo vesana cupiditas peruersos Christianos obcœcarat. Cum vero ij Roberti Regis Siciliæ clientelę addicti dicerentur, conceperant Veneti odia in Regem; sed Pontifex, factus de re tota certior, Monachienses b ac Robertum c Regem improbos grassatores animaduertere iussit; tum Venetiarum ducem docuit, vt piratæ illi, licet Guelphi videri vellent, nō Roberto tamen Regi, sed hosti illius inuasori Trinacriæ Petro Aragonio adhæresçerent ac plura damna eiusdem Roberti subditis inferrent. Denique ad colendam regiam amicitiam Venetum ducem est adhortatus d. Adhibita vero apud Venetos hæc studia a Pontifice fuerunt, ne Robertum Regem a recuperanda Trinacria distraherent: deuoluta quippe illius iura ad eum vidimus, atque adeo Petrum maiorem Regis Friderici natu filium, qui regios apices inter suos gerebat, non Regem, sed iniuriosum insulæ detentorem vocauit e. Tum missi ab eo superiori anno internuntij apostolici, qui obiecta censurarum religione Trinacrios in iusti Regis Roberti obsequium cogerent; a quibus subiecta acta iudiciaria in perduelles, & in Petrum alieni iuris occupatorem hoc anno concepta sunt. f

Ligures grassantur in orientali mari. a To. 5. ep. secr. 271.

b Ib. ep. secr. 355.

c Reg. post eand. ep.

d Super ep. 271.

e Ead. ep. 271. Iussi Trinacrij Roberto parere.

f Ext. in lib. prim. Rom. eccl. to. 1. pag. 359. & in arce S. Angeli inter collect. Plat. to. 1. pag. 490.

Gotius Dei gratia S. Romanæ ecclesiæ presbyter Cardinalis, olim patriarcha Constantinopolitanus, et Raterius eadem gratia episcopus Vasionensis Apostolicæ sedis nuncij, commissarij & executores ad infrascripta per sedem Apostolicam specialiter deputati vniuersis et singulis huius processus seriem inspecturis, ad certitudinem præsentium et memoriam futurorum.

Dudum de mense septembris proxime præteriti nos Gotius & Raterius commissarij & executores præfati contra dominum Petrum primogenitum quondam domini Frederici olim Regis Trinacriæ, & alios natos & heredes ipsius domini Frederici iuxta formam literarum apostolicarum, nobis per sanctissimum patrem & dominum nostrum dominum Benedictum Papam XII. directarum, executionem debitam facientes, ad ciuitatem Regij vicinam insulæ Siciliæ & ciuitati Messanensi per tres leucas personaliter nos contulimus. Vbi die vigesima quinta dicti mensis assumpsimus religiosos viros fratres Thomam de Rosis, Petrum de Geratio, Angelum de Meuania, & Amicum de Tarano ordinis fratrum Minorum beati Francisci, pro nuncijs nostris in prædictam insulam dirigendis: quos iurare fecimus, tactis scripturis sacris corporaliter ab eisdem, quod literas apostolicas & nostras, quæ domino Petro præfato, & communitatibus Messanensi, Panormitanæ, & alijs communitatibus dictæ insulæ dirigebantur, fideliter præsentarent, & de responsionibus eis factis relationem nobis facerent plenariam & fidelem.

Internuntiorum pontificiorū in eos acta.

Minoritæ ab his delegati.

45 Qui quidem fratres euntes in quadam barca ad insulam præfatam, & ciuitatem Messanensem intrare volentes, fuerunt prohibiti, ne intrarent. Veruntamen ducti fuerunt per gentes de dicta insula ad comitem Matthæum de Palicio, di-

Prohibiti aditu.

dictam ciuitatem Messanensem pro dicto domino Petro regentem, & exponentes dicto domino Matthæo negotium, pro quo illuc erant transmissi, idem dominus Matthæus non permisit ciuitatem præfatam intrare, nec prædictas literas alicui præsentare; asserens, quod nedum ipsos, sed Papam illuc intrare non permitteret, nec nos etiam si iremus: & eosdem fratres per totam diem illam ieiunos, absque cibi & potus receptione ad nos compulit retroire, prout hæc & alia in ipsorum relatione nobis data in scriptis continebantur seriosius, sigillis eorundem cuiuslibet sigillata. Ex quibus verisimiliter videbatur, quod per nos ad dictam insulam non poterat securus accessus haberi: quinimmo videbatur, eundem dominum Petrum facere manifeste, ne nobis commissa per sedem Apostolicam possent ad eius notitiam peruenire.

Quapropter vt idem dominus Petrus non posset de sua malitia gloriari, cum excessus, contumaciæ, atque culpæ, aduersus Romanam ecclesiam & dominum nostrum Papam commissi, per publicam euidentiam eorundem essent & sint notorij, & nullius ope examinationis indigerent; sed solum executionem pœnarum, quibus quondam dominus Fredericus, & dominus Petrus præfati, & alij nati eius propterea essent, & sunt affecti, exposcere noscebantur; die tertia mensis octobris proxime præteriti declarauimus auctoritate apostolica prædicta, dictum Petrum & alios natos præfatos, exigentibus culpis & demeritis dicti quondam domini Frederici, quibus ipsi dominus Petrus & alij nati eiusdem quondam domini Frederici etiam sunt affecti, a iure tenutæ, omnique commodo & emolumento ipsius tenutæ insulæ Siciliæ, & aliarum insularum sibi adiacentium totaliter cecidisse: dictamque insulam Siciliæ, & alias insulas sibi adiacentes ad dictam Romanam ecclesiam fore reuersas; & per consequens alteri parti terræ, scilicet citra pharum redintegratas & consolidatas consistere ipso iure, & ad dominum Robertum Regem Siciliæ tanquam verum & directum feudatarium Romanæ ecclesiæ pertinere.

Petrus nil iuris in Trinacria habere pronuntiatus.

46 Monuimus etiam per publicæ nostræ requisitionis & monitionis edictum dominum Petrum præfatum & alios natos & heredes dicti quondam domini Frederici, qui de facto post dicti quondam domini Frederici obitum incubuerunt detentioni dictæ insulæ, & aliarum insularum sibi adiacentium & incumbunt, eisdem districtius sub excommunicationis pœna mandantes, quod prædictam Siciliæ & alias adiacentes insulas, cum omnibus iuribus & pertinentijs earundem, præfato domino Roberto Regi Siciliæ, tanquam directo & vero feudatario dictæ ecclesiæ & dicti domini nostri Papæ, ac alij vel alijs nuncijs ipsius, quos ipse dominus Robertus Rex ad id duceret deputandos, infra duorum mensium terminum domino Petro & alijs natis & heredibus antedictis ad hoc peremptorie assignatum, plene & integre restituerent, & ea omnino dimitterent, vel dimitti facerent; renocatis penitus & exclusis omnibus, per quos dictas insulas ac ciuitates, castra, fortilitia, & alia bona ipsarum facerent detineri, ipsa vacua, libera, & ab omni impedimento penitus expedita, prædictis nuncijs eiusdem domini Roberti Regis toraliter dimittentes, nunquam vlterius dictam insulam Siciliæ & alias insulas sibi adiacentes, per se vel alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, occupaturi vel ad eas præter voluntatem dictæ Romanæ ecclesiæ reuersuri; sic quod idem dominus Robertus Rex, eiusdem insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adiacentium, ac ciuitatum, castrorum, fortiliciorum, & aliorum bonorum ipsarum, posset libera, pacifica, & plena possessione gaudere.

Promulgatus Robertus illius princeps.

Moniti Trinacrij de excipiend. eius imperijs.

47 Omnes quoque, qui dicto domino Petro aut fratribus suis, vel alicui eorundem ratione dictæ insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adiacentium, iuramento tenebantur fidelitatis astricti, auctoritate prædicta absoluimus ab huiusmodi iuramento; eisdem firmiter inhibentes, ne quisquam eorum deinceps domino Petro, & eius nato, ac fratribus supradictis ratione iuris cuiuslibet dictæ insulæ & aliarum insularum sibi adiacentium pareret, vel intenderet, cum nullum ius eis competeret in eisdem. Quod si præfati dominus Petrus & alij fratres eius admonitionem, requisitionem, & inductionem nostram huiusmodi infra prædictum duorum mensium terminum per nos eisdem, vt præmittitur, peremptorie assignatum, præfatas Siciliæ & alias insulas adiacentes eidem insulæ, ac ciuitates, castra, & fortilitia ipsarum cum omnibus iuribus & pertinentijs suis plene & integre non restituerent domino Roberto Regi præfato, seu nũcio vel nuncijs eius; ipsaque vacua, libera, & penitus expedita non dimitterent, aut dimitti facerent, renocatis omnino, & exclusis cunctis, per quos detinentur prædicta; præfatos dominum Petrum, & fratres eius, & omnes consiliarios, fautores, auxiliatores, & valitores eorum, cuiuscunque dignitatis, etiamsi pontificali vel regali vel qualibet alia dignitate fulgerent, & alias singulares personas dictæ insulæ, qui vel quæ facto, verbo, consensu, auxilio, consilio, vel fauore quocunque essent culpabiles in prædictis, elapso dicto termino, per nos eisdem peremptorie assignato, excommunicationis sententia feriremus; a qua nullus, præterquam in mortis articulo, ab alio quam a Romano Pontifice, vel a nobis, seu nostrum altero, posset absolutionis beneficium obtinere: & si aliquis de prædictis in mortis articulo a sententia esset absolutus præfata, nisi postquam ad conualescentiã peruenirent, quamprimum commode posset, de ijs, pro quibus excommunicationem incurrisset, satisfaceret, in sententiam eandem recideret ipso facto.

De restituendo regno.

48 Verum si præfati dominus Petrus & fratres eius post decursum dictum terminum duorum mensium, eis per nos peremptorie assignatum, infra alium terminum competentem, quem assignaremus eisdem, in contumacia supradicta persisterent; cum crescente contumacia, pœna etiã augmentari deberet, contra eos, et quoscunque alios in dicta contumacia adhærentes, seu præstantes eisdem auxilium, consilium, vel fauorem, cuiuscunque status, ordinis, conditionis, vel dignitatis existerent, etiamsi pontificali vel quacunque alia dignitate fulgerent, ad pœnas alias spirituales & temporales, etiam priuationis dignitatum ecclesiasticarum & secularium, & feudorum, & beneficiorum, quæ in dictis insulis obtinerent, & inhabilitationis personarum, & alias grauius auctoritate apostolica, qua idem dominus Papa nos fungi voluit in hac parte, sicut nobis visum esset expediens, procederemus; non obstãtibus quibuscunq; priuilegijs, indulgentijs seu literis, quibusuis vniuersitatibus vel singularibus personis ecclesiasticis vel secularibus, cuiuscunq; status, conditionis, vel dignitatis essent, etiamsi

Obiectæ aduersantibus pœnæ.

Nullum dignitatis discrimen habitum.

pontificali vel regali vel qualibet alia dignitate fulgerent, seu literis, vel ordinibus, generaliter vel specialiter ab eadem sede concessis, de quibus, quorumque totis tenoribus, aut de ipsorum locorum, ordinum, & personarum nominibus proprijs, in literis apostolicis habenda esset mentio specialis, per quæ nullum in hac parte idem dominus Papa voluit afferri suffragium: sed illa, quatenus commissioni vel executioni præsentium præstare possent obstaculum, auctoritate apostolica reuocauit, & decreuit nullius fore penitus firmitatis.

49 Insuper eisdem domino Petro & fratribus suis, consiliarijs, fautoribus, auxiliatoribus, & valitoribus eorum, ac adhærentibus eisdem in dicta contumacia, cuiuscunque status, ordinis, conditionis, vel dignitatis, etiamsi pontificali, vel regali, seu quacunque alia dignitate fulgerẽt, primam diem iuridicam post dictum duorum mensium terminum per nos peremptorie superius assignatum cum continuatione sequentium; & alteri cuicunque, qui sua interesse putaret, duximus peremptorie assignandum, vt coram nobis in ciuitate Terracinæ de prouincia maritima, quæ de iurisdictione spirituali & temporali Romanæ ecclesiæ existit notorie, & ad quam per terram, & per mare poterat securus accessus haberi, legitime & peremptorie comparerent ad videndum & audiendum nostras alias requisitiones, inductiones, edicta, mandata, excommunicationum sententias, & alia, quæ circa prædicta & prædictorum quodlibet, coniunctim vel diuisim, dicto elapso termino faceremus, ac etiam ferremus.

Petri sequaces postulati iudicio,

Itidem Petrus ac frater princeps.

50 Postmodum die quarta mensis decembris proxime præteriti, domino Petro & fratri suo, ac consiliarijs, fautoribus, auxiliatoribus, & valitoribus eorum prædictis pro termino peremptorio vt præmittitur assignata, quæ fuit prima dies iuridica post assignatum duorum mensium terminum antedictum, eisdem domino Petro & fratribus peremptorie assignatum, nos commissarij & executores præfati in ciuitate Terracinæ præfata personaliter existentes, licet dies statuta interpellaret pro homine; ex abundanti tamen dominum Petrum & fratrem suum, ac consiliarios prædictos, quibus dicta prima dies iuridica fuerat assignata, fecimus in eodem loco publice proclamari: quos per se, aut per procuratores, vel defensores legitimos ipsorum coram nobis minime comparentes, licet vsque ad horam congruam expectatos, reputauimus exigente iustitia contumaces. Et quamquam contra ipsos, tanquam contumaces procedere potuissemus ad actum per nos assignatum, ad diem eandem; de æquitate tamen ad diem quintam proxime subsequentem duximus expectandos. Qua die quinta, cum dicti dominus Petrus & germanus ipsius, ac consiliarij & cæteri supradicti, quamuis publice proclamati & vsque ad horam debitam expectati, comparere coram nobis in loco præfato per se, aut per procuratores, vel defensores ipsorum legitimos non curarent; volentes, iuxta Apostolum, vlcisci inobedientiam eorundem, excommunicauimus in scriptis dominum Petrum detentorem præfatum, & cõsiliarios, fautores, auxiliatores, et valitores eiusdem, & germani sui præfati; nec non & quoscunq; alios eisdem domino Petro & germano eiusdem in dicta cõtumacia adhærentes, seu prestantes eisdem consilium, auxilium, vel fauorem, cuiuscunq; conditionis vel dignitatis existerent, etiãsi pontificali, vel regali, aut quauis alia dignitate fulgerent, qui facto, verbo, consensu, auxilio, consilio, vel fauore quocunque essent culpabiles in prædictis.

Damnati contumaciæ.

51 Monuimus insuper, & requisiuimus per nostrum edictum propositum per nos, præsente fidelium multitudine copiosa, donnum Ioannem germanum dicti domini Petri, Ioannem de Claromonte, qui se intitulat comitem Moach, Damianum de Palicio, qui se intitulat cancellarium regni Siciliæ, Matthæum de Palicio, qui se intitulat comitem de Nucaria, Blasium de Aragona, & Raimundum de Peralta, tanquam notorios fautores, auxiliatores, consiliarios, & valitores dicti domini Petri detentoris: qui nedum eidem in prædictis excessibus dabant, sicut adhuc dant, auxilium, consilium, & fauorem; quinimmo in crimine detentionis & occupationis insulæ Siciliæ & aliarum insularum adiacentium eidem prædictarum participabant & fauebant, sicut adhuc participant & fauent notorie cum eodem; mandantes sub pœna excommunicationis eisdem omnibus & singulis, vt infra triginta dierum subsequentium spatium, quod pro peremptorio termino assignauimus ipsis, & cuilibet eorundem, a fautoria, valitudine, participio, consilio, auxilio, & fauore huiusmodi desisterent penitus, & cessarent. Alioquin prima die iuridica post dictum triginta dierum terminum in loco prædicto in omnes & singulos prædictos, dicto elapso termino, excommunicationis sententiam ferremus, & alias procederemus contra eosdem ad pœnas alias spirituales & temporales iuxta nobis traditam seu concessam in literis apostolicis potestatem.

Monitio ficij p ceres.

Indicta dies iud cij.

52 Subsequenter die martis quinta mensis ianuarij proxime præteriti, quæ fuit prima dies iuridica, post elapsum triginta dierum terminum supradictum, nos commissarij & executores antedicti, existentes in ciuitate Terracinæ præfata, cum præfati donnus Ioannes & alij nominatim moniti cum eodem, mandatis nostris, immo verius apostolicis prædictis sibi factis non parerent infra terminum supradictum; nec ipsi in die quinta præfata per nos, vt præmittitur, comminata, ad ferendum excommunicationis sententiam in ipsos & quemlibet eorundem, licet expectati vsque ad horam debitam, per se, aut per procuratores, vel excusatores aliquos ipsorum coram nobis in loco prædicto comparere curarent, ideo ipsos propter prædicta reputauimus merito contumaces. Et quanquam ipsa die potuissemus ferre excommunicationis sententiam in eosdem; tamen eiusdem diei terminum ad diem sabbati, nonam videlicet dicti mensis ianuarij, ad actum eundem duximus prorogandum. Et quia die nona præfata moniti antedicti per se, aut per procuratores, vel excusatores eorum coram nobis in eodem loco comparere nullatenus curauerunt; quin etiam ipsi mandata nostra, immo verius apostolica supradicta contemnentes, & in sua obstinata malitia persistentes, dicto domino Petro detentori in crimine detentionis & occupationis insularum prædictarum notorie participabant & fauebant, sicut adhuc participant & fauent; sibique adhærebant, sicut adhuc adhærent in contumacia supradicta; ac præstabant, sicut adhuc præstant eidem in his consilium, auxilium, & fauorem (quæ quidem vltra pharum & citra in regno Siciliæ adeo sunt notoria, quod nulla possunt tergiuersatione celari) ne ipsorũ malitia impunita transiret, excommunicationis sententia innodauimus in scri-

Iterum extracta.

Spretæ ijs lege

Contorti in eos a thema.

scriptis donnum Ioannem tanquam contumacem in restitutione & dimissione prædictis, & ex causis alijs supradictis, Ioannem de Claromonte, Damianum, & Matthæum, ac Blascum & Raimundum præfatos tanquam notorios fautores, auxiliatores, & valitores dicti domini Petri detentoris, sibique in prædicta contumacia adhærentes; quinimmo eidem in crimine detentionis & occupationis insularum prædictarum notorios participes & auctores, nec non & præstantes eidem in illis auxilium, consilium, & fauorem notorie, vt præfertur, & alias singulares personas, qui vel quæ facto, verbo, consensu, auxilio, consilio, vel fauore quocunque, dicto duorum mensium elapso termino, per nos peremptorie assignato eisdem, fuerunt culpabiles in prædictis.

53 Et quia propter delictum domini temporalis, terræ, quæ per ipsum detinentur, supponi possunt ecclesiastico interdicto; notoriumque existeret, sicut adhuc existit, dictum dominum Petrum dictæ insulæ Siciliæ, & aliarum insularum sibi adiacentium, esse illicitum detentorem & occupatorem; idcirco prædictam Siciliæ insulam & alias insulas sibi adiacentes, ciuitates, castra, & loca alia vniuersa insularum earundem, & quelibet alia loca dicti domini Petri vbique consistentia in scriptis ecclesiastico suppositimus interdicto.

Moniti præsules ne ijs faueant.

Insuper, cum excõmunicatus per denunciationem ipsius non amplius ligaretur, monuimus & requisiuimus per edictum publicum vniuersos & singulos reuerendos patres dominos patriarchas, archiepiscopos, & episcopos, & venerabiles viros abbates, præpositos, priores, archipresbyteros, plebanos, & alios ecclesiarum rectores, ad quos processus tunc factus peruenirent, eisdem sub excommunicationis pœna mandantes, vt ipsi & quilibet eorundem, qui super hoc essent requisiti, per se vel alium seu alios dominum Petrum detentorem præfatum, & donnum Ioannem germanum ipsius, Ioannem de Claromonte, Damianum, Matthæum, Blascum, & Raimundum præfatos; nec non & quoscunque consiliarios, fautores, auxiliatores, & valitores eiusdem domini Petri & germani sui prædicti, ac eidem domino Petro & fratri suo præfato in dicta contumacia adhærentes, seu præstantes eisdem in prædictis consilium, auxilium, vel fauorem, cuiusque dignitatis existerent, etiamsi pontificali, vel regali, aut quacunque alia dignitate fulgerent, & singulares personas dictæ insulæ, qui vel quæ facto, verbo, consensu, auxilio, consilio, vel fauore quocunque essent culpabiles in prædictis; in eorum ecclesijs singulis diebus dominicis & festiuis, dum missarum solemnia celebrarentur, coram fideli populo, pulsatis campanis & candelis accensis & demum extinctis, sic excommunicatos, vt præfertur, publice nunciarent, vel facerent nunciari. Monuimus quoque vniuersos & singulos Christi fideles, ad quos idem processus perueniret, quod ipsi abstinerent a participatione omnium prædictorum, eisque commisimus, vt si ad hoc requisiti forent, monerent nominatim subditos suos, quod ipsi etiam abstinerent a participatione omnium prædictorum. Alioquin prima die iuridica post quintamdecimam diem mensis februarij tunc futuri, nunc vero præteriti, procederemus ad pœnas & sententias debitas contra eos.

Intentatũ anathema

Repetita ad populos monita.

54 Adhæc per nostræ publicæ requisitionis, monitionis, & inductionis edictum requisiuimus, monuimus, & induximus dominum Petrum & donnum Ioannem germanos, Ioannem de Claromonte, Damianum & Matthæum, Blascum & Raimundum præfatos; nec non Agrigentinensem, Syracusanum, & Cephaludensem episcopos, ac alios omnes & singulos abbates, & quoscunque alios, dignitates, personatus, seu officia, aut quæcunque alia beneficia ecclesiastica obtinentes in dictis insulis, & alibi vbicunque; ac omnes & singulas vniuersitates terrarum & locorum insularum earundem, ipsisque & cuilibet eorundem mandauimus auctoritate prædicta, vt infra xv. diem dicti mensis februarij tunc futuri nunc vero præteriti (quem terminum omnibus & singulis supradictis pro peremptorio termino duximus assignandum) ipsi dominus Petrus & donnus Ioannes præfatam Siciliæ insulam, & alias insulas sibi adiacentes cum omnibus iuribus & pertinentijs earundem, præfato domino Roberto Regi Siciliæ, tanquam directo, & vero feudatario dicti domini Papæ & eiusdem ecclesiæ, ac alij vel alijs eius nuncijs, quos idem dominus Rex ad id duceret deputandos infra terminum supradictum, quem eisdem domino Petro & donno Ioanni ad hoc duximus præfigendum plene, & integre restituerent, et ea omnino dimitterent, vel dimitti facerent, renocatis omnino & exclusis omnibus, per quos dictas insulas ac ciuitates, castra, fortilitia, et alia bona ipsarum faciunt detineri, ipsa vacua, libera, et ab omni impedimento penitus expedita, prædictis nuncijs domini Roberti Regis præfati totaliter dimittentes, nunquam vlterius dictam insulam Siciliæ & alias sibi adiacentes per se vel alios, directe vel indirecte, publice vel occulte occupaturi, vel ad eam præter voluntatem dictæ Romanæ ecclesiæ reuersuri; sic quod idem dominus Robertus Rex eiusdem insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adiacentium, ac ciuitatum, castrorum, fortilitiorum, & aliorum bonorum ipsarum posset libera, pacifica, & plena possessione gaudere; dictique Ioannes de Claromonte, Damianus, & Matthæus, ac Blascus & Raimundus, nec non & Agrigentinenses, Syracusanus & Cephaluden. episcopi, & alij omnes & singuli episcopi, abbates, & quicunque alij dignitates, personatus, aut officia, vel quæcunque alia beneficia ecclesiastica obtinentes in insulis prædictis & alibi vbicunque, & vniuersitates, terrarum & locorum insularum earundem, a prædictis auctoria, valitudine, fautoria, participio, adhærentia, præstatione, consilio, auxilio & fauore prædictis domini Petri detentoris præfati desisterent, & omnino cessarent. Alioquin, cum crescente contumacia, crescere deberet & pœna, contra ipsos superius nominatos & singulos eorundem, ac contra quoscunque alios in dicta contumacia adhærentes seu fauentes, vel præstantes auxilium, consilium, vel fauorem, cuiuscunque status, ordinis, conditionis, vel dignitatis existerent, etiamsi pontificali, vel regali, aut quacunque alia dignitate fulgerent, coniunctim vel diuisim, prima die iuridica, post dictam diem quintamdecimam dicti mensis februarij subsequenti, in ciuitate Beneuentana, domino Papæ & Romanæ ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus immediate subiecta, ad pœnas alias spirituales & temporales iuxta potestatem apostolicam procederemus nobis traditam sæpedictam; non obstantibus quibuscunque priuilegijs, indulgentijs, & literis quibusuis vniuersitatibus & singularibus personis, &c. prout in literis apostolicis, & superius exprimuntur.

Dicta Petro dies de restituendo regno.

Repetita eius sequacibus eadem imperia.

Obiectæ pœnæ.

55 Post quæ nos ijdem commissarij & execu-

Designata Roma ad exercẽdum iudicium,

tores conſiderantes, quod Roma omnium communis eſt patria, ad quam etiam acceſſus poteſt ſecurus haberi per requiſitos & monitos antedictos; in domibus monaſterij S. Seuerini Neapoli exiſtentes, & pro tribunalibus ſedentes die iouis xi. menſis februarij proxime præteriti, terminum per nos ſuperius comminatum ad procedendum ad pœnas alias ſpirituales & temporales in ciuitate Beneuentana ad primam diem iuridicam poſt quintamdecimam diem dicti menſis februarij, peremptorie per nos etiam aſſignatam domino Petro et donno Ioanni germanis præfatis ad reſtituendum et dimittendum domino Roberto Regi præfato inſulas ſupradictas, et Ioanni de Claromonte, Damiano et Matthæo, Blaſco, et Raimundo, nec non Agrigentinenſi Syracuſano et Cephaludenſi epiſcopis, et alijs monitis cum eiſdem ad ceſſandum, abſtinendum, et deſiſtendum ab fautoria, valitudine, et alijs ſupradictis ad primam diem iuridicam poſt octauam reſurrectionis dominicæ proxime præteritam, tunc futuram, ad procedendum ad eaſdem pœnas ſpirituales & temporales cõtra omnes & ſingulos ſupradictos in vrbe & baſilica beati Petri continuandũ duximus & etiam prorogandum. Et eiuſdem termini prorogationem & continuationem ſimilem, ad diem & locum præfatos nos Raterius commiſſarius & executor præfatus vice & nomine dicti domini Cardinalis commiſſarij & coexecutoris & noſtri, ſe ex cauſa legitima excuſantis, ac committentis nobis vices ſuas in hac parte, & nomine & vice noſtris, in ciuitate Beneuentana præfata perſonaliter exiſtentes, & pro tribunali ſedentes die martis ſextadecima menſis februarij proxime præteriti, quæ fuit prima dies iuridica poſt dictam quintamdecimam diem dicti menſis ſuperius comminata, fecimus iterato, præſente populi multitudine copioſa. Quas quidem termini prorogationes & continuationes eiſdem intimauimus per publicæ noſtræ intimationis edictum, & ad eandem diem primam iuridicam per publicum citationis edictum citauimus dominum Petrum & donnum Ioannem germanos, Ioannem, Damianum, Matthæum, Blaſcum, Raimundum, & Agrigentinenſẽ Syracuſanũ & Cephaludenſem epiſcopos, & alios ſuperius monitos cum eiſdem, ad comparendum coram nobis in vrbe & baſilica ſupradictis, & ad dicendum cauſam rationabilem, ſi quam haberent; videlicet dicti dominus Petrus & donnus Ioannes, Ioannes de Claromonte, Damianus, Matthæus, Blaſcus, & Raimundus, quare non debeat grauius procedi contra eos ad pœnas alias ſpirituales & temporales prædictas: dicti vero Agrigẽtinenſis, Syracuſanus & Cephaludenſis epiſcopi & alij ſupradicti, quare non deberent excommunicationis ſententia innodari.

Prorogata illius dies.

Petrus & ſocij iterũ in ius vocati.

56 Inſuper per noſtræ publicæ requiſitionis, monitionis, & inductionis edictum, fidelium multitudine copioſa præſente propoſitum, requiſiuimus, monuimus, & induximus officiales, conſiliarios, auxiliatores, & valitores dicti domini Petri detentoris; videlicet comitem Manfridum de Claromonte magnum ſeneſcalchum & vice admiratũ, dominum Matthæum de Sclafano, Aloyſium de Inciſa, et comitem Rubeum magiſtros rationales, et alios infraſcriptos expreſſe nominatos cum eis, qui in crimine detentionis & occupationis inſularum prædictarum eidem domino Petro detentori participabant & fauebant, ſicut adhuc participant & fauent notorie; ſibique in prædicta contumacia adhærebant & præſtabant, ſicut adhuc adhærent & præſtant eidem in his auxilium, conſilium, & fauorem: ipſiſque omnibus & ſingulis ſub excommunicationis pœna mandauimus, vt ipſi & quilibet ipſorum infra octauam reſurrectionis dominicæ tunc futuram, nunc vero præteritam, quem terminum eiſdem omnibus & ſingulis pro peremptorio termino aſſignauimus, a participatione & fautoria dicti D. Petri detentoris in dicto crimine detentionis & occupationis, & ab ipſius adhærentia in contumacia ſupradicta, & a præſtatione auxilij, conſilij, & fauoris eiuſdẽ in prædictis abſtinerent penitus, ac ceſſarent. Alioquin dicta prima die iuridica poſt octauam prædictam, in vrbe & baſilica prædictis contra dominum Petrum & donnum Ioannem germanos, Ioannem de Claromonte, Damianum, Matthæum, Blaſcum, & Raimundum præfatos ad pœnas alias ſpirituales & temporales prædictas procederemus: dictos vero Agrigentinenſẽ Syracuſanum & Cephaludenſẽ epiſcopos, ac omnes & ſingulos infraſcriptos requiſitos & monitos nominatim excommunicationis ſententia percelleremus, ipſorum abſentia ſeu contumacia non obſtante, eiſdem monitis & requiſitis ad comparendum coram nobis in vrbe & baſilica antedictis & ad videndum & audiendum per nos ferri dictam excommunicationis ſententiam in eoſdem, dictam primam diem iuridicam poſt octauam prædictam pro peremptorio termino aſſignantes.

Propoſitis pœnis.

57 Nos itaque commiſſarij & executores præfati, die quinta menſis aprilis, quæ fuit prima dies iuridica poſt octauam prædictam, domino Petro & donno Ioanni germanis, ac alias citatis & monitis prædictis peremptorie prorogata & aſſignata, exiſtentes in vrbe & baſilica ſupradictis, ipſos dominum Petrum & donnum Ioannem, ac alios monitos, citatos, & requiſitos præfatos per ſe, aut per procuratores, vel excuſatores ipſorum, coram nobis minime comparentes, licet vſque ad horam debitam expectatos, reputauimus, exigente iuſtitia, contumaces: ipſos tamen ad diem ſequentem, de benignitate duximus expectandos.

Et quia dicta die ſequenti per ſe, vel per procuratores, aut excuſatores ipſorum coram nobis comparere nullatenus curauerunt; quinimmo eorundem domini Petri & domni Ioannis germanorum, et Ioannis de Claromonte, Damiani, Matthæi, Blaſci, et Raimundi corda inſipientia, non abſq; graui et notabili cõtemptu clauiũ, ſic reperimus indurata, vt ipſi more Pharaonis in eorũ pertinacia obcæcati, deſcendentes in malorũ profundũ, monitionibus noſtris non pareant, cõminationes, et mãdata noſtra, immo verius apoſtolica cõtemnant, ac apoſtolicas, noſtraſque ſententias paruipendant; conſiderantes etiam, quod dominus Petrus præfatus propter acceſſum dudum notorie factum per eum cũ non modico ſtolio galearũ ad Ludouicum de Bauaria tunc in Vrbe morantem, propter proceſſus felicis recordationis domini Ioannis Papæ xxii. pluribus et diuerſis excommunicationis ſententijs cum ſuis participibus innodatum, excommunicationis et alias pœnas et ſententias in fautores, auxiliatores, et valitores Ludouici præfati et adhærentes eidem, vel ſibi præſtantes auxilium, conſilium, vel fauorem, noſcitur incurriſſe, et eaſdem excommunicationis et alias ſententias, abſolutione non petita vel obtenta, tam diu pertinaciter, et dãnabiliter toleranit; nos congruum et rationabile fore cenſentes,

Iidẽ pertinaciter in ira ſperniũt

vt

vt tam nefandissimorum flagitiorum vltionis seueritas extendatur, Christi nomine inuocato, pro tribunalibus sedentes, et habentes præ oculis solum Deum, dicimus eundem dominum Petrum propter prædicta de hæresi vehementer suspectum: et in his scriptis pronuntiamus ipsum esse infamem et intestabilem, ita quod nullus eidem, nec ipse alicui ex testamento vel alia vltima voluntate, aut ab intestato succedere possit, eundemque omnibus bonis, iuribus, et feudis, quæ a Romana vel quauis alia ecclesia tenet, et priuilegijs, indulgentijs, et quibuscunque gratijs eidem sub quacunque forma verborum ab Apostolica sede concessis, auctoritate sedis eiusdem priuamus eidem districtius inhibentes, ne deinceps Regem Siciliæ se nominet vel intitulet, sigilloque regio non vtatur, nec etiam in dicta insula Siciliæ et alijs insulis sibi adiacentibus vt Rex quicquam ordinet, mandet, vel faciat, aut fieri faciat: quod si secus per eum factum, ordinatum, mandatumue fuerit, illud decernimus irritum et inane.

Petrus de hæresi suspectus pronuntiatur.

Veritus regios apices sibi arrogare.

58 Præfatos vero dominum Ioannem, Ioannem de Claromonte, Damianum, Matthæum, Blascum, et Raimundum, qui eidem domino Petro in crimine detentionis et occupationis insulæ Siciliæ et aliarum insularum prædictarum fuerunt et sunt notorij participes et auctores, sibique adhæserunt et adhærent, ac eidem præstiterunt in his auxilium, consilium, et fauorem; et excommunicati et denunciati propterea per nos, excommunicationem eandem sustinuerunt et sustinent animis induratis, propter quæ pœna eisdem debet etiam augmentari; auctoritate prædicta priuamus omnibus bonis, iuribus, et feudis, et quibuscunque gratijs, sub quacunque forma verborum eis et cuilibet eorundem a prædicta sede, vel quauis ecclesia, concessis. Eundem quoque Damianum omnibus beneficijs et officijs ecclesiasticis, quę ipse obtinet, eadem auctoritate priuamus, et reddimus inhabilem ad quæcunque beneficia seu officia ecclesiastica inposterum obtinenda. Eosdem quoque dominum Ioannem, Ioannem de Claromonte, Damianum, Matthæum, et prænominatos alios cum eisdem, pronunciamus fore infames et intestabiles, ita quod nec ipsi alijs, nec alij ipsis ex testamento, vel quacunque alia vltima voluntate, aut ab intestato succedere possint. [Recensitis præcipuorum Petri sequacium, qui censuris percelluntur, nominibus subditur.]

Pœnis multati eiusdem sequaces.

Prohibitū Petri commercium.

Præterea, quamuis cum excommunicatis communicare non liceat, sed id generaliter omnibus iuris auctoritas interdicat; quia tamen solet plus timeri quod specialiter prohibetur, idcirco vniuersis et singulis Christi fidelibus, et specialiter duci, consiliarijs, et ciuibus ciuitatis Venetiarum, potestatibus, capitaneis, consiliarijs, ciuibus, incolis, et habitatoribus ciuitatum Ianuæ, Pisarum, Anconitanæ, et omnium ciuitatum, castrorum, et locorum aliorum maritimorum, nec non et vniuersitatibus eorundem, et singulis de ipsis ciuitatibus, omne commercium spontaneum cum excommunicatis & aggrauatis prædictis interdicimus; monentes nihilominus eosdem vniuersos & singulos primo, secundo, & tertio, ac peremptorio, et eisdem sub excommunicationis pœna mandantes, vt nullus ipsorum ab excommunicatis et denunciatis ac aggrauatis prædictis vel ipsorum aliquo emere, aut ipsis vel alicui eorum vendere, vel cum eisdem contractum vel obligationem aliquam facere vel inire, aut mittere, vel sponte accedere ad insulam Siciliæ et ad alias insulas supradictas, nec etiam in eorum terris et locis excommunicatos, denunciatos, et aggrauatos præfatos, vel ipsorum aliquem scienter receptare præsumant. Alioquin in eosdem, omnes & singulos, qui sic interdicti, moniti, & iussi infra xv. dies per sententiam interdicti, monitionis, & iussionis huiusmodi, quos dies ipsis & cuilibet ipsorum pro peremptorio termino assignamus, contra interdictum, monitionem, & iussionem nostram huiusmodi cum excommunicatis & aggrauatis prædictis qualecumque habere commercium, quiue prædictum mandatum nostrum contumaciter præterire præsumpserint, ex nunc prout ex tunc excommunicationis sententiam ferimus in his scriptis: ciuitates vero, castra, seu loca cætera & vniuersitates eorum, qui scienter secus fecerint, in his scriptis ecclesiastico supponimus interdicto, &c. *Sub anno a natiuitate domini* MCCCXXXIX. *indictione* VII. *die septima mensis aprilis pontificatus eiusdem sanctissimi patris domini Benedicti Papæ* XII. *anno* V.

Obiectæ illud initu ris pœnæ.

59 Detrectante igitur Petro transmissum flagitio a patre regnum Roberto Regi restituere legibus, ad arma concursum fuit, immissaque a hoc anno est in Trinacriam valida classis, præfecto Goffredo Nanzanio Squillacij comite: qui cum Liparim insulam obsideret, comes Clarimontis, Petri Aragonij copiarum dux, classe in portum inuectus, cum abscedente Goffredo partam victoriam arbitratus incautior ageret, insequenti die summo mane reuersa Roberti classis impetu inopino Trinacrios oppressit: comes Clarimontis captus inter cæteros, ac nonnisi pauci ex ea clade euasere; arxq; Lipari insulæ imposita ea clade attonita deditionem fecit. Partam exiguo cruore eam victoriam, vnde animarum pauciorum salus periclitata fit, gratulatus est Pontifex Roberto Regi b, cui Trinacriam iam antea eius maioribus a sede Apostolica iure fiduciario traditam, atque ab Aragonijs occupatam restitui exoptabat.

Expeditio Roberti in Trinacriā *a Vill. l. 11. c. 107.*

b To. 5. ep. secr. 389.

Benedictus, &c. Roberto Regi Siciliæ illustri.

Tam læti rumores, quam præsentatæ nobis celsitudinis tuæ regiæ literæ, datam tibi, fili charissime, diuinitus in loco Lipari ijs diebus præteritis de hostibus tuis insulæ Siciliæ glorioſam victoriam nunciantes, cor nostrum rore gaudij perfuderunt: sed non parum modus & processus ipsius victoriæ per easdem literas denotati huiusmodi exultationis et gaudij materiam ex eo præsertim in Domino adauxerunt, quia, sicut ex serie literarum ipsarum colligitur, virtutum Dominus, qui mirabilia operando de cælo dat fortitudinem, et cui vult victoriam impartitur, absque strage magna hominum, et per consequens sine grandibus periculis animarum, multitudinem magnam hostium, aduersariorum et rebellium tuorum, dilectissime fili, et ecclesiæ sanctæ suæ, quorum in hac parte negotium est connexum, suam reuelando iustitiam, et iustum iudicium exercendo, in tuis et tuorum manibus cum omnibus vasis naualibus et cæteris bonis, quæ ipsi aduersarij secum habebant tunc temporis, suæ potentiæ extenso brachio conclusit. Vnde nos, qui hominum strages in eis formidantes, animarum periculum abhorremus, super tantis tamque mirabilibus donis Altissimo, a quo cuncta bona procedunt, exoluere labiorum vitulum in humilitatis spiritu non * cessantes, rogantes magnifi-

Parta apud Liparim victoria.

*cessam

centiam regiam, et in Domino attentius exhortantes, quatenus præmissa non humanæ, sed omnino diuinæ potentiæ cum humilibus actionibus gratiarum ascribens, cœptum feliciter negotium, quod velut pro parte tua et ecclesia in iustitia et veritate fundatum clementia diuina videtur benignis et fauorabilibus oculis intueri (propter quod est de ipsius prospero et votiuo successu sperandum) prosequi ac continuare regalis magnanimitas, confisa de diuino auxilio et fauore nostro, quantum cum Deo poterimus, potenter et viriliter non omittat. *Dat. Auin. II. id. decembris anno V.*

60 Data est alijs literis ad Roberti Regis gratiã prouincia Auersano episcopo et abbati Cumensi, vt Liparenses censuris soluerent ea lege, vt si ad hostem deficerent, iterum priori nexu irretiti tenerentur. Reuertebatur Neapolim victrix Roberti Regis classis [a], cum sæua tempestate dissipata est; et quatuor triremibus, quæ captiuis plenæ erant, in Corsicam actis, plures Siculi euasere: adeo inconstans est humanæ felicitatis status. Cæterum exortis in Sicilia citeriori dissensionibus, vrbium ciues immania odia exercuisse, superius ex Ioanne Villano vidimus, ac Robertum ob non compressum improborum furorem in inuidiam vocatum: quem quidem in administranda iustitia fuisse remissiorem, ex literis põtificijs [b] constat, quibus Benedictus recti et æqui amantissimus, vtque supremus regni dominus grauiora ea mala enumerauit, illaque regia auctoritate tolli iussit. Manabant illa præcipue ex eo fonte, vt refert Pontifex [c], quod procerum clientes aduersus ipsos testes esse detrectarent: *In castris, inquit, & locis eorum maxime committunt vetita & inculcant licenter, inde sumpta fiducia, quod per eorum subditos et vassallos contra eos non potest verum haberi testimonium: et sic accusationes et denuntiationes, quæ fiunt ni curia charissimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris de excessibus eorundem, vim non obtinent, nec debitum sortiuntur effectum.* Ad coercendam igitur eam improbitatem Dei vicarius damnauit anathemate illos, qui publicos grassatores exciperent, ipsorumque loca interdicto subiecit; tum eos, qui ad repetendam armis vltionem coitionem facerent. Eo vindictæ appetitu elati nonnulli proceres Campaniæ fœderati aduersus Fundorum comitem in Neapolitanum regnum excurrerunt, dum regiæ vires ad redigendam ad officium Trinacriam distractæ erant, non sine Roberti Regis iactura, verum etiam contemptu ecclesiæ, quæ anathema aliasq; graues pœnas Roberti regnum infestantibus obiecerat. Persolutum porro Romanę ecclesię octo millium vnciarum auri censum syngrapha pontificia testatur. [d]

Similiter insequenti die a Petro Rege Aragonum Sardiniæ et Corsicæ liberalitate sedis Apostolicæ acceptarum nomine duo millia marcharum argenti sunt in pontificium fiscum illata [e]. Accessisse vero Petrum ad eandem sedem, vt clientis obsequia ex officij religione solemni ritu Pontifici addiceret, non modo pontificiæ literæ anno proximo ineunte exaratæ [f] ostendunt; sed etiam testantur historici [g], e quibus Benedicti vitæ auctor hæc affert [h]: *Ad dictum Papam venit Auinionem Petrus Rex Aragonum, fecitque ei homagium, & præstitit iuramentum fidelitatis in forma debita pro regno Sardiniæ, quod tenet in feudum ab ecclesia Romana, fuitque idem Rex honorifice receptus per dictum Papam: licet die introitus sui in curia incendium magnum fuit in coquina, vbi parabantur cibaria pro prandio dictorum Papæ, Regis, & Cardinalium, prout est fieri consuetum: sed hoc non obstante omnia fuerunt bene dispósita & parata sic & taliter, quod omnes remanserunt bene contenti. Venit etiam cum dicto Rege, qui satis iuuenis erat, Iacobus Maioricarum, qui quasi dicti Regis pro tunc regimen & gubernationem habebat, saltem quoad personam.* De exorta inter hos Reges discordia, cum Petrus a Iacobo solemnia clientis officia exigeret, in rebus Hispanicis dicemus: nunc institutum de Romanæ ecclesiæ fiduciarijs principibus sermonem prosequamur.

61 Constituti sunt hoc anno in Italia plures magnates sedis Apostolicæ fiduciarij, qui e tyrannis in iustos principes, accepta a Benedicto, vtpote interregni tempore administratore imperij, quam antea scelere arripuerant auctoritate, euasere. De Luchino post Azonis Vicecomitis Mediolanensis mortem Mediolani principe meminit Ioannes Villanus a illumque decem aureorum millia in annos singulos Pontifici pendere pollicitum; sed de eo suo loco inferius: Mastinum similiter, non quinquaginta (error enim in auctorem irrepsit, sed quinque, vt ex literis põtificijs constat millibus census annui pactis, plurium vrbium principatum accepisse: qua occasione auctor in exclamationes ineptas in Romanam ecclesiam prorumpit. Quid tandem diceret, si Angliæ, Hiberniæ, Aragoniæ, Sardiniæ, Corsicæ, Trinacriæ, Siciliæ Reges, pluresque alios, de quibus Baronius nosque meminimus in annalibus, vt alios plures inferiores principes mittamus, Romani Pontificis clientes se professos audiret, atque honori & triumpho duxisse suos illius, cui *data est omnis potestas in cælo & in terra*, vicario principatus subiecisse? Quo vero ritu, quaue confilij maturitate expetentibus Italis gesta res sit, ex publicis documentis tum editis delibanda narratio visa est.

Constituti [b] sunt a Scaligeris procuratores Bonauentura e Ponte petræ, & Guillelmus e Pastrengo, vt a Benedicto Veronensem præfecturam deposcerent: *Ad comparendum coram sanctissimo in Christo patre & domino Benedicto, diuina prouidentia sacrosanctæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, & ad supplicandum eidem, quod ipsos dominos Albertum & Mastinum & vtrumque eorum in solidum dignetur constituere vicarios ipsius domini summi Pontificis, & sanctæ Romanæ ecclesiæ vsque ad tempus, de quo eidem summo Pontifici videtur expedire, vacante imperio, in ciuitatibus Veronæ, Parmæ, & Vicentiæ, ac castris, villis, territorijs, districtibus, & comitatibus ciuitatum earundem ad regendum, gubernandum vice, iure, & nomine dictæ Romanæ ecclesiæ & præfati domini Romani Pontificis, vel alterius, qui erit Romanus Pontifex pro tempore, ciuitates, districtus, territoria, & comitatus, & alia castra & villas prædictas, & habitatores laicos ipsorum; ac merum & mixtum imperium, & iurisdictionem omnimodam temporalem, ac vniuersa iura imperialia in omnibus & singulis ciuitatibus, castris, villis, territorijs, districtibus, & comitatibus eisdem, & vniuersos habitatores laicos ipsorum exercendum & administrandum vice, iure, & nomine proxime dictis, & ad tempus prædictum, & vacante imperio prædicto; & ad recipiendum a sanctissimo domino Benedicto Romano Pontifice huiusmodi vicariatum in ciuitatibus, castris, villis, districtibus, & comitatibus, & habitatoribus omnibus su-*

Funesto corruptæ exitu. [a] Io. Vill. l. 11. c. 107.

Iustitia in Neapolitano regno male administrata [b] To. 5. ep. secr. 135. & An. 6. ep. com. 24.

Quorum vitio id acciderit.

Obortæ turbæ.

[c] To. 5. ep. secr. 214.

Petri Regis Arag. ad sedem Apost. accessus.

[e] Ib. ep. 215.

[f] To. 6. ep. secr. 1.

[g] Marian. l. 16. c. 6. Sur. l. 7. c. 48.

[h] Apud Bosq. & M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Ben. XII.

Clientelaris sponsio ab ea præstita.

Procerum Insubriæ Pontificis fiduciarij.

[a] Io. Vill. l. 11. c. 100.

[b] M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 15 pag. 206. Scaligeri creati vicarios ecclesiæ vacuo solio imperiali a Pont. posc unt.

Data procuratoribus ea de re mandata.

supradictis, vt hæc & multa alia & plura constant publico instrumento procurationis, scripto sub signo & nomine mei Ioannis Fanaciæ notarij infrascripti die iouis xxv. mensis februarij MCCCXXXIX. *indictione* VII.

62 Extracta est in plures menses conferendæ Scaligeris, vacuo augustali solio, vicariæ præfecturæ tractatio, ac demum e publica re visum est eos creari proreges: atrocissima enim bella Italica componenda, promouendam diuinam gloriam, animasque ad adipiscendam felicem immortalitatem facilius perductum iri. Transmissum itaque est ad Scaligeros hoc decretum.

Ob Italiæ quietem collata ea dignitas.

Benedictus episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs nobilibus viris Alberto & Mastino de la Scala fratribus, vicarijs nostris & S.R.E. in Veronensi, Parmensi, et Vicentina ciuitatibus, ac castris, villis, territorijs, districtibus, et comitatibus earundem salutem et apostolicam benedictionem.

Attendentes grauia longe lateq; diffusa, proh dolor! animarum pericula, quæ in nonnullis Italiæ, & maxime Lombardiæ & marchiæ Teruisinæ prouincijs absque rationis iudicio dissensionum suscitatæ materiæ generarunt, ex quibus strages corporum & dispendia facultatū, & alia non facile numerāda pericula prouenerunt, sub spe illius, cui facile est res etiā desperatas sine moliminis tarditate perficere, ad id solicitudinem nostram conuertimus, vt sublatis huiusmodi dissensionibus per opportuna prouisa remedia salutaris & consulti regiminis, scandalorum succidere & propulsare materias, plantare pacem, populis securitatem adijcere, ac in eis firmam stabilire quietem Deo propitio valeamus, vt eædem prouinciæ, per bonum regimen securitate gaudentes, in pacis pulchritudine sedeāt & in requie opulenta quiescāt. Sane nos diligenter, etc. *& infra*, attento quod imperio Romano vacante, prout nunc vacat, eius regimen, dispositio, & iurisdictio ad solum Romanum Pontificem, cui in B. Petri Apostolorum prin. cipis cœlestis simul & terreni imperij iura Deus ipse commisit, pertinere noscuntur, & ea ipse præfati imperij vacatione durante per se vel alium seu alios exercet in imperio memorato, &c. [Subijcit vt oratores Alberti & Mastini præfecturam Veronensem postularint ad iustitiam administrandam, ac plura promiserint ad populorum salutem & ecclesiæ decus, inter quæ hæc].

Committit Scaligeri iura iuste administraturos.

Qui siquidem procuratores, principalis & substitutus, procuratorio nomine vestro nobis, in fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium præsentia solemniter promiserunt, quod vos & quilibet vestrum merum & mixtum imperium, iurisdictionem, iura, & vicariatum prædicta exercebitis & administrabitis, ac ciuitates, castra, villas, districtus, & comitatus prædicta, ac ciues, incolas, & habitatores ipsorum regetis & gubernabitis vice, iure, & nomine nostris, ac successorum nostrorum & ecclesiæ prædictorum, non tyrannice sed secundum iura communia & leges, ac consuetudines rationabiles, & libertati ecclesiasticæ non repugnantes, vigentes & hactenus obseruatas in ciuitatibus, castris, villis, districtibus, & comitatibus memoratis: & quod in exercitio, administratione, regimine, & gubernatione huiusmodi, & vniuersis proclamationibus, bannis, & actibus, propterea faciendis denominabitis vos vicarios Romani Pontificis & Romanæ ecclesiæ prælibatæ: & quod in omnibus, & singulis ciuitatibus, castris, villis, comitatibus & districtibus prædictis ecclesiasticam cōseruabitis libertatem: & quod vos & quilibet vestrum communiter & diuisim Ludouicum de Bauaria, qui se dicit Imperatorem, & quemcumque alium, qui se nominaret Imperatorem vel Regem Romanorum, vel se diceret in Imperatorem vel in Regem Romanorum electum, qui per dictam Romanam ecclesiam approbatus non esset, non recipietis in ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, & districtibus antedictis, vel alijs terris ditioni vestræ subiectis, vel in posterum subijciendis, nec ipsos in eis recipi per vestros subditos permittetis: quinimmo pro posse vos opponetis, quod ciuitates, castra, villas, districtus, comitatus, & territoria, quæ nunc obtinetis, vel in posterum obtinebitis, aut aliquam seu aliquem, vel aliquod ipsorum non intrent vel occupent, ac etiā super his resistetis eisdem: & quod de ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, districtibus, & territorijs supradictis vniuersos hæreticos ab ecclesia denotatos, vel in posterum denotandos expelletis et facietis expelli, et ipsius ecclesiæ rebelles, in quantum potueritis, impugnabitis et recipietis fideles ipsius, eosque admittetis in eis, et benigne tractabitis, in ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, et districtibus, ac territorijs supradictis, et maxime ad mandatum Romani Pontificis et Romanæ ecclesiæ prædictorum, nisi in receptione et admissione et tractatu dictorum fidelium vobis ex causis euidentibus vel probabilibus coniecturis periculum immineret; quodque vos et quilibet vestrum fideles eritis nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, et Romanæ ecclesiæ prælibatæ, ac nostræ et successorum et Romanæ ecclesiæ prædictorum, honores et iura conseruabitis illibata, ac nostros et successorum, et ecclesiæ prædictorum legatos, et nuncios, eundo, morando, et redeundo honorifice tractabitis, et adiuuabitis in necessitatibus eorundem.

Cæsarem nisi ab ecclesia confirmatum non agniturus.

Fidem ad persequēdos hæreticos deuincunt.

Obsequia Pontificibus veris deuouent

63 Et in signum superioritatis nostræ et eiusdem Romanæ ecclesiæ, pro concessione vicariatus huiusmodi, cum omnibus iuribus, fiscalibus, et imperialibus supradictis, præfati procuratores vestri, habentes ad hoc a vobis speciale mandatum et plenariam potestatem, procuratorio nomine vestro et cuiuslibet vestrum in nostra et dictorum fratrum nostrorum præsentia et in publico consistorio, præsente multitudine copiosa fidelium, obtulerunt, dederunt, et constituerunt nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, et eidem Rom. ecclesiæ vsque ad finem temporis, quo huiusmodi vicariatus officium vobis duximus concedendum; vel quousque præfata vacatio imperij durabit, si forte ante finem constitutionis et concessionis vicariatus huiusmodi cessaret vacatio memorata, pensionem quinque millium florenorum auri puri iustique ponderis et cunij Florentini, vbicunq; Romanus Pontifex fuerit, eidem Romano Pontifici, qui erit pro tempore, et Romanæ ecclesiæ, vel ipsi ecclesiæ vbi ipsa fuerit, sede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, et pro portione collegium ipsius ecclesiæ Cardinalium contingente, anno quolibet inchoando in primo futuro festo beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et ex tunc in antea annis singulis in festo prædicto, huiusmodi vicariatu durante, vestris et cuiuslibet vestrum sumptibus et expensis, sub infrascriptis pœnis et sententijs, si in aliquo termino fuerit in huiusmodi solutione cessatum, integraliter et sine diminutione aliqua persoluendam: et quod eidem Romanæ ecclesiæ, quandocunque pro parte ipsius fue-

Censum quinque millium aureorum spondent.

fueritis requisiti, exhibebitis ducentos equites, et trecentos pedites secundum morem patriæ bene armatos, in Lombardia, marchia Anconitana, et prouincia Romandiolæ, ac ciuitatibus Bononiensi et Ferrariensi, et districtibus eorundem, pro iuribus et bonis dictæ ecclesiæ defendendis, recuperandis, et conseruandis, seruituros eidem ecclesiæ, et in eius seruitijs moraturos pro tribus mensibus singulorum annorum, quibus durabit vicariatus prædictus, proprijs sumptibus et expensis vestris et heredum vestrorum: et quod vltra istos tres menses liceat nobis et dictis successoribus, seu dictæ ecclesiæ præfatos equites et pedites retinere, nostris tamen et dictorum successorum et ecclesiæ sumptibus et expensis; vosque et quilibet vestrum facietis et curabitis cum effectu, quod ipsi equites et pedites, in seruitio dictæ ecclesiæ remanebunt pro stipendio competenti.

Et vestigal militare.

64 Rursus dicti procuratores, nobis nostro et successorum et ecclesiæ prædictorum nomine solemniter stipulantibus, prædicto procuratorio nomine promiserunt, quod si qua bona, possessiones, vel iura qualiacunque sint, et in quibuscunque consistant, locorum vel personarum ecclesiasticorum, per vos vel vestrum alterum, aut alios vestro nomine vel mandato, vel quoscunque alios sunt occupata, vel detenta illicite, vel subtracta in ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, et districtibus ac territorijs supradictis, seu aliquo eorum, bona fide et integre restituetis, et restitui facietis libere, et cum effectu locis et personis eisdem: et quod possessiones, bona, et iura ipsius vlterius non occupabitis vel subtrahetis, nec occupari, vel subtrahi permittetis, nec occupare, seu subtrahere volentibus consentietis, nec eis dabitis auxilium, consilium, vel fauorem; dictasque personas ecclesiasticas in suis iuribus et libertatibus defendetis, easque de facto, et quantum ad vos pertinuerit, etiam de iure iuuando et permittendo ipsas frui libere et pacifice omnibus possessionibus, bonis, et iuribus ac libertatibus eorundem, et a qualibet violentia et iniuria, eis quomodolibet in ipsis possessionibus, bonis, et iuribus, ac libertatibus, vel ipsorum personis, nec non fructibus, redditibus, et prouentibus possessionum, bonorum, & iurium eorundem inferenda, penitus studebitis abstinere; ac personas easdem, earumque familiares benigne & fauorabiliter tractabitis, omnesque libertates & immunitates ipsis de iure concessas obseruabitis, & obseruari per alios facietis, eosque benigne tractari.

De restituendis ecclesiasticis prisinis iuribus.

Seruanda immunitate sacerdotali.

65 Insuper dicti procuratores vestri voluerunt & consenserunt expresse procuratorio nomine supradicto, quod propter huiusmodi oblationem, & constitutionem dictæ pensionis, & solutionem ipsius, & supradicti adiutorij ducentorum equitum & trecentorum peditum præstationem, vel aliquod aliud præmissorum, eadem Romana ecclesia non teneatur suis sumptibus vel expensis ciuitates, castra, villas, districtus, & comitatus prædicta defendere, vel vobis eisque quodcunque aliud temporale adiutorium exhibere, nec in ipsa aliquod aliud ius transferre, nec se vobis in aliquo propterea obligare. Eadem tamen Romana ecclesia pro defensione vicariatus huiusmodi, ac bonorum & iurium prædictorum, vbi per vos vel vestrum aliquem fuerit requisita, si & quando, & prout sibi decere & expedire videbitur, spirituale auxilium, censuram videlicet ecclesiasticam, vobis de solita suæ benignitatis gratia exhibebit: vosque nihilominus & quilibet vestrum remaneatis, ac ciuitates, castra, villæ, territoria, districtus, & comitatus prædicta, & habitatores ipsorum remaneant & consistant, huiusmodi vicariatu durante, sub protectione eiusdem Romanæ ecclesiæ speciali.

Acceptus in clientelã Apost. Scaligerorum principatus.

Iidemque procuratores, nobis nomine nostro & successorum nostrorum solemniter stipulantibus, promiserunt procuratorio nomine supradicto, se facturos & curaturos cum effectu, quod omnia & singula supradicta per eos promissa vos & quilibet vestrum rata & grata habebitis perpetuo, & tenebitis, obseruabitis, & adimplebitis: & quod contra ea, vel ipsorum aliquod, durante vicariatu prædicto, non facietis vel venietis aliqua ratione, occasione, colore, vel causa; ipsaque omnia & singula supra & infrascripta infra festum natiuitatis Domini proxime futurum, in præsentia nuntij seu nuntiorum nostrorum, quem vel quos ad hæc deputauerimus, & ad ciuitatem Veronensem, vel aliquam aliam de prædictis duxerimus destinandum vel destinandos, nec non tabellionis publici ad hæc specialiter adhibendi, affirmabitis, confirmabitis, ratificabitis, & emologabitis specifice & expresse vosque solemniter promittetis per vos & quemlibet vestrum, corporaliter præstito iuramento, quod omnia & singula præmissa, secundum quod per dictos procuratores promissa, oblata, & constituta sunt, efficaciter obseruare studebitis & complere sub pœna mille marcharum argenti, Romanæ ecclesiæ & eius cameræ toties committenda & soluenda, quoties contra præmissa vel aliquod præmissorum veneritis vel etiam facietis, ratis & firmis nihilominus manentibus omnibus & singulis supradictis; confecto exinde per tabellionem eundem publico instrumento, nobis & eidem Romanæ ecclesiæ, infra dictum terminum post affirmationem, confirmationem, ratificationem, emologationem, & iuramenti præstationem huiusmodi fideliter transmittendo, & realiter assignando; durante tamen vicariatu prædicto, quem vicariatum, vos & quilibet vestrum, & heredes vestri, nomine nostro & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, & eiusdem Romanæ ecclesiæ, per vos & heredes vestros tenendum & exercendum, non possitis dimittere, vel a vobis abdicare, imperio præfato vacante, vsque ad temporis finem, quo eum vobis dictisque heredibus duxerimus concedendum; vel etiam vltra tempus prædictum, quamdiu videlicet placebit nobis & dictis successoribus nostris, vacante tamen dicto imperio, per vos et heredes vestros prædictos vicariatum huiusmodi exerceri, nisi cessaret antea vacatio imperij memorati. Quam quidem vacationem tamdiu intelligimus, et per alios intelligi volumus perdurare, quousque aliquis in Imperatorem vel Regem Romanorum concorditer et canonice electus fuerit, et per sedem Apostolicam approbatus: post quam approbationem vicariatus huiusmodi statim debeat expirare. Dictique procuratores, de prædictis omnibus et singulis promissis per eos, per vos tenendis, adimplendis, et inuiolabiliter obseruandis, procuratorio nomine vestro præstiterunt in animas vestras corporaliter iuramentum.

De nũtijs apostolicis excipiendis honorifice.

Obiecta, si fidem violarint, pœna.

Definitũ præfecturæ temp. ad Imperatoris creationẽ.

66 Denique prædictis omnibus, per dictos procuratores nomine procuratorio supradicto in præsentia nostra, et dictorum fratrum nostrorum peractis solemniter et perfectis, nos huiusmodi ve-

vestræ deuotionis, et laudabilis considerationis propositum in Domino commendantes, ac promissa, oblata, constituta, gesta, et habita per procuratores eosdem pro parte vestra nomine procuratorio prælibato acceptantes expresse; securitati quoque, tranquillitati, paci, et quieti vestræ, nec non ciuitatum, castrorum, villarum, districtuũ, territoriorum, et comitatuum prædictorum, eorumque salubri regimini prouidere, ac præfatis obuiare periculis et dispendijs cupientes, dictorum procuratorum nobis pro parte vestra porrectis supplicationibus inclinati, vos et quemlibet vestrum in solidum, et heredes vestros ex vobis legitime descendentes, vsque ad decem annos a data præsentium computandos, et vltra quamdiu nobis et successoribus nostris placuerit, dicta tamen imperij vacatione durante; si tamen in tenendo et exercendo vicariatum huiusmodi vltra dictum tempus decem annorum vestra vel heredum vestrorum voluntas accesserit prædictorum, constituimus auctoritate apostolica vicarios nostros, nomine nostro et successorum nostrorum, et ecclesiæ Romanæ prædictorum, in ciuitatibus, castris, villis, comitatibus, districtibus, et territorijs supradictis, castro burgi sancti Donini Parmensis diœcesis cum eius territorio et districtu excepto (quod in constitutione et concessione vicariatus huiusmodi volumus non includi) ad gerendum in eis pro nobis, ac nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum et Romanæ ecclesiæ prædictorum nomine vicariatus officium, etc. [Præscripta est etiam sacramenti forma a Scaligeris nuncupanda ijsdem concepta verbis, quibus ecclesiæ clientes deuinciri solent, ex qua etiam ij in verba pontificia iurare iussi. Pergit Pontifex:] Huiusmodi autem homagium vos et quilibet vestrum et dicti heredes facere, et iuramentum fidelitatis præstare secundum præscriptam formam nobis infra dictum festum natiuitatis Domini, et cuilibet successori nostro Romano Pontifici infra sex menses a tempore promotionis suæ, si in Italia fuerit, si vero eum extra Italiam esse contigerit, infra annum teneaminiet singulis eisdem successoribus et eidem Romanæ ecclesiæ renouabitis tam ipsum homagium, quam huiusmodi iuramentum, durante tamen præfectura prædicta. In optione autem et beneplacito erit Romanæ ecclesiæ vos et heredes vestros vocare ad præstandum personaliter iuramentum fidelitatis huiusmodi, et ligium homagium faciendum Romano Pontifici & eidem ecclesiæ, &c. *Dat. Auin. kal. septembris pontificatus nostri anno v.*

De præstãda clientelari sponsione.

67 Cruentarant se Scaligeri iam ante cædem Bartholomæi episcopi Veronensis, in quos Bertrandus patriarcha Aquileiensis, cui Verona in sacratum rerum administratione contributa erat, iudiciariam actionem instruere iussus fuerat. Cum vero respondere cæsum calentibus ira animis proditionis reum ob coitiones initas cum hostibus, structasque ipsorum vitæ insidias; tum de violata episcopali maiestate veniam poscerent, ea lege in gratiam admissi fuere, vt tunica & supertunicali tantum induti, tenentes manibus cereas faces, centumque alios præferri iubentes, a Veronensis vrbis porta ad principem ecclesiam progrederentur, veniam illatæ episcopo cædis a canonicorum collegio deprecaturi: facella aliquot conderent, vt in ijs res diuina fieret: imperata etiam donaria in eadem ecclesia collocanda; nec non ieiunia & eleemosynæ erogandæ in pauperes. Quæ singula in literis ad episcopum Mantuanum, cui iniunctum est munus, vt eos ritu ecclesiastico expiaret, datis a expressa sunt.

Scaligeri illatæ Bartholomæo episcopo Veronẽsi necis rei.

a An. 5. ep. cur. 29.

Benedictus, etc. venerabili fratri episcopo Mantuano.

Licet atrocissima sit illorum iniuria, qui manus sacrilegas in necem spiritualium patrum extendunt, & indigne auxilium ecclesiæ inuocent, qui eam tam acerbiter in sublimibus eius columnis atque sponsis offendunt; quia tamen ipsa, quod matris est exhibens, non consueuit redeuntibus claudere gremium, sic recipit pœnitentes, quod delinquentes pœna castiget, cum sint culpæ, quarum grauitate pensata crudeliter parcitur, & misericorditer desæuitur. Sane nobiles viri Mastinus natus quondam Albuini de la scala, & Albuinus natus quondam Canis grandis de la scala ciues Veronenses per dilectum filium Guillelmum de Pastrengo nuntium & procuratorem eorum, ad infrascripta specialiter constitutum, ac per eos ad hoc ad nostram præsentiam destinatum, nobis humiliter exponere curauerunt, quod dudum ad audientiam, immo sicut asseritur notitiam eorum deducto, quod bonæ memoriæ Bartholomæus de la scala episcopus Veronensis tractabat cum Venetis & Florentinis, tunc eiusdem Mastini capitalibus inimicis, ciuitatem Veronensem de manibus præfati Mastini violenter eripere, ipsumque proditorie interficere; eodemque Mastino de his certificato tam per literas super huiusmodi tractatu habitas & inuentas, quam per relationem fidedignarum personarum; nec non per iactationem & collationem verbalem, quam idem episcopus cum multis ciuibus Veronensibus & etiam forensibus, de quibus credebat posse confidere, faciebat, eos ad similis machinationis operam & consensum omnibus, quibus poterat, persuasionibus inducendo; idem Mastinus, timens propter dictorum inimicorum potentiam per tractatus & persuasiones huiusmodi perdere statum suum, ac ex his ad iram commotus, eiusque calore succensus; ipse & Albuinus præfatus in personam dicti episcopi fecerunt insultum, ipsumque multis sibi illatis vulneribus occiderunt: de quo siquidem reatu plurimum pœnitentes, per eundem procuratorem præmissa nobis deuote & humiliter exponentes, & quod ad præsentiam nostram propter multorum inimicorum suorum insidias, quas probabiliter formidabant, absque personarum periculo se conferre personaliter non valebant, nobis humiliter supplicarunt, vt eos de huiusmodi reatu plurimum, vt præfertur, dolentes pariter & contritos, ac ad gremium sanctæ matris ecclesiæ redire cupientes, ac super ijs stare paratos mandatis eiusdem ecclesiæ atque nostris ab excommunicationis sententia, quam propterea incurrerunt, absolui de ipsius ecclesiæ misericordia mandaremus.

Allata ab his excusatio de nece ab episcopo sibi parata.

Petita dimitti a Pont. venia.

68 Nos igitur eorundem Mastini & Albuini magnæ contritionis indicia nobis pro parte ipsorum exposita attendentes, ac de tuæ circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ab eisdem Mastino & Albuino de parendo mandatis nostris & eiusdem ecclesiæ prius recepto corporaliter iuramento, ipsos auctoritate nostra ab huiusmodi excommunicationis sententia iuxta ecclesiæ formam absoluas; iniungens eis sub debito præstiti iuramenti, quod infra octo dies post absolutionem

Admissi ad crimẽ sacra pœnitentia expiandũ.

nem huiusmodi ab introitu eiusdem ciuitatis Veronensis, cuius episcopum occiderunt, pedites in tunica sine caputio & supertunicali ac alio quolibet cooperimento, capitibus discoopertis, incedant & vadant: ac ante se portari faciant centum cerea tortitia accensa, quodlibet ponderis sex librarum, & eorum quilibet vnum accensum cereum dicti ponderis propria manu portet ad eiusdem ciuitatis ecclesiã cathedralem: & ibi in aliquo die dominico vel solemni hora, qua missa maior cantatur, & in dicta ecclesia maior fuerit populi multitudo, offerant dicta tortitia cerea, & a canonicis dictæ ecclesiæ veniam dicti delicti cum humilitate depoſcant. Et deinde infra medium annum, a die absolutionis huiusmodi computandum, vnam imaginem argenteam B. Mariæ ponderis triginta marcharum, & decem lampades de argento, quamlibet ponderis trium marcharum, in dicta ecclesia offerant inibi perpetuo remansuras, ac redditus annuos perpetuos assignent pro oleo habendo ad dictas lampadas necessario. Et nihilominus infra dictum annum in ipsa ecclesia sex capellanias dotent, quamlibet de viginti florenis auri de Florentia annui & perpetui redditus pro sex presbyteris qui in dicta ecclesia vltra illos, qui esse consueuerunt ibidem, officiare perpetuo teneantur: quorum duo pro anima eiusdem episcopi interempti, vnusquisque videlicet per hebdomadam suam debeat celebrare.

In die vero, qua dictus episcopus extitit interfectus, quilibet eorundem Mastini & Albuini singulis annis habeat reficere viginti quatuor pauperes, & singulis singulas tunicas conferre, ac toto tempore vitæ suæ ieiunent sextas ferias & vigilias festiuitatum B. Mariæ, nisi infirmitate vel senectute fuerint impediti: & tunc pro illa die, qua propter causas prædictas non poterunt ieiunare, duos pauperes reficere teneantur. Et cum fiet passagium generale, idem Mastinus & Albuinus, si viuant, viginti homines in equis armatos in terræ sanctæ subsidium mittere teneantur, ibidem per annum vnum proprijs expensis mittentium moraturos: si vero tunc rebus non superesſent humanis, ordinare dum vixerint sint astricti, quod id per successores eorum debeat adimpleri. Aliam vero pœnitentiam publicam, quam dicti Mastinus & Albuinus ob prædictum reatum facere tenebantur, & pœnas alias, quas per sacros canones ipsi ipsorumque liberi seu posteritates circa amissionem feudorum & aliorum iurisdictionum & iurium, vel alias ob prædictum facinus incurrerunt de iure, eisdem de magnæ ipsius sedis misericordia, superexaltante iudicium, auctoritate apostolica tenore præsentium duximus remittendas, eos plene restituentes ad famam de apostolicæ plenitudine potestatis, &c. *Dat. Auin. x. kal. octobris anno v.* Affecti his beneficijs Scaligeri contulere dono Romanæ ecclesiæ Magnanum & Caprariam oppida Veronensis agri: quæ Pontifex ijsdem Scaligeris iure fiduciario possidenda tradidit, imperato vnius marchæ auri vectigali annuo, recurrente principum Apostolorum festo die pendendo. Qua de re extant publica documenta a: in quibus etiam formula clientelaris sponsionis nuncupanda suis verbis concepta traditur, quę a nobis prætermittitur, cum alias allata fuerit.

Optarant per id tempus Cogienses b Romanæ ecclesiæ ditioni accedere, ac se suaque Benedicti clientelæ addicere, qui humaniter recepti: datâque Bertrando Aquileiensi patriarchæ imperia a, vt oppidi possessionem pontificio nomine iniret. Impleuit iussa patriarcha, b: ac ne ob id aliqua cum Venetis controuersia suboriretur, Benedictus senatum Venetum ducemque monuit, ne qua illos afficerent iniuria: ac si ius in ijsdem contenderent, apud sedem Apostolicam disceptarent, salua enim & illibata eorum iura futura.

69 Ad tutandam vero contra tyrannos ditionem ecclesiasticam, idoneos prouincijs præfectos imposuit Benedictus c, Ioannemque de Amelio auctoritate d instruxit, vt obiecta censurarum religione ac pœnarum, quæ in edictis Ioannis XXII. cõtinebantur, terrore intentato, omnes qui iura ecclesiæ occupassent, ad ea restituenda adigeret: in quos etiam Raimbaldum episcopum Imolensem e Romandiolæ præsidem, tum Piceni præfectum f, animaduertere iussit. Perduellium principes erant Franciscus Ordelaffus g, nonnullique Malatestarum h Arminensium stirpe sati, qui cædibus & rapinis prouinciam fœdabant, ipsisque accesserat Eustachius i Polentanus Rauennas: ijque Meldulam k, arces m S. Cassiani & Elinez inuadere moliebantur. Ad quos reprimendos Pontifex Florentinos n, vt ecclesiæ opera non deessent, exaratis VIII. kal. iunias, nonis augusti, & x. kal. septembris literis, rogauit; neue in pacis tractatu ab ijs suscepto deludi, atque ecclesiæ iura interire paterentur. Conciliatam o paulo post Florentinorum opera mense septembri in Æmilia pax intet Foroliuienses, Cæsenates, Malatestas Ariminenses, & Polentanum Rauennatem fœderatos, quos ecclesiæ hostes fuisse ex literis pontificijs vidimus, aduersarumque partium socios Fauentinos, Imolenses, Guidos comites, & alios, qui nimirum cum ecclesia sentiebant. Agitauit quoque Pontifex p cum Francisco episcopo Florentino, vt Mercennarium in Piceno tyrannum, qui Firmum nonnullasque vrbes & arces inuaserat, certis legibus in gratiam restitueret: sed tyrannus, cum benevolentiam pontificiam sperneret, sequenti anno ineunte, vt refert Io. Villanus q, similiterque Acorrimbonus Tolentinas alijq; tyranni cæsi sunt a populis tyrannidis impatiẽtibus, Laxatis etiam furori habenis, improbi in nonnullis alijs prouincijs, præcipueque in Campania grassati r, quibus reprimendis data opera: in Vrbe vero cum factionibus contrarijs diu certatum fuisset, pax est felicissime reuocata.

Tumultuatum r est in Pedemontio, atque Asta Roberto Regi Siciliæ a marchione Montisferrati erepta exiguo labore, cum ob non soluta stipendia præsidiarij milites arma & equos oppigneraſſent non sine regij nominis labe & macula.

70 In Liguria etiam noui seditionum motus a populo ex falsis rumoribus acceptæ a nobilibus, qui a Francorum Rege conducti in Anglum fuerant, ignominiæ dolore furente concitati t: mutataque reipublicæ Genuensis forma, dux creatus est vir popularis Simeon Buccanigra, Spinularum & Auriarum familiarum arces ipsis ereptæ, ac denique, vt nouus principatus cruore sanciretur, sequenti anno duo e Spinularum familia proceres alijque coniurati in nouum ducem obtruncati. Illum vero vt recti æquique amantem laudant historici: ac sane necessarium erat, vt strenui alicuius viri prudentia reuocaretur inter Genuenses æquitas, cum nonnulli adeo opum cupiditate deflecterent a iustitiæ tramite, vt in-

Offerri pœnitentum ritu iussi cerei

Argentea icon Virginis offerenda.

Appendẽdæ lampades.

Imperati sacerdotales census

Eleemosynę & ieunia imperata.

Data Romanæ ecclesiæ a Scaligeris oppida.

a An. 5. ep. cur. 21. lib prim. Rom. eccl. to. 2. pag. 240. 246. 247. M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 199. 207. 209.

b To. 5. ep sect. 216.

Cogi-nenses in eccl. ditio nem acce pti.

a To. 5. ep. sect. 219.

b Ib. ep. sect. 219. 230.

c Ib. ep. sec. 48. 50 52. 56. 60. 223. 318. 320. 323. ad 337.

Repetitæ a tyranno vrbes ecclesiasticæ

d Ib. ep. 278.

e Ep. 286.

f Ep. 287.

g Ep. 280.

h Super ep 287.

i Ep. 256.

l Ep. 189.

m Ep. 280

n Ep. 189. 256. 280.

Nonnulli ex his in gratiam admissi.

o Io. Vill. l. 11. c. 101.

p To. 5. ep. sect. 172.

q Io. Vill. l. 11. c. 106.

r Lib. 5. ep. sect. 65. 69

Restituta vrbi pax.

s Io. Vill. l. 11. c. 103.

Exorti in Liguria motus.

t Eod. lib. c. 101.

Foliet. hist Ian. l. 7.

mediterraneo mari ad Turcarum gratiam inuaderent pontificias & Venetas naues, vti dictum est superius, & in oceano Saracenis Africanis & Granatensibus contra orthodoxos Hispanos magno Christiani nominis opprobrio operam locarent: quamobrem ipsos Benedictis subiectis literis increpuit a.

Nonnulli fauêt barbaris.

a To.5.ep. secr. 354.

Benedictus, &c. dilectis filijs communi ciuitatis Ianuensis.

Increpiti a Pont.

Multorum assertio, horrore non vacua, his diebus perduxit ad nostri apostolatus auditum, quod nonnulli Ianuenses conciues seu districtuales vestri, laborare damnabiliter contra suæ professionem fidei non verentes, illi profano hosti & aduersario Dei & fidei Christianæ Regi Garporum, & suo execrando exercitui Saracenicæ nationis (qui ad inuasionem & occupationem terrarum charissimi in Christo filij nostri Alfonsi Regis Castellæ illustris ac offensam, confusionem, & exterminium fidelium degentium in eisdem crudeliter aspirantes, ad hoc damnatos virium suarum conatus festinarunt & festinant dirigere quantum possunt) non erubescunt assistere, ac eis præstare contra Regem Castellæ præfatum eiusque catholicos subditos orthodoxæ fidei defensores damnanda, proh dolor! auxilia, consilia, & fauores; non attendentes quam grauibus animarum suarum periculis se subijciunt, ac quot & quantis pœnis & sententijs spiritualibus & temporalibus per constitutiones sedis Apostolicæ aduersus tales falsos, perfidos, & impios Christianos inflictis; præter nimiam infamiam, quæ contra ciuitatem vestram & ciues eiusdem ex vulgari voce populi Christiani ex his oritur & suscitatur; tanquam suæ salutis & famæ prodigi se exponunt]. Addit preces, vt cum Rex Castellæ ad ipsos oratores ad conducendas naues & conficiendam classem ad infidelium impetus infringendos mittat, suum erga rem Christianam studium explicent, ac subditos a ferendis barbaris auxilijs arceant, cum in Cardinalium consistorio se ad id oratorum opera sacramento adstrinxerint: ita se gerant denique vt a diuino Numine gratiam ineant, ac veram laudem apud homines colligant. *Dat. Auin. xv. kal. nouembris anno v.*

Solicitati vt Castellano se coniungat

Auctor est vrgendi belli in Mauros.

Inter Castell. & Arag. fœdus in Mauros.

71 Pacti erant b aduersus Abomelicum Albohaceni Marrochitani filium Alfonsus Castellæ & Petrus Aragonum Reges, vt in freto Gaditano mensibus maio, iunio, iulio, augusto, septembri triginta triremes ad barbarum ingressu in Hispanias prohibendum tenerent, quarum viginti Castellanus instrueret, decem Aragonius; alijs vero mensibus Alfonsus septem, quatuor Petrus munitas milite et commeatu haberent. Sed tardius c ea comparata sunt auxilia, transeuntibus Mauris, antequam classis Hispanica adueniret. Interea non cessabat Pontifex Castellæ et Lusitaniæ Reges ad pacem vel inducias firmandas adhortari d, vt pariter in communem hostem arma conuerterent: *Præsertim*, inquit, *cum Agareni fidelium inimici, regnorumque prædictorum æmuli, concepta sicut ferebatur ex dissidijs eisdem ingenti lætitia, & audacius Christianos inuadendi præsumpta fiducia niterentur, sicut adhuc nituntur, vt asseritur, eadem regna & fideles eorum offendere periculosius.* Desudabat in ijs conciliandis Bernardus Cardinalis apostolicus internuntius, sed obstabat adultera Gusmania, quæ Castellanum ad Mariam Reginam Lusitani filiam male habendam impulerat, quamque Pontifex grauissimis literis e eijci iusserat, quas etiam diuulgari a Cardinale voluit, vt omnibus pijs constaret, scelus horrori esse. Cedere visus est Castellanus apostolicis monitis, posterioribus enim literis ad pacem cum socero iungendam paratum se offerenti, seque in Saracenos bello accingenti Pontifex est gratulatus a.

b Vill. l. 11. c. 98.

c To.5.ep. secr. 116. 117. Lusitani & Castell. discordia rei Christianæ infausta.

d Ib. ep. secr. 118.

Pellex regia pelli iussa a Pont.

Paret Castellæ Rex a Ib. ep. secr. 259.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

Gratulatur ipsi Pont.

72 Nos, qui licet insufficientibus meritis, illius vices in terris gerimus, qui cogitationes pacis, et non afflictionis se cogitare testatur, reformationem pacis prædictæ, velut vtrique vestrum totique Christianitati non parum accômodam, desiderijs feruentibus affectamus; de tuæ circumspectionis mansuetudine, laudabilique in hac parte proposito, exultationis et lætitiæ rore perfusi, prudentiam et beneuolentiam regiam super his cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendamus; regalem rogantes magnificentiam attentius et hortantes, quatenus in eodem proposito illud vsque ad pacis votiuum effectum, quantum cum honestate decentiaque tua fieri poterit, prosequendo persistas: exinde quidem te Deo acceptiorem efficies, et diffundes per orbem diffusius celebrem famam tuam. Nos autem destinandos ad præsentiam nostram pro negocio huiusmodi nuncios regios benigne recipere, fauorabiliter & patienter audire intendimus, & circa reformationem prædictæ pacis & concordiæ vijs & modis, quibus vtilius & decentius poterimus, laborare.

Cæterum adiecit, nobis referendo delectabiliter Cardinalis prædictus, quod tu, fili amantissime, inclytæ memoriæ progenitorum tuorum, qui zelo accensi fidei orthodoxæ pro ea defendenda & dilatanda, spretis personarum periculis & expensarum profluuijs, sicut eorum gesta testantur magnifica, & rei euidentia notoriat, insudarunt strenue, vestigia cupiens imitari, aduersus Agarenos eosdem pro defensione ipsius fidei, & tuorum cum tuo potenti exercitu regio te potenter & viriliter accinxisti. Nos autem his lætanter auditis, ei, qui tibi propositum inspirauit huiusmodi, labiorum vitulum in humilitate spiritus exoluentes, regalem magnificentiam exhortamur in Domino & rogamus, vt de diuinæ virtutis potestate confisus, ac spiritu fortitudinis & robore magnanimitatis accinctus, inchoatum Dei negotium huiusmodi sic constanter & intrepide prosequaris, quod exinde apud Deum perennis mercedem præmij, & apud homines condignis præconiorum attolli titulis mereris. *Dat. Auin. v. id. augusti anno v.* Cæterum conuenerat b Castellani socer Alfonsus Lusitaniæ Rex suos ad aulam pontificiam pro stabilienda concordia oratores missurum; vtque regnum aduersus impiorum excursiones tutaretur se comparauit.

b Ib. ep. 260.

73 Studebat etiam Benedictus ob imminens barbaricum bellum alios Hispaniæ Reges conciliare arctiori fœdere, neque enim Belmarini Regis filius vnius vrbis, sed Hispaniarum Regem se vocabat, quas Maurorum dira eluuie inundare parabat. Gliscebat vero inter Petrum Aragonum & Iacobum Balearium Reges discordia, ad quos ad fœdus adducendos incubuit, Aragonium quidem, ne asperius sua iura a Iacobo Baleari exigeret, vtq; controuersiam communium amicorum arbitrio committeret admonuit c, ne si res erumperet in bellum, ingentia inde discrimina emergerent.

Differsio inter Aragon. & Balearem.

c Ib. ep. 109.

Bene-

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Aragonum illustri.

Aragoni⁹ ad concord. solicitatus.

Tam literali quam verbali relatione displicibili admodum & infesta percepimus, quod hostis antiquus humani generis, æmulus charitatis & pacis, ibi suæ virus nequitiæ diffundere satagens, vbi se amplius existimat obfuturum, inter te, charissime fili, & charissimum in Christo filium nostrum Iacobum Regem Maioricarum illustrem, propinquis tibi, sicut nosti, nexibus sanguinis & affinitatis coniunctum, periculosa nimis dissidia nititur suscitare; sicque vos inuicem periculosius commouere, vt prætextu illorum, quæ per te, fili dilectissime, petuntur ab eodem Rege pro regno & terris suis, Rege ipso dicente, vt asseritur, se credere modo, quo petuntur, ad ea non teneri; ad guerrarum Deo displicibiles, & vtrique vestrum periculosissimos fremitus & congressus bellicos prorumpatis hinc inde.

Deterrit⁹ ab inferendo bello.

Nos igitur, qui te præfatumque Regem, & domos vestras regias paternæ dilectionis affectu prosequimur, & gerimus in visceribus charitatis, innumera dispendiosa discrimina, quæ commotiones huiusmodi, si quod absit, procederent, secum trahunt (præsertim his temporibus, quibus ille hostis profanus, & crudelis aduersarius orthodoxæ fidei, Marrochitanus Rex scilicet, ad Christianorum exterminiũ ac inuasiones, offensiones, & occupationes terrarum tuarum & ipsius Regis Maioricarum, vt habet rumor vulgaris, aspirans, multos ad hęc apparatus facere dicitur) attendentes diligentius, & eis obuiari salubriter cupientes, regiam rogamus excellentiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus ea, quæ præmisimus; nec non quam grauiter Deum offenderes, quantamque maculam in tui nominis gloria poneres, si Regem eundem Maioricarum sic, vt præmittitur, tibi coniunctum, cuius progenitores & prædecessores de tua domo Aragonum inclyta descenderunt, offenderes per inuasiones hostiles, quantaque gaudij, & exultationis materia exinde præfato Regi Marrochitano & Saracenis alijs suis valitoribus & complicibus præstaretur; & insuper quanta expensarum & sumptuum profluuia bellicus vnius Regis aduersus alium apparatus exposcit, quodque belli euentus existere dubius noscitur & incertus, in examen rectæ considerationis adducens; & aduertens nihilominus diligenter, quod nondum inter te ac charissimum in Christo filium nostrum .. Regem Castellæ illustrem, qui fauere Regi prælibato Maioricarum dicitur, nondum concordia plenarie solidata, vt fertur, maius posset ex præmissis dispendiosum scandalum suboriri; & demum hæc & alia multa, quæ tibi circa præmissa possunt occurrere, ponens & statuens prudenter & prouide ante oculos mentis tuę, propositum tuum, si forsan circa guerram faciendam contra Regem Maioricarum predictum conceperis, omnino velit tua serenitas deferere, & in melius commutare: vt videlicet per communes amicos, viros vtique fideles & expertos in talibus, qui litigia et iurgia odiant, pacem zelentur et concordiam, ac tuum et memorati Regis Maioricarum statum affectent pacificum, ac honorem et commodum diligant, hinc inde communiter eligendos, exorta dissensionis huiusmodi materia per viam pacis & tractatus amicabilis sopiatur, &c. *Dat. Auin. xi. kal. aprilis anno v.*

Proposita ex eo grauiora incommoda.

74 Agebatur a in ea controuersia, an Baleares insulæ & aliæ terræ, quas Iacobus obtinebat, Arogoniæ coronæ iure fiduciario addictæ essent: contendebat Petrus Rex esse, ac maiorum iura afferebat: at Iacobus vi & iniuria ab Aragonijs rem vsurpatam querebatur. Vrgente autem Petro, ac diem Iacobo, vt clientis officia præstaret indicente, Pontifex conciliandæ controuersiæ cupidus Aragonium exorauit, vt ipsam extraheret, cum Iacobus grauissimis occupationibus esset implicitus. Cessit Petrus Rex sedis Apostolicæ precibus, ea tamen lege, vt Iacobus, excurrente ante vel post dominicum pascha decem dierum spatio, literis polliceretur, se lapsuro ad S. Ioannis natalitia tempore liberalitate Regis Aragonum regnum ac principatus accepisse præsens agnosceret. Qua de re Petro Benedictus gratias egit a: atque interim vrgere non destitit Regem Balearium, cui hæc omnia significauit b, vt fidem Petro Regi deuinciret: iam enim ante ipsum Iacobi & Alfonsi Regum fiduciarium Regem se professum esse: patruum itidem Sanctium & Iacobum auum Balearium Reges regnum Regibus Aragonum acceptum retulisse: agnosceret vetera pacta, ac dissensionis causam omnem aboleret.

Discessum de premo Balearium imperio

a lib. ep. 92 b Super ep. 95. Monitus Balearis de præstanda Aragonio clientis sponsione.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Iacobo Regi Maioricarum illustri.

Circumspectionem hortamur regiam, paterno eidem nihilominus consilio suadentes, quatenus consideranter attendens, quantum expediat, vt inter te, ac Regem præfatum obseruetur vnitas in vinculo charitatis & pacis, quantaque dispendiosa discrimina secum ferret dissensio, si procurante pacis æmulo, inuicem suscitaretur, quod absit; & nihilominus in rectæ iudicium rationis deducens conuentiones & pacta prædicta, iuxta quæ inclytæ memorię Iacobus auus, & Sanctius patruus tui Reges Maioricarum Regibus Aragonum, vt asseritur, præstiterunt; & tu, fili, primo sub potestate tui tutoris existens, cum eius auctoritate recolendæ memoriæ Iacobo & successiue per te Alfonso Regibus Aragonum auo & genitori, ac immediatis prædecessoribus dicti Petri Regis Aragonum, qui nunc est, cum innouatione conuentionum & pactorum huiusmodi diceris præstitisse, sicut hæc tua prudentia melius & prudentius nosse debet; te sic consulte, ac mature gerere studeas in hac parte, quod scintilla dissensionis, quę nobis esset proculdubio displicibilis admodum & infesta, ob culpam vel defectum tuum, nullatenus valeat suboriri. Et ecce, fili dilectissime, quod pro maiori tua informatione tibi literas, quas nobis misit supradictus Rex Aragonum, inclusas præsentibus destinamus. *Dat. Auin. viii. id. martij anno v.*

Propositi maiorum exempla.

Impędęs ab Afris discrimę. c lb. ep. 110.

75 Vrgere iterum iterumque perrexit c eundem Regem Benedictus ad concordiam: imminere ex Africa Regem Marrochitanum, qui dissentientem vtrumque opprimeret: timendum esse ne obnoxij populi ab ipso ad Aragonium deficerent, neque opes tanto suscipiendo bello pares esse: regiam dignitatem ab Aragonia stirpe accepisse, rationique consentaneum, vt illi acceptam referret.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Iacobo Regi Maioricarum illustri.

Licet ad eum [Petrum nimirum Regem Aragonum] retrahendum a proposito guerræ huiusmodi, si illud forsitan concepisset, & ad viam tractatus pacis amicabilis promptius inclinandum, multa eidem pericula, sicut in eadem cedula videre plenius poteris, ostendamus; tibi ta-

a Eod. to 5 ep. secr. 95

tamen,fili dilectiſſime, illa eadem & longe maiora exinde pericula,præſertim his temporibus,quibus ille profanus hoſtis fidei Chriſtianæ . . Marrochitanus Rex ad tuorum & ipſius Regis Aragonum terrarum inuaſiones & occupationes, vt rumor fert vulgaris aſpirat,imminere noſcuntur . Credimus itaque, te tuarum facultatum nequaquam eſſe ignarum : debere perpendere ſumptus expenſarum innumerabiles, quos expoſcit proculdubio talis guerra, cuius finis omnino eſt dubius & incertus, & ſi dictæ ad hoc ſufficerent facultates. Nec minus tibi attendenda eſt potentia dicti Regis,& aduertendum diligentius, ſi prædictis tuis facultatibus ad id ſuppetentibus in tali turbatione ſubditi tui aduerſus Regem ipſum reperirentur in aſſiſtentia tua & fidelitate conſtantes,cum de contrario ſit timendum.

Balearis ad pacem ſolicitat.

Expoſitũ ſubditos facile ab eo defecturos.

Rurſus eſtimamus eſſe intra tua præcordia profundius reuoluendum ea, quæ circa illam materiam, de qua præfatus Rex agit, tam per te, quam per tuos progenitores & prædeceſſores facta ſunt temporibus retroactis : & nihilominus quod, cum domus tua regalis a domo Aragonum deſcenderit, & inde præmunita fuerit dignitate regali,deferre ſuper ijs,quæ decent, teneris eidẽ, &c. *Datum Auin. xi. kal. aprilis anno v.* Paruit demum pontificijs monitis Iacobus : clientelarem enim ſponſionem hoc anno Petro Regi exhibuit a ſolemni ritu, quam ſummo rigore ſeruari Aragonius voluit in ſacello regio, cum Iacobus poſtulaſſet ne in aula publica obſequia debita præſtaret . Contemptum vero ſe arbitratus a Petro Balearis,poſtea a promiſſa fide reſilijt .

Balearis Aragonio fidem ad dicit. a Sur. t.7. f.47.

76 Conciliatis igitur Hiſpaniarum Regibus, Africanos & Granatenſes contundere facilius fuit: triginta triremes,quas Aragonum & Caſtellæ Reges inſtruere pactos vidimus ad freti Gaditani fauces obſidendas, cum pluribus maioris alueiac minoris nauibus percurrere ea maria; ſed tardius, Garpi enim barbari exAfrica fretũ maximo numero traiecerant. Notat porro Io. Villanus b omnes Saracenos ab Africa ad extremã Arabiam cõmunibus armis & ſumptibus bellũ pro tuendo Granatenſi regno & inſtauranda in Hiſpanijs ſuperſtitione gerere ſolitos,vt Chriſtiani pro reſtituenda Chriſtianæ religioni Syria proficiſci ex vniuerſis occidentis regnis conſueuerant:deploratq; tandiu illud magno Chriſtianorum, a quibus cinctum erat, dedecore ſtetiſſe. Tum carpit Pontificem, quem bella alere queritur: at qua ratione,e ſuperioribus hominis calumnia detegitur . Sed his miſſis ad partam a Chriſtianis de barbaris nobiliſſimam victoriam properet oratio . Promota erant Lindam Chriſtiana caſtra c,cingiq; obſidione vrbs cœperat,cum barbari magna multitudine ad ferendam obſeſſis opem procurrere . Superior numero erat hoſtis , doloque vincendus fuit . Comparatæ itaque ſunt certo loco inſidiæ , & Chriſtianus exercitus,cum fugã ſimulaſſet,barbarum diſſolutis ordinibus inſequentem , conuerſa fronte,adortus eſt;erũpentibuſque alijs ex inſidijs innumera multitudo eſt profligata, viginti millia infidelium cæſa captaue,in ijſque Regis Mauritani ſiue Belmarini filius , qui Regis Hiſpaniarum nomen inuaſerat), ac duo Saraceni alterius Regis filij trucidati . Præcipuus tantæ victoriæ auctor fuit Gundiſaluus ordinis Alcantaræ magiſter , qui mox tanto triumpho plures gloriæ inuidos ſibi peperit. Periclitantem autem in iudicio Pontifex apud Alfonſum Regem defendit,inſtititque d ineunte ſequenti anno,ne Gundiſaluum optime

Garporũ in Hiſp. expeditio. Io. Vill. l. 11. c. 98.

Saraceni pro tuendis Granaten. fœderati .

c Io. Vill. l. 4. cap. Marian. l. 16. c. 6. Surit. l. 7. c. 50.

Parta de iis victoria .

d To 5. ep. Ieſu. 434.

de ipſo meritum,relatæ victoriæ fama inſignem , exagitaret .

Benedictus, &c. Alfonſo Regi Caſtellæ illuſtri .

77 Sane relatu fidedignorum percepimus his diebus , quod dudum dilectus filius Gundiſaluus Martini magiſter domus militiæ de Alcantara,de mandato & beneplacito regio ad exercitum frontariæ contra Saracenos perfidos, qui ad occupationem & offenſionem regnorum & terrarum tuorum ac Chriſticolarum degentium in eiſdem præſumptuoſis & temerarijs auſibus aſpirabant , cum certo numero tam regiorum,quam ſuæ religionis militum ac aliorum armatorum accedens , fideliterque ibidem agens & ſtrenue , poſt diuerſos conflictus cum eiſdem Saracenis in ampliori longe numero ibidem, quam Chriſtiani exiſtentibus , virtute Domini ſub tuo nomine habitos , de hoſtibus victoriam obtinuit triumphalem; in qua illius hoſtis Regis Belmarini filius, qui ſe quorundam locorum & ſpecialiter Hiſpaniarum Regem denominari abuſiue faciebat , ac duo filij cuiuſdam Regis alterius, & nonnulli alij Saraceni tam magnates & nobiles apud eos , quam inferioris ſtatus in grandi multitudine mortis infelicis in ore gladij perſoluerunt occaſum : quodque ſubſequenter magiſter ipſe , zelo Dei feruens & fidei , & honorem cupiens regium totis viribus ampliari, ad confortandum fideles illarum partium , & fortalitia regia muniendum procederet, & vlterius ad perſecutionem & confuſionem hoſtium ſe diſponeret eorundem, intendens exinde victoriam huiuſmodi, tibi deſuper per ſuum & commilitonum ſuorum miniſterium conceſſam,ac ſignarum interfectorum Saracenorum prędictorum magnatum, quæ ſub regio nomine ac honore acquiſiuerunt, tuæ celſitudini,ſicut erat decens & debitum, pręſentare,atque præter diuinæ retributionis pręmium ſibi, gratiam, fauorem, & amorem regium vberius vindicare ; triſtis & dolens audiuit, quod quidam miles mandato fultus regio ad ipſum captiuandum, vel interficiendum, ſi alias captiuari nequiret, fuerat ſpecialiter deſtinatus: fratribuſque ſuæ religionis prædictæ pro parte remandatum extiterat, vt ipſum tanquam magiſtrum non admitterent, ſed eum potius caperent,& pro alio magiſtro eligendo apud Alcantaram conuenire curarent .

Gratulatur victoriam Pontif. Regi Caſtellæ .

Barbaror. Regum filij cæſi.

Gundiſlauus præcipuus victoriæ auctor ab inuidis circumuentus .

78 Profecto, fili dilectiſſime , ſi hæc , quæ vix credere poſſumus, veritate nitantur,magnam nobis & alijs audientibus miniſtrarunt admirationis materiam non indigne : obſequioſis ſiquidem & benemeritis debentur prærnia & fauores, vt debito fatisfiat gratitudinis, & alij ad ſimilia vel maiora exhibenda obſequia feruentius animentur,&c.] Addit preces , vt cum optime de ipſo totoque regno Gundiſaluus meritus ſit, inuidorum telis excipi non patiatur; ſed prærnijs potius illius virtutem exornet : ſi qua in re regiam læſerit dignitatem , ſeueritatem clementia temperet, non ad crudelitatem detorqueri ſinat : denique illum vt virum religioſum, ſi iuſtitia exercenda ſit , non ad regium, ſed apoſtolicum tribunal accerſendum ; quem ſi male tractet, magnum dedecus oppreſſo homine de ſe benemerito ſuſcepturum , cenſuriſque eccleſiaſticis irretitum iri . *Dat. Auin. iv. non. ianuarij anno v.* Deterrere alijs literis a eſt conatus Pontifex Gundiſalui æmulos, ne illi moleſti eſſent . Præterea Barnabam epiſcopum Oxomenſem in Caſtellana aula auctoritate florentem ſolicitauit b,vt Gundiſaluo

Suſceptũ illius a Pont. patrociniũ .

a lb. ep. 436.

b lb. ep. 435.

ſtudium & opem explicaret, pontificijſque voluntatibus obſecundaret. Sed nil pontificiæ preces valuere, ob partam enim gloriam, qua Regem antea a Saracenis victum ſuperare videbatur, veris ſeu falſis criminibus appetitus, ignibus perijt a: indigno genere ſupplicij, etiam ſi reus fuiſſet, poſtquam Hiſpanias e Saracenorum inuaſione vindicaſſet.

Indignũ Gundisla ui ſupplicium.

a Marian. l. 16. c 7.

79 Efferati accepti clade Saraceni filij mortem Marrochitani Regis vlciſci cupientes, maximos exercitus in Hiſpanias ſequenti anno miſerũt qui diuina virtute proſtrati. Barbarico autem bello Caſtellæ Rex implicitus, cum vectigalia, ſacerdotum, qui ex regno Caſtellæ non erant oriundi, vel eccleſijs cultum diuinum non impendebant, occupaſſet; necnon tertias templorum ſartis tectis reficiendis ſacras, a Benedicto ſubiectis literis perſtrictus eſt b.

Caſtellæ Rex opes eccleſias inuadit.

b To. 5. ep. ſecr. 261.

Benedictus, &c. Alfonſo Regi Caſtellæ illuſtri.

Diſplicibilis nimis inſinuationis aſſertio his diebus perduxit ad noſtri apoſtolatus auditum, quod tu, fili dilectiſſime, per aliquos forſan impulſus, qui plus circa te lucra quærunt venari propria, quam tuis ſaluti & famæ conſulere ac indemnitatibus prouidere, per diuerſas partes regnorum & terrarum tuorum fructus, redditus, & prouentus dignitatum, præbendarum, portionum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum in regnis & terris eiſdem conſiſtentium, & ad quoſcumque, qui non ſint oriundi exinde, nec perſonaliter eis deſeruiunt, ſpectantium & aliorum beneficiorum etiam, quæ ibidem ad diſpoſitionem ſedis Apoſtolicæ ſpectantia vacare noſcuntur; nec non illas partes prouentuũ eccleſiaſticorum, quæ vocantur tertiæ, fabricis eccleſiarum ex antiqua partium illarum obſeruantia debitæ, pro parte regia colligi, recipi, & cuſtodiri mandaſti, pro tuæ voluntatis arbitrio poſtmodum diſpenſandis.

Corripitur a Põt.

Hæc itaque, fili amantiſſime (quæ ſi vera ſunt, in diuinæ maieſtatis contumeliam, ac noſtram & eiuſdem ſedis totiuſque vniuerſalis eccleſiæ iniuriam & offenſam, ac libertatis eccleſiaſticæ læſionem redundant) manifeſte nobis & eidem ſedi magnam admirationis & turbationis materiam, cum alias attentari ſimilia in aliqua parte Chriſtianitatis nequaquam audiuerimus, miniſtrant non immerito, & in cordibus audientium ſtuporem ingerunt & horrorem. Vtinam, fili, charitatem progenitorum tuorum (qui non ſolum ab offenſis abſtinentes eccleſiæ, ſed eam potius in obſeruatione ac ampliatione immunitatum, libertatum, & iurium honorantes, a Deo & ipſa eccleſia meruerunt vice mutua honorari) diligenter attenderes, & repulſis quorumuis malitioſis & doloſis ſuggeſtionibus, ſtuderes perſpicacius eorundem progenitorum recolenda veſtigia imitari; vt matrem tuam eccleſiam, & Deum patrem in ipſa eccleſia honorando ſimiliter in præſenti tibi augerentur honores, & vitæ longitudine, quæ parentes honorantibus promittitur perfrui, & in futuro perennis mercedis lætari præmio mererēris, &c.] Adiungit preces, vt manus ab eccleſiaſticis vectigalibus temperet, illatamque famæ ſuæ maculam quamprimum deleat, poſſitque cum propheta canere: *Impulſus eram vt caderem: manus autem miſericordioſa Domini me ſuſcepit;* qui ſi in cœptis obſirmatus perſtiterit, non poſſe apoſtolico ſe muneri deeſſe, vt quamuis veluti filium amantiſſimum charum habeat, errantem non caſtiget. *Dat. Auin. id. auguſti anno* 1.

80 Certabat contrarijs ſtudijs Caſimirus Poloniæ Rex eccleſiam regijs beneficijs deuincire, illamque vt matrem amantiſſimam ſingulari benenolentia complectebatur: quem Benedictus his elogijs commendauit a.

Polonię Rex egregie mentus de eccleſia.

a To. 5. ſecr. 24.

Chariſſimo in Chriſto filio Caſimiro Regi Poloniæ illuſtri.

Exultamus in Domino admodum & lętamur quod ſicut fama diuulgat celebris, & dilecti filij magiſtri Galhardi de Carceribus præpoſiti eccleſiæ Titulenſis Colocenſis diœceſis, noſtri & Apoſtolicæ ſedis in partibus regni tui nuncij, grata nuper inſinuatio patefecit, tu fili chariſſime diuinis præuentus benedictionibus, & ab eo, a quo cuncta bona procedunt, ſic virtutibus es dotatus, quod timorem & amorem diuinum habens ante oculos mentis tuæ, pacem & iuſtitiam colis & diligis, & ingentis deuotionis affectu reuereris tanquam filius benedictionis & gratiæ ſanctam Romanam eccleſiam matrem tuam, ad ea, quæ ipſius honoribus & beneplacitis congruunt, te promptis & deuotis operibus impendendo. Super quibus, vtique Deo ac nobis & ſedi Apoſtolicæ gratis non indigne plurimum, & acceptis, ei qui tibi rectum dedit ſpiritum, in laudis iubilum aſſurgentes, & ſerenitatem tuam regiam cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, exhortamur regalem magnificentiam attentius & rogamus, quatenus in huiuſmodi tuo laudabili propoſito, per quod Deum tibi ſẽper magis propitium conſtitues, & vberiorem dictæ ſedis vendicabis gratiam, conſtãter & ſtabiliter perſeueres circa conſeruationem & tuitionem tuorũ & regni tui ac eccleſiæ memoratæ honorum & iurium, de diuina & ſedis prædictæ confiſus gratia; viriliter nihilominus intendendo, & aſſiſtendo, ſicut opportunum & honeſtum extiterit, in agendis pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reuerentia nuncio memorato. *Dat. Auin. xvi. kal. ſeptembris anno v.*

Gratulatoriæ literæ.

81 Delegit hoc anno in ſolemnibus ordinum Poloniæ conuentibus Caſimirus, cum prole maſcula careret, ſceptri ſucceſſorem Ludouicum filium Regis Vngariæ, de quo hæc Michouias b: *Anno* MCCCXXXIX. *Rex Cazimirus, facto generali conuentu omnium terrarum regni in Cracouia pro feſto ſancti Stanislai in maio, eo quod filium ſucceſſorem non haberet, Ludouicum Caroli Regis Vngariæ filium & nepotem ſuum ex ſorore germana regnatorum poſt ſe nominauit. Cum enim militum auxilia pro ſubſidio regni Poloniæ a Carolo Rege Vngariæ Rex Cazimirus poſtularet, interrogauit quid præmij pro talibus beneficijs Rex Carolus habiturus eſſet; Cazimirus Rex Poloniæ Ludouicum filium eius tanquam nepotem ſuum poſt ſe regnaturum renunciauit. Ob hoc Carolus Rex Vngariæ filios ſuos Andream in Sicilia, Stephanum in Vngaria, & Ludouicum in Polonia regnare in animo deſtinauit: quod ſic euenerat: ſed alijs morte præoccupatis, Ludouicus in Vngaria & Polonia regnauit: Anna autem Regina conforte ſua & filia Gedemini principis Lithuaniæ eiuſdem anni decima octaua menſis iunij in caſtro Cracouienſi mortua atque ſepulta, & vnicam filiam Elizabeth relinquente, Caſimirus Rex cum certis epiſcopis & magnificis perſonaliter ſeptima menſis iulij in Viſſegrod Vngariæ perueniens, præfatum Ludouicum Regem Poloniæ, ſe abſumpto, ſub certis fœderibus ac conditionibus ſucceſſurum oretenus deſignauit, & non duces Mazouiæ, nec Oppolienſes.* His conſentientia refert Cromerus c, & Caſimirum ijs, qui Zemonitum aut Ianuſſium duces Mazouiorum vel Vvladislaum Oppolienſem e vetuſta Regum Poloniæ proſapia oriun-

Ludouici Vngarũ delectus ſceptri Polon. ſucceſſor.

b Mich. l. c. 18.

Vngarũ tribus filijs trialgna comparat.

c Crom. l. 12. in Caſimir. Bonfin. 2. l. 9.

ordinados ad sceptri successionem vocabant adversatum in solemnibus regni conuentibus, cum Silesij duces ob secutas Boemorum partes eo honoris fastigio indignos se reddidissent: ex Oppolienſibus regni clientibus nihil dignitatis Poloniæ accederet; Caroli vero Vngari filios, matre Polona ortos, regnum Poloniæ Hungaricis viribus & opibus tutaturos amplificaturosque.

De Caroli Vngari pietate.

82 Efferebat in dies diuina prouidentia Carolum Regem ad maiorem amplitudinem, cum ille ab annis teneris suas in Numine spes collocasset: cuius pietatis in Deum, cultusque in B. Virginem insigne monumentum producimus.

Charissimo in Christo filio Carolo Regi Vngariæ illustri.

a An. 8. ep. com. 72.

Paternæ a charitatis affectu, quo tuæ celsitudinis personam zelamur in domino Iesu Christo, prosperi tui status diligentes augmentum, tuique regni tranquillitatem assiduam affectantes, petitiones tuas, quas ex intentionis deuotæ puritate prodire perpendimus, libenter audimus, & fauorabiliter exaudimus. Sane, sicut exposita nobis tuarum literarum series indicauit, tu iamdudum tempore, quo in puerili quasi constitutus ætate, cum ad regnum Vngariæ, quod magnates ipsius, tunc a recto deuij iustitiæ inter se diuiserant & tenebant, ductus fuisses, considiciens te in recuperatione dicti regni & eius regimine assequendo auxilij diuini succursus, eiusque suffragante gratia indigere cum ob hoc, tum etiam vt ipsorum magnatum, tunc temporis tibi parere non curantium, astutias & insidias sine tuo periculo personali euadere posses, diuersis temporibus & vicibus Deo viuo & vero, ac beatissimæ Virgini Mariæ genitrici suæ, ipsiusque sanctis vota emisisti deuota de dicendis oratione dominica et angelica salutione ad dictã Virginem, ac legendo antiphonam, Salue Regina; quæ quidem oratio et salutatio certis diebus ad centenum, & quibusdam alijs similiter diebus ad ducentenum iam numeros peruenerunt, certis etiam lectionibus de eadem antiphona adiunctis eisdem; vnde cum ex repetitione frequenti seu quotidiana orationis, salutationis, lectionis, antiphonæ, aliarumque lectionum præfatarum instantia in consilijs & negotijs eiusdem regni ac terrarum tuarum, & alias in eorum regimine atque iustitia ministranda impediaris multipliciter, ac etiam occuperis; nobis deuote ac humiliter supplicasti, vt vota huiusmodi commutare, teque super eis alleuiare iuxta circumspectionis apostolicæ prouidentiam dignaremur.

Vt in regni exordio votũ de fundẽdis certis precibus nuncupauerit.

Proponit earum numerum nimium cre uisse.

Quamuis igitur feruentibus studijs amplectamur opera pietatis, ea tamen cum sunt nimium onerosa de ratione & ex potestate nobis cœlitus elargita in alia etiam pia impẽdia possumus commutare. Quare tuis deuotis supplicationibus inclinati, frequentiam & quotidianam instantiam huiusmodi orationum & salutationum præfatarum dictis diebus ad quindenum numerum restringimus & etiam limitamus, & ab vlteriori & numerosiori earum obsequio diurno vel nocturno auctoritate apostolica te absoluimus, tecumque super hoc dispensamus de gratia speciali. Volumus autem, & tibi eadem auctoritate iniungimus ad salutem, quod illis diebus, quibus te per votum obligasti ad dicendum orationes & salutationes præfatas vltra quinquagesimum numerum, duodecim pauperes præter illos, quos communiter consueuisti benigne reficere, pie pascere, seu illis refectionem diuinæ pietati amabilem impendere tenearis. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. xvi. kal. februarij anno v.*

Commutatum ad illius gratiam votũ

83 Delatæ fuerant de Rege Vngaro apud Pontificem graues querelæ, occupata fuisse, vacuo Colocensis & Bachiensis coniunctarum ecclesiarum archiepiscopali solio, prædia & castra, quæ iuris erant ecclesiastici, a regijs administris, dissimulante eodem Rege: ac tum ipsum monuerat Benedictus, vt a sacris opibus temperaret manus, atque antecessorum suorum, qui ecclesias locupletarant, exempla sequeretur. Qui cum Pontifici rescripsisset, id ad tuendum limitem regni Vngarici, e Rasciæ Rex schismaticus ijsdem oppidis inuadendis inhiaret, gestum; partes datæ a sunt a Benedicto Strigonienſi archiepiscopo, vt eiusdem Regis rationes in publica documenta redactas ad sedem Apostolicam transmitteret. Cum vero idem Rex continua cum fidei hostibus prælia gereret, ad sacro ardore accendendos eius milites Christi vicarius felicem ijs immortalitatem, criminumque gratuitam veniam in religiosa ea expeditione occubituris proposuit. b

Commendatæ illi ecclesiæ.

a Ib. ep. 162.

b Ib. ep. 161.

Benedictus, &c. vniuersis Christifidelibus per regnum Vngariæ constitutis.

Innotuit nobis ex insinuatione humili & deuota charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Vngariæ illustris, quod cum paganis & schismaticis, regno & terris suis contiguis & vicinis, guerram quasi continue ipsum cum gentibus suis exercere contingit, et specialiter cum quibusdam schismaticis a deuotione sanctæ Romanæ ecclesiæ deuiantibus: ac insuper subintelleximus plenius fidedigne, quod ab schismaticis & infidelium nationibus circumpositarum regionum persecutiones personales, reales, & periculosas & damnosas dictum regnum perpessum extitit temporibus retroactis, & talis persecutio recipit modica interualla; quodque idem Rex vestro stipatus præsidio vna vobiscum præfatis schismaticis & infidelibus se murum defensionis ad honorem et robur dictæ fidei opposuit, et opponere satagit, dimicando contra illos viriliter et feruenter.

Propositæ indulgentiæ Vngaris dimicaturis cõtra impios.

Nos igitur, ex ijs pietate paterna compatientes ipsius Regis ac vestris laboribus, periculis, et iacturis, vestraque corda roborare charitatis igniculo cupientes, vt cognoscatis temporalem vitam fragilem et caducam in aliam perpetuam et immarcescibilem commutare; de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, vobis omnibus cæterisque Christifidelibus, quos pro defensione prædictæ catholicæ fidei in bello, seu pugna in eodem regno Vngariæ alijsque fidelium terris et partibus, eidem regno adiacentibus seu vicinis eisdem, habitis contra schismaticos et infideles præfatos, aliasque permixtas nationes ipsorum infidelium, vel ex vulneribus in eisdem bello vel pugna receptis mori contigerit, vestrorum omnium, de quibus vere contriti fueritis et confessi, plenam concedimus veniam peccatorum, præsentibus post sexennium minime valituris. *Dat. Auin. xvi. kal. februarij anno v.*

Daniin Christophor. conIurant.

84 In Dania ijs temporibus magni motus fuere concitati, et Christophorus Rex, ob nimiam tyrannidem suis inuisus, regno depulsus est. Inde magis excreuit seditio; et Scania, vt præpotentis principis clientela ab inuasorum iniurijs vindicaretur, Magni Suecorum, Gothorum, et Norvvegorum Regis obsequijs se addixit: isque vt quartum diadema in capite firmaret, flagitauit a sede Apostolica, vt cum Dania sedis ipsius stipendiaria

Magnus trium regnor princeps.

esset, Scaniæ dominatum ipsi confirmaret; ac si reliquam Daniam, pulsis tyrannis, qui ipsam opprimebant, sceptris posset adiungere, pontificia id auctoritate corroboraret. Cui respondit Benedictus [a], non vocata aduersa parte de alienis rebus quidquam statui non posse.

[a] Ioa. 5. ep. secr. 31.

Benedictus, &c. Magno Sueciæ, Gothorum, atque Norwegiæ Regi illustri.

Sane petitionis pro regia parte tua nobis exhibitæ series continebat, quod quondam Christophoro, tunc in regno Daciæ dominante, suis demeritis exigentibus de regno ipso violenter electo, maior & sanior pars prælatorum, cleri, magnatum, & personarum nobilium terræ Skaniæ dicti regni Daciæ, nec non communitas eiusdem, te in eorum Regem & dominum affectantes, tibi iuramentum fidelitatis & homagij tanquam eorum vero Regi & domino præstiterunt: ac demum eisdem ob defensionis defectum in corporibus & rebus nimium prægrauatis, tu pietate motus, & pro dicta terra Skaniæ memorati regni Daciæ ad statum prosperum reducenda, quibusdam tyrannis, qui regnum ipsum eiusque munitiones & castra tunc de facto occupata tenebant, vt abinde recederent, ac clerum & populum dictæ terræ, quos opprimebant immaniter, in pace dimitterent, triginta sex millia marcharum argenti puri, sicut asseris, persoluisti, volens propter hoc guerrarum malis & dispendijs tuorum, eiusdemque terræ damnis & violentijs obuiare: quare nobis humiliter supplicasti, quod cum dicta terra Skaniæ dictorum regnorum tuorum sit ianua & clausura, per quam si ad manus alienas deueniret, tibi tuisque subditis & posteris guerræ & mala innumera possent proculdubio suscitari, tibi tuisque posteris & heredibus, dictam terram Skaniæ, per te tuosque posteros & heredes retinendam perpetuo & etiam possidendam, confirmare auctoritate apostolica dignaremur: adijciens in supplicatione prædicta, tibi concedi, vt si quas alias terras dicti regni Daciæ acquirere adhuc possis, in parte vel in toto de manibus tyrannorum prædictorum, quod hoc facere valeas de nostra licentia speciali; maxime cum dictum regnum Daciæ in nullo vnquam fuerit subiectum imperio, sed Romanæ ecclesiæ censuale, quem censum paratus esses soluere secundum quod deuoti & fideles Reges dicti regni hactenus exoluebant.

A Scanijs in Regem asciscitur.

Postulat a Pont. vt rem confirmet.

85 Licet igitur, fili, ob merita tuæ deuotionis eximiæ, quam erga dictam Romanam ecclesiam te habuisse & habere percepimus, libenter tuam & heredum tuorum personas, quantum cum Deo & iustitia possumus, fauoribus apostolicis prosequamur; quia tamen iustitiæ debitum exigit, & mos obseruationis antiquæ prædecessorum nostrorum Romanorū Pontificum introduxit, vt ad confirmationem huiusmodi bonorum temporalium, nisi citatis omnibus, qui fuerunt euocandi, & inquisita prius de statu talium bonorum diligentius veritate, quomodolibet procedatur ad confirmationem huiusmodi et concessionem aliorum, quæ vt præmittitur postulabas, non duximus, sicut nec iuste potuimus, procedendum. Regalem tamen excellentiam tuam illa beneuolentia speciali prosequimur, vt libenter in alijs tibi gratis et vtilibus placeamus, etc.] Adhibet preces, vt se ab eorum societate ac fœdere diuellat, qui ecclesiæ aduersantur, ne pariter ipsorum pœnis se irretiat. *Dat. Auin. x. kal. februarij anno v.* Frustratus votis Magnus Rex, ad asserendam sibi Scaniam, perfecit, vt quarto post anno, assentiente Christophoro Rege Daniæ, qui belli molem ægre sustinebat, Petrus Lundensis et Hemmingus Vpsalensis archiepiscopi, congregata suffraganeorum episcoporum et abbatum synodo, Scaniam a Dania diuulsam coniunctamque Sueciæ publicis literis a promulgarint: de quibus pluribus Magnus archiepiscopus Vpsalensis in Gothorum ac Sueçorum historia. [b]

Quid illi a bened. respōsum sit.

[a] Ex. apud Mag. hist. l. c. 2.

[b] Eod. c.

IESV CHRISTI

Annus 1340.

BENEDICTI PP. XII. annus 7. VAC. IMP. OCCID. 27. ANDRONICI IVN. IMP. OR. 9

1 AVctæ sunt, corripiente Eduardo Anglorum Rege Gallica insignia, anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo indictione octaua pristinæ dissensiones, quæ annis superioribus ipsum inter ac Philippum Francorum Regem magno rei Christianæ excidio exarserant: quibus elati animis infideles ad religionem euertendam conatus suos conuertere, Armeniam concussere Babylonij, Vngariam et Poloniam affectarunt Tartari, Turcæ fœdarunt Græciam, Hispanijs Mauri se infuderunt. Sed non defuit ecclesiæ suę fluctuanti diuina prouidentia, quæ exiguis copijs repressit impios: Romanusque Pontifex nihil intentatum reliquit, vt pacem inter Anglos et Francos reuocaret, Traxerat in belli societatem aduersus Philippum Francorum Regem Eduardus præter Brabantinos et Hannonios, vt refert Ioannes Villanus [c] Belgas Gallicæ aulæ clientes extremo superiori anno: quorum audita coniuratione Benedictus, vt periculis imminentibus occurreret, ac Flandris etiam consuleret, grauioribus enim ipsi diuinis humanisque pœnis ob illam perduellionem ex antiquo inito fœdere Apostolica auctoritate confirmato se irretiebant; Hiprenses [d], Brugenses [e], Gandauenses [f] præcipuos conspirationis socios monuit officij, vt fidem Regi Francorum sacramento firmatam, et veterem pacis formam seruarent: atque etiam apostolicam operam obtulit ad eos Regi conciliandos, et abolendam iniuriam omnem: tum in quæ mala et pericula se vltro conijcerent, ob oculos proposuit. [g]

Auctæ inter Franc. & Ang. Reges dissensiones.

Belgæ Anglorum socij.

[c] Io. Villa. 11. c. 101. Frossar. 1. Paul. Aemil. in Phil. VI. & alij.

Monit officij.

[d] To. 6. ep. secr. 247.

[e] Ib. ep. 248.

[f] Ib. ep. 249.

[g] Eod. ep. 249.

Benedictus, &c. aduocato, scabinis, consulibus, & communi villæ Gandensis Tornacensis diœcesis.

2 Vtinam, filij, statum vestrum & patriæ, negotijque huiusmodi qualitatem, antequam innouetis aliquid circa hæc, diligentius attendentes, procurare studeatis vobis vtilia, & vitare nociua: est namque communis opinio, quam a veritate non credimus discrepare, quod prædicta patria Flandriæ, quæ multis bonis villis, & populorum nobilium, quam aliorum numerositate refulget insignis, adeo gratia, beneuolentia, & fauore Regis & regni ac regnicolarum Franciæ continue noscitur iudigere, quod sine illis nec abundare victualibus, nec in mercantijs, quibus specialiter insignitur, aut in alijs sibi necessarijs & vtilibus posset quomodolibet diutius prosperari. Cæterum, prout credimus vos non latet, quot & quanta ex odijs & guerris Regum Franciæ prædecessorum dicti Regis tam in personis, quæ innumerabiliter, proh dolor! in ore gladij perierunt, quam facultatum lapsibus hactenus, dum eisdem

Proposita bellorum discrimina.

Re-

Regibus rebellionis opponebatur ſtimulis, ipſa patria eſt perpeſſa. Quamobrem cum ex præteritis habeatur coniectura veriſimiliter de futuris, ſi occaſione rebellionis vel inobedientiæ notabilis per Regem memoratum guerra contra vos & alios Flandrenſes moueretur, quod abſit, de magnis & grauibus animarum, perſonarum, et rerum periculis eſſet proculdubio formidandum.

Cauenda tyrannor. ſeruitus.

Nec eſt circa conſiderandas huiuſmodi negotij circumſtantias omittendum, quod vos et alij incolæ eiuſdem Flandrenſis patriæ, qui ſub dominis naturalibus, comite videlicet immediato, et Rege ſupremo ſoliti eſtis vti libertatibus, et gaudere libere bonis veſtris, ſub tyrannis ſubijceremini iugo grauiſſimo, ad quod principaliter illorum ferri videtur intentio, qui vos a via veritatis & iuſtitiæ retrahere, et ad præcipitium fraudulenter et doloſe deducere, vt aſſeritur, moliuntur, etc. *Dat. Auin. VI. id. ianuarij anno VI.*

Conceptæ ſunt eadem verborum forma ad Iprenſes et Brugenſes literæ [a]; vtque religione Belgas magis ad officium conſtringeret Pontifex, cunctis Belgij præſulibus, alijſque inferioris dignitatis eccleſiaſticis viris religioſis ac ſecularibus religioſo pro imperio iniunxit [b], vt in ſingulis eccleſijs & parœcijs populos ſibi obnoxios ad parendum pontificijs monitis pro virili parte impellerent. Ludouicum etiã Flandrię comitem ad reuocandos ad Regis Gallorum obſequium Flandros excitauit [c]: expoſuit accepta ab ipſo ingentia beneficia, a quo poſt illuſtrem victoriam, regio partã fudore, reſtitutus contra hoſtium potentiam principatui fuiſſet: ſi qua porro in re grauati ſint Belgæ, pontificia ſolicitudine iniuſtis oneribus leuatum iri. De quibus etiam omnibus Benedictus Philippum Regem certiorem fecit [d], vtque Flandris, ſi redirent ad obſequium, perhumanum ſe præſtaret, ac ſi quæ contra vetera fœdera tentata eſſent, reſcinderet eſt hortatus.

[a] *Super ep. ſecr. 247. 248.* Præſules ſuſſi populos ad Gal li Reg. obſequium hortari. [b] *lib., ep. 150.* [c] *lib. ep. 251.* [d] *lib. ep. 257.*

3 Auertere aures apoſtolicis monitis Belgæ ingenti ſuo malo, magnis enim ex ſecuto bello attriti [e] ſunt cladibus. Neque continere ipſos in officio potuit Ludouicus comes, cum Iacobus Arteuelda tyrannidem inuaſiſſet: ad quam firmandam immortale bellum inter Anglos & Francos Reges accendendum ratus, Eduardo Anglorum Regi auctor extitit [f], vt Gallicum nomen regium Anglico adiungeret, veteribuſque inſignibus lilia adderet, pactus ea ratione Flandros ad ipſius, vt Regis Francorum, obſequium adducendos: hos vero deluſit ea ſpecie, cenſuris eccleſiaſticis rebellionis cauſa non deuinctum iri, neque alijs pœnis afficiendos, ſi Eduardo Francorum Regum inſignibus adornato tanquam iuſto Galliæ Regi fidem obſtringerent.

[e] *Meyer. annal. Fland. l. 12* Arteuelda rebellionis princeps. Anglum ad corrip. Gallica inſignia adducit. [f] *Froſſ. Gag. in Philip. VI. Paul. Aem. in eod.*

Sumpſit itaque vigeſima tertia ianuarij die [g] Eduardus Francorum Regis nomen Gandaui, vt referunt hiſtorici, inter quos hæc habet Hocſemius [h]: *Deinde Rex Angliæ reuerſus in Flandriam digmata, id eſt ſigna militaria Francorum Regis aſſumpſit in armis & ſigillo (Regem Franciæ ſe ſcribendo) interquadrando, in duobus ſcilicet quadrantibus angulariter oppoſitis pingens Francorum ſigna in duobus reliquis ſigna ſua: de quo multi non immerito mirabantur.* Mox Eduardi clientelæ Flandri ſacramento ſe obſtrinxere, ac ſimul ob periurij crimen inſigne ſacrorum vſu & fidelium communione, vt e Clementis VI. literis viſuri ſumus, ſe orbarunt. Cum vero poſt eam defectionem a Philippo Rege Francorum miſſuri eſſent ad ſedem Apoſtolicam oratores (moniti quippe a Benedicto officij in Reges Francorum fuerant) ac liberi commeatus ſyngrapham expoſcerent, Pontifex cum præuideret ad fucandam recentem perfidiam, non ad damnandam illos legari, Philippum Regem conſuluit [a], an aditus liber iiſdem permittendus foret: *Verentes*, inquit, *quid ipſi Flamingi agant, ſeu agere intendant, præſertim ſuper nominatione regia fraudulenter, cum per literas quaſdam de partibus Alamanniæ perceperimus, nouiter nobis miſſas, quod ipſi Flamingi, qui ſicut præmittitur, nobis ſcribunt, iuramentum fidelitatis Regi Anglorum, ipſum expreſſe nominando Regem Franciæ, præſtiterunt ijs diebus præteritis, & vt tali, an ſit honeſtum & expediens eorum nuntijs, quos pro intentione ſua nobis plenius exponenda ſe velle ad præſentiam noſtram deſtinare aſſerunt, literas de ſecuro conductu per nos, & te, fili chariſſime, ſuper hoc concedere non immerito dubitamus, &c. Dat. Auin. XIV. kal. aprilis anno VI.*

[g] *Vilh. l. 1. c. 108.* [h] *Hocſem. l. 2. c. 25.* Anglus a Belgis Francorũ Rex ſalutatus. Belgæ cenſuris deuincti. [a] *To. 6. ep. ſecr. 278.* Clientes Eduardi ſe profitẽtur.

4 Tentauit Eduardus Anglorum Rex ad inuaſæ Belgarum clientelæ, correptique regij Francorum nominis eluendam inuidiam, apud ſedem Apoſtolicam cauſæ ſuæ æquitatem probare: miſſiſque Pontifici literis [b] ampliſſimis, in quibus Regis Francorum nomine ac ſigillo liliato vſus eſt, multis argumentis contendebat, Francorum regnum ad ſe hereditario iure deuolutum, ac Philippum Regem illud vi & iniuria inuaſiſſe. Quem Pontifex ad pacem cum Philippo Rege componendam eſt adhortatus, ac nullo iure ad ſceptrum Gallicum ipſum anniti oſtendit; cum apud Gallos e conſuetudine, veterum temporum lapſu multiſque exemplis confirmata, fœminæ ſucceſſionis ad regnum iura nulla obtinerent: ob Belgarum amicitiam nouos arripere titulos non debuiſſe, cum ij incõſtantes & infidi eſſent: Philippum Regem iamdudum quiete coronam Gallicam geſtaſſe, eidemque ab ipſo ob fiduciarias terras clientis officia præſtita fuiſſe: plures Reges ac principes ob correptum Gallicum nomen ipſi aduerſaturos: inanibus eiuſmodi titulis pacem, quæ conciliari poſſet, diſturbatum iri: Francos acrioribus animis eum inſectaturos; denique Germanos & Flandros, vbi Anglicas opes exhauſerint, terga verſuros: atque ideo ad ſectanda pacis conſilia redintegrandumque cum Philippo Rege fœdus paterne ſolicitauit [c].

Anglus apud Põt. Gallicum ſcẽma iure a ſe ſuſceptum cõtendit. [b] *Ext. apud Vval ſing. in Edua. III.* Monetur a Pont. vt illud abijciat.

Chariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri.

Nuper excellentiæ regiæ literis noſtro apoſtolatui præſentatis, & contentis in eis plenius intellectis, nouus in eis deſcriptus titulus, & impreſſio ſigilli Franciæ armis & Angliæ ſculpti, vt prima facie videbatur, ſtuporis & admirationis, magnam nobis materiam miniſtrarunt. Nempe, fili chariſſime, quanto te amplioris dilectionis prærogatiua proſequimur, tanto grauius in interioribus anxiamur, dum peruerſis & fraudulentis conſilijs te trahi, & induci percipimus ad ea, quæ non expediunt neque decent: nec ea tacere vel diſſimulare nos interna ſinit affectio, quominus ea, vt prouidere tibi ſuper illis conſultius, & ſalubrius valeas, ponamus ante oculos mentis tuæ. Siquidem certum & indubitatum aſſeritur, quod cum conſuetudo hactenus inconcuſſe ſeruata ſucceſſionem ad regnum Franciæ per fœmininam lineam non admittat, tibi qui, vt noſti, de ſtirpe domus Franciæ deſcẽdiſti ex fœminina linea, dicitur ſucceſſio non deberi: & ſi etiam conſuetudo non prohiberet ad coronam dicti regni ſucceſſionem ex fœminina linea procedentem, ſunt pro-

[c] *To. 6. ep. ſecr. 255.* Datæ eo argum. literæ. Propoſitũ fœminas in Gall. regno non ſuccedere

Adducta exempla.

fecto claræ memoriæ Regum Franciæ, qui gradatim inclytæ recordationis Philippo Regi Franciæ auo tuo succeſſerunt, filiæ ac proles earum quæ quo ad ſucceſſionem eandem proximiores, vt fertur, exiſterent Regibus patribus ſuis, quam exiſtatis tu & chariſſima in Chriſto filia noſtra Iſabellis Regina Angliæ illuſtris mater tua, nata Philippi Regis prædicti: ſed adeo, vt præmittitur, obſeruata eſt præteritis temporibus ipſa conſuetudo irrefragabiliter, & etiam obſeruatur, quod ſucceſſionem ad regnum prædictum ex fœminina linea non admittit.

Vi nunquam regnum occupaturũ

5 Cogitare autem, quod per viam potentiæ regnum poſſes occupare prædictum, nequaquam attenta Regis & regni Franciæ magnificentia & potentia exiſtimantur ad id ſufficere vires tuæ; & quod in regno eodem nihil tenens & poſſidens te Regem Franciæ facias nominari, armaque illius ſumpſeris, vt præfertur, de malo & iniquo conſilio proculdubio creditur emanaſſe. Si vero

Non ſibi blandiendum de Belgis cõciliatis.

qui tibi ſuaſerunt talia, nitantur aſſerere palliãdo, quod in Flandria, quæ de Regis & regni Franciæ noſcitur exiſtere feudo, dominaris; profecto attẽdendum & conſiderandum eſt, & poteſt diſcutere regia circumſpectio diligẽter, qui & quales cuiuſque conditionis ſunt illi, qui te introduxerunt ibidem: in ipſis namque hactenus virtus conſtantiæ & fidelitatis nequaquam extitit commendata;

Infidis nõ fidendum

naturales enim dominos ſuos, quibus erant debito fidelitatis aſtricti, violato fœdere fidei, pro ſuarũ voluntatũ libito ſæpe de ipſa Flandria turpiter eiecerunt: & ſi hoc fecerunt de illis, quos reuereri naturaliter tenebantur, quid de te, fili, præſumendum ſit; & qualis exinde poſſit aſſumi vel formari titulus, tua quæſumus prudentia conſideranter aduertat.

Philippũ multis annis poſſeſſione poſitum.

6 Attende rurſus, etiam ſi de bono & recto conſilio proceſſerit, quod chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Rege Franciæ illuſtri regnante, qui per multos annos tanquam Rex Franciæ regnum pacifice tenuit et poſſedit, & cui tu ſicut tali pro terris, infra dictum regnum ad te pertinentibus, fidelitatem et homagium ligium faciendo, eum in Regem Franciæ tuumque dominum pro terris recognouiſti prædictis; te Regem Franciæ facias nominari. Stupent quidem qui audiunt, id non ad diſcretionẽ, ſed ad ſimplicitatem et vanitatem potius arbitrantes. Denique perſpicacius credimus attendendum, quod talis denominatio re carens et commodo, quam tibi perſuaſiſſe dicuntur qui te non diligunt, ſed cum tuis iacturis lucra propria venari ſatagunt, ad ea ſe poſſe attingere plenius exiſtimantes, cum te altioribus intricationibus, et periculoſioribus neceſſitatibus et negotijs illaqueari procurauerint, et inuolui. Radix venenoſa eſſe timetur germinatura veriſimiliter, niſi prouideatur aliter, fructus amaritudinis et doloris.

Triſtes exitus e lætis initijs ſecuturos.

7 Præterea exiſtimamus tibi non minus diligentius aduertendum quot, quales, et quantos Reges, principes, et magnates, qui de ſtirpe domus Franciæ proceſſerunt, aut habent affinitatem ſeu confœderationem cum ipſa, qui ſe tibi non opponebant ſuper tuis negotijs antea, ex nominatione ſeu intitulatione huiuſmodi contra te pronocares, et expreſſius, ſi eidem, quod abſit inſiſteres; irritares talemque ordiri nominatio ipſa poſſet (quod auertat Dominus) materiam, per quam pacis reformatio inter te dictumq; Regem Franciæ impoſſibilis perpetuo, quantum ad humanum ſpectat iudicium, redderetur: et etiam principes, et alij regnicolæ dicti regni (qui ſe, vt vulgaris vox ſonat, prius mortis periculis et perpetuis bonorum ſuorum perditionibus exponerent, quam ſuſtinerent prædicta) promptiores, potentiores, valentiores, et animoſiores aduerſus te, ac defenſionem dictorum Philippi Regis et regni per nominationem ſeu intitulationem efficerentur eandem. Nec eſt tibi, amantiſsime fili, vt alias tibi ſcripſiſſe recolimus, multum confidendum de Theutonicis et Flamingis, nam eos affabiles et propitios tibi reperies, quamdiu facultates tuas poterunt exhaurire: alias autem de ipſorum aſſiſtentia non confidas. Et ſi geſta progenitorum tuorum reuolueris, qualiter erga eos ſe olim geſſerunt ijdem Theutonici & Flamingi, quomodo poſſis de ipſis confidere, reperies manifeſte.

Gallos trepidos pugnatoros.

Belgas Germanoſq; deſertores.

Itaque celſitudinem regiam rogamus, & attente in Domino exhortamur, quatenus præmiſſa, quæ de beneuolentia paterna & affectione ſincera ſcribimus, beneuolo ſuſcipias animo, eaque vna cum alijs, quæ tibi circa hæc poſſunt occurrere, adducens in rectæ conſiderationis & diſcuſſionis examen, omiſſa intitulatione prædicta, regium inclines animum ad viam pacis & concordiæ, per quam quæ tui iuris erunt, aſſequi & pacifice retinere valeas, mutua inter te dictumque Regem concordia reformata; vt ſicut nexu ſanguinis & affinitatis iungimini, ſic fitis perpetuo vinculo fœderis & amoris connexi. *Dat. Auin. III. non. martij anno VI.*

8 Conſignatæ ſunt eadem die aliæ literæ [a] a Pontifice ad Eduardum miſſæ, quibus ipſum perſtrinxit monitum ſuperiori anno IV. id. octobris eccleſiaſticarum cenſurarum aliarumque pœnarum grauiſſimarum terrore obiecto, vt a Ludouici Bauari ſtudio ac fœdere diſcederet, nil ſedi Apoſtolicæ reſcripſiſſe. Geſſerat enim ſe Eduardus Ludouici Bauari vicarium in Germanico imperio, vt Germanicis viribus in Francos vteretur, qua de re Pontifex hiſce verbis queritur.

[a] *Tr. t. ep. ſecr. 254.*

Corripitur Eduardus legitum ſe diſcere Ludouici.

Per totam Alamanniam, Germaniam, ac vniuerſas & ſingulas earum prouincias vicariatus officium ſub imperialis nominis titulo ab eodem Ludouico, qui nec Rex nec Imperator eſt, de facto ſuſceperas, teque faciebas pro eo vicarium in illis partibus publice nominari. Auctores vero erant [b] Pontifici Petrus tit. S. Praxedis presbyter & Bertrandus S. Mariæ in Aquiro diaconus Cardinales Apoſt. ſedis internuntij, vt intentatæ Eduardo Regi cenſuræ ob retentam illam imperij præfecturam, incuterentur. Quibus reſcripſit Benedictus, vt a publicis in Eduardum edictis abſiſterent, donec rem maiore conſilij maturitate cum Cardinalibus expendiſſet. Vt vero Eduardo ab ipſo Ludouico ob Tornacenſes inducias, ſe inconſulto, cum Rege Francorum initas, id vicarium munus abrogatum ſit, dicetur inferius. Vrgebat etiam in ſuperioribus literis III. nonas martij exaratis ç Eduardum Benedictus, vt pacem cum Philippo Rege redintegraret: Philippus quippe ad eam propendebat, ac monitus a Pontifice, vt ſedi Apoſtolicæ controuerſiam permitteret, aſſenſerat ac miſſurum ſe oratores idonea auctoritate inſtructos, ſi ſuos Anglus legaret, reſponderat, qui in Benedictum vt priuatum hominem compromiſſum facerent: quamobrem Philippus a Pontifice eſt commendatus.

[b] *Ib. ep. ſecr. 256.*

Deliberatum de eo cenſuris percelendo.

Ben. lente ad id veniendum cenſet.

Tentat concordiæ rationes. *e Super ep. 254.*

At non ita Eduardus [d], qui literis X. kal. ianua-

[d] *Ead. ep. 254.*

ianuarij ſuperioris anni datis admonitus, vt animum ad pacis conſilia flecteret, ac Pontifice illi offerente, vt ſi Petrus Bertranduſque Cardinales apoſt. internuntij fœdus conciliare non poſſent, ſe communem & æquum controuerſiæ arbitrum futurum; ambiguis & obſcuris verbis reſponderat, quem ideo iterum vrſit his verbis Pontifex, vt mentem enucleatius explicaret: *Sane fili dilectiſſime, cum ſuper dictis duabus literis ſuper prima*, ea nimirum, qua vicariam in Germania præfecturam acceptam a Bauaro erat iuſſus abijcere, *nihil, & ſuper ſecunda*, de Pontifice ſcilicet arbitro pacis deligendo, *clare & aperte non duxeris reſpondendum; magnificentiam rogamus regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus ſuper eis, & ſi viam tractatus pacis huiuſmodi coram nobis proſequi volueris, nobis clarius & apertius reſcribere celeriter non omittas, vt videre quæ agenda circa præmiſſa fuerint valeamus. Dat. Auin. III. non. martij anno VI.* Iniunctum eſt ijſdem Petro & Bertrando Cardinalibus [a] onus, vt has literas Eduardo porrigendas curarent, earumque certa reſponſa quantocius tranſmitterent. At reſpuit Eduardus omnia pacis conſilia, & Cardinales conſumptis fuſtra multis laboribus ad pontificiam aulam redierę, vt vitæ Benedicti auctor enarrat, [b]

Arbitrū ſeſe exhibet.

[a] To. 6. ep. ſecr. 256. Repudiata ab Eduard. pax.

[b] Vitæ Bened. auct. apud Boſq. Argumenta ſuę cauſæ exponit Ponti fici Angl^o. cExt apud Bened. to. 6. poſt ep. ſecr. 302.

9 Titillabant quippe Eduardum magnę regni Francorum occupandi ſpes, cum a Belgis efferretur; vtq; ſua ad ſceptrū Gallicum iura quibus poterat argumentis commendaret ornaretque, hunc libellum [c] ſummo Pontifici a ſuis oratoribus tradi iuſſit: in quo præcipuas rationes, quas Benedictus ad Philippi Regis gratiam obiecerat, labefactare niſus eſt, contenditque licet fœminæ ob ſexus imbecillitatem moderando ſceptro idoneæ non putentur apud Gallos, prognatam tamen ex ijs prolem maſculam gerendo regno imparem non eſſe, nec ſucceſſionis iure excludendam.

Vt ſanctitati domini noſtri ſummi Pontificis clare pateat, quod iuſte petit Dominus Rex Angliæ iure hereditario regnum Franciæ, datur informatio, quæ ſequitur per nuntios dicti Regis. Factum ex quo dominus Eduardus Rex Angliæ ius habere ſe dicit ad regnum Franciæ ſicſe habet. Publice notum eſt & fuit, quod dominus Carolus iunior filius Philippi Regis Franciæ, Pulchri communiter nuncupati, poſt mortem domini Philippi fratris ſui, cum idem dominus Carolus immediate iure hereditario in dicto regno ſucceſſit, fuit verus Rex Franciæ, & quod ſibi dictum regnum Franciæ fuit iure ſucceſſorio legitime deuolutum, & quod ipſe dominus Carolus dictum regnum tanquam verus Rex Franciæ ſuo tempore, quo regnauerat, tenuit & poſſedit pacifice & quiete; & quod tandem idem dominus Carolus, nullo fratre ſuo tunc ſuperſtite, deceſſit ſine herede maſculo de corpore ſuo procreato. Certum eſt etiam de iure, quod in ſucceſſionibus hereditarijs, ab inteſtato venientibus, proximior deſanguine defuncti inſpecto mortis tempore habilis ad ſuccedendum omnes remotiores de ſanguine eiuſdem defuncti prorſus excludit, ſiue per maſculi ſiue per fœminæ perſonam defuncto iungebatur. Et certum eſt, quod tempore mortis dicti Domini Caroli Regis Franciæ, vt præfertur, proximior ipſius cognatus fuerit dominus Eduardus Rex Angliæ ſupradictus, qui fuit filius ſororis eiuſdem domini Caroli, videlicet dominæ Iſabellæ Reginæ Angliæ, in ſecundo gradu conſanguinitatis dumtaxat diſtans ab eodem domino Carolo ſupradicto: dominus vero Philippus de Valeſio, qui occupat dictum regnum Franciæ, fuit filius patrui ipſius domini Caroli Regis, filius videlicet domini Caroli de Valeſio fratris prædicti domini Philippi Pulchri, ſic diſtans notorie ab ipſo Rege Carolo tertio gradu conſanguinitatis: & per conſequens de iure communi prædictus dominus Eduardus Rex Angliæ, filius ſororis prædicti domini Caroli Regis defuncti, iure ſucceſſorio debuit & debet præferri in ſucceſſione regni Franciæ prædicto domino Philippo de Valeſio, qui dumtaxat in tertio gradu conſanguinitatis ipſum dictum Regem Carolum attingebat. Fundata ergo intentione domini Regis Angliæ de iure communi, non reſtat aliud niſi obiectibus reſpondere.

Argum. ex ſucceſſione hereditaria.

Et proximitate ſāguinis.

10 *Primo obijcitur per partem domini Philippi de Valeſio, pro Rege Franciæ ſe gerentis, contra Regem Angliæ ſupradictum, quod idem Rex Angliæ fecit ſibi tanquam Regi Franciæ homagium pro ducatu Aquitaniæ & pro comitatu Pontini, & ſic ipſum dominum Philippum ſuum fore & eſſe dominum ac Regem Franciæ recognouit.*

Reſpõdet ad obiecta.

Obijcitur etiam ipſi Regi Angliæ, quod ipſe homagium ligium & iuramentum ſibi fecit, & quod de his prædictus dominus Philippus habet penes ſe literas ſigillo prædicti Regis Angliæ conſignatas: item quod literæ huiuſmodi fuerunt in Anglia ſigillata.

De clientel. ſponſione.

Item obijcitur prædicto Regi Angliæ, quod ipſe non eſt de ſanguine domus Franciæ, niſi per medium mulieris, videlicet dominæ Iſabellæ matris ſuæ: & quod mulier non poterit, neque debet, obſtante conſuetudine in regno Franciæ approbata & legitime præſcripta, admitti ad obtinendum iure ſucceſſorio dictum regnum, & per conſequens per medium ipſius filius eius non ſuccedet.

De ſucceſſ. per fœminam.

Ad vacuandos iſtos obiectus datur informatio, quæ ſequitur per nuntios ſupradictos. Primo quod homagium factum præiudicare non debeat prædicto Regi Angliæ in effectu, quia idem Rex Angliæ tempore factionis homagij ſupradicti notorie fuit minoris ætatis, nec annum ætatis ſuæ octauum decimum tunc compleuit: quo debuiſſet, ſicut cæteris minoribus læſis, infra tempora in integrum reſtitutionum legibus cauta per competentem iudicem, ſi fuiſſet iudex competens, beneficio reſtitutionis in integrum ſubuenire: in defectum tamen iudicis competentis vſus eſt idem Rex Angliæ infra prædicta in integrum reſtitutionis tempora alijs iuris remedijs, quæ ſibi debent ſufficere in hac parte.

Excuſatio de exhibita ſponſione.

11 *Præterea Rex Angliæ prædictus, minoris ætatis exiſtens, vt præfertur, ante factionem homagij per quemdam procuratorem ſuum, ad hoc ſpecialiter conſtitutum, proteſtabatur palam & expreſſe, quod per homagium quodcumque domino Philippo de Valeſio, tunc pro Rege Franciæ ſe gerenti, per ipſum Regem Angliæ pro ducatu Aquitaniæ ſeu pro comitatu Pontini faciendum, non intendebat nec intenderet renuntiare iuri hereditario, quod ſibi ad regnum Franciæ competebat, ſeu eidem iuri aliqualiter derogare, etiam ſi literæ ſuper hoc ſuo ſigillo quocumque in poſterum ſignarentur: & proteſtabatur, quod non faceret prædicto domino Philippo aliquod homagium ſua ſpontanea voluntate, ſed dumtaxat illud faceret propter metum iuſtum amiſſionis dictorum ducatus & comitatus; & quia metuebat, quod niſi huiuſmodi homagium ſibi faceret, alia etiam perhorrenda pericula & damna irreparabilia nullatenus euitaret: de veritate vero præmiſſorum fecit idem Rex Angliæ per procuratorem ſuum prædictum præſtari in animam ſuam, tactis ſacroſanctis euangelijs, coram multis ad id vocatis teſtibus iuramentum.*

Contẽdit vim ſibi illatam.

Ad

Negat sacramentũ se nuncupasse.

12 Ad obiectum de iuramento, quod Rex Angliæ in homagio debuit præstitisse, seu quod ipse sic iurauerit declarasse, salua reuerentia, non est verum; quia nec ipse dominus Rex Angliæ, nec aliquis progenitorum suorum vnquam iurauerit in præstatione homagij cuiuscumque, prout liquere poterit euidenter ex inspectione registrorum, continentium formas homagiorum prædictorum: nec in aliquibus literis sigillatis sigillo Regis Angliæ, quod sic iuratum fuerit continetur. Nec dici potest, quod in homagio facto per dictum dominum Regem, fuerit contentum tacite iuramentum ex hoc, quod sigillatæ fuerint aliquæ literæ sigillo Regis Angliæ, in quibus continebatur huiusmodi homagium fuisse ligium, quia verbum ligium nullatenus ex sui significatione hoc importat.

Colores pro excutiendis literis.

13 Et ad id, quod dicitur, quod huiusmodi literæ fuerunt in Anglia sigillatæ, & sic sine metu; respondetur, quod non sine metu, cum instaret metus amittendi totum ducatum prædictum per paratum exercitum ad ipsum Regem in ducatu & in Anglia per partes Scotiæ inuadendum; & quod dictæ literæ huiusmodi, dum idem Rex notorie minoris ætatis fuerat, vt præfertur, non de plena dicti Regis intelligentia, nec habita iuris sui seu præiudicij notitia, sicut nec propter ætatis fragilitatem potuit tunc haberi; sed ex prioris erroris consequentia fuerant sigillatæ. Præterea restituendus fuit in integrum in hoc casu infra tempora ad hoc apta dominus Rex prædictus, si competentem iudicem habuisset: & quia iudicem competentem non habuit, vsus est tempore debito aliys iuris remedijs, per quæ de iure plenius est succursum: & vult Rex Angliæ dominum nostrum Papam certius informari, quod ipse Rex nunquam fecit aliquid ex proposito ipsi domino Philippo, pro Rege Franciæ se gerenti, propter quod cessare vel desistere debuit aut debeat a prosecutione iuris sui supradicti, seu propter quod senserit vel sentiat in hac parte conscientiam suam læsam: & quod sic inuocat Deum testem.

Licet excludatur mater, filium non excludi dicit sceptat.

14 Ad obiectum, quo dicitur, quod dictus dominus Rex Angliæ non est de sanguine Franciæ nisi per medium mulieris, quæ iuris hereditarij regni Franciæ non est capax; respondetur, quod etsi de consuetudine regni Franciæ mulier de genere regio a iuribus hereditarijs regni Franciæ sit exclusa: tamen ex hoc non sequitur, quod eius filius masculus, ad regnandum habilis, a successione priorum parentum ad heredes legitimos deuoluenda debeat excludi, quia Rex Angliæ successionem sui auunculi domini Caroli Regis defuncti secundum gradus sui prærogatiuam vendicat vt cognatus eiusdem defuncti Regis proximus, qui excludi non debet ab hereditate auunculi vel auita per remotiorem in gradu consanguinitatem; licet ipsius Regis mater propter conditionem sexus exclusa fuerit, vel subducta.

Ad præiudicia respondet.

15 Etsi dicatur, quod aliqui nepotes vel consanguinei dominorum Ludouici & Philippi fratrum prædicti domini Caroli Regis, sibi inuicem succedentium, excluſi fuerint a successione regia ex illo capite, quod ipsi prædictis Regibus per fœminarum personas medias dumtaxat iungebantur, sicut & Rex Angliæ dicto domino Carolo auunculo suo per medium fœminæ dumtaxat, videlicet matris suæ, iungebatur; respondetur, quod non ex illo capite dicti nepotes fuerunt excluſi, sed ex eo quod nullus dictorum nepotum fuit in rerum natura tempore mortis illius Regis, de cuius hereditate agebatur: & hoc clare patet ex facto infrascripto. Sciendum est enim quod dominus Philippus Pulcher Rex Franciæ decessit relictis tribus filijs, videlicet Ludouico primogenito, Philippo Longo secundo nato, & Carolo tertio & vltimo nato, ac quadam filia, videlicet Isabella Reginæ Angliæ; Ludouicus senior successit patri suo Philippo Pulchro immediate in regnum Franciæ, & procreauit vnam filiam: subsequenter mortuus est Rex Ludouicus relictis dicta filia, quæ non concepit prolem aliquam, ipso Ludouico Rege superstite & vxore sua impregnata, quæ post mortem dicti Regis peperit filium masculum nominatum Ioannem, qui post nouem dies, quibus pro Rege Franciæ habebatur mortuus est: & successit sibi immediate in dictum regnum Philippus Longus medius frater trium prædictorum. Ipse Philippus Rex tres filias, sed nullum masculum procreauit, quarum filia senior fuit matrimonialiter copulata duci Burgundiæ, secunda delphino de Vienna, tertia et iunior comiti Flandriæ. Ex prima filia duci Burgundiæ copulata suscitatus fuit quidam filius masculus vocatus, vt dicitur, Robertus, Rege Philippo superstite: sed iste Robertus moriebatur antequam moreretur Rex iste Philippus auus suus, & sic non fuit in rerum natura tempore mortis dicti domini Philippi Regis aui sui. Ex secunda filia delphino copulata nulla fuit proles viuente dicto Philippo Rege, neque ex alia nupta comiti Flandriæ suscitata. Post mortem prædicti Regis Philippi successit sibi immediate tertius & iunior frater suus, videlicet dominus Carolus, qui demum, relictis duabus filiabus non coniugatis sine prole masculina decessit. Ex quibus liquet, dictum dominum Carolum fuisse verum & legitimum Regem Franciæ, & per consequens dominum Regem Angliæ qui fuit filius dominæ Isabellæ Reginæ Angliæ sororis prædicti Caroli, vt præfertur, debere sibi tanquam eius cognatum proximum succedere in regno prædicto.

De Phil. Lõgi progenie.

Præcipuũ Gall. argumentum.

Ad id nõ respondit Eduard.

Diſſimulauit Eduardus in eo libello præcipua argumenta, quibus Philippi causa nitebatur, Reginã Isabellã, si nulla ad regnum Gallicum obtinebat iura, in filium illa transfundere non potuisse; nec latam tantum apud Gallos legem ne mulieres ob fragilitatem sexus in sceptra succedant, sed etiam ne regnum ad exteros deuoluatur: liberos vero populos eam condere potuisse, vt publicæ rei consultum sit, ratio & gentium iura docent: quibus non assentiente Anglo, in atrox bellum nomini Christiano perniciosissimum res versa est. Redijt in Angliam Eduardus mense februario a, Flandris pollicitus, se cinctum copijs in Belgium reuersurum: Ioannes vero Hannonius & Falcamontius in Gallias aprili excurrere, illamque rapinis, cædibus, flammis fœdarunt: ac vicissim maio ineunte magister equitum Francorum in Hannoniam ad Valentianas irrupit, grauissimaq; intulit damna: atque ita datis acceptisque cladibus, vniuersa regio fœdissime attrita est.

a Alo. Vill. l. 11. c. 108. & alij. Excursiones actæ in Gallia.

Anglicus orator ex curia Põt. in Gall. abreptus.

16 Dum Galli Anglique mutuis se cladibus conficiebant, ex insano illo odio atrox facinus in ipso sedis Apostolicæ gremio aduersus Nicolinum Fliscum Eduardi Regis Anglorum oratorem qui Auenionem accesserat, commissum est a nonnullis Gallis, qui spreta sedis eiusdem obseruantia, propositisq; in eos, qui ad ipsam accedentes agentesue, capiunt censuris cõtemptis apud eã Auenione nocte intẽpesta, effractis domus foribus, armati vna cum filio Andrea in Regis Frãcorum ditionis terras mancipandum vinculis abduxere. Qua iniuria affectus Pontifex, vt sedis Apostolicæ maiestatem tueretur, edicta mox grauissima in omnes illius criminis auctores participesue edidit, Galliasque ecclesiastico interdicto subiecit b, Purus ab eo scelere, erat Rex Francorum,

b Vt. 6. Ex. sect. 269. 271.

re-

reque intellecta, Anglorum Regis oratorem reduci honorifice ad subsellia apostolica iussit, deque pontificia questus seueritate hisce literis a omnem a se rei gestæ labem absterſit.

a Ext. ib. n. 265.

Gallus Rex se ab eo facinore excusat.

Licet, inquit, *teste Deo, dicta captio de mandato nostro, seu de nostra voluntate aut conscientia facta non fuerit, & quando audiuimus dictos captos esse, in regno nostro perquiri ipsos mandauerimus, & ordinauerimus vt, eis repertis, statim ad sanctitatis vestræ præsentiam, quod esse speramus breuiter, reducantur; dicti tamen processus in nostri denigrationem honoris facti & publicati fuisse, nostramque conscientiam, quam semper mundam & illæsam seruare cupimus, pungere videntur: ex quibus quamplurimum causamur admirari, vestram sanctitatem sic repente, sicque rigorose, & nobis per literas vel alias non certificatis super hoc fieri, fecisse, ac mandasse publicari processus.* Et infra: *Idcirco, pater sanctissime, quanto possumus affectu maiori rogamus, quatenus dictos processus, & quidquid ex eis secutum est, reuocare & annullare velitis; & statim ab ipsorum publicatione & denunciatione mandare cessari, abstinentes de cætero, si placet, & abstineri tales commissarios mandantes, si casus alias in offensam vestram contingerent, quod absit, a talibus sic repente sicque rigorose & nobis non certificatis vel irrequisitis: vt vnio & sincera dilectio, quæ fuerunt, sunt, & semper erunt, Domino concedente, inter sedem Apostolicam & domum Franciæ vestris & nostris temporibus minui non debeant, sed augeri. Scriptum apud Moncellium prope montem S. Maxentiæ die* XXI. *maij. Deuotus filius vester Rex Francorum.*

Rogat interdicti sui.

17 Rescripsit Philippo Pontifex b, nunquam se arbitratum illius facinoris conscientiam ad ipsum pertinuisse; adeo tamen immane extitisse, vt ea seueritas, qua erat vsus, distringenda esset: neq; imminutum erga ipsum paternum studium, immo mutua animorum officiorumque consensione se cum ipso conspiraturum.

Pontificiũ responsũ ad Philippum.

b Eod. to. 6. ep. secr. 266.

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ illustri.

Sanc, fili præcharissime, captionem huiusmodi de mandato, voluntate, vel conscientia regijs nequaquam credidimus processisse: illam tamen, vt de ipsa, vtique nefandissima, & eius horrendis circumstantijs regia prouidentia plenius informetur, succincte prouidimus describendam tuæ celsitudini per præsentes. Nempe cum Nicolinus præfatus tanquam illustris Regis Anglię ambaxiator, & pro eius negotijs specialiter vt asseruit, super tractatu pacis inter te, præcharissime fili, & eundem Regem reformandæ transmissus ad sedem venisset Apostolicam, & se nostro conspectui præsentasset, nondumque sua nobis ambaxiata aliter explicata in Romana curia moraretur, alios, vt dicebat, expectando pro Rege venturos prædicto; pridem circa mediæ noctis cœnæ dominicæ proximo præteritæ silentium per nonnullos ministros sathanæ, inter quos erant aliqui de curia ipsa & etiam de familiaritate nostra, de quibus posse confidere credebamus, proditorijs tractatibus diu ante præcedentibus, idem Nicolinus quiescens in lecto per magnam multitudinem hominum armatorum domum, in qua morabatur, latenter & proditorie intrantium, fracto deinde violenter cameræ, in qua iacebat, ostio captiuatus, cum eisdem filio et domicello extitit immaniter de lecto extractus, vixque permissus camisiam induere, quasi nudus ad turrem regiam in capite pontis Auinionensis cum nauigijs per Rhodanum ignominiose adductus, ibidemque detentus vsque ad diem sabbati sanctam sequentem: qua die per deuia, sicut rumor horribilis vehementer exclamauit, fuit ad alia loca transductus.

Rei gestæ seriem exponit.

Porro si modum & qualitatem huiusmodi scelerum nefandorum in eadem Romana curia, vbi fidelibus ad eam confluentibus ad esse debet securitas, & sanctissima nox cœnæ dominicæ, a cunctis fidelibus ob memoriam sacratissimæ passionis domini nostri Iesu Christi cum omni reuerentia & deuotione colenda, regalis circumspectio attenderit diligenter, admirari non debet, vt credimus, si super tam horribili facto, aduersus tam sceleroſos patratores illius, vigore antiquorum processuum olim, tam per nos quam diuersos prædecessores nostros Romanos Pontifices solemniter habitorum, excommunicationis & anathematis promulgatas sententias contra illos, qui venientes ad sedem prædictam, aut ab ea recedentes, seu morantes apud eam, molestare indebite, captiuare, vel spoliare præsumunt continentium, & alias, prout de iure fieri potuit, processum extiterit diligenter. Cæterum cum te, fili amantissime, portemus in visceribus charitatis, ad tuum & regni tui prædicti honorem promouendum & commodum, quantum cum Deo possumus, aspirantes & cum tuo deuoto proposito in dictis literis regijs delectabiliter recensito, super quo tibi gratiarum actiones referimus, concurrentes, illam amoris & deuotionis vnitatem, quæ inter dictam Romanam ecclesiam & domum Franciæ viguit hactenus & vigere continue noscitur, tecum fili charissime confouere volumus & augere, &c. *Dat. Auin.* III. *kal. iunij anno* VI.

Criminis horror ex circumstãtijs augetur.

Redintegrata inter Pontificem Gallumq; amicitia.

18 Reduxit paulo post ad sedem Apostolicam Bernardus Andreæ Nicolaum siue Nicolinum Fliscum atque Andream filium incolumes Philippi Regis Francorum iussu, cui Pontifex gratias egit a, sacrorumque ac templorum vsum Gallijs restituit b. Adhibuisse vero maximã seueritatem in eos e familia pontificia, qui Regis Anglorum oratorem ceperant, refert vitæ illius auctor c: in ipsos enim nullo dignitatis discrimine legibus agi iussisse, ac nonnullos ante domus effractæ fores laqueo præfocari: marescallum d autem pontificium, qui facinori assenserat, cum in carcere ex dolore ignominiæ necem sibi conscisiisset, damnatum iudicum sententia, atque illius corpus in patibulo volucribus laniandum expositum.

Reductus ad curiam Angl. orator.

a To. 6. ep. secr. 268. b Ib ep. 269. c Vit Ben. auct. apud Bosquet. Auctores flagitij ne cati sulpédio. d Id ib. & M.S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Ben. XII.

Ita sontium supplicijs Anglico oratori ac sedi Apostolicæ illata iniuria vindicata est, nec flecti Pontifex optimus precibus a Francorum Rege porrectis e potuit, vt ab æquitatis rigore discederet. Qui tamen rebus in iustis beneuolentiam in ipsum explicuit: ac regno consulturus, vt illud tutari facilius aduersus hostiles irruptiones posset, biennales illi decimas kalen. martij attribuit f: monuit vero ne ecclesiasticos grauaret. Verum ijs decumis minime contentus Philippus, collectas antea pro bello in Saracenos Asiaticos decimas in hostes derivandas censuit, scriptisque ad Pontificem literis g, vbi grates de biennalibus sacerdotiorum decumis sibi concessis egit, ac pluribus verborum officijs eximium suum in ecclesiam studium explicuit, data monita ad salutem animæ spectantia in intimum animum se demisisse significauit: denique subiecit, consultum sibi a præsulibus fuisse, vt cum vniuersorum Gallorum salus ageretur, & ho-

e Apud Ben. to. 6. ep. secr. 270.

Biennales decumæ attributę Philippo.

f Ib. ep. 252.

g Ext. apud Ben. to. 6. ep. secr. 259.

hostis regnum moliretur euertere, sacras Syriacis instaurandis rebus decimas aduersus hostem conuertere ipsum posse: cumque Brabantinos, duce filio Ioanne, inuadere meditaretur, deposcere vt sacramenti religione, qua ipse ac filius se obstrinxerant sacras illas decimas in nullos vsus quam aduersus Saracenos deriuaturos, apostolica auctoritate solueret, vel restituendarum tempus prorogaret.

Sanctissimo patri in Domino Benedicto diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, &c.

19 Vere, pater sanctissime, ob hoc teneatis pro firmo, quod sit nostra intentio principalis, nos taliter gerere & habere pro posse erga ecclesiam, vt domini & predecessores nostri se hactenus habuerunt: & quod Saluator noster contentabitur, vt speramus, & si gentes nostræ, pater sanctissime, aliqua bona ab ecclesijs assumpserunt, eis fit inde assignatio competens, & eis concessæ sunt a nobis plures gratiæ. Insuper, pater sancte, guerra nostra est pro resistendo illis, qui volunt exhereditare nos & subditos nostros, tam personas ecclesiasticas quam etiam seculares: quare, sicut vestra discretio non ignorat, in hoc casu omnes in missijs & expensis participare habent ad defensionem eorum, quorum res sua agitur sicut vestra *. Pater sancte, præfatus clericus noster vobis ex parte nostra supplicauit secrete, vt vobiscum super leuatis per gentes nostras de decimis concessis pro passagio terræ sanctæ vestra dignaretur sanctitas dispensare, aut ad remissionis vel prorogationis finem. Sed vos, pater sanctissime, ad nullum finium prædictorum nobiscum voluistis dispensare hucvsque, licet ipse a sanctitate vestra veniam postulasset pro nobis occasione super ijs nostro nomine præstiti iuramenti: & cum magna pars pecuniæ leuatæ pro dicto passagio in vsum aliquarum rerum ad dictum passagium necessariarum veraciter sit conuersa, quæ adhuc in esse consistunt, etiam pater sancte ea, quæ leuari & capi fecimus, leuata & capta fuerunt per consilium prælatorum & aliorum de consilio nostro, qui nobis omnes sine aliqua differentia retulerunt, quod ad tuitionem & defensionem regni nostri ea leuare et capere sana conscientia poteramus: in quo dictæ pecuniæ residuum fuit conuersum, & non in alios vsus vere; et, pater sanctissime, nostræ intentionis existat, breui inuadere ducem Brabantiæ inimicum nostrum, qui diffidauit nos, et primo mittere illuc dilectum primogenitum nostrum, vt contra illum, cui nocere et damna inferre volumus, et tenemur pluribus et iustis causis.

20 Et quia vos et ecclesia tantum * cordi debetis habere, quemadmodum sanctam discretionem vestram credimus non latere, sciatis; quod bellorum euentus dubij, et periculosi existant, nihilque sit certius morte, incertius hora mortis; sanctitatem vestram rogamus, ac ei in quantum deuote possumus supplicamus, quatenus de leuatis per nos et gentes nostras e concessis decimis pro passagio terræ sanctæ remissionem plenam pro nobis et heredibus nostris digneminí facere de vestræ solita clementia sanctitatis, et a peccato quod incurrisse dicimur occasione præstiti super hoc iuramenti, nos et dictum primogenitum nostrum absoluere; nobis in hac parte veniam concedentes, et eam de vestræ beatitudinis gratia nullatenus denegantes, cum in casu isto omnia possibilia apud vos.

Si autem, pater beate, dictam pecuniam nobis ad plenum remittere nolueritis, saltem restitutionis illius pecuniæ prorogare terminum dignetur eadem vestra sanctitas vsque ad sex annos post finem guerrarum nostrarum, vel ad tantum et tale tempus, quantum vestra summa prouidentia duxerit concedendum, quoniam non possemus commode illam restaurare pecuniam de præsenti; et nobis et dicto primogenito nostro super peccato, quod incurrisse dicimur ratione iurisiurandi prætacti, veniam misericorditer impertiri. Pater sancte, istud negotium habemus cordi sine dubio, nec est mirum, et inde remissionem et dispensationem totis viribus affectamus: sed reuera, ex quo vestræ beatitudini non placeret, nos et primogenitum nostrum super hoc absoluere, et inde nobis absolutionem dare, quia per consilium factum fuit et cum difficultate tanta, quam nouit Altissimus dispensator, satis de facili esset nostra conscientia pacificata in istis, licet dispensationem, remissionem, et absolutionem vestras desideremus, et volumus ex intimis cordis nostri, etc. Pater sanctæ, dominus Iesus Christus vobis vitam longam tribuat ad regimen ecclesiæ suæ sanctę. *Script. apud Pissiacum* xx. *die martij. Deuotus filius vester Rex Francorum.*

21 Repulit Pontifex iniusta Philippi Regis postulata, grauissimisque sententijs in luce collocauit a, nuncupatum tanta religione sacramentum de non conuertendis in alios vsus, quam aduersus infideles sacris decimis sine grauissimo scelere infringi non posse: mirari se præsules adeo diuini timoris oblitos, vt nefarium illi consilium suggesserint: nec cœlestes tantum iras, sed omnium odia populorum in se concitaturum: ludibrio sedis Apostolicæ maiestatem habitum iri, si decretæ tam solemni pompa decumæ in fidelium stragem vertantur: Anglorum Regem iactare certos sibi de eo triumphos polliceri, cum putaret ob non persoluta diuino Numini de orientali expeditione vota ipsum grauiori scelere diuinctum teneri: si petita concedantur, vniuersum orbem Christianum indignaturum; ac si quæ aduersa ipsi vel filio succederent, eorum periurio adscriptum iri: nec restituendæ vnquam illius pecuniæ sacræ spem affore, id testari prædecessorum Regum tristia exempla, qui sacris Asiatico bello decimis abusi misere extincti sint: caueret animam tanto grauare onere; nunquam certe Apostolicam sedem illius criminis participem futuram.

Benedictus, etc. Philippo Regi Franciæ.

Sane, præcharissime fili, super tuæ deuotæ intentionis proposito, quod geris ad sacrosanctam ecclesiam matrem tuam ac restitutionibus & gratijs ecclesijs prædictis, a benevolentia regali exhibitis, excellentiam regiam cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, eam volumus tenere pro certo, quod in ijs, quæ per nos sine conscientiæ læsione honeste ad tuum & regni prædicti commodum & honorem possent agi, propitij reperiemur, sicut hactenus, & benigni: verum quod prælati vel alij, qui discretione polleant, Deum timeant, teque, salutem, & honorem tuum diligant, attentis causis, pro quibus tam solemniter & publice huiusmodi præstitum extitit iuramentum; & considerata materia, vtique pia & debita, super qua fundabatur, audeant regiæ serenitati asserere ac referre illa, quæ de dicto decimali subsidio sunt leuata, posse salua conscientia in vsus conuerti alios, non sufficimus admirari.

Pro-

Eucata Philippi Regis officia.

*nostra

Posci sacras decumas auerti in hostes suas.

Adulatorum consilia proponit.

*nos

Sacramẽto solui flagitat.

Culpam faetur.

Iniusta petita repulsa a Pont. a *Eod. tom. ep. secr.* 260.

Additæ cauſæ grauissimæ.

Præsulum Gallor. cõsilium vituperatũ.

Propositæ indictæ ex peditionis solemnis celebritas

22 Profecto tales Deum timere, ac tuæ dictique primogeniti animarum salutem diligere non videntur: tenet namque nostra memoria, quod olim in præsentia cleri & populi de diuersis mũdi partibus copiosa per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum de consilio fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, ad tuorum solemnium nunciorum supplicationem iustantem indicto passagio generali, teque illius duce & capitaneo deputato, & impositio nihilominus sub certis modis & formis decimali subsidio supradicto; ibidem pro parte regia & eiusdem primogeniti per procuratores ad hoc mandatis suffultos idoneis, & prædictis affistentibus nuntijs in publico huiusmodi præstitum extitit iuramentum, cuius forma habere inter cætera noscitur, quæ sequuntur; videlicet, quod de dicto decimali & alijs subsidijs, ad dictum passagium deputatis (quæ iuxta ordinationem prædecessoris prædicti per diœcesanos ecclesiarũ cathedralium, & collectores ab eis deputandos debuerunt colligi, & in depositio per ipsos diœcesanos conseruari, per eos certis assignanda personis, quæ de mandato quatuor prælatorum dicti regni, per sedem eandem & te, fili dilectissime, deputandorum deberent ad commodum eiusdem passagij huiusmodi subsidia dispensare) nihil regalis celsitudo acciperet, nec accipi scienter faceret, nec etiam consentiret, quod alius aliquid acciperet, vt in alios vsus quam vtilitatem dicti passagij conuerteret, nec pateretur conuerti; & quod si forsan aliquid de prædictis pro vsibus alijs a se vel alijs contingeret occupari casu aliquo vel conuerti, cum ad notitiam suam deuenire contingeret, illud in eorum manibus restitui sine dilatione morosa faceret ac reponi, apud quos secundum ordinationem apostolicam talis conseruatio pertineret. Et quod aliqui tuæ magnitudini præsumant asserere, quod huiusmodi iuramentum sic publice pro causa tam pia præstitum, & per diuersas mundi partes, vt regiam prudentiam latere non credimus, diuulgatum possit infringi, mirandum est proculdubio multipliciter, & stupendum.

Iurisiurãdi sanctitas.

23 Si autem in loco priuato præstitum extitisset secrete, forsan talium assertio quoad mundanam infamiam, non tamen quoad Deum, posset quodammodo colorari: sed cum præstitum super tali facto talique materia fuerit ita publice ac notorie, vt præfertur, occasione illius fama celebris tanti Regis tamque catholici principis exponeretur ex consilio & assertione talium labijs non solum detractorum & æmulorum, sed etiam populorum, præter diuinam offensam & animarum graue periculum laceranda, quod abfit, de sano consilio procedere non videtur, nec nos participationem habere volumus in tali consilio quoquo modo. Displicenter nempe nimis & dolenter audiuimus & audimus, quod murmurationes & oblocutiones detractoriæ contra te, fili amantissime, non desunt in mundo ratione vel occasione passagij antedicti; & quantum non solum contra te, sed aduersus nos & sedem Apostolicam, præter vltionis æternæ vindictam terribilius formidandam, crescerent ex quibus * extingueretur periculose deuotio populi, si quæ petuntur pro parte regia, concederentur a nobis suspicari posset faciliter & verisimiliter formidari: prædicaretur & diuulgaretur per mundum equidem, nec a veritatis tramite discreparet, quod

Inferẽda eius famæ labes.

Exoritura scandala populorum.

*quod

illa, quæ solemniter & pie per sedem præfatam deputata & dedicata pro liberatione dictæ terræ, releuandisque miserijs & oppressionibus fidelium in partibus degentium transmarinis, fideque inibi dilatanda catholica fuerant, ad effundendum Christi fidelium sanguinem per nos & sedem ipsam ac te dissipata in cismarinis partibus in Dei contumeliam, & catholici delusionem populi extiterant, & consumpta. Circa quæ prostare videtur, quod continebatur in dictis literis regijs argumentum, scilicet quod terras nobilis viri ducis Brabantiæ hostiliter intendit regia magnitudo inuadere, illucque propterea præfatum primogenitum destinare.

24 Quamobrem attendat, quæsumus, regia circumspectio, si talis & tanta infamia, præter damnationis externæ periculum, sit vitanda: & vltra hoc etiam intra pectoris regij clausura diligenter reuoluat, quis amodo, si præmissa, quæ petuntur (quod abfit) fierent, posset credere, quod per te, fili prædilectissime, vel successores tuos negotium aliquod transmarini passagij compleretur, cum non solum tuis, sed aliquorum prædecessorum tuorum temporibus tot bona exacta pro passagijs huiusmodi conuersa in vsus alios fuerunt, nullo facto passagio, & consumpta. Dudum quidem meminimus quasdam illustris Regis Angliæ literas recepisse, in quibus inter cætera iactabat, quod quia te credebat peccatis propter passagium prædictum grauibus obnoxium, audacius & securius aduersus te de sua potentia confidebat. Absit igitur sinceritatem regiam peccatorum huiusmodi vinculis alligari. Sed pro tanto id recitare non omittimus, vt euidentius regalis perpendat prudentia, quid alij, proh dolor! obloquantur & obloquerentur crebrius, si per nos concederentur petita. Non minus etiam aduertendum videtur, quod si tibi vel eidem primogenito aduersi aliquid in bellis contingeret (quod clementia diuinæ pietatis non sinat) per te, fili, ac alios multos tam beneuolos quam æmulos peccatis adscriberetur prædictis. Rursus quantum ad prorogationem prædictam; regia sublimitas discutiat & attendat quando & qualiter restauraretur pecunia prædictis pijs, immo pijssimis vsibus deputata: & cum ex præteritis haberi valeat coniectura verisimilis de futuro, quid in similibus a tuis prædecessoribus factum temporibus præteritis extiterit, quidue ipsis exinde contigerit, & tibi, fili, posset (quod Deus auertat) contingere; necnon quot onera animæ tuæ, si non subsequeretur restitutio prædicta, incumberent, a quibus conscientia nostra immunis non euaderet, si prorogatio ipsa concederetur a nobis. *Dat. Auin. IV. non. aprilis anno VI.*

Insultatũ ab Anglo ob intermissam ab illo expeditionẽ.

Imminentes clades eius peccatis adscribẽdas.

Respondẽt dictis pontificijs exitus.

25 Fuisse hæc summi sacerdotis tot oracula quot sunt sententiæ, secuti rerum exitus docuerunt. Testantur historici, auertisse Philippum Regem in belli Anglici sumptus illas sexennales decimas, restituendæ in Syria Christianæ religioni sacratas, a quibus ipse ac maior natu filius Ioannes temperaturos se manus sanctissime vouerant. Et certe earum saltem partem inuasisse Philippum fatentem audiuimus, dum religionis aculeos, quibus sentiebat pungi animum, euelli a Pontifice poscebat. Sed diuina procul vindicta non abfuit, validissima enim eius classis conducta sacro illo auro, quod ex Crucifixi vectigalibus aduersus Crucifixi hostes pro eripiẽda e Saracenorum seruitute Palæstina coactum fuerat, dum Eduardum Anglorum Regem ex Anglia

Philippi classis maxima clade dissipata.

in

in Flandriam traijcientem intercipere parat, tanta clade in Sluſæ portu fuſa diſsipataque eſt die S. Ioanni Baptiſtæ ſacra, vt florentiſsimam nauium numero claſsem pene vniuerſam captam, merſamue cæſis decem Francorum millibus ac totidem vel pluribus captis referat Ioannes Villanus a. Variant in cæſorum numero Anglici b, & Belgici c auctores, quem ad triginta millia aſcendiſſe ferunt, atque inter alios id tradit M. S. Vaticani auctor d his verbis: *Item ſuo tempore Rex Angliæ cum ſua armata debellauit armatam Regis Franciæ in die S. Ioannis Baptiſtæ ſuper Scluſas portum Flandriæ, in quo bello mortui fuerunt circa triginta tria millia Gallici & Normanni; & amiſerunt octingentas naues*; maioris ſcilicet minoriſue aluei, neque exiguo Anglorum cruore, eam victoriam conſtitiſſe, captaſque ad ducentas Francorum naues conſentiunt: nec deſunt, qui Gallicam claſſem ex quadringentis e nauibus, alij ex trecentis f octoginta conflatam fuiſſe ſcripſerint. Redintegratum g vero poſtea maiori terrore & apparatu bellum eſt ab Eduardo Anglorum Rege, qui cum Brabantiæ & Iuliaci ducibus, Hannoniæ, Gueldriæ, Loſſenſi, Falcamontij comitibus, alijſque proceribus Germanis fœderatis & Flandris, Tornacum obſidione valida cinxit, adeo vt octoginta millia peditum, equitumque octo millia ſub ſignis eſſent.

a Io. Vill. l. 11. c. 109. Paul. Aemil. in Phil. VI. Gaguin. Maſſon. in eod. & alij.
b Thom. Vvalſing. in Ypodig. Neuſt. & in Eduar. III.
c Meyer. l. 12. Eduardo ſe coniunxit Germani.
Tornacũ obſeſſum.

26 Interea, dum Francorum & Anglorum Reges in mutuas cædes delibatum Chriſtiani populi florem committere pararent, Chriſti in terris vicarius, quem ante cruentam maritimam pugnam pro dirimendo bello deſudaſſe vidimus, omni ſtudio & contentione ad auertendas imminentes ſtrages incumbere non deſtitit: ac primum vrgere cœlum precibus, viroſq; religioſos incitare, vt ardentiſſimas preces pro optata inter Reges pace a Deo obtinenda funderent; inter quos Ciſtercienſes ſuos ad ſolemnia ordinis comitia congregatos ſubiectis verbis prouocauit h: *Licet per nos & ſedem Apoſtolicam modis varijs & diuerſis, quibus commode fieri potuit, pro ſedandis guerris & diſſenſionibus huiuſmodi paciſque inter diſſidentes reformanda concordia, & maxime inter charisſimos in Chriſto filios noſtros Francorum & Anglorum Reges illuſtres extiterit laboratum; quia tamen, hoſtis antiqui malitia præualente, attingi nequiuit adhuc ad fructus pacis huiuſmodi, quos deſideriis feruentibus optabamus, ſolum reſtare videtur ad diuinum auxilium recurrendum: ideoque vos & ordo prædictus apud eum, qui pacis eſt auctor, & humanæ ſalutis amator, pro pace ac tranquillitate huiuſmodi deuotis precibus inſiſtatis, &c.* Adijcit, vt pro ipſius valetudine diuino Numini preces porrigerent: conflictabatur enim tibiarum morbo ob quem cum celebrare in conſueto loco conſiſtoria non poſſet, Cardinalibus rogantibus, illa in cubiculo coegiſſe, vitæ ipſius auctor refert i. *Datæ vero ſuperiores literæ Auin. 14. kal. ſept. an. VI.*

Benedicti pro ſopiendo eo bello curæ. Indictæ a Pont. preces pro ſopiendo bello Anglico.
d M.S. bib Vat. ſign. n. 2040. in Ben. XII. e Gaguin. hiſt Fr. in Phil. VI.
f Meyer. vbi ſupr. g Io. Vill. l. 11. c. 111. Vvalſing. vbi ſup. Meyer. l. 12.
h To. 6. ep. ſecr. 155.
i Vit. Ben. auct apud Boſq.

Paucis poſt diebus ſolemnes in Gallijs & Anglia ſupplicationes indixit, literiſque encyclicis ad archiepiſcopos & epiſcopos datis l, vbi pluribus triſtia, quæ ex ijs bellis emergebant, exitia, adhibitamque pontificiam pro ijs propulſandis ſolicitudinem expoſuit, excitari fideles iubet, vt ad preces fundendas incumbant: *Quia non tantum*, inquit, *de remedijs humanis in hac parte confidimus, quantum de humili deuotorum fidelium ſupplicatione ſperamus, illorum quorum exempla præmiſimus veſtigijs, quantum poſſumus, inhærentes ad illum, qui maris imperat tempeſtati, quique illius tumida freta ſternit, & quo iubente turbatio vertitur in tranquillum & pacem; ad orationum fidelium ſuffragia prouidemus recurrendum vt ipſe pacis auctor & humanæ ſalutis amator, qui multorum preces clementer conſueuit ad gratiam exauditionis benigne admittere, fidelium ipſorum precibus inclinatus eorundem Regum mentes & corda, turbationis cuiuſque ſubductis exinde fluctibus, de ſua largiſſima pietate pacificet, et vniat, multiplicatis interceſſoribus, voluntates. Quare fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus pro huiuſmodi pacis & vnitatis concordia, dono cœleſtis gratiæ concedenda, deuotas ad Deum tam proceſſionaliter, quam alias preces effundere, ac per clerum & populos in veſtris ciuitatibus & diœceſibus conſtitutos effundi facere ſtudeatis. Dat. Auin. VIII. kal. ſeptembris anno VI.*

Benedictus, &c. Philippo Regi Franciæ.

27 Excitatis ad implorandum diuinum auxilium Gallis Angliſque, Pontifex Reges in mutua funera ad Tornacum concurrere paratos apoſtolicis mollire monitis atque ad pacis conſilia adducere aggreſſus eſt, exaratis eadem verborum forma literis a. Illarum partem potiorem ſubijcio, quas Regi Francorum miſit: vbi enim ingentia a ſe pro concilianda ipſum inter & Eduardum concordia interpoſita ſtudia expoſuit, ſcriptas crebras apoſtolicas literas hortatorias, nuntios frequenter miſſos, legatos Petrum tit. S. Praxedis presbyterum & Bertrandum S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinales, quorum pariter opera ac diligentia in adducendis ad pacis fœdera animis eluſa fuerat; triſtes funeſti illius belli euentus, & ingentia, quæ ex eo emergebant mala ob oculos regios ponit b.

Solicitati Reges ad pacem.
a To. 6. ep. ſecr. 293. 294.
Propoſitę belli cladeſ.
b Ead. ep. ſecr. 293.

Ecce, fili dilectiſſime, quod ſicut triſtes & dolentes audiuimus & audimus, hoſte ipſo humani generis malorum omnium incentore, qui ad exterminium humanæ ſalutis aſpirat, ignem diſſenſionis, rancoris, & odij adeo inter te ac Regem præfatum in flammas nociuas & peſtiferas iugiter accendente, atque guerrarum fremitibus in diuerſis partibus terrarum & maris crebreſcentibus, hinc & inde innumerabilis multitudinis redemptorum pretioſo cruore dominico ſanguis innocens ſic crudeliter, non parcendo ætati vel ſexui (quod etiam apud infideles tam antiquis quam modernis temporibus vt paruuli, mulieres, ſenes, & debiles in ore gladij perimerentur immaniter, reputabatur horrendum) proh dolor! eſt effuſus & effunditur etiam inceſſanter; & amplior effuſio, niſi aliter clementia diuina diſpoſuerit, formidatur, aliaque diſcrimina, damna & ſcandaloſa pericula exinde ſubſecuta ſunt, & continue ſubſequuntur. [Et infra, vbi deſcripſit regnum prædonum rapinis expoſitum, calcari iura, opprimi vectigalibus populos, inedia pauperes confici, diuites ſpoliari, eccleſiaſticos ad inopiam redigi; adducit alia mala, quæ ex eo bello ad totius rei Chriſtianæ in oriente & ſeptentrione exitium redundabant.

Fũdi humanum cruorem.
Inde rem Chriſtianam colla bi.

28 Et inſuper, vt literarum de vltramarinis & alijs longinquis partibus tranſmiſſarum lectione infeſta, ac nuntiorum multorumque fidedignorum aliorum doloroſis relatibus percepimus, hoſtes fidei Chriſtianæ, turbatam Chriſtianitatem propter tuas & eiuſdem Regis guerras exultantibus animis audientes, & ad eandem Chriſtianitatem conculcandam & confundendam, præſertim in eiſdem tranſmarinis & alijs eis vicinis partibus ſibi tempus ad hoc opportunum, durantibus di-

Saracenos debacchari in fideles.

Afros, Turcas, Tartaros, ingraue-scere.

Additæ blandæ preces.

Philippus ad pacem inclinat.

a Ext. ei⁹ lit. apud Ben. to.6. ep. secr. 270.

Eduardus ab ea abhorret.

Repetitæ apud eũ preces.

b Eod.to.6 ep. secr. 294.

Missus ad eum inter nuntius.

Monita Eduardo data.

Læta exordia tristi exitu claudi posse.

Infidos esse Flãdros qui comitem pepulere.

Annal. Eccl. Tom. XVI.

tis guerris existimantes adesse, fastuosam exinde assumunt audaciam; & ad inuadendum, opprimendũ, & offendendũ Christicolas & terras, quas Christiani obtinẽt, sicut Rex Marrochitanus Hispanias Turchi Romaniam & partes Christicolarum alias transmarinas, soldanus Armeniam, & Tartari Vngariæ & Poloniæ regna præsumptuosius & audacius, terribilibus congregatis exercitibus, se disponunt. Quæ quidem omnia, & alia inenarrabilia mala & periculosa scandala, ex eisdem guerris & dissensionibus tuis & Regis prædicti eidem Christianitati prouentura, quasi totus mundus tibi & Regi prædicto imputat & ascribit.

Attendat itaque regia prouidentia diligenter, si pro vitandis tot & tantis malis, periculis, & scandalis, quibus merito irritatur Altissimus, & quodammodo derogatur nomini regio & honori, exinde depressa iustitia & tota Christianitate concussa, esset flectendum cor regium ad dictæ pacis reformandam concordiam, vel saltem treugas ineundas. Est namque plurimum formidandum, quod dum via pacis rationabilis respuitur, Deus qui est pax vera, eamque diligit, & delectatur in viris pacificis, prouocatus exinde sinat contra te dictumque Regem, & alios vtrique vestrum adhærentes multiplicari tribulationes varias, & augeri, &c.] Rogat, vt se paci accommodet, populo Christiano preces publicas ipsum ideo indixisse: mittere vero ad eum Guillelmum Amici, vt hæc altius viua voce in animo regio defigat. *Dat. Auin. vii. kal septembris anno vi.* Propendebat ad pacem Philippus Rex tot cinctus periculis, quam vtinam antea, cum poterat, esset sectatus: mensesque iunio Pontifici illius ineundæ desiderium exposuit a, vtque Ludouicus Bauarus interceſſorem se pro ea concilianda futurum polliceretur.

29 Non ita spectabat ad pacis cõsilia Eduardus Rex Angliæ, quem Pontifex vt flecteret scriptis eodem, quas dabat ad Regem Francorum, argumento allatis ante a nobis literis, ingentia mala, quæ ipsius causa rei Christianæ inuehebat discordia ob oculos posuit b, vtque præter occidentis excidia, ob ipsius cum Rege Francorum exitialia disidia in Asia Armeniam Babylonij, Græciam Turcæ inuaderent: Poloniæ & Vngariæ immineret Tartari, Hispanias Marrochitani penetrarent: denique ad ea, quæ Vvillelmus e Norvvico decanus eccleſiæ Lincolnienſis capellanus pontificius sacri palatij causarum auditor apostolico nomine expositurus esset, animum aduerteret. Hæc vero regio animo, vt ad pacem flecteretur, a Vvillelmo imprimi iussit.

Credentia commissa per dominum Papam magistro Vvillelmo de Norvvico super exponendis per eum Regi Angliæ: quam quidem credentiam idem dominus Papa per eundem magistrum Vvillelmum scribi mandauit, & fecit manu propria, & sibi realiter assignari.

Memoriale super dicendis ex parte domini nostri Papæ domino Regi Angliæ. Primo quod propter victorias, quas Dei gratia obtinuit mediante, non superbiret, nec earum confidentia in pacis vijs vel tractatu recipiendis extraneum se redderet, vel difficilem: exemplo quorum vnus, decem septem vicibus in bello succumbens, decima octaua vice de inimicis suis finalem obtinuit victoriam: & alter duabus vicibus obtinuit, tertia vero vice cum toto suo succubuit exercitu.

Secundo de perfidia gentis sibi colligatæ, tam de Flandrensibus, qui cũ dominum propriũ naturalem deceperint, multo magis eum, quem accidentaliter & momentanee receperunt in dominum, verisimiliter deciperent in futurum. Nec multum se confidere habet de dominis Iuliacensi, et Gueldrensi comitibus, quod quasi amore sui istis se actibus exponerent pro eodem; quia magis, immo principaliter propter scandalum potionis, eisdem per Regem Franciæ impositum, defensionem suam propriam & peculiarem prosequi reputantur. De Alamannis etiam minus, qui semper consueuerunt instabiles reputari. Auus etiam istius Eduardus bonus eorum instabilitatem vltimatæ suæ indigentiæ tempore experimento probauit.

Socios fidei defuturos.

30 *Tertio de potentia* Regis *Franciæ excessiua, qui licet decem bella in regno suo perdidisset, populum tamen in abundantia ad resistendum cuique verisimiliter recolligere posset: quod tamen in Rege Angliæ extra regnum suum, & in extraneorum manibus existente, propriaque natione non stipato, difficile immo impossibile reputatur. Et hoc patet exemplo Regis cuiusdam Angliæ, qui quondam infra regnum Franciæ plus habuit in redditibus, quam ipse Rex Franciæ in regno proprio, & cum toto successiue fuit expulsus. Et præsertim cum petitio dicti Regis Angliæ quoad regnum Franciæ, in quo nullum ius reputatur habere; ac quoad certos comitatus, in quibus centum annorum præscriptione & vltra Reges Franciæ continue & quiete possessionem habuerunt, videatur iniusta. Quare videtur, quod ducatu Vasconiæ sub forma, qua dominus Eduardus auus istius tenuit eundem, merito debeat contentari.*

Francorũ Regem præstare viribus.

Domestica exempla memoret.

Iniuria Gallicum sceptrum posci.

Transigendum de Aquitano ducatu.

Quarto de timore Dei, quem ad memoriam semper reducere debet, in pectoris sui scrinio reuoluendo processus & censuras in & contra Bauarum factos & latas, quas per adhæsionem eiusdem & assumptionem vicariatus imperij noscitur incurrisse: super quibus dominus noster prædictus eidem Regi tam exhortando quam monendo scripsit frequenter, & semel sibi non vt filio, nec vt fideli eccleſiæ, sed vt rebellibus & infidelibus adhærenti literas destinauit. Et præsertim propter incursum hostium fidei Christianæ, qui Christianitatem vndique impugnare cœperunt, prout in literis domini nostri specifice continetur, ab istius guerræ continuatione desistere iam deberet. Item in casu, quo Rex diceret, merito se dubitare, ponere se in manibus domini nostri; præsertim assistentibus sibi dominis Cardinalibus, quorum maior pars & quasi omnes de regno Franciæ sunt oriundi, vel in personis proprijs vel in eorum nepotibus beneficiati, ac reddituati tam in temporalibus quam inspiritualibus, & quorum pars magna publice partem faciunt contra eum in negocio, de quo agitur; haberem dicere beneuolentiam, quã dominus noster habet specialem ad personam domini Regis, & regnum; ac etiam quod in talibus negocijs, Romanam eccleſiam & eius patrimonium non concernentibus, Cardinalium consilium requirere non consueuit: & in hoc negocio, si in suis manibus poneretur, aliorum consilium requirere non curaret.

Propositũ scelus ex Bauari fœdere.

Futurumr se pacis a bitrum spondet Bened.

31 Cohortatus etiam est Pontifex sapientes viros, ab vtroque Rege Eduardo et Philippo ad sanctiora consilia adhiberi solitos, vt eos ad concordiam ineundam impellerent: *Vniuersitatem*, inquit a, *vestram rogamus, requirimus, & in Domino exhortamur, quatenus habentes præ oculis solum Deum, cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, super tantis tamque periculosis negotijs, statum totius Christianitatis, vt præfertur, concernentibus, eidem*

Monita ad Anglic. se natum.

a Eod.to.6 ep. secr. 295.296

Regi, ac saluti, bonoribus, & commodis suis; nec non Christianitati prædictæ salubria, vtilia, & expedientia, cum bonis & rectis conscientijs credideritis, suadere ac consulere studeatis. Dat. Auin. VII. kal. Septembris anno VI.

Initæ ad Tornacū induciæ. a Ib. ep. 305.

32 Cum vtriusque Regis acies ad Tornacum accinctæ ad prælium essent a, nullo cruore fuso diremptæ sunt, vt similiter anno superiori Cameraco abscesserant, nullo commisso prælio. Perfunctos egregie suo munere apostolicos nuntios Guillelmum e Norvvico apud Eduardum, & Guillelmum Amici apud Philippum vtriusque Regis ostendunt literæ b: profuitque admodum, vt Tornacensi consenescente bello, Ioanna Valesia sanctimonialis, Philippi Regis soror, apud Philippam Reginam Angliæ & Guillelmum filium comitem Hannoniæ pacis consilia promoueret: demum pactæ induciæ, solutaque Tornaci obsidio. Constitutum etiam inter Eduardi & Philippi Regum fœderatos fuerat, vt prope Tornacum pacis tractatus proximo a S. Martini festo die agitaretur: sed illum Eduardus receptis apostolicis literis, quibus propositis ingentibus malis, quæ bella traherent, quantaque exitia rei Christianæ, ni illa Deus auerteret, illatura essent, vrgebatur; ad sanciendas cum Rege Francorum inducias, mittendosque ad sedem Apostolicam oratores, vt vna cum alijs Philippi oratoribus conciliandæ pacis ratio iniretur, ad proxime recurrentem post festum purificatæ Deiparæ diem extrahi flagitauit; rescripsitque hæc e Pontifici, cuius arbitrio certis legibus permissam controuersiam, videbitur inferius.

b Ep. 302, 304.

Agitatū de pace.

c Ibid. to. 6. ep. secr. 302.

Sanctissimo in Christo patri domino Benedicto diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, Eduardus eiusdem gratia Rex Franciæ & Angliæ, & dominus Hiberniæ deuota pedum oscula beatorum.

33 Reuerenter & deuote recepimus sanctitatis vestræ literas [ac nonnullis interiectis, quibus Vvillelmū e Norvvico apostolicum internuntiū a se exceptum honorifice ait, hæc subijcit:] Et quidem, pater sanctissime, de tam pia visitatione vestra ac exuberante penes nos paterna beneuolentia nimium exultat deuotio filialis, laudes & gratias exsoluens propter hoc humiles & votiuas. Sed pungunt & amaricant interius mentem nostram mala quæ, sicut prædicitur, ex præsenti guerra prouenirunt, & præsertim quod terras Christianorum inuadere sic satagunt infideles, ad quorum repulsionem & insolentiam conterendam, si possemus, daremus operam libentissime, nouit Deus. Ad quod per Dei gratiam & vestri præsidium aspiramus; & ob hoc hactenus, quantum decuit, pacem quæsiuimus, & quærere voluimus cum effectu. Vnde cum nuper ante receptionem literarum vestrarum obsideremus ciuitatem Tornacensem, licet nobis arrideret expeditionis vberis spes propinqua; ad importunam tamen quorumdam instantiam sub spe tractatus pacis tolerauimus, quod inter alligatos nostros & alligatos partis aduersæ [Ioannem Regem Boemiæ cum duce Brabantiæ de pace colloquium inijsse referunt nonnulli d] capiebatur vna tregua, vsque ad festum natiuitatis S. Ioannis Baptistæ proxime futurum duratura: inter quos condictum extitit, vt in crastino instantis festi S. Martini episcopi prope Tornacum tractatus pacis haberetur; quem diem, receptis prædictis vestræ sanctitatis literis, prorogari fecimus vsque in diem dominicam proxime post festum purificationis B. Mariæ virginis, vt interim possemus vestram beatitudinem super intentione nostra & causæ nostræ iustitia plenius informare, & super ijs prouidum vestrum consilium, quod præ cæteris amplecti volumus, obtinere, &c. [Addit se oratores ob id ad sedem Apostolicam mittere, atque Pontifici ob nauatā pro liberando Nicolino e Flisco operam eximiam gratias agit. Denique subijcit:] Conseruet vos Altissimus ad regimen ecclesiæ suæ sanctæ per tempora prospera & longæua. *Dat. apud Gandauum decimo die nouembris anno regni nostri Franciæ primo, regni vero nostri Angliæ quartodecimo.*

Eduardi de ea re literæ.

d Iohn. Leyd. l. 18. c. 3.

34 Edendus hoc loco in lucem visus est libellus a, quem Eduardi oratores Pontifici porrexere, quo illius causæ æquitatem illustrare conati sunt, atque omnium bellorum originem in Philippum Regem transfundere tentarunt.

a Postulata Eduardi 4 Ext. apud Bz. to. 6. ep. secr. 11.

Hæc sunt in effectu, quæ dicta sunt vobis sanctissimo patri & domino per nos Vvillelmum de Norvvico decanum Lincolnien sem, Ioannē de Offorde archidiaconum Elien sem, & Ioannem de Thoresby canonicum Sutvvellen sem ex parte domini nostri Regis Angliæ illustris.

Sanctissime pater & domine. Vt beatitudo vestra de intentione dicti domini nostri Regis sincera & iusta, ac ad pacem rationabilem prona semper & parata, plenius informetur, aliquid est in facto referandum. Dominus Philippus, pro Rege Franciæ se nunc gerens, a tempore, quo regnum Franciæ primitus occupauit, verisimiliter æstimans, & merito, dictum dominum nostrum Regem ad regnum Franciæ suæ mentis oculos direxisse, vel velle saltem dirigere in futurum, visus fuit eum in Scotiæ partibus, Scotis realiter adhærendo & in ducatu Vasconiæ quamplurima vsurpando, adeo continue & fortiter occupare, quod circa recuperationem iurium suorum in Francia eidem intendere non vacaret. Et quia eidem in minori ætate constituto, iuris peritiam & agendorum experientiam non habenti, propter insidias præsertim prædictas eidem, vt prædicitur, præparatas vsque ad tempora nouissima via non patuit iura sua quoad regnum suum Franciæ prædictum congrue prosequendi; idem dominus noster Rex, pacem desiderans & quietem, vias dicto domino Philippo obtulit infrascriptas pro sola recuperatione ducatus prædicti, & vt a subsidio Scotorum se totaliter amoueret. Primo videlicet maritagium filij sui primogeniti pro filia domini Philippi sine quacumque dote matrimonialiter copulanda. Secundo maritagium germanæ suæ, nunc dominæ Gelriæ pro filio dicti domini Philippi cum dote maxima & excessiua. Tertio maritagium germani sui domini comitis Cornubiæ pro quadam consanguinea sua. Quarto pro vexatione redimenda obtulit sibi vnam summam pecuniæ arbitrio dicti domini Philippi proprio moderandam. Quinto quia dictus dominus Philippus prætendebat, se velle in terræ sanctæ subsidium transfretare; dictus dominus noster Rex ex magno zelo, quem semper habuit & habet ad sanctum passagium assumendum, obtulit se paratum passagium cum eo assumere supradictum, & Scotis treugas concedere competentes sub illa conditione finaliter, quod dictus dominus Philippus fideliter promitteret sibi, post reditum eorundem de ducatus sibi facere iustitiæ complementum. Sed ipse oblationes tam rationabiles, immo superrationabiles respuens & refutans, respondit se nihil velle facere quousque omnibus Scotis tam viuis quam heredibus mortuorum restitutionem plenam faceret de ijs, quæ suis temporibus in Scotia occupauit.

Querimoniæ sibi bell. a Phil.

Oblatum affinitatis respuit.

Iuri se commodare detractat.

nit. *Et cum nuntij dicti domini nostri* Regis *respondissent, quod ad hoc nõ habuerant potestatem, nec hoc credebant dictum dominum Regem facere velle;* Anglicũ sceptrum affectasse. *respondit dominus Philippus per hæc verba: Nunquam bene erit, quousque vnus fuerit Rex vtriusque regni tam Franciæ quam Angliæ. Ista publice prædicauit dominus archiepiscopus Cantuarienſis Londonijs in prælatorum, comitum, baronum, & aliorum multitudine copiosa.*

35 *Audiens hæc dominus noster Rex, ad discretionis annos iam perueniens, conuocari fecit parlamentum, in quo de consilio & assensu omnium prælatorum, comitum, baronum, & aliorum nobilium & popularium ibidem præsentium, & præsertim dicti domini* Cantuarienſis *ad hoc specialiter instantis, extitit ordinatum, quod cum pacem per humilitatis viam obtinere non potuit, & ex sententia & decisione doctorum & aduocatorum tam* Romanæ *curiæ, quam studiorum* Parisiensis *& Oxonienſis & aliorum, nec non prælatorum omnium regni Angliæ peritiorum & famosiorum, cum quibus ius suum fecerat solicite disputari, regnum Franciæ prædictum per mortem claræ memoriæ domini Caroli vltimi Regis Franciæ auunculi sui ad eum vt proximum heredem masculum iure successorio erat legitime deuolutum, ius suum prædictum etiam in manu forti curaret prosequi cum effectu. Et vt hoc securius & secretius facere posset, iurati ad hoc fuerunt domini* Cantuarienſis, Lincolnienſis, Londonienſis, Saresberienſis, Lichefeldenſis, *& alij multi prælati, comites, barones, & alij nobiles maiores regni super crucem domini archiepiscopi* Cantuarienſis *prædicti.*

Decretũ in Angl. senatu, ius armis petendum.

36 *Insuper inter alia extitit ordinatum, quod alligationes fierent in Alemannia iam factæ, & quod dominus episcopus Lincolnienſis, associatis sibi quibusdam nobilibus de* Anglia, *ministeri constituererur ad perficiendum alligationes prædictas: qui ex ordinatione parlamenti prædicti, & dicti domini* Regis *præcepto dictum ministerium sic necessitatus admisit, & ad effectum perduxit. Quibus factis, dominus noster* Rex, *consilium secuturus prædictum, mare transiuit, & aliquas regni Franciæ partes cum suo & quorumdam alligatorum exercitu deuastauit. Instante postmodum tempore hyemali, dictus dominus noster Rex in* Angliam *reuersus audiuit, quod in mari maxima nauium multitudo ad sui & suorum innasionem celerem parabatur. Qui de consilio suorum, sibi pro tunc assistentium, & principaliter domini* Cantuarienſis *prædicti, subito se parauit ad purgandum mare, & ad transeundum se exposuit absque prouisione pecuniæ vel equorum, sub confidentia principaliter dicti domini* Cantuarienſis, *qui infra certos & paucos dies pecuniam sibi sufficientem promiserat destinare: & mare transiens, inimicos suos inuenit in mari iuxta portum, quo proposuit applicare, & eam quam dedit sibi Deus obtinuit victoriam.*

Ineundũ cum Germanis fœdus.

Paratas mari sibi insidias.

Pattam nualem victoriam

Qui postmodum, terram ascendens sub confidentia promissionis prædictæ cum armatorum maxima multitudine, ciuitatem Tornacensem obsedit, ibidemque remanens longæuo tempore omni pecuniæ subsidio destitutus: licet ad multorum instantiam importunam, veraciter tamen sola pecuniæ frustratione coactus, treugis consenserat ineundis, in summo sic periculo & extremo necessitatis articulo constitutus, cum nullum denarium toto obsidionis tempore, vt dixit, ab Anglia recepisset. Et vltra suum contra dictum dominum archiepiscopum conceptum aperiens, dixit hæc verba: Vere credo quod archiepiscopus voluit, quod propter defectum pecuniæ perditus fuissem & interfectus, & vlterius dixit mihi seorsum de vxore mea, & econtra talio dixit vxori meæ seorsum de me, propter quæ, si fuisset exauditus, ad tantam nos iram mutuam prouocasset, quod perpetua inter nos fuisset diuisio. Vere pater sancte dominus Rex *omnia ista, dominum archiepiscopum tangentia, sæpissime mihi Villelmo de Norwico tam ad partem quam coram alijs de consilio suo reduxit ad memoriam, & firmiter iniunxit sub iuramento, quod ea vestræ sanctitati plene & fideliter recitarem. Ista, pater sanctissime, videlicet quod propter defectum pecuniæ dominus Rex treugis consenserat ineundis, & ea quæ dominum archiepiscopum tangunt, si placet, teneantur secreta: cætera omnia poterunt propalari.*

Obexhaustum ærarium assensisse inducijs.

37 Porrectus etiam tum videtur ab ijsdem oratoribus Pontifici alter libellus a a nobis superius aptiore loco indicatus, quo probare nitebantur, regnum Francorum iure hereditario ad Eduardum spectare: quo vero illius consilia vergerent, his verbis expressêrunt: *Sanctissime pater & domine. Vt specialiter & nude vestræ clementiæ suam aperiat voluntatem, vestræ significat sanctitati, quod prosequitur, & intendit prosequi totum regnum Franciæ tanquam sibi iure successorio legitime debitum & delatum: ob reuerentiam tamen vestram & Apostolicæ sedis, & propter discrimina vitanda, quæ ex continuatione guerrarum poterunt verisimiliter prouenire, paratus est tractare de pace, & bonæ paci consentire; dum tamen in tractatu pacis faciendæ habeatur consideratio ad ius sibi competens in regno prædicto, & non solum ad ducatum, quia solo ducatu toto, & etiam ab omni seruitio & subiectione cuiuscumque libero, non intendit contentari. Insuper quia sanctitas vestra ad reformationem pacis summe solicita per literas suas paratam se obtulit apud Apostolicam sedem in persona propria si partium nuntij propter hoc ad curiam destinentur vel per alios, prout honeste & commode fieri poterit, laborare; dominus noster Rex ex magna confidentia & reuerentia deuota consensit, quod hoc sit in electione sanctitatis vestræ.* Durissima hæc erant Eduardi Regis postulata, neque vlla muniri via concordiæ videbatur: immo ijs auditis magis Philippum Regem inflammatum iri ad bellum, expectandum erat: atque ideo monuit Anglum Benedictus b, vt petitis modum poneret. Ab his enim Eduardo concedendis adeo Francorum Rex abhorrebat, vt cum regijs literis Benedictum pacis crearet interpretem c, illius arbitrio tantum permitteret, vt de ijs terris Aquitaniæ, quæ a Carolo Valesio parente Caroli IV. Regis temporibus bello partæ erant, cum Eduardus II. acceptam Gallicæ aulæ Aquitaniam solemni ritu sacramento referre detrectabat, ob quas retentas primas dissensionis inter Eduardum & Philippum causas fluxisse vidimus; vel ab ipso Philippo in hoc extremo bello armorum vi comparatæ erant restituendis Anglo pronuntiaret.

a *Ext. ad pag. 114.*

Non Aquitania modo, sed & alia expetita.

b *Eod. to. 6 ep. secr. 303.* Monitus Anglus, vt petitis modum ponat.

c *Ext. eius lit. apud Bened. ib. ep. 304.*

Sanctissimo Patri in Domino Benedicto, *diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici.*

38 Sanctissime pater. Pridem per vos cum quibusdam vestræ sanctitatis literis ad nos missus vir venerabilis & discretus magister Guillelmus Amici auditor sacri palatij ex parte vestra multum secrete nobis exposuit viua voce, quod propter bonum pacis & affectionem sinceram, quam ad nos regnumque nostrum habetis, onus in vos libenter susciperetis, dum tamen nobis

placeret, pacificandi discordias inter nos & Regem Angliæ fuscitatas, in quantum terras & loca per chariſſimum dominum & genitorem noſtrum Regis Caroli tempore, ac pro ipſo & poſtmodum per nos in Vaſconiæ partibus acquiſita tangere dignoſcuntur. Super quibus veſtram ſcire volumus ſanctitatem, quod licet ad nos dumtaxat ratione noſtræ ſuperioritatis, quam per certas conuentiones pertineat cognitio de præmiſſis; nihilominus propter honorem & reuerentiã veſtræ beatitudinis, & ob ingentem confidentiam, quam de vobis sẽper habuimus & habemus, placebit nobis, quod vos vt priuata perſona de & ſuper prædictis per viam amicabilem & rationis, prout vobis bonum & expediens videbitur, cognoſcere ac ordinare poſſitis: dum tamen ante omnia præfatus Rex Angliæ nomen Regis Franciæ, quod vſurpatiue noſcitur aſſumpſiſſe, ac ſigillum de armis Franciæ, quo per tempus aliquod vſus eſt indebite, & adhuc vti nititur, omnino dimittat, ac eis renuntiet totaliter cum effectu. Perſonam veſtram ſanctiſſimam conſeruet Altiſsimus eccleſiæ ſuæ ſanctæ regimini feliciter, vt optamus. *Dat. apud S. Audoœnum prope S. Dionyſium in Francia die* XXVII. *octobris, Deuotus filius veſter Rex Franciæ.*

Philipp. de Aquitanis terris tantũ compromittit.

39 Perſpectis vtriuſque Regis conſilijs, Pontifex iuſti fœderis ineundi rationem non explicari reſcripſit [a] Philippo; cum tamen ipſius & Eduardi oratores proximis a celebrato purificatæ Virginis feſto diebus pro tractanda pace conuenire apud ſedem Apoſtolicam deberent: ſuam operam, ſi aduerſæ partes aſſenſiſſent, adhibiturum: quod ad eam legem a Philippo adiectam ſpectaret, vt prius Anglorum Rex Gallica inſignia & nomen abijceret, antequam de Aquitaniæ terris illi vel Eduardo II. ereptis reſtituendis quidquam conſtitueret ſedes Apoſtolica; ſubdidit, eam ab Anglo nunquam admittendam: *Quamquam*, inquit, *cum prædictis miſsis per Regem præfatum Anglorum ſuper dimiſsione illius nominis & ſigilli de armis Franciæ collocuti fuerimus, & eis quæ nobis videbantur expedientia circa hæc duxerimus explicanda, reperire tamen non poſſumus nec ſentire cum ipſis, quod Rex ipſe ante tractatum pacis quoquo modo dimitteret ſupradicta.*

[a] To. 6. ep. ſecr. 305. Conueniũt apud Pont. Regum oratores.

Inſtat Philip. vt Anglus inſignia Gallica abijciat.

Ne tamen Philippus ob id a tractanda pace diſcederet, vtque illi accommodaret animum, Pontifex ipſum obſecrauit; atque inter grauiſsimas rationes hanc ſubiecit: *Ponens nihilominus ante oculos mentis tuæ, quod licet ſuperna benignitas offenſas prædictas hactenus diſsimulauerit patienter ſibique Chriſtianorum effuſionem ſanguinis non placere bis tuis & Regis prædicti actibus, vt noſti, de propinquo diſpoſitis ad bellandum oſtenderit manifeſte; verendum tamen eſt, & multipliciter formidandum, quod ſi vlterius prouocaretur ſimilibus, ſua non quieſceret indignatio, quin aduerſus illum vel illos, qui horum cauſa eſſent, terribilis & forſan irreparabilis vindicta vltionem, cum eius ſint occulta iudicia exerceret, &c.* Denique vt Philippum ad pacem cum Anglo & bella Domini gerenda accenderet, de Rege Marrochitano atque alijs Africanis Regibus, qui traiecerant in Hiſpanias, a Caſtellano & Luſitano Regibus magna gloria debellatis certiorem fecit. *Dat.* XII. *kal. ianuarij anno* VI.

Monetur, ne periculo exponat exercitũ.

40 Hiſtoriam aggreſſuri clariſsimæ victoriæ, in qua maxima infidelium multitudo, pugnante pro eccleſia Chriſto, cæſa eſt, quæ præceſſerint, ad eius perſpicuitatem præmittimus. Nuntio de accepta ſuperiori anno clade efferatus Mauritaniæ Rex, hoc ineunte maximos apparatus bellicos ad inuadendas Hiſpanias inſtruxit. Quo afflatus rumore Alfonſus Caſtellæ Rex, miſsis oratoribus, auxilia a ſede Apoſtolica expetijt. Neque illi defuit Pontifex, indixit enim religioſam in Mauros expeditionem: Conchenſi & Abulenſi epiſcopis prouinciam dedit [a], vt Chriſti fideles pro concione ad arma ſacra corripienda concitandos, cruciſque ſymbolo inſigniendos curarent: imperatæ [b] eccleſiaſticis ad ſumptus bellicos ſuſtentandos decumæ triennales; ac propoſitæ caſtra ſecuturis, vel ſtipem erogaturis indulgentiæ. De quibus Alfonſus Rex factus certior hiſce literis [c], viciſsimque ad condendas in comparandis ab hoſte locis eccleſias obſtrictus.

Petita Caſtellano conc. Mauros ſubſidia.

[a] An. 6. com. 15.

[b] Ib. com. 15.

[c] Ibid. 14.

Benedictus, &c. chariſsimo in Chriſto filio Alfonſo Regi Caſtellæ & Legionis illuſtri ſalutem.

Exultamus in te, fili chariſſime, nos & Romana eccleſia mater tua, quod Rege Regum & domino exercituum mẽtem tuam in actus deuotos & ſtrenuos ſalubriter dirigente, contra crucis hoſtes perfidos, videlicet Agarenos, ad exaltationem & defenſionem catholicæ fidei velut Chriſti miles intrepidus, & eius prælij promptus & ſubſidiarius præliator, ſic te hactenus murum opportunæ defenſionis opponere ſtuduiſti, quod, dante Domino tibi & gentibus tuis virtutem, de Agarenis ipſis feliciter triumphaſti, multis ex eis, qui ad Chriſtianorum interitum furentis propoſiti armauerant voluntatem, vna cum infante nato profani & blaſphemi Regis de Benamarin in ore gladij Dei digno iudicio interemptis: de quorum internecione idem Rex blaſphemus, & maxime propter necem eiuſdem infantis nati ſui adeo in profanæ impietatis rabiem dicitur exarſiſſe, quod ſicut publicis fidedignorum fertur relatibus, omnino citra mare ad partes Hiſpaniæ tranſire proponens, innumeroſam Agarenorum multitudinem congregat, & ad quaſcumque ciuitates & portus, in quibus credit inuenire nauigia, nuntios ſuos cum multis pecunijs, in quibus plurimum dicitur abundare, pro habendis dictis nauigijs ad tranſitum ſuum neceſſarijs deſtinauit, ad perficiendum huiuſmodi nequam propoſiti ſui votum potentiæ ſuæ vires accelerans quantũ poteſt.

De Mauritani Regis filio acie cæſ.

Quare tu prudenter attendens, quod ad obuiandum moliminibus eiuſdem Regis blaſphemi, & omnium Agarenorum, in magna potentia citra mare tranſire volentium cum eodem, toti Chriſtianitati expedire dignoſcitur, vt quamcitius fieri poteſt adhibeatur per opportunæ diligentiæ & ſolicitudinis ſtudium, & promptę ſuffragationis auxilium in neceſſarijs nauibus & galeis, ac alijs nauigijs armatis decenti, & ad hoc apta claſſe fidelium remedia opportuna; nobis per dilectos filios nobiles viros Ioannem Martini de Leyna & Petrum Didaci de Corduba milites ſpeciales nuntios, ambaſſiatores, & procuratores tuos, ad præſentiam noſtram propterea ſpecialiter deſtinatos, humiliter ſupplicaſti, vt tibi, qui velut catholicus princeps, & feruidum zelum gerens, pro defenſione fidei Chriſtianæ ad obuiandum potenter dictorum Agarenorum congreſſibus peregiſti hactenus, et continue peragis circa hoc quod ſtatus et poſsibilitas tui requirunt, cum contra tantam multitudinem et potentiam Agarenorum, quam idem Rex blaſphemus cum alijs Regibus Agarenis crucis hoſtibus continue congregare non deſinit, non credas poſſe ſufficere

Illius nẽ cem vi ſci para Afri.

Contra eos ſe a parat fonſus.

Legato ad [Po decern

Quæ ijs fuer propoſ

per

per te ipsum, prouidere tibi de infrascriptis subsidijs dignaremur.

41 Quamuis igitur ecclesijs et personis ecclesiasticis regnorum et terrarum tuorum prædictorum paterno compatiamur affectu, ac inuite ipsis grauamina imponamus; attendentes tamen vrgentem et probabilem supplicationis huiusmodi causam, et præsuppositę necessitatis instantiam, votis tuis super præmissis eo libentius annuendum fore prouidimus, quo illa apostolici fauoris fulcienda, et iuuanda præsidijs magis vtile et expediens existimamus. Præmissis itaque attenta consideratione pensatis, ac deliberatione super ijs cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus præhabita diligenti, sub infrascriptis promissionibus et obligationibus dictorū procuratorum et nuntiorum tuorum per eos factis, ac moderationibus nostris per dictos procuratores acceptatis, et iuramento, quod in tuam animam præstiterunt, vallatis supplicationes tuas huiusmodi ad exaudi-
Indicta a Pont. cruceata militia. tionis gratiam duximus admittendas. Prædicationem siquidem crucis in omnibus regnis, comitatibus, atque terris tam tuo quam etiam charissimi in Christo filij nostri Aragonum Regis illustris, dominijs et ditioni subiectis, nec non in regnis Nauarræ et Maioricarum per certos archiepiscopos et episcopos in literis nostris super hoc directis eisdem nominatim expressos, et alias personas ecclesiasticas seculares et regulares ad id idoneas, per eosdem archiepiscopos et episcopos deputandas, tam contra dictum Regem de Benamarin, et quoscumque alios crucis hostes sequaces ipsius, quam contra Regem Granatæ cæterosque blasphemos, obsequentes eidem, siue ipsos Reges blasphemos contra te et regna seu terras tua siue te, non solum regna & terras tua prædicta defendendo, sed etiam regna & terras eorum inuadendo seu impugnando, guerram mouere contigerit contra eos, fieri concedimus pro triennali tempore infrascripto; vita quod in dictis regnis & terris ac dominijs dictorum Regū catholicorum proponatur solemniter verbum crucis, & inibi venerabile signum eius tuis & aliorum fidelium in regnis, comitatibus, terris, & dominijs prædictis consistentium, vel illuc vndecumque confluentium, illam deuote suscipere volentium, humeris per eos, qui ibidem proponent verbum huiusmodi affigatur; vt prædictum negotium contra præfatos Reges blasphemos & sequaces eorum, viuificæ crucis muniti signaculo, te dictum negotium assumente, feruenter assumant, teque illud prosequēte, viriliter prosequantur [Pluribusque interiectis de subsidiario decumano auro, in bellicos sumptus ex sacerdotiorum vectigalibus redigendo, adiectæ a Pontifice hæ pactiones].
Distingui iussi crucis signo milites.

Attribu. tæ decumæ.

Quibus pactionib⁹ Alfonsus obstrictus.

42 Vt autem huiusmodi negotium siue circa defensionem regnorum & terrarum tuorum, siue circa impugnationem crucis hostium prædictorum, tam per mare quam per terram felicius & securius, Deo tibi assistente propitio, prosperetur, huiusmodi ordinationis nostræ terminos non excedas; sed illos diligenter obseruans, ad Dei gloriam & exaltationem fidei dictorum crucis hostium impugnationi diligēter inuigiles, &, solerter intendas, cum ipsi fidem catholicam & terras fidelium, potissime in ipsorum frontarijs constitutas, ac personas Christianorum non desinant impugnare, Christianos ipsos capiendo, suæque ditioni subdendo, ipsosque tam mares quam fœminas & paruulos filios & filias eorundem cogendo fidem catholicam abnegare, & nonnulla alia nefanda in eosdem catholicos committendo. In terris quoque, castris & locis in dicto regno Granatæ & alijs terris, per dictos Agarenos detentis, tam per te forsitan acquisitis, quam quæ diuina tibi suffragante virtute acquiri contigerit in futurum, construi & ædificari volumus ecclesias, seculares videlicet cathedrales secundum mandatum & ordinationem nostram & successorum nostrorum vel aliorum, quibus nos vel dicti successores ad id duxerimus vel duxerint committendum, considerata aptitudine, conditione, qualitate, & dignitate locorum, in quibus fuerint huiusmodi ecclesiæ ordinandæ. In quibus etiam de mandato nostro seu dictorum successorum ponentur & instituentur personæ ecclesiasticæ seculares, per quas in eis diuina celebrentur officia, & ministrentur habitatoribus ipsorum locorum catholicis ecclesiastica sacramenta. Collegiatæ vero & aliæ inferiores ecclesiæ a cathedralibus fundari possint de mandato prælatorū & aliorum catholicorū, quibus hoc de iure competit vel cōpetet in futurum: ac similiter institutio seu ordinatio personarum ecclesiasticarum, quas, vt prædicitur, seculares esse volumus, in eisdem collegiatis & alijs inferioribus ecclesijs ponendarum, possit fieri per eosdem, quibus competit id de iure, saluo iure patronatus rui: quod ius intelligi volumus illud esse, quod tibi iura cōmunia canonica in casu, de quo agitur seu agetur, præstiterint. [Repetita etiam ea pactio, alias cum ipso Castellæ Rege & Aragone inita, vt in locis de hoste partis, in quibus Mauri permisti Christianis versarentur, non permitterentur peregrinationes ad Mecham iniri, vel alta voce perfidi Machometi nomen proclamari. Adiectum demum de ecclesijs, ad sustentandos sacerdotes vectigalibus locupletandis].
Excitandæ ecclesiæ in locis hosti ereptis.

Mahumetici ritus palam nō permittē di.

43 Et quia spiritualia diu sine temporalibus non subsistunt, ac iustum est, qui altari seruit viuere debeat de altari, & iuxta verbum Apostoli mirum esse non debet, si temporalia metant ij, a quibus spiritualia seminantur; volumus quod pro bonis & rebus in dictis regno Granatæ & terris per dictos Agarenos detentis, per catholicos forsan, vt præmittitur, acquisitis vel in posterum, concedente Domino, acquirendis decimas & primitias ecclesijs & personis ecclesiasticis instituendis ibidem, cum super hoc per eos fueris requisitus, facias cum integritate persolui, secundum quod iura ad id te astringere dignoscuntur: & nihilominus libertas & immunitas ecclesiastica in ciuitatibus, castris, terris, & locis acquisitis, & quæ acquiri contigerit in regno & terris prædictis, eisdem ecclesijs & personis ecclesiasticis & & alijs plene & libere seruabitur iuxta canonicas sanctiones. Volumus insuper, quod processus nostri & sententiæ excommunicationis & interdicti per nos, vt præmittitur, in personam tuam & ciuitates & loca prædicta latæ & præmissorum occasione ferendæ, per aliqua verba dicti procuratorij tui nullatenus restringantur; sed in sua firmitate consistant ita, quod si eas incurrere te contingat, tamdiu in persona tua ac ciuitatibus & locis prædictis eas habere decernimus roboris firmitatem, donec congrua satisfactione præmissa, dictas sententias de nostro & successorum nostrorum speciali mandato contigerit specialiter relaxari, &c. *Dat. Auin. non. martij anno VI.*
Decumæ in compa randis bel lo agris soluendæ sacerdotibus.

Cautum libertati ecclesiasti cæ.

[a] *Marian. l. 16. c. 7. Sur. l. 7. c. 53.*

44 Non frustra denuntiatus barbarici apparatus terror: Albohacenus enim Marrochi-
Afrorū in Hispania expeditio

tanus Rex, Abomelici filij cæsi in bello Hispanico necem vlturus, Septæ, Bugiæ, Tuneti Regum, soldanique Babylonij copijs auctus, comparata ingenti classe, exercitus partem traiecerat in Algeziræ portum appetente vere: cum apud Castellæ Regem Alfonsum Goffredus Tenorius regiæ classis præfectus in odium adductus est, & inertiæ accusatus, qui barbaros in Gaditano freto traiectu non arcuisset. Lacessitus ea iniuria Tenorius vniuersam barbarorum classem bello adoriri constituit [a], perijtque accepta insigni clade [b] paulo ante dominicam palmarum: quinque tantum triremes fuga Tariffam euasere [c]: meminit de amissa Regis Castellę classe mense aprili Ioannes Villanus [d], quam tempestate laniatam ait adeo, vt vigintiquatuor triremes ex octoginta ad terram fuerint vi ventorum & maris illisæ: potuitque in ipso certaminis æstu classis procella discerpi, quem casum Pontifex in literis ad Regem Castellæ consolatorijs non obscure innuere videtur [e]. Nec felicius res Gilaberto Aragoniæ classis præfecto successit [f], quo in Algeziræ litore telo confosso in pugna tumultuaria: classis dissipata abscessit; barbari totis mensibus quinque ex Africa in Hispanias traiecere. Reficere nauale exercitum enisus est Alfonsus: Lusitani & Aragonij ad coniungendas vires solicitati [g]; exorati Genuenses, vt triremes regijs stipendijs conductas submitterent: eaque in re adhibita auctoritas Pontificis, qui vt facilem se in iuuando Rege Castellæ præbuit, ita ipsum ad permulcendas diuinas iras, quas impudicis adulteræ Gusmaniæ amoribus, iniustoq; magistri Alcantaræ ordinis supplicio in se cõcitarat, permouit [h]: monuitque vt opprimerentur interdum ob scelera principum populi: vincendum prius hostem, qui lateret in pectore, vt felicius de externo triumpharet; neue ex accepta nauali clade demitteret animum, sed more maiorum fortius in cœptum cum barbaris bellum incumberet.

[a] *Id. ib.* Victoria naualis relata a barbaris.
[b] *To.6. ep. secr.* 104.
[c] *Marian. super cap. 10. Vill. l. 11. c. 112.*
[d] *To.6. ep. secr.* 104.
[e] Classis Aragonia dissipata.
[f] *Sur. t. 7. c. 53.*
[g] *Marian. vbi sup.* Genuenses rogati vt ferrent Hispanis opem.
[h] *To.6 ep. secr.* 104.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

45 Casus ille sinister, quem pridem gentibus tuis, fili charissime, fidelibus cum perfidis Saracenis in mari Marrochitano pugnantibus, mœstis audiuimus relatibus contigisse, turbauit sicut creditur & concussit (super quo tibi paterno more compatimur) non immerito mentem tuam. Sane quia talẽ & tantum principem, tantæ virtutis, fortitudinis, & constantiæ decet esse, vt non eleuetur in prosperis, nec concidat etiam in aduersis; excellentiam rogamus regiam, & in Domino exhortamur, quatenus ad illum, a quo est omnis potestas, quique confidentes de sua misericordia non deserit, sed sustentat potius & exaltat, dirigens similiter vota tua, non demittendo propter huiusmodi casum, sed exaltando potius animum regium, magnanimior & robustior appareas & consistas, ac iugiter, præsertim cum Dei prosequaris negotium, confortẽris. Equidem si gesta claræ memoriæ progenitorum tuorum laudabilia, qui pro defensione ac dilatatione fidei Catholicæ nec laboribus, nec expensarum profluuijs, nec demum effusioni pepercerunt proprij sanguinis, ante conspectum posueris mentis tuæ, nihil prorsus tibi graue reddetur circa prosecutionem operis Dei, quod inhærendo eorum vestigijs laudabiliter & commendabiliter incœpisti. Age igitur, fili dilectissime, virilliter & potenter, vt tibi assistente dextera diuinæ potentiæ, opus cœptum continues & perficias ad laudem Dei, & augumentum tui nominis & honoris.

Monita Regi Castellæ data.

Maiorum exempla proposita.

Optaremus tamen te attendere diligenter, quod proficiscenti ad bella principi multum inter cætera noscitur expedire, vt pacem in domo propriæ conscientiæ studeat stabilire, ne pugna lacessitus domestica, minus ab hostibus timeatur. Inter omnia sane prælia, illud magis est intimum, & dici debet rectius intestinum, quod sub Dei solius oculis in conscientiæ sinu geritur, & quietem animi nunc rodendo, nunc concutiendo, nunc lacerando, & prosternendo quandoque deijcit, vel perturbat.

Condemnatio.

46 Ideo, fili amantissime, considera quæsumus diligenter, quid in domo conscientiæ tuæ agitur, & si ratione illius concubinæ, cui in tuæ salutis & famæ dispendium diutius adhæsisti; ac nihilominus, quod in illum quondam .. magistrum domus de Alcantara, personam vtique religiosam & ecclesiasticam, manus violentas vsque ad extinctionem vitæ illius super terram, non sine magno sententiarum latarum a canone periculo, per te vel alios extendisti: bella in domo tuæ conscientiæ moueantur, vel moueri debeant intestina voluens & reuoluens intra regij claustra pectoris diligenter, mulierem ipsam a cohabitatione, tua corrigendo & mutando in melius amodo vitam tuam, remoueas & ad obtinendum absolutionis beneficium a dictis sententijs te disponas: sicque pace in tua conscientia firmiter & salubriter stabilita, teque accepto apud Deum, per quem regnas & regeris reddito, securius inire bellum poteris contra hostes.

Expiandum crimen.

Et quia, sacra scriptura testante, quandoque propter peccata Regum punitur populus, ex tunc de peccatis prædictis, dum ab illis mundatus & liberatus fueris, non habebis quod te vel dictum populum periculis subicijant formidare, nec labores tuos ab æterni retributione præmij vacuabunt. Hæc autem tibi, fili prædilectissime, quem portamus in visceribus charitatis, paternis & charitatiuis monitis, sicut alias persuasisse meminimus, adhuc eo affectuosius, quo sæpius suademus. Porro receptis benigne nuper magnificentiæ tuæ literis, & contentis in eis diligentius intellectis, super habendis, conducendis, armandis, & muniendis galeis, & etiam falsis Christianis & impijs de Ianua, qui Saracenis adhærere dicuntur, contra te abinde retrahendis, dilectis filijs .. defensori, communi, & populo ciuitatis Ianuensis per literas scripsimus opportunas. *Dat. Auin. xii. kal. iulij anno vi.*

Futurum pœnitentem Deũ propitium.

47 Extant eæ literæ [a] in pontificio regesto ad Alfonsi Regis gratiam ad Simonem Buccanigram ducẽ datæ, in quibus proposita hæc ratio: *Considerantes*, inquit, *attente, quod per mare illud Hispaniæ vasis naualibus Christianis deficientibus panderetur, quod absit, liber transitus Saracenis, fidelibus & fidei catholicæ imminentia pericula prouenirent.* Nonnullisque interiectis Simonem ac Genuenses hortatur, vt impios homines, qui Saracenis aduersus Christianos operam locare non perhorrescunt, comprimant, diramque infamiæ labem a suo nomine abstergant: *Cum sicut alias*, inquit, *vobis scripsisse meminimus, vox sonet horribilis & insonuerit hactenus, vos & ciuitatem vestram (licet ab ijs sitis quantum ad vos innocentes, vt credimus) infamia grauis respergens, quod aliqui subditi vestri, se constituentes falsos & impios Christianos, assistunt*, nimirum Saracenis, *arma, vasa naualia & alia, cum quibus Christianos ipsos impugnant, ministrantes eisdem, & se ad stipendia ponentes eorum, crude-*

[a] *To.6. ep. secr.* 105.

Obiurgati operam apud Afros locantes.

delius quam Saraceni Chriſtianos ipſos inuadunt, grauius & offendunt, quod in diuinæ maieſtatis cedit contumeliam, Chriſtiani nominis opprobrium, ac bonoris & famæ diſpendium, ſi eſt ita, &c. Dat. Auin. XIII. kal. iuly anno VI. Et quidem diuinæ vindictæ datum eſt [a], cum inſequenti anno kal. ianuarij portus Veneris incendio conflagraſſet, graſſantibus tanto furore flammis, vt domos omnes, in quibus innumeræ opes erant, abſumpſerint: at eæ malis artibus erant quæſitæ, ij enim piraticam omnes exercebant, vel piratas fouebant.

Portus Veneris incendio conſumptus. a Io. Vill. l. 11. c. 120.

48 Aſſenſit pontificijs precibus monitiſque Simon, ac triremes quindecim egregie inſtructas regijs ſumptibus Alfonſo ſubmiſit [b]. Florebant ea tempeſtate rei maritimæ gloria Genuenſes, quos hoc anno in Ponto Euxino centum quinquaginta maioris ſeu minoris aluei naues Cerabis Synopenſis profligaſſe refert Ioannes Villanus [c], cæſis barbarorum ſex millibus merſiſue. Sed ad res Hiſpanicas redimus. Coniunxit [d] primum duodecim triremes cum aliquot nauibus Aragonius Petro Moncada præfecto, ac deinde alias ſeptem adornauit: ita cum alijs Caſtellæ & Luſitaniæ Regum naualibus copijs maritima res redintegrata [e]. Exercuerant ante ij Reges gener ſocerque grauiſſimas ſimultates, ad quos, vt diximus, conciliandos Pontifex Bertrandum tit. S. Cyriaci in thermis presbyterum Cardinalem miſerat [f]: iurgia vero leuiora imminentis belli barbarici grauiſſimus terror diremit. Rex Caſtellæ a petitis abſceſſit, Mariam Reginam vxorem ad parentem Luſitanum, vt eum leniret, tranſmiſit [g], ac poſtea cum ſocero ad Iuramentiam oppidum in Anæ ripa colloquium inijt: dimiſit Conſtantiam Emanuelis filiam ad Petrum Luſitaniæ principem tercentorum millium aureorum dote conſtituta; atque inter eos nuptiæ mox regio apparatu celebratæ. De qua firmata feliciter Luſitanum inter & Caſtellanum pace, mutuiſque poſitis odijs Pontifex extremo anno Regem Francorum certiorem fecit [h].

b Marian. l. 16. c. 7.

c Io. Vill. l. 11. c. 116. Bizar. l. 6. Aug. Iuſt. l. 4. Inſtaurata Chriſtiana claſſis.

d Sur. l. 7. c. 53.

e Marian. ſuper eap.

f To. 6. ep. ſecr. 87.

g Marian. ſuper c. 7. Firmata inter Luſitan. & Caſtellan. fœdera.

h To. 6. ep. ſecr. 305.

Cæterum vt conuerti facilius poſſent in hoſtem communem omnium Hiſpanorum fidelium arma, Pontifex ad diuinum implorandum præſidium archiepiſcopos & epiſcopos Hiſpaniarum ſolemnes ſupplicationes, inſtructa religioſa pompa, celebrare iuſſit [i], monereque populos, vt diuinas iras precibus auerterent, abſtergerent lachrymis ſcelera, vt placatus Deus infidelium faſtum contunderet, optatamque victoriam ſuis tribueret.

i Ib. ep. ſec. 273. Indictæ ſolemnes ſupplicationes.

Benedictus, &c. venerabilibus fratribus.. archiepiſcopo Toletano eiuſque ſuffraganeis.

49 Cum ſicut habet rumor implacidus, & infeſtus, hoſtis ille profanus, Rex Marrochitanus videlicet, ad inuaſionem, oppreſſionem, deuaſtationem, & occupationem partium Hiſpaniarum, & fidelium in eis degentium, extirpationemque cultus catholicæ fidei ac nominis Chriſtiani aſpirans, ex eo ad ſuos nefandiſſimos, nequiſſimos, & damnatos conceptus huiuſmodi producendos, quod abſit, in partum maiorem aſſumat audaciam, & ad id præſumptuoſius cum ſuis nequam ſequacibus ſe diſponat, quia chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Regum Hiſpaniarum illuſtrium, vel aliquorum ex eis, ac nonnullorum aliorum magnatum & potentium earundem partium corda ſentit diſcordia, & voluntates diſiunctas; nos attendentes, quod licet ſuper eorum reformanda concordia per nos & ſedem Apoſtolicam laboratum alias multipliciter extiterit, ſicut noſtis, obſiſtente tamen hoſtis antiqui cunctorum malorum incentoris malitia, & etiam propter peccata grauia, quæ in diuinam offenſam, & ſalutaris eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptum, in illis partibus nimis impudenter vt aſſeritur committuntur, multiplicatis aduerſantibus, attingi plene non potuit ad fructus pacis & concordiæ peroptatæ. Sperantes igitur in eo, qui cor contritum & humiliatum non deſpicit, ſed propter pœnitentiam hominum peccata diſſimulat & dimittit, iram indignationis in lenitatem & manſuetudinem miſericordiæ conuertendo, quod ſi peccatores digne pœniteant, diuinæ propitiationis clementiam humiliter implorantes miſerator & miſericors Dominus, qui iuſtorum preces clementer exaudit, pacem reddet fidelibus, dabit eis robur virtutis & conſtantiæ, & ab aduerſitatibus proteget & defendet; fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus conſiderantes attente, quod hæc ad ſolicitudinem ſpectant veſtri pontificalis officij, & in diſtricto examine iudicij exinde ratio exigetur a vobis, officij debitum huiuſmodi diligentibus & ſedulis ſtudijs exercentes, ad peccata diluenda, & faciendum dignos fructus pœnitentiæ, commiſſos vobis populos & ſubditos, per vos & perſonas eccleſiaſticas, religioſas & ſeculares veſtrarum ciuitatum & diœceſum monitionibus, exhortationibus, & alijs modis honeſtis & debitis ſolerter & fideliter inducatis: & nihilominus tam per vos, quam clerum earundem ciuitatum & diœceſum proceſſionaliter, & alias orationum multiplicetis ſuffragia, & preces effundatis deuotas ad Dominum, & effundi ab eiſdem clero & populo faciatis, vt ipſe, qui pacis eſt auctor, & humanæ ſalutis amator, tam Regum quam aliorum partium prædictarum fidelium diſſidentia corda pacificet, & ad ſuum exequendum beneplacitum, & defendendam, & dilatandam fidem eandem catholicam vniat multiplicatis interceſſoribus voluntates; concedatque præfatis Regibus & populis fidelibus de inimicis eiuſdem fidei, ad laudem diuini nominis, victoriæ glorioſæ triumphum. *Dat. Auin. VIII. kal. ſeptembris anno VI.*

Pro comparanda de Afris victoria.

50 Miſſæ ſunt eodem exemplo ad Tarraconenſem, Compoſtellanum, Hiſpalenſem, Cæſarauguſtanum, Bracharenſem, eorumque ſuffraganeos literæ [a]: quo vero fideles maiori ardore pugnarent cum barbaris, Pontifex cruce diſtinctos iuſſit incedere, atque indulgentiarum præmia ijs, qui trium menſium tempore bellicos labores tolerarent, ſtipemue in belli ſumptus conferrent, propoſuit; id enim beneficium Lieua Alfonſi Regis Caſtellæ orator flagitarat. Reſpondere Pontificis optimi votis ac ſtudijs felices ſucceſſus [b], affuitque e cælo diuina virtus, quæ toties numeroſiſſimos improborum hominum exercitus exiguo ſuorum numero contriuit. Confluxerant [c] ex Africa & Aſia Saraceni, vt Chriſtianam religionem euerterent: inſultabant enim Chriſti fidelibus, qui poſt tantos apparatus iactataſque Aſiaticas expeditiones velut amentia perciti in ſe ferrum ſtrinxiſſent, atque ad Chriſtianorum terras incolendas, quaſi de triumpho certiſſimi, cum mulieribus & infantibus concurrerant tanta multitudine, vt ad ſexcenta millia peditum, equitum ſexaginta millia aſcendiſſe ſcribant nonnulli [d]. In equitum numero conſentiunt vel eũ augent alij: pedites autem ad quadrin-

Crucem induere iuſſi fideles.

a To. 6. ep. ſecr. 274. 275. 276. 277. 278.

b Marian. l. 16. c. 7.

c Io. Vill. l. 11. c. 119. Sur. l. 7. c. 53.

d Boſ. hiſt. eq. Hoſp. l. 2. ex anct. Hiſp. Barbarorũ copiæ innumerabiles.

gen-

genta millia ſub ſignis ſtetiſſe dicunt a: immanis certe multitudo (quod Pontifex in literis ad Eduardum Angliæ Regem teſtatur b) eſſe debuit, cum traiectus barbarorum ex Africa quinque menſes tenuerit; præter Granatenſes, qui cum Iuzepho Rege Afris & orientalibus ſe coniunxere. Impares longe erant c tanto numero Chriſtiani, quorum copiæ recenſitæ d ſub Caſtellæ & Luſitaniæ Regibus quatuordecim equitum peditum viginti quinque millia: ſed fideles pius ardor vincendi in terra, aut fuſo pro fide ſanguine triumphandi in cœlo incenderat.

a Marian. & Sur. vbi ſupr.
b To. 6. ep. ſecr. 303.
c Ead. ep. d Marian. vbi ſup.

Chriſtiani ſacramentis ad pugnam ſe muniũt

Lucis aduentu, inquit Mariana, *Reges & eorum exemplo cæteri confeſſione & Euchariſtia rite procurati ſunt. Mox acies ad pugnam inſtructæ. In primo agmine Lara Emanuel & D. Iacobi magiſter conſtituti, in proſtremo Gonſaluus Aquilarius: peditum incondita multitudo in ſubſidijs Petro Nunnio duce: mediam aciem cum robore copiarum Reges obtinebant. Aderat Aegidius Toletanus præſul, alijque epiſcopi & proceres: vexillum crucis lugubratione Gallus Romani Pontificis iuſſu geſtabat. Milites omnes rubra cruce diſtincti, vti aduerſus impios pro religione pugnaturi. Luſitano inuadendi Granatenſes cura impoſita eſt. Ad peculiarem manum adiuncti Calatrauæ & Alcantaræ magiſtri. Caſtellæ Rex Albohacenum inuadere parans, concione aduocata milites oratione accendit.*

51 Cognito cruceſignatorum aduentu Albohacenus, qui Tariffam premebat obſidione, caſtra mouit agmine compoſito occurſurus, ſpe plenus opprimendi noſtros barbarorum multitudine: ſed leui prælio, iniecto diuinitus barbaris pauore, confuſiſque inconditæ multitudinis ordinibus, eſt ad Salſum flumen profligatus: *Magna cædes facta*, addit Mariana e: *ſupra ducenta Maurorum millia in prælio fugaque ceciderunt*. Surita f & alij plures conſentiunt, ac Pontifex in literis ad Anglorum Regem, immanem multitudinem cæſam deſcribit: quocirca errorem apud Io. Villanum g irrepſit in numero, dum defectu vnius apiculi arithmetici viginti millia pro ducentis millibus occubuiſſe refert. Pergit Mariana: *Captiuorum ingens numerus fuit: e Chriſtianis, quod vix fidem faciat, viginti deſiderati non amplius*; diſſentit admodum Surita h, qui viginti quinque millia Chriſtianorum occubuiſſe tradit. *Claſſiarij milites parum contulerunt, cum ſe Aragonij ad vnum tenuiſſent nauibus. Vaſcones in nullo huius belli vſu fuere, Philippo gentis Rege Gallicis bellis diſtricto, reipublicæ moderatore Reginaldo Pontio homine Gallo: Aegidius Toletanus præſul a Regis Caſtellæ latere nunquam diſceſſit, deſertumque pene a ſuis & in confertos hoſtes irruere parantem voce manuque retinuit, ne triſtis caſus certam victoriam corrumperet. Salutis anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo pugnatum eſt. De die ſcriptores variant: nobis certiſſimis monimentis exploratum eſt, tertio kal. nouembris die lunæ victoriam nobiliſſimam partam eſſe, vti in faſtis Toletanis notatum eſt, vbi anniuerſarijs ſacris feſtaque lætitia veteri inſtituto eius diei memoria celebratur.*

Reportatus de barbaris triumph⁹
e Marian. ſuper cap.
f Sur. vbi ſupr.
Cæſorum ingens numerus.
g Io. Vill. l. 11. c. 119.
h Sur. l. 7. c. 53.

Inſtitutæ annuæ ſupplicationes.

52 Aſcripta eſt miraculo i diuino hæc victoria. Euaſere e ſtrage Albohacenus Marrochitanus, qui Heracleam abijt, indeque in Africam eadem nocte, vt aiunt, traiecit. Iuzephus Granatenſis Marbellam ſe recepit. Duo tamen filij Albohaceni in pugna occubuere: captorum maximus fuit numerus: ſpoliorum tanta vis, vt valor monetæ imminueretur, mercium pretium creſceret. Tranſmiſere laureatas Caſtellæ & Luſitaniæ Reges ad Pontificem literas: quibus ille exceptis, ſolemni pompa ob perdomitos diuina virtute barbaros, qui religionem extinguere in Hiſpania erant conati, grates diuino Numini perſoluit; vtque clerus & populus triumphales Chriſto laudes occinerent indixit. Gratulatorijs vero hiſce literis a victores Reges fidei Chriſtianæ defenſores ampliſſimis laudibus exornauit.

i To. 6. ep. ſecr. 303. Victores Reges cribũt ad Pontificẽ.
a To. 6. ep. ſecr. 306. & poſt eund. ep.

Chariſſimo in Chriſto filio Alfonſo Regi Caſtellæ illuſtri.

Gratulatoriæ ad Caſtell. literæ.

Proſperis & lætis admodum rumoribus, antequam tuæ nobis, fili chariſſime, præſentarentur literæ vltimo nobis miſſæ, audiueramus glorioſam victoriam, nobis & toto cœtui fidelium lætabundam, quam tibi & chariſſimo in Chriſto filio noſtro Alfonſo Regi Portugalliæ illuſtri dedit de cælo virtutum Dominus, contra hoſtem illum ſæuiſſimum catholicæ fidei, & fidelium perſecutorem ferocem, Regem Marrochitanum videlicet, qui magno faſtu inflatus præſumptionis & ſuperbiæ cum nonnullis principibus & magnatibus, aliorumque innumerabili equitum & peditum multitudine ſuę fœtidæ nationis & ſectæ, ad fidei & fidelium ipſorum exterminium & confuſionem aſpirans, mare tranſiuerat: iamque aduerſus terras tuas, & Chriſticolas habitantes in eis, apparatu terribili conceptum euomere cœperat virus ſuum. Sed ſubſequenter tuis & Regis prædicti Portugalliæ receptis exultanti animo literis, victoriam ipſam & depreſsionem hoſtium eorundem deſcribentibus, inde perfuſis maioris immenſitate gaudij non immerito intimis cordis noſtri, ei qui bella iniquorum conterens, & cornua peccatorum confringens, tibi tuiſque robur fortitudinis & auxilium deſuper ad conterendum ſic glorioſe hoſtes fidei præſtitit, laudum cantica & gratiarum actiones deuotas in humilitate ſpiritus ſolemniter perſoluimus, & a clero & populo fecimus reuerenter & deuote perſolui. Profecto, dilectiſsime fili, ea quæ per te ac Regem præfatum Portugalliæ ante conflictum initum cum prædictis fidei hoſtibus facta iuxta beneplacitum diuinum audiuimus, nobis non indigne cum, vt ſacra ſcriptura eloquitur, ſapientia filij, ſit patris lętitia, gaudium in Domino adauxerunt, &c. [Et infra maxima ſe lætitia ex accepto initæ cum Rege Luſitaniæ concordiæ nuntio delibutum eſſe teſtatus, hæc ſubijcit].

Aſcribenda Deo gloria.

53 Ei, qui vobis huiuſmodi conſilij ſalutaris rectum dedit ſpiritum, multiplicatas gratiarum referimus actiones, tenentes indubie, quod miſericordiæ Dominus, cuius auris benigna nunquam iuſtis & iuſtorum petitionibus auditum ſubtrahit, huiuſmodi ſalubribus præparationibus cordium veſtrorum auditis, de ſede ſuæ magnitudinis vobis miſit adiutorium inæſtimabile ad huiuſmodi victoriam ſic glorioſe ac miraculoſe, ſicut creditur, obtinendam. Rogamus itaque magnificentiam regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus conſideranter attendens, quod quanto glorioſior in prædicto prælio fueris, tanto te debes humiliorem in cæteris exhibere, non tuis & tuorum viribus, ſed potius potentiæ maieſtatis diuinæ victoriæ huiuſmodi triumphum aſcribas. Et vt clementiam diuinam tibi magis propitiam conſtituas & benignam, peccata grauia quæ inoleuiſſe, proh dolor! in partibus illis hactenus, & offendiſſe non leuiter ſupremi contemplantes retributoris oculos dignoſcuntur, vitari procures, & facias quantum in te fuerit, deleri: prælatis, religioſis, & alijs perſonis eccleſiaſticis, qui-

Ampleſtenda in triumpho demiſſio.

quibus est cura gregis dominici, vel etiam prædicare verbum Dei competit, benignis, deuotis, & sinceris fauoribus nihilominus assistendo. [Eadem ad Lusitaniæ Regem, nonnullis immutatis, scripsit a. Cum vero Alfonsus, qui antea in Africano mari a Marrochitanis maritimo prælio fusus fuerat, pellicem, ob quam a Pontifice increpitus acerrime fuerat diuinas in se iras concitasse, eam repudiatis carnis lenocinijs a se amandasset, nunc victori hæc gratulatus est Benedictus.

a Reg. post cand. ep.

Cauē das dæmonis insidias.

54 Porro tibi, fili amantissime, summo studio & cura sedula instandum est & cauendum, vt cum hostem antiquum humani generis, qui tuę salutis animæ inuidens, suis te retibus aliquibus detinuit temporibus inuolutum, a te virtuose vt lætanter audiuimus abieceris, tali vel simili laqueo nequaquam permittas de cætero te inuolui, nec Dominum tecum pugnantem impugnes: quod vtique proculdubio periculose tibi nimium faceres, si a voluntate tua & carnis concupiscentia, quibus per imperium rationis te dominari decet & conuenit, te sineres subijci vel subiugari, quod absit. Esto quidem, fili prædilectissime, fortis & constans & magnanimus, non solum contra hostes visibiles, sed etiam inuisibiles fortiter dimicando; nam si hostem intrinsecus viceris, hoc de manu Domini tibi iugiter vendicabis, quod exterius semper gloriosior tuorum & fidei hostium victor eris, augebiturque tui nominis & famæ gloria per orbem diffusius diuulgata, & tandem corona regni coronaberis sempiterni. *Dat. Auin. kal. vi. ianuarij anno vi.*

55 Sumpsit ex hac insigni Lusitaniæ & Castellæ Regum victoria occasionem Pontifex, vt Eduardum Anglorum Regem, qui rempublicam Christianam turbabat, atque Philippum Francorum Regem a bello Asiatico distrahebat, ad arma conuertenda aduersus infideles accenderet b: clarissimos illos esse triumphos, quibus amplificatur religio, augetur Dei gloria, ac regnum cœleste comparatur.

b To. 6. op. fol. 303.

Benedictus, &c. Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Ad hæc quidem te, fili amantissime, ac Regem præfatum [nimirum Francorum] debent proculdubio non modicum cum cordium compunctione illa mouere, quæ toti cœtui fidelium lætabunda per ministerium charissimorum in Christo filiorum nostrorum .. Castellæ ac .. Portugalliæ Regum illustrium diuina clementia, quæ nunquam iustorum se subtrahit iustis & deuotis petitionibus, operata extitit, sicut per literas Regum ipsorum lætanter percepimus his diebus. Nam, sicut ex lectione literarum ipsarum, & quorundam etiam habetur relatibus, cum hostis ille profanus, & persecutor nominis Christiani.. Rex Marrochitanus videlicet, coadunatis nonnullis suæ fœtidę nationis Regibus & principibus, ac innumerabili Saracenorū equitum & peditum multitudine congregata, mare in superbia & fastu magno hoc anno transiens, & ad extinguendam & confundendam Christianitatem non solum in illis, sed etiam in multis alijs partibus vehementer, sicut ferebatur, aspirans terras dicti Regis Castellæ in fortitudine graui, & apparatu terribili subintrasset, obsedissetque quendam fortissimum locum Regis eiusdem Castellæ, Christicolas ibidem existentes ferociter impugnando; prefati Castellæ ac Portugalliæ Reges, qui iamdudum inter eos inuicē odijs, inimicitijs, & grauibus rancoribus, vsque ad congressus bellicos & offensiuos susciatis hinc inde, inimici erant adinuicem, tandem nostris salutaribus acquiescentes tanquam filij benedictionis & gratiæ monitis; & attendentes, quod sine pace proximi pax Dei, quæ omnem sensum exuperat, cum eius gratia & misericordia nequit haberi; ob Dei honorem & sanctæ matris ecclesiæ reuerentiam, zelumque catholicæ fidei charitatiuæ pacis inter se adinuicem ac suos fœdera reformarunt, & derelictis vitiorum tribulis, corda sua Spiritui sancto munda quantum potuerunt, efficientes habitacula, sicque præparati eiusdem sancti Spiritus gratiam, tanquam strenui athletæ fidei humiliter implorantes cum paucis, respectu multitudinis innumerabilis hostium crucis Christi, contra hostes ipsos intrepidi processerunt ad bella. Quibus Regibus & exercitibus suis catholicis desuper potentia diuina, cuius auris benigna præparationes cordium eorum audiuerat, sic benigne astitit, sicque clementer eis maiestatis suæ dexteram adiutricem porrexit, quod de inimicis fidei orthodoxę, gloriosum obtinuerunt triumphum; quibusdam ex principibus & maioribus Saracenis prædictis, & alijs inferioris status personis captiuatis in eorundem Regum catholicorum manibus, & alijs Saracenis qui erant ibidem, quorum numerum, solus ille nouit, qui omnium infallibilem habet notitiam (illis solum exceptis, qui euaserunt per fugæ subsidium) in ore gladij trucidatis. Ad talia nempe bella, proculdubio debent catholici Reges & principes, abhorrendo Christianorum effusionem sanguinis, deuotis animis & feruentibus desiderijs, extirpatis odijs & reformatis pacis fœderibus, animari; ac exponere viriliter & strenue, vt regiæ dignitatis sibi augerent exinde gloriam, ac æterni & incorruptibilis regni coronam immarcescibilem acciperent, vires suas, &c. *Dat. Auin. xv. kal. ianuarij anno vi.*

Pontificię ad Eduardum literæ.

Proposita de Afris victoria.

Aliorum Regum exemplo solicitatus in Saracenos Anglus.

56 Exiguam sibi in hoc bello Petrus Rex Aragonum peperit gloriam, classis enim, quam Moncada præfecto ad fretum submiserat, nil memorabile gesit: terrestris vero exercitus ad tutandum limitem subsedit: metuebat a quippe Petrus, ne Saraceni Valentino regno, quod olim dum Marrochitano regno obnoxium esset, ipsis fuerat ereptum, auidi imminerent. Non leui vero dedecore regium decus ipse inquinabat, tanta Iudæis & Saracenis, qui in ipsius regno consistebant, data licentia, vt Viennensis concilij de ijs statuta obsolescere permitteret; ac licet ipsum Pontifex, dum apud sedem Apostolicam anno superiori agebat, vt tuendæ religionis studio illos legibus coerceret, obsecrasset; inerter tamen sacra implere promissa negligebat. Eum itaque Pontifex iterum solicitauit b, vt nominis Christiani opprobrium deleret.

a Sup. l. 7. c. 53.

Infidelium in Arag. tolerata licentia.

b To. 6. ep. secr. 1.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Petro Regi Aragonum illustri.

Inter cætera, quæ tecum, fili charissime, cum esses nuper in nostra præsentia constitutus, super tuo & regnorum tuorum statu salubri fuimus paternis & charitatiuis affatibus collocuti, expressius meminimus explicasse, qualiter ex multorum fidelium in eisdem regnis degentium insinuatione percepimus sæpius repetita, quod licet olim Iudæis & Saracenis in nonnullis ciuitatibus, castris, & locis dictorum regnorum, in magna multitudine morantibus, certa loca clausa & distincta parietibus ad inhabitandum & negociandum, vt essent a familiaritate ac conuersatione Christianorum fidelium nimia & periculosa re-

Eos repeti mi iubet Pont.

remoti, ab antiquo fuerint deputata; his tamen temporibus Iudei & Saraceni prædicti locis huiusmodi non contenti, sed eis dilatatis seu dimissis omnino, mixtim inter fideles ipsos, etiam quandoque in eisdem domibus commorantur, panem suum in eisdem furnis faciendo decoqui, & in balneis simul se balneando cum eis, & in multis alijs periculose ac scandalose nimiũ conuersando: ex quibus, non sine Dei offensa & grauibus animarum periculis, multa indecentia, nefanda, & horribilia subsecuta sunt, vt asseritur hactenus, & iugiter subsequuntur.

57 Rursus quod præfati Iudæi synagogas, & Saraceni mesquitas construunt & habent inter fideles eosdem, in quibus redemptorem nostrum dominum Iesum Christum, ac nomen et gloriam Christianitatis blasphemãt turpiter, et ipsi Saraceni nomen illius perfidi Machometi publice contra prohibitionem constitutionis olim editæ in concilio Viennensi extollunt: et insuper dum cultus diuinus a fidelibus in ecclesijs, monasterijs, & alijs sacris locis, circa quæ sũt in locis aliquibus vt asseritur, synagogæ & mesquitæ prædictæ, agitur; vel corpus dominicum ad communicandum infirmis defertur, aut alia sacramenta fidelibus ministrantur ecclesiastica, prælibati Iudæi & Saraceni cachinnationes & derisiones facere sæpius in diuinæ maiestatis opprobrium, fidelium perniciem, ac fidei detractionem catholicæ non verentur. Tu vero, fili amantissime, præmissis diligentius intellectis, nobis te instanter requirentibus & rogantibus, vt pro diuina reuerentia, eiusdemque zelo fidei, tuæque animæ salutis obtentu Iudæos & Saracenos prædictos prohiberes, & nullatenus sineres mixtim, vt præmissum est, cum fidelibus commorari, aut in præmissis vel alijs periculosis & illicitis, vt præfertur, quomodolibet conuersari, faceresque constitutionem eandem, quantum pertineret ad te, inuiolabiliter obseruari, in ipsos Iudæos & Saracenos pœnis inflictis grauibus, si secus attentare præsumerent quoquo modo; nobis prompte ac beneuole respondisti, te præmissa, prout ad te pertinuerit, effectualiter impleturum.

Nomen Mahometi proclamari vetat.

Segregandа infidelium habitacula.

Cum autem hæc infideant admodum non immerito cordi nostro, eaque pro reuerentia diuina, salute animarum, & Christianæ religionis honestate cupiamus feruentibus desiderijs effectibus mancipari, sicut verbotenus & ex corde, te fuimus super prædictis cordialiter exhortati, sic cordialius, si fieri possit, per scripturam, preces precibus, & exhortationes exhortationibus cumulamus. Et vt celeriorem & efficaciorem sicut decet & expedit, pium hoc nostrum desiderium capiat executionis effectum, venerabilibus fratribus nostris .. Terraconensi & .. Cæsaraugustano archiepiscopis eorumque suffraganeis per alias scribimus literas, vt celsitudinem tuam super ijs solicitent & requirant; ipsique, prout ad eos pertinet, partes suæ solicitudinis solerter & fideliter interponere non omittant: quorum requisitionibus, & monitis salubribus velit acquiescere regalis sublimitas in hac parte. *Dat. Auin. vi. id. ianuarij anno vi.*

Monita Aragonis præsulib⁹ data. *a To. 6. ep. secr. 2.*

58 Extant literæ eo argumento ad Cæsaraugustanum & Terraconensem archiepiscopos eorumq; suffraganeos datæ a, vt studio fidei accensi Regem, principes, ac magistratus ad reprimendam in Aragonia, Valentia, & Catalonia impiam Saracenorum & Iudæorum impudentiam percellerent, ne sacris Christianis posthac illudi, ne misceri fidelibus, ne publice infandum Machometi nomen inclamari, ne templa sacrilegæ illius superstitioni poni, ne blasphemis vocibus Christum appeti permitterent. Viri etiam eorum regnorum & comitatus primarij ad decus religionis ab impiorum iniurijs vindicandum excitati a: denique populus Cæsaraugustanus apostolicis exhortationibus, vt religionem in suum splendorem assereret, cohiberetq; blasphemos, inflammatus b.

a Ib. ep. 4. 5.

Præter superiorem in Saracenis & Iudæis indulgentius habitis labem, Petrus Rex anathematis notam contraxerat c, cum debitum sedis Apostolicæ ærario censum non intulisset: censuris vero a Pontifice solutus est, cum duo millia marcharum argenti penderet, quæ accepta pontificia syngrapha Benedictus his verbis est professus: *Pro regno*, ita ipsum alloquitur Pontifex, *Sardiniæ & Corsicæ, quod a nobis & ecclesia Romana sub certis vassallagio, homagio ligio, & fidelitatis iuramento, alijsque certis pactis, conuentionibus, & conditionibus expressis plenius in literis apostolicis super concessione dicti regni confectis tenes in feudum, &c. Dat. Auin. v. id. ianuarij anno vi.* Solutum d similiter est a Roberto Siciliæ Rege annuum octo millium vnciarum auri vectigal Romanæ ecclesiæ. Vtque addamus similia: persoluta sunt census nomine Romanæ ecclesiæ quinque millia aureorum ab Alberto & Mastino Scaligeris, quibus subiecta syngrapha de ijs acceptis data est. e

b Ep. 7.

c Ep. 97.

Solutus Sardiæ census.

d Ep. 11.

Scaligeri vectigal Pontifici pendunt.

e Ep. 171.

Benedictus, &c. Alberto & Mastino vicarijs nostris & S.R.E. in Veronensi, Parmensi, & Vicentina ciuitatibus, ac castris, villis, territorijs, districtibus, & comitatibus eorundem.

De constituto illo Romanæ ecclesiæ, vacante imperio, censu secundum conuentiones & pacta inter nos & ecclesiam Romanam de consilio fratrum nostrorum, & ambasciatores, nuntios, & procuratores vestros, ad hoc sufficienti potestate suffultos, dudum habita, & per vos postmodum ratificata & approbata specialiter & expresse, vos ratione vicariatus Veronensis, Parmensis, & Vicentinæ ciuitatum, ac castrorum, villarum, territoriorum, districtuum, & comitatuum eorundem, per nos & sedem Apostolicam, ad quos, imperio Romano vacante, sicut tunc vacabat & nunc vacat, etiam pertinet, nobis sub certis modis & formis vsque ad certum tempus, sicut in literis apostolicis inde confectis plenius continetur, concessi ad soluendum nobis & eidem ecclesiæ in Romana curia, vbicunque fuerit, vestris sumptibus & expensis quinque millia florenorum auri singulis annis in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli de annua pensione (quandiu vicariatum huiusmodi tenebitis) esse noscimini sub certis iuramento, pœnis, sententijs, & conditionibus in literis eisdem expressius astricti, &c.] Cum intermisissent nonnullis de causis censum illum ecclesiæ pendere, eo illato ærario pontificio, periurij nota ac pœnis sunt liberati. *Dat. Auin. ii. non. septembris anno vi.*

59 Hoc anno Bononienses, cum addicendi Romano Pontifici pristini obsequij, inque eius clientelam redeundi consilium ob nonnullas difficultates, quæ in præscriptis ante a Benedicto legibus, maxime in exulum patriæ restituendorum causa, obortæ erant, ad biennium extraxissent; illud demum perfecere, decretis ad sedem Apostolicam oratoribus, qui Bononiam iuris esse pontificij profiterentur, atque ad imperia Benedicti procumberent,

Bononienses ad officium reuocati.

sent: tum ab eo nonnullas pactiones accommodas eorum rebus communibus expetitas votis referrent. De quibus publica edita documenta a, quorum præcipua pars subiectis concepta verbis delibanda visa est.

a Ext. apud Ben. in 6. ep. cur. 48 & in M. S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 497.

Decreti ab ijs oratores.

Anno MCCCXL. *indictione* VIII. *die* IV. *mensis aprilis generale consilium communis & populi ciuitatis Bononiensis, repræsentans vniuersitatem dictæ ciuitatis & districtus ipsius*, & infra, *ordinarunt ipsorum & dictæ ciuitatis communis & populi ac vniuersitatis prædictæ syndicos, procuratores, & nuntios speciales dilectos & honorabiles ciues, & ambassiatores suos in curia domini Papæ & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ dominum Petrum de Bompetris legum doctorem & magistrum Bonauenturam Iacobini*, & infra, *ad obligandum solemniter dictum commune, vniuersitatem, & populum Bononiensem, & ipsius bona, & ipsum commune, vniuersitatem, & populum, & se dicto nomine submittendum & supponendum iurisdictioni & coercioni dicti sanctissimi Patris & sanctæ Romanæ ecclesiæ, & suorum officialium & auditorum quorumcumque pro obseruantia & executione plena & perfecta omnium & singulorum præmissorum: & etiam ad præstandum corporale cuiuslibet generis iuramentum in animas & super animabus constituentium generale vel speciale quodcumque ab eis petierit, vel fieri occurrerit pro executione & obseruantia supradictis.* Et infra: *Et ad supplicandum humiliter, quod sanctitas sua dignetur alicui probo viro committere, quod in casu, quo possessio ciuitatis Bononiensis fuerit, sicut in literis reconciliationis continetur, ecclesiæ restituta, & ratificatio contentorum in ipsis literis (saluis declarationibus quibusdam, per ipsum dominum Papam faciendis, infra certum tempus per ipsum dominum nostrum Papam limitandis) fuerit subsecuta, concedat auctoritate apostolica super hoc sibi specialiter attributa domino Thadæo de Pepolis absque alia noua nominatione de ipso per populum facienda, administrationem plenariam iurium & bonorum ad Romanam ecclesiam in ciuitate, comitatu, & districtu Bononiensi pertinentium, gerendam & exercendam nomine & vice ecclesiæ prædictæ ad tempus, de quo sanctitati ipsius videbitur expedire; sacramento tamen fidelitatis, dominio, mero & mixto imperio, iurisdictione, & superioritate & horum recognitione, census constitutione, & de dandis armigeris obligatione; nec non & officialium ad iurisdictionem huiusmodi vice & nomine Romanæ ecclesiæ exercendam, & administratoris iurium & bonorum vniuersitatis eiusdem, per commune & populum Bononienses nominandorum, & per ipsam ecclesiam Romanam eligendorum, ponendorum, constituendorum, seu deputandorum electione, positione, constitutione, & deputatione, prout in literis reconciliationis continetur facienda, & alijs iuribus vniuersis in ciuitate, comitatu, & districtu Bononiensi ecclesiæ Romanæ competentibus saluis semper & illæsis permanentibus, & integraliter apud ecclesiam remanentibus supradictam, prout in literis apostolicis reconciliationis, & quibusdam alijs super certis modificationibus & declarationibus faciendis seriosius contineri reperietur: volentes & expresse consentientes ipsi constituentes & commune & vniuersitatem prædictam, vt præmittitur, repræsentantes quod, non obstante concessione prædicta dicto domino Thadæo, vt præmittitur facienda, ipsi constituentes & vniuersitas & commune Bononiense ad soluendum censum octo millium Florenorum singulis annis sub certis forma, modo, termino, & pœnis inter præfatum dominum Papam & sindicos vniuersitatis & communis Bononiensis alias ordinatis, Romanæ ecclesiæ propterea sint & remaneant obligati, &c.*

Iuliet ampliſſimis mandatis.

Excepti sunt perhumaniter Bononiensium oratores a Benedicto, qui initas biennio retro euoluto pactiones temperauit, quarum singula capita in pontificio diplomate *, quod etiam in M. S. pergameno nostræ bibliothecæ Vallicellanæ inter alia insignia monumenta a Cardinale Baronio ad nos transmissa extat b, fuse descripta sunt. Inter alia vero sancitæ fixæq; hæ leges præcipuæ, vt Bononiæ possessio internuntio apostolico restitueretur: rapta seditione redderentur: census, nimirum octo millium aureorum, Pontifici vel senatui Cardinalium, vacuo sacrosancto solio, quotannis penderetur: vectigal militare ducentorum equitum egregie armis instructorum, qui trimestri sumptu Bononiensium castra pontificia sequerentur, numero circumscriptum. Quibus pactionibus si deessent Bononienses, prioribus censurarum nexibus irretiti tenerentur. Confignatum est diploma XVIII. kal. iulij pontificatus anno VI.

a An. 5. super ep. cur. 48.

b Sup. M. S. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 481.

Præcipuę leges impositæ Bononiensibus.

Profitentur Bononiam iuris esse pontificij.

60 Decretus vero est proximo die ad hæc conuenta perficienda Beltraminus Nouocomi episcopus Apostolicæ sedis internuntius, instructusque mandatis ampliſſimis c, vt Bononiensium ad pontificium imperium redeuntium sacramenta exciperet, vrbis iniret possessionem, constitueret magistratus, ciues censuris solueret, eos pristinis restitueret iuribus, academiamque suæ assereret dignitati: præturam etiam Bononiensem Thadæo Pepulo, imperato nummario & militari vectigali, pontificio nomine conferret. De quibus hoc diploma datum d.

c An 6. ep. cur. 43.

d Ib. ep. cur. 44.

Venerabili fratri Beltramino episcopo Cumano A. S. N.

Poſcunt dari præturam vrbis Thadæo Pepulo.

Quoniam, sicut per viros expertos, & in regiminibus ciuitatū & aliorum locorū prælatos ciuitates & loca ipsorum commissa regimini vtiliter gubernantur, sic per inexpertos & nouos frequenter pacificus status locorum suo regimini commissorum euertitur, & multæ oriuntur noxiæ nouitates; expedire congnoscimus, vt in locis ecclesiæ Romanæ subiectis nouitates, ex quibus possunt oriri pericula, quantum cum Deo possumus, salubriter euitemus. His igitur circa nouitatem vitandam in regimine ciuitatis nostræ Bononiensis in scrutinium considerationis nostræ deductis, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, præsentium tenore committimus & mandamus, quatenus cum possessio & quasi ciuitatis Bononiensis, comitatus, & districtus, & aliorum iurium iuxta tenorem & formam literarum nostrarum super reconciliatione vniuersitatis, populi, & communis ciuitatis eiusdem hactenus confectarum, fuerit nobis & Romanæ ecclesiæ seu tibi, quem ad id per alias nostras literas deputandum prouidimus, nostro & eiusdem ecclesiæ Romanæ ac successorum nostrorum nomine restituta; & ratificatio omnium & singulorum contentorum in ipsis literis, saluis quibuscumque declarationibus, moderationibus, & suppletionibus nouiter per nos factis super certis articulis contentis in literis memoratis, prout in literis nostris super his confectis plenius continetur, infra kal. mensis septembris proximo futuras fuerit subsecuta; Thadæo de Pepulis legum doctori ciui Bononiensi, cu-

Beltraminus A. S. N. Bononiam miſſus.

Cautum iuri ponti ficio.

Annuum censum octo millium aureorū paciscuntur

Cur Thadæo Pepulo Bononiæ administratio concredita.

si, cuius prouisione & diligentia dicta ciuitas, comitatus, & districtus (sicut vniuersitas, populus, & commune Bononiense nobis per eorum literas, nec non per magistros Petrum de Bompetris legum doctorem ac Bonauenturam Iacobum ciues Bononienses sindicos & procuratores eorum, ad nos & sedem Apostolicam destinatos, sindicario & procuratorio nomine dictorum constituentium intimarunt) fuerunt hactenus in statu pacifico conseruati, & sperant se verisimiliter in posterum conseruandos, & ob hoc ijdem vniuersitas, populus & commune de ipsius Thadæi regimine contententur; volentes nihilominus & consentientes expresse per eosdem sindicos & procuratores, habentes ad hoc speciale mandatum, vt ex procuratorio eorundem euidenter apparet (quod in archiuio Romanæ ecclesiæ facimus conseruari) quod ijdem populus & commune ad soluendum census annui nobis & successoribus nostris ac collegio fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium debite faciendam, etiam huiusmodi præsenti concessione durante, remaneant obligati; tu absque alia nominatione de ipso per dictos vniuersitatem, populum, & commune facienda (prius tamen eodem Thadeo a cuiuslibet excommunicationis sententia vel sententijs, quibus propter contenta in literis reconciliationis prædictæ, vel auctoritate nostrorum processuum postmodum secutorum fore noscitur innodatus, post prædicta per te plenarie executioni mandata, saluis declarationibus, moderationibus, et suppletionibus supradictis, auctoritate nostra iuxta formam ecclesiæ absoluto; et iniunctis sibi super ijs pœnitentia salutari et alijs, quæ de iure fuerint iniungenda) administrationem plenariam iurium et bonorum ad eandem ecclesiam in ciuitate, comitatu, et districtu prædictis pertinentium, gerendam et exercendam per eundem Thadæum nomine et vice nostris et ecclesiæ memoratæ, vsque ad triennium apostolica auctoritate concedas: exceptis sacramento fidelitatis a potestate et capitaneo, quando ciues Bononienses per capitaneum regi voluerint, cæterisque officialibus et ciuibus ciuitatis eiusdem recipiendo: nec non dominio ac mero et mixto imperio, iurisdictione, et superioritate, et horum recognitione ciuitatis, comitatus, et districtus prædictorum, ad nos et dictam ecclesiam spectantibus: census quoque annui nobis et successoribus nostris ac collegio fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ab eisdem ciuibus præstandi, et etiam mittendorum equitum ad seruitium eiusdem Romanæ ecclesiæ; receptione officialium quoque ad iurisdictionem huius vice et nomine dictæ Romanæ ecclesiæ exercenda, et administratoris iurium et bonorum vniuersitatis eiusdem, per commune et populum Bononiense nominandorum, et per ipsam Romanam ecclesiam eligendorum, ponendorum, constituendorum, seu deputandorum electione, positione, constitutione, et deputatione faciendis: et alijs iuribus vniuersis, competentibus in ciuitate, comitatu, et districtu Bononiensi eidem Romanæ ecclesiæ, secundum quod in dictis literis super dicta reconciliatione confectis præmissa plenius exprimuntur. Quæ omnia nobis dictisque successoribus, et Romanæ ecclesiæ integraliter reseruamus, quæque prout hæc in dictis literis super dicta reconciliatione confectis plenius continetur, per nos et dictos successores ac eandem Romanam ecclesiam, seu de mandato nostro et dictorum successorum et eiusdem ecclesiæ, non tamen per eundem Thadæum, fieri volumus, & etiam excerceri, etc.] Præscripta etiam est sacramenti formula, qua nuntius Thadæum Pepulum adacturus in verba Pontificis erat. *Dat. Auin.* xvii. *kal. iunij anno* vi.

Triennij tempus definitū.

Adiectæ leges.

61 Perfunctus est magna laude Beltraminus demandato sibi munere, restituentibus illi vrbis imperium Bononiensibus, promissaque obsequia sancientibus, ac recurrente die Apostolis Petro & Paulo sacro octo aureorum millia vectigalis nomine in ærarium pontificium inferentibus. Ob rem vero præclare gestam idem Beltraminus Nouocomi episcopus ad Bononiensem sedem traductus [a] est. Reuersi etiam sunt eodem anno ad obsequium ecclesiæ Firmani [b], pontificijsque excitati [c] adhortationibus tyrannidem e suis ceruicibus depulerunt. Ad asserenda alia Romanæ ecclesiæ iura tyrannosque comprimendos Benedictus incubuit, cum nonnulli proceres ex ruinis ecclesiæ principatus scelere excitarent, vt [e] literis ad Aemiliæ præsidem constat: *Cum*, inquit, *nobiles viri Franciscus de Ordelaffis, Malatesta & Galeottus de Malatestis, Lippus de Lidosijs, & Eustachius de Polenta, ac quidam alij de prouincia Romandiolæ, cuius rector exitis, Deum ac nos & eandem ecclesiam grauiter offendere, ac se statusq; suos non leuibus periculis subijcere minime formidantes, dictus Franciscus videlicet Forliuiensem & Cæsenatem, & præfati Malatesta & Galiottus Ariminensem, idem quoque Lippus Imolensem, ac Eustachius prælibatus Rauennatem & Ceruiensem ciuitates, ac tam ipsi quam alij nonnulla castra & loca alia in eadem prouincia ad nos & eandem ecclesiam pertinentia, seu nobis & ipsi ecclesiæ immediate subiecta occupauerint ac diu detinuerint in nostrum & eiusdem ecclesiæ contemptum & præiudicium occupata, &c. Dat. Auin.* xi. *kal. iulij ann.* vi. Deniq; solicitati [d] sunt Florentini, vt pontificijs præfectis aduersus Piceni et Æmiliæ tyrannos vires ac potentiam explicarent; tum ne Malatestam vlla re iuuarent.

62 Quod ad Florentinos spectat, intestinis seditionibus fame ac peste conflictatos referunt [e] adeo, vt sextam ciuium partem absumptam epidemia, alij quindecim & eo amplius millia perijsse tradant, quorum malorum prænuntium cometem aiunt. Laborauit etiam Roma inopia rei frumentariæ: qua de re certior factus Benedictus, ad leuandam annonam incubuit [f]: vtque egentes sustentaret, quinque millia aureorum Ioanni episcopo Anagnino, Guigoni electo Cassinensi Patrimonij in Tuscia præfecto, ac Petro Laurentij, canonico Atrebatensi altarario, vt aiunt, basilicæ Principis Apostolorum transmisit, vt eleemosynas erogarent: *Non absque*, inquit [g], *magna mentis compassione percepto, quod in Vrbe partibusque circumuicinis fame valida, nescitur quo Dei occulto iudicio, his temporibus ingruente, propter defectum ciborum ibidem pauperes miserabiliter & lamentabiliter moriuntur; nos, quamuis nobis & ecclesiæ Romanæ variæ ineuitabiles necessitates super vires facultatum immineant incessanter, tamen pietatis paternæ viscera erga pauperes Vrbis eiusdem, nostros & ecclesiæ memoratæ peculiares vtique filios, claudere non valentes, quinque millia florenorum auri de Florentia de pecunia nostræ cameræ pro emendis exinde bladis, pieque distribuendis inter pauperiores & indigentiores prædicta Vrbis pro vtiliori sustentatione vitæ ipsorum mandauimus & ordinauimus fideliter vobis mitti, &c.*

Dat.

[a] *An.* 6. *cem.* 14. Firman. concilia ecclesiæ. [b] *To.* 6. *secr.* 78. [c] *Ib. ep.* [d] Variæ bes a tyrannis cupatæ. [e] Eas nititur recuperare ne dictus. *d. ib. ep.* 113. *e Jo.* Vill. 11. *c.* 13. 117. An. 3. *p.* 1. 2. 1. 755. Leonar. Aret. hist. Flor. *l.* 6. & alij. [f] *To.* 6. *secr.* 109. Italia fa me labora rat. [g] *Ib. ep.* 1. Consulit egestati Romanorum Pontifex.

Dat. Auin. kal. februarij anno VI. Non famis modo & peſtilentiæ flagellis percuſſa eſt Italia, verum inteſtino quoque bello afflicta, externique maximus illi terror impendit: in Neapolitano quidem regno grauiſſimi tumultus concitati [a], quibus auditis Ludouicus Bauarus, vt Robertum Siciliæ Regem opprimeret, maximos militum delectus habuit, de quibus Benedictus Robertum ipſum VII. kal. decembris per apoſtolicas literas docuit.

[a] To. 6. ep. ſecr. 235.

63 Traieciſſe hoc anno in Trinacriam Gotium patriarcham Conſtantinopolitanum, et epiſcopum Vaſionenſem nuntios apoſtolicos, de quibus antea actum eſt, ferunt hiſtorici [b] Siculi, vt pacem inter Robertum Siciliæ Regem ac Petrum dominatorem Trinacriæ, regno nimirum Roberto reſtituto, quod auctor prætermittit, conciliarent: illos vero a Meſſanenſibus inſulæ ingreſſu telis repulſos. Diffidebat nimirum Petrus Aragoniæ familiæ princeps cauſæ ſuæ iniuſtitiæ, ac verebatur ne ij Trinacrios religione ad Roberti obſequium adigerent. Repulſi itaque edictum pontificium quo inſula ſacrorum vſu ob perduellionem illegitimum Regem Robertum mulctabatur, in litore expoſuere. Et quidem Benedictum æquitate motum, vt eccleſię et Roberti iura aduerſus inuaſores Aragonios tueretur, cum ex initis a Carolo II. cum Friderico legibus regnum ad Caroli ſucceſſores poſt Friderici obitum deuoluendum eſſet, in Petrum inique ſceptra tractantem edicta apoſtolica promulgaſſe, in literis ſequenti anno afferendis ipſe teſtatur [c]: *Contra dictum*, inquit, *primogenitum*, Petrum ſcilicet iniuſtum detentorem, *ac fratres ſuos, & quoslibet alios eiſdem in detentione ipſius inſulæ quouis modo præſtantes auxilium, conſilium, vel fauorem, nonnullos proceſſus fieri fecimus, excommunicationis & interdicti ſententias & pœnas alias continentes, qui publicati in diuerſis mundi partibus ſolemniter extiterunt*. Cum Pontifici ſupremo inſulæ domino parere detrectaret Petrus, et caduca æternis præferret, conuerſus ad arma Robertus, immiſſa florentiſſima claſſe, Mylas valida obſidione cinxit: quam cum fruſtra ſoluere niteretur Petrus Aragonius, ex caſtrenſibus laboribus cõtracto morbo obijt, atq; arx ad deditionem compulſa eſt, reliqui vero inſulani Ludouicum Petri filium ſexennem principem creauere, data Ioanni patruo Randarij duci regni procuratione. In ſuperiori vero expeditione Benedictus Roberto Regi permiſit [d], vt præfectis caſtrorũ tribuniſque ſubductiles aras habere liceret, in quibus ſacerdotes diuinam rem peragerent. Vt porro Siciliæ inſula ob iniuſtam Aragoniorum dominationem varijs bellis diuexata ſit, ſuis locis dicetur. Iam reliqua huius anni proſequamur.

[b] Fazell. hiſt Sic. l. 9 Nuntij non permiſſi Trinacriam ingredi.

[c] To. 7. ep. ſecr. 297.

Petrus a cęſuris de fixus.

Mylæ Roberto captæ. Petri Trinacrij mors.

Succedit filius Ludouicus.

[d] An 6. ep rom. 76.

64 Inſtitit Robertus Siciliæ Rex ad Philippi Balearis regiæ principis, quem antea votorum repulſam a Ioanne XXII. paſſum vidimus [e], gratiam apud Benedictum, vt nouam illi religioſam familiam, quæ præſcriptam a S. Franciſco in ſuo teſtamento religioſæ vitæ formulam, vt verba ſonant, id eſt, pro cuiuſque monachi libidine potius, quam interpretatione apoſtolica, ſeruaret condere permitteret, ac Paulum epiſcopum Fulginatem ea de cauſa ad ſedem Apoſtolicam tranſmiſit [f]. Non veram pietatem, quæ ſine Chriſti vicarij obſeruantia, atque eccleſiaſticis imperijs colendis conſtare non poteſt, ſectabatur Philippus: verum abreptus in deuia hypocritarum ſubornatus conſilijs, fucatæ ſanctitatis laruam amplectebatur, nec toties monitus a Pontificibus, vt alicui ex approbatis religioſis ſodalitijs ſe aggregaret, peruicax ingenium vlli vitæ religioſæ formulæ accommodare potuerat; ſed potius Beguinis gyrouagis, neque hæreſeos ſuſpicione carentibus, ſe adiunxerat. Quid vero concepiſſet animo ac votis, in pontificijs ad Robertum Regem literis deſcribitur. [a]

Philippus princeps Balearis nouum ordinem condere affectat. ann. Chr. 1328. n. 82.

[e] To. 6. ep. ſecr. 143.

[a] Ead. ep.

Benedictus, &c. Roberto Regi Siciliæ illuſtri.

Habebat feries petitionis eiuſdem [nimirum Philippi Balearis regiæ principis] quod B. Franciſcus breuem regulam edidit, quam ſicut in ea, et teſtamento ſuo ſibi, vt aſſeruit, a Domino reuelato ſcripſit, intentionem ſuam ſuper hoc explicando, ad literam obſeruauit, et voluit a ſuis fratribus obſeruari: et cum idem Philippus et nonnulli tam ordinis fratrum Minorum, quam alij cupiant, vt eadem deſcribit petitio, eundem ordinem fratrum Minorum ſub obſeruatione literali dictæ regulæ profiteri, hæcque propter innumera impedimenta complere non poſſint; ſupplicat nobis idem Philippus, vt tam ſibi, quam alijs, qui ſunt vel infra annum erunt huiuſmodi propoſiti, profeſſionem faciẽdi prædictam, et regulam eandem vt præmittitur, obſeruandi ſic, quod nullus de ordine prædicto vel extra valeat ſuper his impediri, concedere licentiam dignaremur.

Regulam Minor. ad literã obſeruand. poſtulat.

65 [Cum Philippi petita mature diſcuſſiſſet, Pontifex, illa inani pietatis ſpecie fucata, et plena periculi, reperit. Data itaque ijs repulſa, Roberto Regi rationes grauiſſimas, quibus ad id adduceretur, expoſuit]. Primo quia iamdudum eadem petitio tempore felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædeceſſoris noſtri in ſuo conſiſtorio propoſita & deliberatione plenaria præhabita ſuper ea extitit penitus denegata: quod autem ſic prouide in conſiſtorio factum eſt, nec cõſueuit nec debet faciliter retractari. Rurſus certum eſt, quod ſuper regula prædicta, vt profeſſores eiuſdem ſecundum qualitates temporum poſſent ſub ea virtutum Domino ſalubrius famulari, per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices cum multa maturitatis prouidentia nonnullæ ſalubres & vtiles ordinationes & declarationes ad inſtantias & ſupplicationes fratrum eiuſdem ordinis factæ fuerunt, quibuſdam ex eis per modum conſtitutionis perpetuæ inter conſtitutiones eorundem prędeceſſorum nihilominus collocatis: quæ quidem ordinationes & declarationes, ſi concederetur dicta petitio, ſic proculdubio turbarentur, quod ab ordine prædicto, in quo diſſenſiones, odia, & ſchiſmata nimis hactenus ſuſcitare ſtuduit hoſtis humani generis, & ſuſcitare continue non deſinet, pacis & charitatis vnitas exularet noſque qui religiones in vinculo pacis & charitatis tenemur & cupimus conſouere, dici poſſemus, quod abſit, auctores diſſipationis & diſcordiæ Minorum ordinis ſupradicti. Et vlterius cum per ſedem prædictam appobatæ ſolum quatuor religiones mendicantes exiſtant, ſi concederetur quod petitio prædicta ſubiungit, eſſet quintam religionem concedere mendicantem, quod his temporibus fieri, ſicut credimus, non expedit, neque decet. Et nihilominus nos religionem eorundem fratrum Minorum approbatam per ſedem præfatam reprobare per conceſſionem alterius videremur, quod eſſet inter fratres ſeminare diſcordiam abſque magnis & grauibus periculis, ſcandalis & diſpendijs non ſedandam.

Cauſæ, ob quas repulſam ſit paſſus.

Decreta Pontificũ non teme re abrogã da.

Non iniũcienda Minoritis diſſenſionis cauſa.

Et cũ memoratus Philippus subiungat in petitione prædicta, quod impedimẽta sunt innumera, quibus ipse & sui sequaces alij nequeunt dictam regulam profiteri literaliter, & etiam obseruare: si nos impedimenta toleremus huiusmodi, notari possemus forsitan magis fauere religioni constituendæ de nouo quam alij, sicut prætactum superius, ab antiquis temporibus approbatæ, quod nequaquam rationi conuenit, nec decentiæ congruit status nostri. Sequeretur insuper aliud scandalum & periculum nimis durum, quia multi fratres tam illius quam aliorum ordinum, dum a suis prælatis, & superioribus per viam debitæ correctionis, vel alias secundum eorundem instituta ordinum tangerentur, ad effugiendum correctionem & disciplinam sui ordinis regularem possent, si concederetur petita licentia, in suarum animarum dispendium, & proprij ordinis confusionem & opprobrium ad illum nouum ordinem fictitie, vel alias se transferre: sicque multis, qui nunc etiam vix instigante illo, qui saluti humanæ inuidet, refrænari valent a suis inordinatis motibus seipsos decipiendi, & euagandi damnabiliter materia per viam huiusmodi præstaretur.

Anteuertenda secutura scandala.

Denique quamquam præmissa & alia multa, quæ dici possent circa hæc non obstarent; adhuc tamen in personam dicti Philippi non posset decenter, quod petitur, a nobis & sede præfata concedi. Notorium quidem est, & per mundum sic communiter, proh dolor! diuulgatum, quod nulla potest tergiuersatione celari, quod idem Philippus sectæ Beguinorum per sedem reprobatæ prædictam, in qua diuersi Beguini sectæ sectatores eiusdem reperti sunt hæretici manifesti, promotor, defensor, rector, & conseruator extitit, etiam post reprobationem prædictam, illam contra determinationem & declarationem sedis prædictæ auxilijs, consilijs, prædicationibus, vel sermonibus quandoque publicis, quantum potuit nihilominus fulciendo. Et his nequaquam contentus tam contra præfatum Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum, quam sedem prædictam multa enormia & hæretica, quamuis mendosa & falsa, laxata suis labijs licentia, publice asseruit, & etiam prædicauit interdum. Ex quibus, vt de alijs taceatur ad præsens, se rebellẽ sedi prædictæ, ac de labe prauitatis hæreticæ suspectum vehementer reddidit, vel respersum; nec audimus adhuc, quod ipse signa prætendat pœnitentiæ super his, & reconciliari aut reuniri petierit, relictis erroribus huiusmodi, vnitati ecclesiæ sanctæ Dei. Ex præmissis autem & alijs multis, quorum esset prolixa narratio si recitarentur per singula, petitioni prædictæ sine læsione honoris Dei, & ecclesiæ sanctæ suæ, ac nostræ remorsu conscientiæ non valemus annuere, nec debemus.] His de causis grauissimis Benedictus, religiosis institutis præclarisque virtutibus imbutus, Philippi e Maioricis postulata vt temeraria, plena periculi, atque a vera pietate abhorrentia repulit: monuitque Robertum, gloriæ suæ labem non leuem ipsum illaturum, si suspicione hæreseos laborantem illum, aliosue ea macula notatos in regno toleraret, foueretque. *Dat. Auin. VII. id. augusti anno VI.*

Inuisum supplicis nomen.

Vt Philip. Beguinis studuerit.

66 Flagitarat a etiam oratorum opera Robertus Siciliæ Rex ab Apostolica sede, vt ad leuanda onera, quibus vrgebatur, vectigalium ecclesiasticorum in Etruria decimas apostolica liberalitate concederet; marchionem Montisferrati, qui Astensem ciuitatem iniuste occuparat, illam ipsi restituere literis iuberet; præciperetque Scaligeris et Mediolanensibus Vicecomitibus, ne marchioni opem afferrent, sed potius Regem armis iuuarent. Cui rescripsit Pontifex, quod ad petitas decimas attineret, attributas iam illi fuisse, quæ in ipsius regno ac terris colligerentur; extra ipsius ditionem non licere. Cuius respõsi hanc rationem subiecit: *His præsertim temporibus, vt te latere non credimus, præsumptuosa Bauari fauitia rugit, vt fertur, aduersus eandem Tusciam, & partes alias circumpositæ regionis: nec nobis nec tibi decens vel expediens existimatur, cum etiam trahi possent ad pernicioſam quodammodo consequentiam propter nonnullos alios Reges catholicos.* Quod ad petitas in marchionem Montisferrati literas spectat; ad ipsum, vt decoris ratio ferret, scripsisse a: Mediolanensibus, cum adhuc ecclesiæ conciliati non sint, non potuisse, cum magis exasperarentur animi, si velut ad fidelium communione segregatos scriberet: Scaligeros vero licet in gratiam fuerint admissi, nondum tamen sacramentum nuncupasse.

Postulatæ a Rob. Rege decimæ.

a To. 6. ep. secr. 26.

Bauarus exped. in Ital. mouetur.

a Extat. lit. ib. ep. 27.

67 Agitasse Ludouicum Bauarum de inuadenda Italia consilia, quamquam ea postea perducere non potuit, ex alijs ad Bertrandum patriarcham Aquileiensẽ datis literis constat, quibus eũ admonet Pontifex b, vt cum ipsum ab episcopo Tridentino solicitatum acceperit, ad ineundam aduersus Ludouicum cum Tyrolensi comite, alijsque principibus armorum societatem ita prudenter rem gerat, vt quæ ad discutienda pericula fœdera contraxerit, ad ea accersenda non obsint.

b Ib. ep. 31.

Inita ad intercludendos aditus fœdera.

Benedictus, &c. venerabili fratri Bertrando patriarchæ Aquileiensi.

Intelleximus, quod ad te venerabilis frater noster, Nicolaus episcopus Tridentinus his diebus accedens super colligationibus inter te ac aliquos Italicos cum nobili viro comite Tyrolis, filio magnifici principis Regis Boemiæ illustris, ne Bauarus vel gentes suæ transire possint ad partes Italiæ, faciendis tecum habuit colloquium et tractatum; quodque tu cum Florentinis & quibusdam alijs Italicis te habere velle deliberationem super hoc respondisti. Sane circa ligas huiusmodi esset, si fierent, aduertendum subtiliter & caute, ne id quod crederent pro parte tua in vtilitatem et fauorem ecclesiæ fieri, posset in eius detrimentum et periculum per malorum et falsorum hominum fraudes et malitias retorqueri; te præuisum super ijs reddere volumus et attentum, vt procedatur ad hæc, et etiam ne dicto Bauaro eiusque gentibus pandatur ad partes prædictas aditus, cautelas adhibeas opportunas, etc. *Dat. Auin. II. non. februarij anno VI.*

Prædictus Bauarus aliquam speciem conceptæ discedendi ab hæresi & schismate, ac recuperandæ ecclesiæ gratiæ voluntatis: petijtque a Benedicto, vt liberi commeatus syngraphas Pontificio & Regis Francorum nomine pro suis oratoribus, ac nonnullorum principum electorum ipsius studiosorum transmitteret. Cuius votis morem gessit Pontifex reconciliandi illius percupidus, seque ipsum admissurum in sinum ecclesiæ spopondit, si rite ad Christianam pœnitentiam se compararet: se tamen vereri significauit c, ne ad subornandos trahendosque in suas partes principes catholicos, vt antea egerat, pietatis inanem speciem obtenderet: in ijs locis, in quibus antea efflorue-

Concilium ecclesiæ postulat Bauarus.

c To. 6. ep. secr. 26. & an. 6. lit. cur. & 51.

rat

rat pietas, ex quo ſibi illa ſubiecerat, violari interdicta eccleſiaſtica: pios & catholicos pœnis grauioribus, atq; etiam ſupplicio affici: ne ſedem Apoſtolicam, vt antea, verbis deluderet, ſuamue reconciliationem ductis alijs ex alijs moris extraheret: ni recurrente ſacro pentecoſtes die miſerit oratores, iudiciorum ſeueritatem in eum ſe diſtricturum.

Magnifico viro Ludouico de Bauaria ſpiritum conſilij ſanioris.

Pleno collegimus intellectu, quæ præſentatæ nobis nuper tuæ literæ continebant: & licet per eas petieris literas de ſecuro conductu pro nuntijs tuis, & principum Alamanniæ, ſe ius habere in electione imperij dicentium, ſuper negotio reconciliationis tuæ ad noſtram præſentiam deſtinandis; quia tamen ex præteritis haberi ſolet coniectura veriſimilis de futuris, per ea quæ circa negotium reconciliationis eiuſdem acta, poſtquam diuina miſeratio nos ad apicem ſummi apoſtolatus prouexit, per te fuerunt hactenus, ſicut noſti, & in Alamanniæ partibus contra Deum & ſuam ſanctam eccleſiam attentata, & etiam iugiter, ſicut habet rumor implacidus, attentantur, ſpes non datur, quod ad obtinendum reconciliationem huiuſmodi te vera & recta intentione diſponas: ſed veretur potius, quod ſub colore illius fideles eccleſiæ partium illarum per te, vel tuos ab eiuſdem eccleſiæ fidelitate ſubtractos, ad tuam attrahere ſtudeas, ſicut de Argentinenſi epiſcopo & multis alijs feciſſe noſceris, obedientiam & ſequelam; & vlterius procures, vel facias procurari, quod in eiſdem partibus, in quibus antequam tua pernitioſa ibidem vigerēt, proh dolor! opera, cultus fidei catholicæ reuerēter & ſalubriter colebatur, & ad ſacroſanctā Rom. eccleſiam matrem omnium fideliū & magiſtram ſalutaris habebatur reuerentię plenitudo, multiplicentur errorum & ſchiſmatum fermenta execrabilia & damnanda: cum, ſicut ignominioſa infamia detulit ad ſedem Apoſtolicam & deferro (quod dolentes referimus) non definit inceſſanter, per te ac miniſtros tuos nonnulli prælati cathedralium & aliarum eccleſiarum, necnon capitula, collegia, & conuentus aliæque perſonæ regulares & ſeculares eccleſiaſticæ in pleriſque Alamanniæ partibus violare interdicta eccleſiaſtica, & profanare in locis interdictis diuina officia, non ſine graui Dei offenſa & animarum periculis & ſcandalis plurimorum coguntur, in eos, qui hæc tanquam viri fideles, timorati, & catholici facere contradicunt, vel renuunt grauibus pœnis inflictis, & varijs cruciatibus & iniurijs irrogatis: vt de multis alijs deteſtabiliter perpetratis, quæ breui nequirēt explicari ſermone, ſi recitarentur per ſingula; quæue, ſi non reſilires ab eis, te denotarent datum a Deo, tuis peccatis exigentibus, in ſenſum reprobum, præſentialiter taceamus.

68 Sane quia ſalutem tuam, teque reduci ad viam veritatis & iuſtitiæ deſiderabiliter affectantes, & experiri volentes ſi diuinæ pietatis clementia, quæ omnes quærit ſaluos fieri, & neminem vult perire, te miſericordi reſpiciens oculo, & mentē tuam rore gratiæ ſpiritualis perfundens, reuocare ad fructuoſam pœnitentiam dignaretur, & vt remaneamus excuſati, ſi hoc forſan non fieret, apud Deum, munduſque luculenter cognoſcat, quod per nos & ſedem prædictam non ſteterit, quo minus a deuijs ad viam reuoceris ſalutis, populuſque illarum partium ab imminentibus animarum periculis, quibus propter facta tua inuolutus exiſtere noſcitur, liberetur; ecce quod tibi tam noſtras quam chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi Regis Franciæ illuſtris opportunas de ſecuro conductu, vt petiiſti, literas pro dictis mittendis nuntijs deſtinamus, intendentes (ſi te ad reconciliationem promerendam, prout decet & expedit, repererimus) nos, quantum cum Deo ac honore, decentia, & honeſtate noſtris & eccleſiæ fieri poterit, exhibere ſuper his fauorabiles & benignos. Tu vero, ad obtinendam gratiam reconciliationis huiuſmodi effectualiter te diſponens, vide diligenter & cura, quod per te dictoſque principes perſonæ deuotæ ac catholicæ criminibus hæreſis nullatenus condemnatæ, quæ ſtatum illius zelentur ſalubrem & proſperum ad noſtram pro præmiſſis præſentiam cum mandatis ſufficientibus deſtinentur: nam tales benigne recipere, ac in veniendo, morando, & redeundo plena volumus ſecuritate gaudere. Demum ſcire te volumus, quod cum deludi, vel per verba inutilia nolimus protrahi de cætero, ſicut hactenus deluſi fuimus & protracti, mittendos huiuſmodi nuntios vſque ad inſtans proximum feſtum pentecoſtes tantummodo diſponimus expectare proceſſuri, ſi tunc venerint, ſuper eodem reconciliationis negotio, ſicut Dominus miniſtrabit: alias autem, ſi infra dictum terminum forſitan non veniſſent, ex tunc, eis non expectatis amplius, procedere aliter intendimus, prout ſecundum Deum & iuſtitiam videbimus expedire. *Dat. Auin. VII. id. aprilis anno VI.*

69 Traxit alias ex alijs moras Ludouicus impiorum, illius aures obſidentium, ſuſurris retardatus: iterumque XV. kal. nouemb. liberi commeatus ſyngrapha pro eius ad ſedem Apoſtolicam mittendis oratoribus tranſmiſſa eſt, ſed irrito tum etiam exitu. Secutarum vero illius partium, cum in Italiam iam ante Ioanne XXII. Pontifice irruperat, pœnitentes Papienſes ſolemnem hoc anno oratorem decreuere, qui culpæ veniam poſceret, atq; eorum nomine profiteretur, nunquam Cæſarem niſi prius a ſede Apoſtolica confirmatum ipſos veneraturos; ac tenere firmiſſime Imperatorem in Romanum Pontificem ſententiam ferre non poſſe: tum alia promiſere, quæ alios populos, ſchiſma Corbarianum eiuraturos, vidimus ſpondere conſueuiſſe. [a]

In nomine Domini. Amen.

Anno a natiuitate eiuſdem MCCCXL. *indictione* VIII. *die lunæ penultimo menſis octobris*, & infra, *Papiæ in publico & generali conſilio*, & infra, *faciunt procuratorem & ſyndicum Guidolum de Calice ad deuote & humiliter comparendum coram ſanctiſſimo patre & domino domino Benedicto, diuina prouidentia Papa XII. & coram ſacro collegio reuerendorum patrum dominorum* S. R. E. *Cardinalium, & quolibet alio ab ipſo domino Papa deputato ſeu deputando: & ad offerendum dicto nomine, quod ipſa ciuitas, vniuerſitas, & communitas erit & permanebit deuota & fidelis ſanctitatis domini noſtri Papæ prædicti ſicut Chriſti vicarij, & ſanctæ matris eccleſiæ ſicut cæteri fideles ac catholici Chriſtiani: & ad promittendum & iurandum dicto nomine in animas dictorum conſtituentium, quod ſtabunt & parebunt mandatis eccleſiæ ſuper quibuſcumque exceſſibus per eos contra Romanam eccleſiam perpetratis, & quod eos vel ſimiles de cætero non committent: & ad dicendum & proteſtandum, quod non credunt ad Imperatorem ſpectare Papam deponere & alium facere; ſed hoc hæreticum putant & hæreſim per*

Veretur Pont. ficte illum pœnitere.

Ea arte ſibi ſubijcere catholicos'.

Religionem inde euerti.

Paratam ſedem Apoſt. ad illum recipiendum.

Datus liber commeatus eius oratoribus.

Conſtituta dies.

Papienſiū ad eccleſiam reditus.

[a] *Ex. apud Ben. an. 7. ep. cur. 35.*

Publicis tabulis ſpondēt ſe illi paritu ros.

Marſilianam hæreſim exe crantur.

ecclesiam damnatam, quam & ipsi constituentes, quantum ad eos spectat, anathematizant & damnatam reputant secundum determinationem ecclesiæ; & quod expellent & exterminabunt de dicta ciuitate eiusque districtu pro viribus vniuersos hæreticos, ab ecclesia de hæresi denotatos, & manifestos schismaticos; saluo, quod in ijs non includantur Papienses & alij damnati, vt dicitur, infrascriptis processibus, donec commissio de nullitate vel vigore, & iniustitia vel iustitia ipsorum processuum, fienda per dictum dominum Papam, & ipsorum processuum discussio pendebit.

Ludouico Bau. non adhæsuros spondent.

70 *Item quod non adhærebunt Ludouico de Bauaria damnato, nec alicui antipapæ vel schismatico scienter, nec eorum sequacibus vel complicibus, nec eis scienter dabunt auxilium, consilium, vel fauorem directe vel indirecte, publice vel occulte; nec eos scienter receptabunt in ciuitate prædicta, nec aliquibus terris eius iurisdictioni suppositis, quousque ad ecclesiæ redierint vnitatem & gratiam: nec aliquem vel aliquos, qui venirent sub nomine Imperatoris, vel Regis Romanorum, vel alterius tituli pro eis vel eorum altero sine approbatione aut contra mandata summi Pontificis, qui est vel pro tempore erit; sed contra eos pro posse stabunt, et eisdem resistent in fauorem sanctæ matris ecclesiæ ac domini Papæ et successorum canonice intrantium: et quod recipient et curialiter tractabunt nuncios et gentes domini summi Pontificis et sanctæ Romanæ ecclesiæ et suorum successorum canonice intrantium, transeuntes per ipsam ciuitatem vel loca eorum iurisdictioni subiecta vel subijcienda, ipsosque protegent et defendent, dummodo transeant pacifice et sine fraude, sicut alij: et quod vniuersos archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, præpositor, decanos, archidiaconos, archipresbyteros, presbyteros, clericos regulares vel seculares ecclesiarum, et ecclesiasticas personas gaudere permittent, nec impedient, quo minus gaudeant omnibus suis libertatibus, redditibus, iuribus, pertinentijs, et obuentionibus vniuersis in dicta ciuitate et alijs terris, eorum iurisdictioni subiectis, quantum in eis fuerit, ipsisque collectas non imponent, nec ab eis exigent, nec dabunt imponentibus vel exigentibus auxilium, consilium, vel fauorem,* & infra.

Pontificios nuncios a se honorifice habitū iri.

Non violaturos immunitatē sacerdotalem.

71 *Et ad sponte confitendum, et recognoscendum procuratorio & sindicario nomine suprascriptis, quod dudum dicta ciuitas Papiæ & eius districtus, ac homines & habitatores eorundem ciuitatis & districtus fuerunt & steterunt sub dominio & subiectione ac obedientia quondam domini Matthæi de Vicecomitibus de Mediolano etiam contra Romanam ecclesiam: non tamen in hæresi, neque in aliqua fautoria alicuius hæresis, etiam temporibus, quibus dicitur, quod ipse dominus Matthæus fuit in rebellione eiusdem Romanæ ecclesiæ, et ei obediuerunt.* Et infra.

Veniam poscunt, si Matthæo vicecomiti adhæserint.

Item ad confitendum, et recognoscendum etiam, quod dicta ciuitas et communitas, et homines et habitatores eiusdem ciuitatis et eius districtus fuerunt aliquibus temporibus obedientes et fauentes Ludouico de Bauaria, etiam in coronatione ipsius facta in ciuitate Mediolanensi, scientes ipsum tunc temporis esse rebellem sanctæ Romanæ ecclesiæ, et ei tanquam Regi Romanorum et se nominanti Imperatorem, licet non esset, per sanctam Romanam ecclesiam approbatus, fauerunt, obediuerunt, et intenderunt, sicut supradictum est, in omnibus præterquam in hæresi vel aliqua fautoria seu specie hæresis, in quibus nunquam eidem Ludouico vel alicui alij obediuerunt, nec fauorem aliquem præstiterunt; et etiam obedientiam et fauorem prædictos, vt dictum est, eidem Ludouico præstiterunt non voluntarij, sed inuiti et coacti per dictum Ludouicum seu gentes eiusdem, et quandoque propter timorem aliorum.

Vt pauerint Ludouico.

Excepe. rint anti. papæ nun tios.

Item ad recognoscendum et confitendum nomine suprascripto, quod dicta ciuitas et communitas, ciues et homines et habitatores eiusdem ciuitatis et eius districtus aliquibus temporibus scienter receperunt nuntios Petri de Corbaria antipapæ tempore, quo in rebus humanis agebat bonæ memoriæ dominus Ioannes Papa XXII. ac prædicatores etiam prædicantes contra dictum dominum Ioannem Papam XXII. et eis fauerunt, ipsos vt tales honorabiliter recipiendo, et eis reuerenter obediendo, ipsosque fauorabiliter tractando; non tamen in hæresi, nec in aliqua fautoria alicuius hæresis, neque eis vel alicui eorum in aliqua hæresi vel in specie alicuius hæresis, seu contra catholicam fidem fauorem vel auxilium aliquod vllo modo præstiterunt: nec etiam vnquam crediderunt, dictum Petrum de Corbaria fuisse vel esse verum Papam, nec dictos nuncios fuisse vel esse nuncios veri Papæ, et etiam receptionem, obedientiam et fauorem huiusmodi, vt dictum est, præstiterunt et fecerunt non voluntarij, sed inuiti et coacti. Et infra: *Et ad supplicandum pro eis et eorum nomine sanctitati eiusdem domini Papæ, quod sua solita clementia dignetur et velit adhibere remedium opportunum circa amotionem et abolitionem et relaxationem quorumcumque interdictorum, processuum, et sententiarum, etc.* Pluribus alijs adiectis, quibus amplissimis mandatis oratorem fulciunt, adiectæ sunt prolixæ præcipuorum ciuium Papiensium subscriptiones. Eadem penitus verborum formula ad eadem præstanda Nouarienses [a], Vercellenses [b], Nouocomenses [c] memoratum Guidolum oratorem auctoritate instruxere: de quo publica documenta ciuium nominibus appositis discrepantia edita sunt. Soluti [d] eodem anno fuere censuris, restituto ijs sacrorum templorum vsu, Feltrenses & Belunenses qui Ludouici Bauari fœderatis Scaligeris adhæserant, posteaque excusso seruitutis iugo ad episcopi eiusdemque comitis obsequiū redierant: & Nouocomensi Tridentino, atque Taruisino episcopis data prouincia est, vt singulos oppidanos, nuncupata prius rite de Cæsare non agnoscendo, nisi a sede Apostolica confirmatus esset, pellendis hæreticis, asserenda immunitate ordinis ecclesiastici, damnanda Corbariana perfidia, sacramenti formula anathemate liberarent. Ita Marsilianæ Ianduianæque hæreseos reliquæ fibræ ex Italia sensim euulsæ sunt.

Solui cen suris flagi tant.

[a] An. 7. cur. 37. [b] lb. ep. 38 [c] lb. ep. 39 [d] lb. ep. 71

72 In Germania aucta est hæreticorum multitudo, quæ etiam in finitimam Boemiam sese infudit: adeoque hæc pestis grassata est, vt eiusmodi tenebriones cœtus auderent cogere, fœuire in catholicos, atque etiam principes ad pugnam prouocare. Vocabant ij errorum magistros apostolos: quos vero profanos ritus sectarentur, non describitur. Non abest tamen coniectura, ipsos ex illorum, qui obscœnis voluptatibus felicitatem virtutemque metiebantur, volutabro emersisse. Cum vero ab his lacessitus Vlricus e Nouadomo expediret arma, vt ipsos ad officium cogeret, a Pontifice sacris indulgentijs subiecto diplomate [e] affectus est.

Hæretici in Boem. irrepunt.

[e] An. 6. ep. com. 263

Benedictus, etc. dilecto filio nobili viro Vlrico domino de Nouadomo Pragensis diœcesis, baroni de regno Boemiæ.

Petitio tua nobis exhibita continebat, quod in terris tuo dominio temporali subiectis, in

Pra-

Pragensi & Olomucensi diœcesibus cõsistentibus, & etiam in toto regno Boemiæ infiniti hæretici communiter Theutonici & aduenæ, non absque infectione cultorum fidei orthodoxæ periculose, proh dolor! in magna multitudine pullularunt; & quod dicti hæretici, cum inquisitores hæreticæ prauitatis, auctoritate apostolica in illis partibus constituti, volunt procedere contra eos, fugiunt & latitant, ac catholicos capiunt, mutilant, expoliant, & alias proditionaliter offendunt eosdem, eorumque bona incendio ignis supponunt; & quod, licet per dilectum filium Gallum fratrem ordinis Prædicatorum, inquisitorem prauitatis prædictæ in illis partibus deputatum, tunc præsentem in Romana curia, multi infecti prauitate prædicta, abiuratis erroribus, deuote redierint ad agnitionẽ & obseruationem fidei orthodoxę; tamen post eius absentiam in errores pristinos sunt relapsi, conuenticulas illicitas cum magistris eorum, quos vocant apostolos, faciendo: qui etiam in tantum numerum excreuerunt, quod te tuosque subditos catholicos ausi sunt temere diffidare; quare tu in nostra præsentia constitutus nobis humiliter supplicasti, vt cum tu pro exaltatione catholicæ fidei & zelo ipsius intendas exponere te & tua ad hæreticorum exterminium prædictorum, vel reductionem ipsorum ad lucem catholicæ veritatis, dictoque inquisitori, eiusque inquisitionis officio assistere toto posse; ac ob hoc habeas dictorum hæreticorum machinationes & mortis pericula formidare, prouidere tuæ speciali saluti de solita sedis Apostolicæ clementia dignaremur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, tibi & ijs, quos tecum ad prosecutionem præmissorum duxeris assumendos, teque sic assumpti sequentur personaliter; quosque forte quocumque modo negotium fidei contra hæreticos prædictos prosequendo, machinationibus aut facto vel occasione dictorum hæreticorum mori contigerit; illam omnium peccatorum vestrorum, de quibus fueritis corde contriti & ore confessi, auctoritate apostolica veniam indulgemus, quæ per sedem Apostolicam indulgeri vel concedi consueuit transfretantibus in subsidium terræ sanctæ. Nulli ergo &c. *Dat. Auin. II. non. mar. an. VI.*

Grassantur in catholicos.

Errorum magistros vocant apostolos.

Vlricus e Noua domo eos excindere parat.

Sacris indulgentijs afficitur.

Coacti hoc eodem anno fuerunt celeberrimi theologorũ cœtus a a Guillelmo episcopo Parisiensi, in quibus varij errores damnati sunt. Quorum primus ex Armenorum hæresiarcharum lacunis fluxerat, & nonnullos etiam Græcos, Palama auctore, hoc tempore infecit, diuinam nimirum essentiam in se neque ab homine neque ab angelo beatis videri, vel vnquam visum iri: quem quidem errorem a Benedicto Papa fidei decreto iam ante allato, discussum vidimus b. Fingebant enim illi errorum architecti tantummodo lucem quandam corpoream a diuina essentia manantem conspectum iri: quam nefariam opinionem Armenos eiurari iussos a Christi vicario proximo anno narrabimus c. Secundus & tertius error diuinitatem Spiritus sancti olim eiusque a Patre & Filio tanquam vnico spiratore & principio processionem oppugnabat: quem in concilio Lugdunensi damnatum Gregorio X. Pontifice vidimus d, atque etiam in Ephesino œcumenico antea superiori anno memorauimus e. Quartus hic erat, *quod multæ veritates fuerunt ab æterno, quæ non sunt ipse Deus*. Quintus error versabatur circa distinctionem creationis, an idem sit cum Creatore, an cum creatura, vel quid ab his distinctum: magnaque hoc tempore Constantinopoli turbas mouisse a viſuri sumus. Sextus error circa angelos versabatur, nimirum, *quod angelus malus in primo instanti suæ creationis fuit malus & nunquam fuit non malus*. Septimus error iam antea damnatus a Benedicto apostolica sententia b repetitus ex ab impio Caluino c, mentiebatur, animas beatas & corpora gloria immortalitatis donata cælo empyreo cum angelis non excipi, vel exceptum iri. Octauus error, *quod angelus in eodem instanti potest esse in diuersis locis, et est vbique, si velit esse vbique*. Nonus error, *quod qui habet meliora naturalia, de necessitate habebit maiorem gratiam, et gloriam*. Decimus est, *quod diabolus nunquam habuit vnde posset stare, nec etiam Adam in statu innocentiæ*.

Sextus. a Cantar. l. 2 c. 40. & Pontã. in notis ad idem cap.

Septimus. b An Chr. 1336. n. 3.

Octauus. c Caluin. inst. l. 3. c. 20 § 24.

Nonus. Decimus

In celeberrimis theologor cœtibus damnati errores.

Primus. a Lib. 4. bibl Patr. par. 1318.

b An. Chr 1336 n. 3.

Secundus & tertius c Ann. Chr 1341. n. 51 & 105. d Annal. o xi v. ann. Chr. 1274 n. 14. & 18.

Quartus. Quintus. e An. Chr. 1339. n. 34.

73 Alluxit Bossinæ hoc anno Stephani Bossinensis siue Bosnensis bani religione catholicæ fidei splendor, quem hæresis densioribus tenebris obscurarat d: cum enim Geraldus supremus Minoritarum præpositus precibus Caroli Regis Vngariæ in eam prouinciam se contulisset, banus obuiam illi progressus, conceptum animo delendæ hæreseos consilium aperuit; qua de re Pontifex Geraldo hisce verbis est gratulatus e: *Idem banus, tibi obuiam occurrens in via, te honoranter recepit, et a te verba catholicæ veritatis et salutis libenter audiuit, tibique aperuit propositi sui votum, per quod euidentius cognouisti, quod bonam voluntatem gerit ad extirpandum de principatu Bosnensi cunctos hæreticos degentes ibidem, dummodo nos et sedes Apostolica, et idem Rex Vngariæ sibi super his fauorabiliter assistamus: quorum fauorem sibi opportunum æstimat propter schismaticos, quos habet suæ terræ vicinos, quorum schismaticorum auxiliũ dicti hæretici inuocarent. si se de terra prædicta cognoscerent extirpandos*. Addit Benedictus bano se studio & opera non defuturum in hæreticis excindendis, atque orthodoxos finitimos ad auxilium illi explicandum excitaturum. Cumque in primis ad prosternendos fidei hostes Caroli Regis Vngariæ potentia desideraretur, illum Benedictus accendit f, vt cæteris triumphis restitutæ in Bossina catholicæ religionis gloriam adderet.

Princeps Bossinæ ad fidem cathol. reuocatus. d To. 6. ep. Ser. 33.

e Ib. ep. 32

Hæresim excindere e principatu molitur.

Sedis Ap. auxilium implorat.

f Ib. ep. 31

Cum, inquit, *fili ad magnam gloriam tuam et securitatem regni tui cedere dignoscatur, si de præfata terra Bosnensi dicti hæretici, tuo ad hoc suffragante præsidio, extirpentur; serenitatem regiam rogamus, requirimus, et hortamur attente, tibi in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus diuinæ retributionis intuitu, et requisitionis apostolicæ interuentu eidem bano omnibus modis, vijs, et fludijs, et consilijs, et auxilijs opportunis, quibus melius cognoueris expedire, prudenter et potenter assistas; vt idem banus de terra præfata possit euellere præfatam iam antiquam in ea contagionem hæreticæ prauitatis, et in ipsam reducere diuinum cultum, et ecclesias exinde destructas in statum pristinum ad laudem diuini nominis restaurare: ita quod exinde præmium consequaris retributionis æternæ, et regno tuo ex reductione dictæ terræ ad lucẽ catholicæ veritatis præpares et impẽdas pacis et securitatis augmentũ. Dat. Auin. II. kal. mart. ann. VI.* Confirmare alijs literis g in pio susceptо reuocandæ in Bossinam puritatis catholicæ consilio Stephanum Banum studuit Pontifex, proposuitque ob oculos in quanta se heredesque pericula conijceret, si palam adeo grassari hæreticos sineret: quibus excisis, immortalem apud Deum hominesque gloriam esset collecturus.

Vngarus ad ferendum illi auxilium solicitatus

Et instaurandas Bossin. ecclesias.

g Super ep 33. Confirmatus in cœptis Banus

Curat Tartaricam ecclesiam Benedictus.

74 Ad tuendam eiusdem fidei puritatem, tum latius inter gentiles veteri imbutos superstione proferendam, ne apostolico deesset muneri, Benedictus archiepiscopos, episcopos & cæteros inferioris gradus præsules, qui in Tartarorum imperijs, ac vel in oriente, vel Scythia Asiatica versabantur, literis ad constantiam in fide, vitæque labores spe immortalitatis perferendos; seruandam incorruptam religionem, eamque amplificandam est cohortatus. a

a Eod to. 6 ep. secr. 152.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filijs electis, abbatibus, cæterisque personis ecclesiasticis regularibus, religiosis, et secularibus, ac vniuersis Christi fidelibus in Tartarorum imperijs, et partibus orientalibus et aquilonaribus constitutis.

Supra gregem dominicum tanquam pastor vniuersalis, disponente Domino, constituti, de subditorum salute profundis meditationibus cogitamus: inter quas illa solicitudo quotidiana nos angit præcipue, vt per vestræ cooperationis ministerium puritas catholicæ fidei, sine qua nemo potest saluus fieri, colatur & obseruetur vbique ad diuini nominis laudem & gloriam, fideliumque animarum salutem, semper felicia suscipiens incrementa. Etsi splendorem huiusmodi fidei orthodoxæ in illis mundi regionibus, in quibus plenarie ipsius cultus viget, resplendere cupimus, cuiusuis obfuscationis erroneæ caligine profugata; summis tamen desiderijs peroptamus, vt in vobis, inter nationes exteras constitutis, non extinguatur eiusdem lucerna fidei, sed vehementius accendatur, vt quanto maioribus pressuris & tribulationibus vos contingit subijci propter eam, tanto si constantes & perseuerantes in ea fideliter fueritis, ampliora & vberiora merita vobis exinde proueniant apud Deum.

Præsules imperij Tart. ad fidei constantiam hortatur.

Ad ferenda aduersa.

Ideoque vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente in domino Iesu Christo, quatenus spem vestram figentes in Domino, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum; pro fide ipsa, quæ vos cum operibus bonis ad æternæ quietis perducet beatitudinem, stetis viriliter, & eam firmiter & tenaciter obseruetis: vosque, fratres archiepiscopi & episcopi, ac filij electi abbates & alij religiosi ac seculares, quibus ex officio vel alias prædicare congruit verbum Dei, circa dilatationem eiusdem fidei verbis & exemplis salutaribus fideliter & sedule tanquam operarij veri & idonei laboretis, metentes messis manipulos in agro Domini, quos in eius horrea reportetis cum gaudio, vocem illam dulcissimam, *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, post huius vitæ miserabilis transitum aduituri. Vt autem fides eadem catholica, quam nos & ecclesia Romana cum vniuerso cœtu Christianorum fidelium profitemur, prædicamus, & tenemus firmiter, vobis clarius & apertius innotescat, vosque illam sequi, profiteri, tenere, ac euangelizare firmius valeatis, eam tenore præsentium prouidimus, vt sequitur, explicandam. Credimus sanctam Trinitatem Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, &c.] Concepta est ijsdem verbis hæc fidei formula, atque illa, quam Michaeli Palæologo Græcorum Imperatori a Clemente IV. & a Ioanne XXII. Ossinio Armeniæ Regi b acsuperiori anno a Benedicto Alanis propositam vidimus. *Dat. Auin. xvi. kalend. septembris anno vi.*

Ad gentiles probo exemplo ad Christum traducendos

Proponis fidei formulam.

b Annal. to. xiv. 1265. n. 73. & to. xv. ann. 1318. n. 10. & to. 16. Ann. Chr. 1338 n. 78.

75 Fauebat amplificandæ inter septentrionales Tartaros religioni Vsbech Imperator, qui oratores hoc anno ad sedem Apostolicam transmisit, quibus se erga ipsam egregie affectum exhibuit, precibusque pontificijs in euangelicis præconibus amplectendis, conferenda facultate vt templa Christo ponerentur, Christiana sacra exercerentur, disseminaretur fides, obsecundasse significauit, & omne erga fideles odium posuisse, cum nonnulli ipsos ob structas sibi insidias, subiectasque regiæ faces in inuidiam adducerent. Imperialia etiam, ac Tynibech, a maioris natu filij, & Taydolæ b vxoris Imperatricis nomine magnifica Christi vicario munera transmisit. Quibus receptis Benedictus ijsdem Vsbecho Imperatori, Tynibecho filio c, ac Taydolæ Imperatrici de egregio in Christianos studio grates egit; excitauitq; ad sacra baptismalia suscipienda, vt cæleste imperium adipiscerentur.

Vsbech Imp. Tart. fidei Christianæ fauet.

a To. 6. ep. secr. 149. et in M. S. archiu. Vat. de rebus Tart. Arm. &c. pag. 33. b Eod. to. 6 ep. secr. 150. c lib. ep. secr. 151.

Magnifico principi Vsbech Imperatori Tartarorum gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Lætanter & benigne recepimus dilectos filios nobiles viros Petranum de Lorto olim dominum de Capha, & Albertum eius socium fidei catholicæ professores, magnificentiæ tuæ nuncios vna cum dilecto filio Helym de Vngaria ordinis fratrũ Minorum nuncio viri egregij ducis Thynibech primogeniti tui, ad nostram præsentiã destinatos: & ea, quæ ipsi coram nobis pro parte tuæ celsitudinis curauerunt proponere, patienter & clementer audiuimus, & intelleximus diligenter. Cum autem nuncij præfati tuam magnificentiam & potentiam, nec non deuotionem & reuerentiam, quas ad nos & sanctam sedem Apostolicam geris & gessisti hactenus, multæ laudis & commendationis præmijs attollentes, narratione subiuncta placibili explicarunt, quod tu huiusmodi deuotionem & reuerentiam in laudabilium effectum operum perducendo, nuncios nostros, quos dudum ad partes Cathayensis imperij mittebamus, ad tuam præsentiam accedentes, ob diuinam & nostram ac dictæ sedis honorem & reuerentiam fauore benigno suscipiens, eis charitatiue feciſti de necessarijs & expensis ac vsque ad partes prædictas de conductu non modico, quin potius sumptuoso & magnifico prouideri; & vlterius exhortationibus & precibus nostris, quibus Christianos catholicos & Romanæ obedientes ecclesiæ in tuo degentes imperio benevolentiæ tuæ commendauimus, fauorabiliter annuens, erga Christianos eosdem tuæ magnitudinis liberalitates & gratias ampliasti; eis reparandi nihilominus & ædificandi ecclesias & loca ecclesiastica, nec non antistitibus & religiosis catholicis prædicandi verbum Dei, & sacramenta ecclesiastica iuxta ritum & morem S. R. E. matris omnium fidelium & magistræ, ministrandi licentiam liberalem concessisti; profecto quidem speramus & credimus, quod prouidentia diuina, quæ in suis dispositione non fallitur, præmissa & alia pia opera, circa quæ, vt gaudenter percepimus, te liberaliter exerces, inspirauit & inspirare non desinet menti tuæ, vt tandem agnita veritate, quæ Christus est, illuminatusque fidei catholicæ claritate, & per susceptionem eiusdem fidei, fine qua non est salus alicui, ouile dominicum, cuius est vnus pastor, ingressus æternæ societatis pascuis post vitæ præsentis exitum non frauderis.

Colit Romanum Pont.

Excipit honorifice eius internuntios.

Fidei propagandæ facultate imperti. tur.

Solicitatur ad Christi cultum.

76 Nos igitur, qui licet insufficientibus meritis, locum Dei tenemus in terris, hæc pro tuæ salu-

salute animæ feruentibus desiderijs peroptantes, rogamus magnitudinem tuam & in Domino attentius exhortamur, quatenus intra tui pectoris claustra considerantes reuoluens, quam breuis est vita hominis, & quam incertus mundi huius exitus, quam frequenter sit etiam repentinus, quodcumque potest manus tua, vt choris possis adiungi cælestibus, instanter studeas operari: super quibus & alijs, salutem tuam huiusmodi concernentibus, deuotis insistimus & insistemus precibus apud Deum. Porro super fauoribus & gratijs a tua clementia Christianis prædictis catholicis, vt præfertur, exhibitis; necnon de encæniis pro parte tua & eiusdem inclyti primogeniti, ac illustris Imperatricis consortis tuæ nobis per memoratos nuncios præsentatis, & a nobis gratanter mittentium consideratione receptis, excellentiæ tuæ referimus gratiarum vberes actiones; nostris prædictis precibus & exhortationibus subiungentes, vt gratiæ fauor imperialis erga Christianos prædictos catholicos, & præfatæ Romanæ ecclesiæ obedientes, vt præmittitur, semper exuberet & accrescat. Et insuper cum, sicut intelleximus, inter tuos ac charissimorum in Christo filiorum nostrorum Vngariæ & Poloniæ Regum illustrium officiales & subditos in confinijs imperij tui & regnorum Regum prædictorum quandoque suscitari contingat dissensiones & guerras, ex quibus strages hominum, lapsus rerum, & animarum amarius deploranda pericula subsequuntur; velit tua sublimitas ab inuasione regnorum prædictorum desistere, quia si Reges prædicti inferent tibi vel tuis iniurias indebitas vel offensas, & id nobis duxeris intimandum, hæc per Reges ipsos procurabimus facere, quantum cum Deo poterimus, tibi & tuis rationabiliter emendari. *Dat. Auin. xvi. kal. septembris anno vi.*

Vitæ incõstantia propositi.

Actæ de munerib⁹ gratiæ.

77 Obtulit se Pontifex futurum illius controuersiarum interpretem, cum tunc maximus Tartaricæ in Poloniam irruptionis terror increbesceret post adiunctam a Casimiro imperio Polonico amplissimam Russiæ partem, postquam Boleslaus dux siue improbæ administrationis, siue religionis odio a Russis veneno extinctus fuisset. Describunt pluribus Poloni historici a secundas res gestas in ea expeditione, Leopolim aliasque arces captas, instauratamque veterem regni maiestatem: amplitudinemque ex qua Tartari, cum a Russis, qui iugum Polonicum ferre detrectabant, incitati Polono Regi bellum intentarent, admonitus Pontifex ad eorum propulsandos impetus religiosam militiam in Polonia, Vngaria, & Boemia promulgandam indixit b; Gnesnensique archiepiscopo, vt fideles sacro crucis symbolo insigniret, prouinciam dedit c. Tum Casimirum ad fortem animum gerendum excitauit d.

Debellata a Casimiro Russia.

a Miehou l. 4. c. 18. Chromer. l. 12.

b An. 6. ep. com. 240.

c Ib. ep. 241.

d Ib. ep. 239.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Casimiro Regi Poloniæ illustri.

Nuper tua serenitas per suas literas nostro apostolatui patefecit, quod gens perfida Tartarorum, in tenebris ambulans, carensque lumine catholicæ veritatis, profana cogitatione considerans, quod regnum tuum Poloniæ, quod a fidelibus habitatur, est in vltimis Christianorum finibus constitutum; & quod propterea ad impugnationem regni præfati eisdem Tartaris absque catholicorum principum & aliorum fidelium obice iuxta profanos conceptus ipsorum facilior via patet; dictum regnum & Christianos habitatores ipsius inuadere & destruere feris & furibundis animis conceperunt: ita quod ad tuum fidedigna relatione peruenit auditum, quod dicti Tartari huiusmodi conceptus iniquos continere sub claue silentij nequeuntes, prætensis occasionibus friuolis, publice comminantur, quod ipsi ad inuasionem & destructionem regni præfati, & desolationem fidelium habitantium in eodem, & religionem catholicam inibi profanandam, conflatis potentiæ suæ viribus, infra breue tempus hostiliter properabunt. Propter quod tu attendens, quod dictum regnum est ecclesiæ Romanæ immediate subiectum, & etiam censuale; & quod tam tu, quam habitatores regni prædicti estis eiusdem ecclesię peculiares filij et fideles; et quod ex impugnatione dicti regni si, quod absit, dictorum Tartarorum rabiosa præsumptio procederet ad eandem, non solum dictum regnum eiusque incolæ, quinimmo fideles cæteri dicto regno tam proximi quam remoti proculdubio diris aduersitatibus læderentur, nostrum in hac parte, et per nos promptum aliorum fidelium subsidium et præsidium humiliter imploraſti. Nos ig. cur attendentes, quod in defensione et tuitione regni prædicti nõ solum tua et eiusdem regni, sed aliorum fidelium vicinorum, et etiam, vt præmittitur, remotorum salubritas agitur, et securitas procuratur, et barbaricæ feritatis audacia facilius, Deo propitio, in suis poterit refrænari et collidi principijs, quam si nullo parato resistentiæ obice permitteretur liberius in sanguinem Christianum desæuire; considerantes etiam vrgentem et probabilem tuæ supplicationis instantiam, votis tuis super præmissis eo libentius annuendum fore prouidimus, quod illa apostolici fauoris fulcienda et iuuanda præsidijs magis vtile et expediens existimamus.

Intentatũ illis a Tartaris bellum.

Petita ab eo a Pont subsidia.

78 Præmissis igitur attenta meditatione pensatis, supplicationem tuam in hac parte benignius admittentes, vt serenitas tua aduersus eosdem Tartaros fidelium inimicos (qui dudum, sicut infanda experientia docuit, dictum regnum & nonnullas alias terras fidelium & personas eorum per crudelis impugnationis & expugnationis excidium destruxerunt) diuino, vt speramus fulta subsidio, & aliorum fidelium crucis Christi signaculo munitorum suffragio communita, defensionem eiusdem regni & incolarum ipsius contra dictam barbaricam nationem potenter assumere valeat & feliciter exercere; prædicationem crucis in auxilium tuum & regni præfati per nostras literas duximus concedendam: ac venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Gneznensi, & Cracouiensi ac Vvratislauiensi episcopis per alias nostras dedimus literas in mandatis, vt ipsi & eorum quilibet per se & alias personas ecclesiasticas seculares, & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas esse cognouerint, in eodem Poloniæ, ac Vngariæ & Boemiæ regnis contra præfatos Tartaros & quoscumque alios infideles, volentes ac præsumentes inuadere seu offendere te & dictum regnum Poloniæ ac habitatores ipsius, proponant iuxta datam eis a Deo prudentiam verbum crucis venerabile signum eius, tam tuis quam aliorum fidelium incolarum regnorum prædictorum, illam deuote suscipere volentium, humeris affigendo; eosque suis exhortationibus & instantijs inducendo, vt prædictum negotium contra Tartaros & infideles præfatos feruenter assumant, & viriliter prosequantur, &c. [Interiectis nonnul-

Decreta ad retundendos Tartaros cruceata militia.

In Polonia, Vngaria, & Boemia promulgari iussa.

Propositæ cam professuris indulgentię

nullis de proposita criminum venia ijs, qui bellicos aduersum Tartaros subirent labores, vel militem stipeue sacram expeditionem iuuarent, addit Pontifex].

Excitatus ad constantiam Polonus.

Tu igitur scuto fidei & salutis galea communitus, ac figens in Domino anchoram spei tuæ, si per similes coniecturas vel præsumptionis probabilis argumenta colligere poteris, quod eadem gens barbara Tartarorum præmissa forsitan præsumere moliatur, forti animo esto, tuam tuorumque subditorum mentem corroborans & confortans: quia potens est Dominus habitans in excelsis iuuare sperantes in eo, infidelium conterere animos, & deprimere cornua superborum. *Dat. Auin. kal. augusti anno* VI. Duxit a tantum quarto post anno formidandam expeditionem Tartarorum Imperator excitus a proditoribus ad excindendum Polonicum imperium: sed cum ad Vistulam castra promouisset, traiectu a Casimiro Rege prohibitus, post inanes telorum iactus retro signa flectere coactus est.

a Michou. l.4.c.8. Cron.l.12 Repulsi Tartari.

S.Gertrudi impressa stigmata. b Io. a Leyd. chr. Belg.l.28. §.4.

79 Hoc anno S. Gertrudes, dum Christi passionis mysteria recoleret, diuino amore adeo accensa est, vt Numen illi sacra stigmata impresserit, vt refert Ioannes a Leydis Carmelita b: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCXL. *contigit in oppido Delffensi condignum relatione miraculum: nam virgo Gertrudis de Oesten habitans in antiquo beghinagio eiusdem oppidi, adeo feruenter æstuabat ad dominicam passionem, vt stigmata et cicatrices in latere, manibus, & pedibus suis visibiliter apparerent: & vniuersi fideles in hoc prodigio crucifixum Dominum non immerito collaudarunt, &c.* Nonnullis interiectis, piam historiam ita prosequitur: *De nocte sanctæ parasceues hæc virgo Gertrudis deuotione magna prostrauit se coram Crucifixo, prolixius orans in camera sua, mente diligenter attrectans amaritudinem passionis & mortem acerbissimam domini nostri Iesu Christi. Cum ergo mirifica deuotione sic transformata foret in amorem dilecti sui sponsi Domini nostri, mirabilis Deus in sanctis suis tanta fecit mirabilia virgini mirabili gratia, vt quinque stigmata Domini nostri susciperet in quinque membris sui virginalis corporis: Susceptis igitur stigmatibus, immo quinque vulneribus, ex cõtemplatione diuina veniens ad humana, clamauit ad cohabitantẽ sibi beghinam voce magna: Dieuuoerdis, Dieuuoerdis, veni & vide quantam gratiam Deus mihi pauperi concessit ancillæ suæ non meis meritis, sed ex sua superabundanti pietate. Quæ cum veniret, videns tantam gratiam dono Dei virgini Gertrudi concessam, obstupuit; & Deum pro tantis mirabilibus largiter ostensis laudans benedixit. Nam non solum nocte illa parasceues, verum etiam clara die, sed & deinceps diebus multis ex sacrosanctis vulneribus profluxit sanguis pulcherrimus rubicundi coloris septies in die per singulas septem horas canonicas: qui quidem cruor de stigmatibus perfluens receptus est in panniculis lineis.*

In recolẽda Christi passione.

E vulneribus cruor manat.

Ad videndum miraculũ fit concursus populi.

Nouitas ista cito cunctis innotuit, nec latere potuit: vnde non solum de oppido Delffensi, sed & circumquaque populus multus, audiens in virgine mirabilia Dei, properabat videre quæ facta fuerant: sed huiusmodi concursus Gertrudi non placuit, nam propter populi frequentiam cordis molestiam experiebatur, & impediebatur a spiritualibus exercitijs. Et quia considerabat, quod timor est omni homini necessarius, rogabat Dominum dicens voce cordis humillima: Dulcissime domine Iesu Christe, si fuerit voluntas tua, desidero quod hæc quinque vulnera, pietatis tuæ gratia mihi concessa, rursum tollas, ne forte contingat mihi a te separari per propriam complacentiam. Exaudiuit autem Dominus orationem virginis, & abstulit illi gratiam quinque vulnerum, sic quod ex eis sanguis non emanabat: sed stigmata tamen deinceps vsque ad mortem conseruabat. Hactenus auctor.

Ad eadem visionis præclausa nera.

IESV CHRISTI

Annus 1341.

BENEDICTI PP.XII. annus 8. VAC. IMP. OCCID. 28. IO.PALÆOLOGI IMP.OR. 1.

1 PArtæ de Saracenis Granatensibus & Africanis victoriæ iam a nobis memoratæ gloriam Christo relaturus Alfonsus Castellæ Rex, illius in terris vicario spolia anno a Virginis partu quadragesimo primo supra millesimum trecentesimum indictione nona transmisit, de quibus meminit Hispanicarum rerum scriptor his verbis a: *Auenionem equi centum, gladij parmæque e corio totidem e præda Maurica Benedicto Pontifici missa sunt: quatuor præterea & viginti Maurica signa, equus vexillumque Regis, quibus in prælio vsus erat, alia. Liiua legatus*, is in pontificijs literis Ioannes Martini dicitur, *aliquanto spatio a Cardinalibus obuijs exceptus, Pontificis voce, cum sacris de more esset operatus, Alfonsi Regis laudes maximo principum hominumq; concursu celebratæ sunt.* Defixa victi Albohaceni victorisq; Alfonsi signa in pontificio sacello fuisse ad secuturarum ætatũ memoriam, testatur his verbis M.S.Vaticanum b: *Huius Papæ temporibus dominus Alfonsus Rex Hispaniæ contra Regem Marrochiæ conserto prælio triumphauit: & in signum victoriæ idem Rex vexillum suum domino Papæ misit, quod vsque hodie in capella Papæ Auenionensi conseruatur.* Eadem etiam vitæ Benedicti auctor tradit. Confirmantur superiora pontificijs literis, quibus Benedictus Alfonso Regi Castellæ ob missas hostium exuuias, ac nonnullos Saracenos bello captos in relati triumphi argumentum adductos ad sedem Apostolicam, gratias egit c, ipsumque est adhortatus, vt quo maiorem sibi triumphando de hostibus gloriã peperisset, eo se demissiorem erga Deum, a quo pendet victoria, præberet: fortem animum gereret, præteritos enim triumphos nouis cumulatum iri.

Mauricæ victoriæ spolia missa Pontifici. a Marin. l.16.c.1.

b M.S.Bibl. Vat. sign. n.3761. Ben. XII.

Castellano adfert gratia.

c To.7.ep. secr.76.

Benedictus, &c. charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

2 Missum pridem ad nostram præsentiam dilectum filium nobilem virum, Ioannem Martini militem & nuncium regium læto vultu & animo benigno, tam mittentis consideratione quam eiusdem missi probitatis obtentu, recepimus; & expositam per eum in nostra & fratrum nostrorum, ac aliorum multorum prælatorum, clericorum, & laicorum præsentia, facundis & gratis sermonibus recensendo delectabiliter victoriam glorioſam, quam aduersus hostem illum crudelem Dei & orthodoxæ fidei.. Regem Marrochitanum videlicet & suos exercitus Saracenicos, ad confusionem & exterminium fidei & fidelium in illis partibus terribiliter aspirantes, dedit tibi de cælo virtutum Dominus, audiuimus exultanter: nec non equum, quem equitasti contra eosdem perfidos Saracenos, in virtute diuina triumphans, vexillum quoque armorum regiorum victricium, te in acie tunc præcedens, & quosdam de Saracenis, in Christi victoria captiuatis, cum diuersis banderijs seu vexillis

Gratulatoria ad eum Benedictus.

Sara-

Saracenorum deuictorum & captiuatorum in Dei prælio, quod gessisti; quæ omnia nobis & sedi prædictæ in signum deuotionis eximiæ, subsequenter ibidem præsentauit, & obtulit pro parte regia dictus miles; gratis & gaudiosis in Domino admisimus affectibus, diuinæ clementiæ, quæ de sede suæ magnitudinis eandem tibi tribuit victoriam, in laudis iubilum vna cum eisdem fratribus & alijs fidelibus, tunc ibidem vt præfertur astantibus, rore repleti spiritualis exultationis & gaudij, deuotius assurgentes, tuęque celsitudini pro prædicto misso nuncio, ac destinatis & præsentatis, vt præfertur, huiusmodi deuotionis encænijs, referentes non sine commendationis condignæ titulis gratiarum vberes actiones.

Sane, fili chariſſime, si diligenter attenderis, quot & quanta beneficia de manu Domini, a quo cuncta bona procedunt, & sine quo humana fragilitas nihil potest, in obtinenda victoria ipsa (per quam, præter mercedis perennis acquisitum tibi præmium, diuulgatur per orbem fama celebris tui nominis & honoris) receperis, habes proculdubio vnde sibi deuotas, & debitas referre in humilitate spiritus gratiarum actiones non cesses, recognoscendo deuote hæc & alia dona tibi ab ipso collata non de tuis vel tuorum viribus, sed solum de suæ virtute potentiæ recepisse. Speramus siquidem in Domino, quod si hæc iugiter egeris, teque gratum eidem reddideris per opera virtuosa, vltra existimationem humanam, cum felicium votiua prosperitate succession & annosa temporis longitudine, honores tibi, ac bona spiritualia & tęporalia iugiter adaugebit.

Ideoque regalem excellentiam paternis affectibus in Domino attentius exhortamur, quatenus circa ea, quæ præmisimus, solicitudinibus studiosis intendens, ad defensionem & dilatationem fidei, ac represſionem & expugnationem eius hostium velut athleta strenuus in virtute diuina accinctus robore magnanimitatis & fortitudinis, sicut indicit tibi alti tui prosapia generis, & regalis persuadet solij dignitas, continuationibus laudabilibus te impendas. Et nihilominus vt vitia, quæ inolesse consueuerunt, proh dolor! in illis partibus, extirpentur; tibique ac tuis subditis magis placatus propitietur Dominus, dare velit regia celsitudo, quantum in ea fuerit, operam efficacem, &c. *Datum Auin. VIII. id. maij anno VII.*

Lusitana de ead. re legatio.

3 Legarat etiam vna cum Alfonso Rege Castellæ Alfonsus alter illius socer Lusitaniæ Rex, quem in pugnæ & gloriæ societatem veniſſe vidimus, suos ad sedem Apostolicam oratores, qui accepta cælo in barbarorum infinita prostrata multitudine beneficia Pontifici & sacro Cardinalium collegio referrent; cum maxime Benedictus id bellum sacrum, vt diximus, apostolicis studijs promouisset. Auditis Lusitanis oratoribus Christi vicarius, vt Castellanum ad agendas diuino Numini ob partam victoriam gratias excitarat, ita Lusitaniæ Regem, vt in Deum rei gestæ gloriam omnem transfunderet permouit: collaudauit a pium illius de vrgendo aduersus impios bello consilium: ad præclara maiorum, qui Mauros continuis bellis attriuissent, exempla prouocauit; ex ea enim re ipsum immortale decus collecturum.

a Te. 7. ep. scr. 82.

Benedictus, &c. chariſſimo in Christo filio Alfonso Regi Portugalliæ illustri.

Habes proculdubio vnde altissimo, qui tibi tam salubre inspirauit propositum, & illius executione salutifera tibi clementer astitit, ad laudis iubilum & gratiarum humiles actiones assurgas eidem, recognoscendo humiliter, hæc non de tui vel tuorum virtutibus aut viribus, sed de manu diuinæ clementiæ recepisse. Quod si feceris, eique per virtuosorum & piorum multiplicationem operum te sibi gratum iugiter exhibere studueris, vt optamus, adaugebit tibi gratiam, exaltabit in terra nomen tuum, & tandem de regno temporali, quod obtines, ad regni prouehet gloriam sempiterni. Porro quia nondum Agarenorum perfidorum quiescere præsumptuosa videtur superbia, immo sicut habet quorundam infesta relatio, rugitus dant terribiles, ad inuasionem dictarum partium & Christicolarum in eis degentium aspirantes; propter quod, si sit ita, non minus quam prius tuum consilium & auxilium existere noscitur multipliciter opportunum; excellentiam rogamus regiam attentius in Domino & hortamur, quatenus consideranter attendens, quod perseuerantibus est corona gloriæ repromissa, a præmissis fauore, auxilio, & consilio circa represſionem infidelium, ac defensionem & dilatationē fidei orthodoxæ in illis partibus, si & cum opportunum extiterit, imitando claræ memoriæ progenitorum tuorum vestigia, nullatenus te retrahas; sed vt maius tibi acquiras continue meritum, & gloria tui nominis amplius augeatur, te promptum in primissis (maxime cum tua & tuorum res agi videatur) non mediocriter, exhibeas & benignum &c. *Dat. Auin. XVII. kal. iunij anno VII.*

Pontificię de ead. victoria ad Lusit. Regē literæ.

Saraceni noua parant bella

Solicitat' ad eos obterendos Lusitanus

4 Indixit ad eiusdem Regis preces propositis indulgentiarum præmijs Pontifex sacram aduersus Mauros expeditionem, religiosamque militiam professuros crucis symbolo distingui iussit. Tum in bellicos sumptus sacerdotiorum decumas contulit, pactus in agris & vrbibus Mauris eripiendis, ecclesias pro cultu diuino exercendo conditum iri; de quibus insignes sunt subiectæ literæ a.

Sacro bello se deuouet.

a An. 7 ep. cur. 5.

Benedictus, &c. chariſſimo in Christo filio Alfonso Portugalliæ & Algarby Regi illustri.

Venerabilis frater noster Martinus episcopus Elborensis, & dilecti filij nobiles viri Lupus Fernandi domus de Ferraria, necnon Laurentius Gomesij de Aureu miles, ambaxiatores & nuncij tui, pro infrascriptis ad nos & sedem Apostolicam destinati, nobis ex parte tua reuerenter exponere curauerunt, quod dicti progenitores tui tanquam veri catholici, & eiusdem fidei ardore ac zelo succensi, dictæque fidei soliciti plantatores feruidi, regnum tuum Algarbij & regni Portugalliæ magnam partem, copioso subditorum sanguine fuso, proprijsque personis & facultatibus infinitis ad hoc expositis, liberauerunt diuina eis dextera assistente, & eripuerunt de manibus infidelium prædictorum, illaque reduxererunt ad cultum nominis Christiani, ac obedientiam & reuerentiam ecclesiæ sanctæ Dei, & in eis diuersas ecclesias & loca ecclesiastica fundarunt pariter & dotarunt, & pro defensione ipsorum ac impugnatione hostium eorundem multa & magna fortelitia construxerunt: quodque ipsi perfidi hostes Christi, de huiusmodi ereptione dolentes, non solum ad recuperationem Algarbij, sed etiam impugnationem Portugalliæ regnorum prædictorum eisdem progenitoribus guerras & actus bellicos quasi continue mouisse noscuntur, quibus progenitores ipsi non solum restiterunt, sed hostes ipsos multoties expugnarunt, & damna eis plu-

Missi ab eodem ad sedem Apost. oratores.

Exposita ab ijs Lusitanorum Regum præclara gesta.

plurima intulerunt: & quod claræ memoriæ Dionyſius Rex Portugalliæ genitor tuus, qui inter progenitores ipſos fuit in agendis circumſpectiſſimus, & feruentiſſimus dictorum hoſtium perſecutor, conſiderans, quod dictum regnum Algarbij eſt in frontaria dictorum hoſtium conſtitutum & vicinum eiſdem, & quod per homines in actibus bellicoſis maris expertos ipſi hoſtes per mare cũ galeis & alijs vaſis naualibus opportunis poterant melius, quam alias impugnari, & damna eis inferri etiam grauiora; de remotis partibus quendam in mari & maritimis bellis expertum ad regna prædicta venire fecit, eumque cum maximis ſtipendijs admiratum ſuorum regnorum conſtituit prædictorum, qui galeas & alia vaſa naualia opportuna conſtruxit, & gentes dictorum regnorum in actibus ad bellicos apparatus marinos pertinentibus per eorum exercitium ſic fecit audaces & expertos, quod vix poſſet ad actus huiuſmodi gens aptior reperiri non ſolum ad defenſionem dictorum regnorum, ſed impugnationem virilem hoſtium eorundem; quem admiratum præfato genitore tuo ſublato de medio, tecum tenuiſti, & ipſum amplius honoraſti, ac per eum & gentes tuorum regnorum dictis hoſtibus tam per mare quam per terram damna quamplurima grauia intuliſti: quodque, licet ille profanus & blaſphemus Rex Agarenorum de Benamarin, inter Reges blaſphemos Saracenorum potentiſſimus, territus ex premiſſis, cum pridem ad perſecutionem et exterminationem orthodoxorum fidelium citra mare ad partes Hiſpaniarum cum cateruis bellatorum infidelium innumerabilibus transfretauit, tibi per ſuos nuntios & literas diuerſa munera, promiſſiones, ſubſidia, & ſecuritatis obſides obtuliſſet, ſi chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Alfonſum Regem Caſtellæ ac Legionis illuſtrem tuum nepotem non iuuares; tamen tu præmiſſa omnino reſpuens, & more dictorum progenitorum tuorum ipſorum ſequendo veſtigia, ſanctæ matris eccleſiæ ac totius populi Chriſtiani & eiuſdem fidei cupiens iniuriam tantam repellere, ac velut Chriſtianiſſimus princeps & fidei eiuſdē athleta ſtrenuus obuiare vaſtitati Chriſtianæ fidei, tũc ex dicti blaſphemi & nefandi Regis potentia in illis partibus imminenti, ad reprimendam hoſtium ſæuitiam prædictorum vna cum dicto Rege Caſtellæ expoſuiſti patenter perſonam & bona tua pariter & ſubiectos; ita quod tu & dictus Rex Caſtellę, vobis Dei auxilio, cuius agebatur negotium ſuffragante, de dictis hoſtibus, ſicut eſt toti mundo notorium, viriliter & feliciter triumphaſtis, infinitis ex dictis hoſtibus, qui ad exitium Chriſtianorum furentis & iniqui propoſiti armauerant voluntatem, in ipſo triumpho in ore gladij interemptis, & multis ex eis captis ac reductis in perpetuam ſeruitutem.

De Dionyſio Rege.

Conflata ab eo claſſe.

Vt mariti ma arte excellere cœperint Luſitani.

Tentatus munerib⁹ ab Afro Luſitanus

Iis repudiatis, Caſtellano ſe adiunxit.

Quare præfati ambaſſiatores & nuntij nobis ex parte tua deuote & humiliter ſupplicarunt, vt cum tu velut feruens zelo fidei orthodoxæ tam proſpera & prognoſtica ſpei bonæ initia, quæ de triumpho huiuſmodi ſucceſſerunt, aduerſus hoſtes prædictos nefandiſſimos ad diuini nominis laudem & gloriam, & fidei exaltationem ac dilatationem eiuſdem toto poſſe ſis diſpoſitus proſequi in futurum; tuque in proſecutione huiuſmodi Dei & fidei orthodoxæ negotij cum dicto Rege Caſtellæ iam facta multa ſubieris onera expenſarum, & maiora te ſubire oporteat pro proſecutione ipſius in poſterum facienda, ad quam ſupportationem tui ærarij non ſufficiunt facultates; tibi decimam omnium prouentuum eccleſiaſticorum regnorum & terrarum tuorum cum prędicatione crucis, ac indulgentijs ſolitis concedi transfretantibus in ſubſidium terræ ſanctæ, concedere de benignitate apoſtolica dignaremur.

Poſtulata ab eodem ſubſidia.

5 Nos igitur tuum pium & laudabile propoſitum diligentius attendentes, huiuſmodi ſupplicationibus eo libentius annuendum fore prouidimus, quo huiuſmodi negotium (quod te ad laudem Dei, & pro ipſius orthodoxæ fidei palmitibus dilatandis aſſumere & promouere confidimus) apoſtolici fauoris fulciendum & iuuandum præſidijs vtile ac expediens exiſtimamus; & propterea premiſſis attenta conſideratione penſatis, ac deliberatione ſuper ijs cum fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus præhabita diligenti, ſupplicationes tuas huiuſmodi ad exauditionis gratiam duximus admittendas. Prædicationem ſiquidem crucis in omnibus regnis; comitatibus, atque terris, tuis dominio ac ditioni ſubiectis, per venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Bracharenſem, & alias perſonas eccleſiaſticas, ſeculares & regulares ad id idoneas, per eundem archiepiſcopum deputandas, tam contra dictum Regem de Benamarin & quoſcumque alios crucis hoſtes ſequaces ipſius, quam contra Regem Granatæ cæteroſque blaſphemos obloquentes, ſiue ipſos Reges blaſphemos contra te & regna tua ſeu terras tuas, ſiue te non ſolum regna & terras tua prædicta defendendo, ſed etiam regna & terras eorum inuadendo ſeu impugnando, guerram mouere contigerit contra eos, fieri concedimus biennali tempore infraſcripto; ita quod in dictis regnis & terris ac dominijs tuis proponatur ſolemniter verbum crucis, & inibi venerabile ſignum eius tuis & aliorum fidelium, in regnis, comitatibus, terris, & dominijs prædictis conſiſtentium illam deuote ſuſcipere volentium, humeris per eos, qui ibidem proponent verbum huiuſmodi, affigatur, vt prædictum negotium contra præfatos Reges balſphemos & ſequaces eorum viuificæ crucis muniti ſignaculo, te dictum negotium aſſumente, ſeruenter aſſumant, teque illud proſequente viriliter proſequantur, cum indulgentijs expreſſis in alijs noſtris literis confectis ſpecialiter ſuper prædicatione & indulgentijs ſupradictis, &c.] Decreuit redigendas in ſumptus bellicos ſubſidiarias ſacerdotiorum decumas biennales: tum nonnullis pactionibus pro re ſacra amplificanda Luſitanum adigit de coercendis excurſionibus barbarorum, ne fideles in ſeruitutem abripiant, excitandis in locis, quæ eripientur Saracenis, eccleſijs vectigalibuſque donandis, vt diuina peragantur, de cohibenda Mahumetica ſuperſtitione, de pendendis ſacerdotibus decumis: quarum pactionum formula ijſdem verbis omnino concepta eſt, atque ea, quam alias in literis ad Caſtellanum & Aragonem Reges datis, cum de ſacra in Mauros expeditione ducenda agerent, allatam vidimus a. *Dat. Auin. 11. kal. maij anno VII.*

Admiſſa eius pręces.

Indicta Pont. c ceata p litia.

Attribu tę bienn les decu mæ.

a To. 2 ann. Chr 1328. n 77. 78.

6 Furebant ex acceptæ ad Salſum flumen ignominiæ dolore Saraceni, inaneſque profundebant minas. Quos Alfonſus Caſtellæ Rex, antequam ſeſe ex clade colligerent, proterere conſtituit; de quo hæc rerum Hiſpanicarum auctor b: *Ineunte ſalutis anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo Corduba, quo copiæ militares conuenire iuſſæ erant, in Granatenſes fines irrumpitur arte, quam viribus: victoria glorioſior. Præmiſſæ naues aliquot commeatu onuſtæ Malacam inuadendi ſpe-*

b Mar. l. 2 c. 9. Sur. c. 57.

Irruptio in Mauros fit.

speciem præbuerunt. Mauricis copijs ea vrbe munienda occupatis, Rex Alcalæ regiæ agros improuisus inuasit augusti XXVI. die: oppidum deditum, oppidani salutem pacti dimissi incolumes. Magno id hostium dolore accidit, sua se opinione delusos considerantium. Eo oppido capto Priegbum, Rutes, Benamexillum aliaque oppida & arces eo tractu: pars vi, pars deditione in potestatem venerunt. Victoribus omnia prona erant, Mauris aspera... Copiæ in hyberna reductæ, præsidia tantum opportunis locis disposita: finibus tutandis classi imperatum, vti fretum insiderent, Afrosque transitu arcerent. Felices progressus aduersus Granatenses initos, expugnatasque vrbes atque a Mahumetica superstitione vindicata loca, restitutaq; religioni Christianæ, significauit Pontifici Alfonsus Rex, quem ille iterum meritis ornatum laudibus ad excindendam Saracenorum pestem ex Hispanijs, ac bella Domini gerenda strenue inflammauit a.

Captæ vrbes.

Compara ta in freto classis.

a To. 7. ep. fuer. 185.

Charissimo in Christo filio Alfonso Regi Castellæ illustri.

Gratulatoriæ Pontificis ad Castell. Regem literæ.

7 Aduenerunt nobis in gaudij, & exultationis augumentum prosperi & lętabundi rumores per tuas, fili charissime, literas quas iucundo recepimus animo, nunciati: describebat namque delectabiliter earundem series literarum..., qualiter cœptum olim feliciter per tuam regalem magnificentiam orthodoxæ fidei negocium aduersus hostes Christi & feroces inimicos nominis Christiani pridem, aduenięte vernalis opportunitate temporis, tuisque adunatis regijs subditis & fidelibus, in virtute potentiæ diuinæ resumens, & hostes ipsos aggressionibus intrepidis viriliter & potenter expugnans; tandem post diuersos insultus bellicos, & discrimina personarū varia, villam de Alcala de Abencayde, ac subsequenter castrum de Locouin, distans per leucam vnam a villa prædicta, loca vtique inter alia cismarinarum partium per Saracenos detenta, fortissima, & quasi inexpugnabilia, diuinæ virtutis assistente tibi dextera, per armorum obtinuisti potentiam de cultorum manibus perfidi Machometi: & expulsa de illis Saracenica fœditate, loca ipsa Christiano cultui ad laudem & gloriam diuini nominis reddidisti, hanc tibi datam diuinitus victoriam non de tuis vel tuorum viribus, sed potius de manu Domini recepisse humiliter profitendo.

Nos igitur ex ijs lętitiæ spiritualis rore... perfusi, pro tantis beneficijs non solum tibi, fili dilectissime, sed assistente tibi auxilij cœlestis virtute, per te toti Christianitati collatis, ei a quo hæc & alia cuncta bona procedunt, labiorum... vitulum, in humilitate ac deuotione spiritus exoluere non cessamus: instantes nihilominus deuotis interces sionum orationibus apud eum..., vt ipse, cuius geritur in parte negocium, quique tecum clementer dignatus est hactenus operari, manum directricem & adiutricem non retrahat; sed ad dilatandam in partibus illis fidem catholicam, & extirpandam exinde Agarenorum infidelium sectam abominabilem, super te tuosque... fideles, tecum in eodem negotio fideliter laborantes, gratiam vberiorem fuæ benedictionis infundat. Demum tuam rogamus regiam magnificentiam in Domino & hortamur, quatenus dona gratiarum innumera, quæ tibi, præsertim circa præmissa, contulit Altissimus (ex quibus non... parum apud eum tua creuerunt merita, & fama tui nominis & honoris extitit dilatata per orbem) diligenti consideratione præmeditans; & etiam... diligenter attendens, quod Veritas coronam gloriæ perseuerantibus repromittit, dum Deum tibi sua misericordi pietate adesse propitium, & tecum sentis tanquam fortem bellatorem pugnantem, negotium huiusmodi forti & robusto animo, ficut tibi tui generis inclyta prosapia ingerit, tanquam princeps magnanimus & athleta Christi strenuus constanter & intrepide prosequaris, anchoram spei tuæ figens in ipso, & sibi qui de cælo dimicans multos in paucis nouit concludere, robur cuiusque fortitudinis & potentiæ, sicut hactenus dignoscens laudabiliter fecisse, ascribens; ita quod ex amplioribus tuis meritis, maiora tibi felicitatis æternæ compares præmia, & in mundo fama tui nominis incrementis felicioribus iugiter augeatur. *Dat. Auin. VI. kalend. octobris anno VII.*

Ad cœpta vrgenda hortatur eum Benedictus.

Finitimi Reges ad sacri belli societatē vocati.

8 Solicitauit finitimos Reges ad coniungenda in Saracenos arma Alfonsus Castellæ & Legionis Rex. Et quidem missos ea de causa ad Petrum Regem Aragonum oratores, refert Surita a: hunc vero enatas inter Philippum Regem Francorum & Iacobum Regem Balearium discordias, vt a sociandis viribus se excusaret, prætexuisse... Cum enim Philippus Rex Balearem vrgeret b, vt Montispessulani, Omeladesij, & Carladesij principatum more maiorum Gallicæ aulæ beneficio & auctoritate acceptum solemni ritu agnosceret, is Philippum ipsum Anglico implicitum bello intuitus, cum ab Anglo ad noua fœdera vrgeretur, tum ex animi elatione vt antea Regi Aragonum fidem præstare diu respuerat, ita postea supremum in ijs terris Gallorum dominatum agnoscere recusabat, Aragoniorum maxime fretus potentia... Traxit vero in suas partes Gallus Aragonium, cui exposuit arrogantiam principis, vtque is cum Aragoniorum iugum excutere meditaretur, a Gallis nulla auxilia impetrare potuisset. Censuit itaque Petrus Rex Aragonum, in Iacobum haud tacita... indignatione suffusus ob superiores in se cōflatas coitiones (cum maxime illū ad pacem cū Philippo flectere nunquam potuisset) vicem reponēdam, ac Balearis clientela abstinendum: atque ita Philippus Rex Montempessulanum, Omeladesiam..., & Carladesiam ad Gallicam coronam, damnato perfidiæ ac perduellionis Iacobo Rege Baleari, reuocauit: atque Aragonius non modo non aduersus Gallos, sed in Iacobum ipsum plura nouantem, arma conuertit, cum responderet illi auxilia flagitanti, Saracenico distineri se bello: Castellano vero in iuuando Iacobo ad principatum auitum e Gallorum manibus vindicandum... occupari.

b Cap. 54. 55. Balearis a Gallo deficere parat.

Montispessulani principatu deturbatur.

9 Implorabat etiam Castellanus Philippi Regis Francorum auxilia, seque vnum sustinendis immanibus Saracenorum, fidem Christianam extinguere molientium, conatibus imparem esse... querebatur: comparari ab impijs maiores copias, ac rei Christianæ, ni bellum cum Anglo componeret, iniretue inducias, exitium imminere. Assensit iustis Castellæ & Legionis Regis petitis Philippus, ac diploma regium vel ad fœdus firmandū, vel ad inducias diuturnas coeundas dedit: de quibus certiorem Pontificem fecit c, sibique a sorore Hannoniæ comitissa sanctimoniali, cuius operam in conciliandis inter fratrem, ac generum Reges feliciter collocatam vidimus, relatum hostes Gallici nominis etiam ad arma contra barbaros socianda paratos, si bella suscepta remoueri possent.

Castellanus Gallum Anglumque ad hare nititur.

Fit certior de ea re a Gallo Pont.

c Apud Bened. to. 7. ep. secr. 240.

Sanctissimo patri in Domino Benedicto, diuina

pro.

prouidentia ſanctæ Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, &c.

Regiæ ad eund. literæ.

Magnificus princeps Alfonſus Rex Caſtellæ & Legionis, conſanguineus noſter chariſſimus, nuntios ſuos pridem ad noſtram preſentiam deſtinauit, qui nobis ex parte ipſius certius retulerunt, quod Saraceni & alij increduli & aduerſarij fidei Chriſtianæ congregabant magnum exercitum & ferocem ad inuadendum & deſtruendum regna, terras, & loca dicti conſanguinei; ſubſequenter etiam totam Chriſtianitatem exterminare ferocius comminantes. Quod diſplicenter audiuimus, & referimus condolenter: & exinde non immerito moti fuimus ad compaſſionis affectum, grandia conſiderantes pericula, quæ ex hoc poſſunt toti Chriſtianitati præfatoque noſtro conſanguineo prouenire. Nobiſque præfati nuncij ex parte dicti conſanguinei ſupplicarunt, vt eidem in tali & tanto totius Chriſtianitatis negotio vellemus ſuccurrere, & de competenti & opportuno auxilio celeriter prouidere: & vt facilius pro dicto negotio nos & alij Chriſtiani hoc adimplere poſſemus, ad bonam pacem, vel ſaltem ad treugarum prorogationem competentem cum inimicis noſtris habendam vellemus intendere, ac etiam inclinari. Et vt præfato Regi & toti Chriſtianitati in præmiſſis promptius ſuccurratur, præfatis nuncijs dicti Regis Caſtellæ recipiendi infra regnum noſtrum terminum competentem ad tractandum de pace, vel recipiendum longas treugas inter nos et Regem Angliæ alligatoſque ſuos per literas noſtras patentes plenariam poteſtatem, dolentes quia occupati in guerris noſtris tam ſancto et fauorabili negotio, nos et totam Chriſtianitatē tangente, non potuimus, vt deſiderāter appetimus, fauorabilius et liberalius nosofferre.

Gallus ad pacem inclinat.

Inſuper, pater ſanctiſſime, chariſſima ſoror noſtra comitiſſa Hannoniæ nouiſſime nobis ſcripſit, quod inimici noſtri et æmuli ad defenſionem Chriſtianitatis contra præfatos infideles diſponerent ſe libenter, ſi ceſſarent impedimenta guerrarum. Ad quæ veſtræ beatitudini referenda dilectos et fideles conſiliarios noſtros epiſcopum Claromontenſem et Raimundum magiſtrū requeſtarum noſtri hoſpitij deſtinamus. *Et infra*: Plene de veſtræ confidimus beneuolentia ſanctitatis; quam dignetur per multos annos feliciter conſeruare Altiſſimus eccleſiæ ſuæ ſanctæ. *Script. apud ſanctum Germanum in Laya xxvi. die maij. Humilis filius veſter Rex Franciæ.*

Mittit oratores ad Pont.

Extractæ Gall. inter & Angl. inducię. *aVvalſin. in Eduar. II. & alij.*

10 Extractas [a] inducias Philippum inter et Eduardum pontificia opera, referunt hiſtorici, ijſque Scotos comprehenſos, quo Saracenorum retundi impetus poſſent. Inſtitit etiam apud Pontificem Francorum Rex ferendarum [b] Regi Caſtellæ ſuppetiarū deſiderio, quo Flandrico bello liber eſſet, vt edicta apoſtolica olim in Belgas lata reſcinderet, blanditijs enim illos ſe allecturum ad officium ſperabat. Pollicitus ipſis fuerat in caſtris apud pontem Bouinenſem defixis ſuperiori anno menſe ſeptembri, dum nimirum inducias cum Eduardo pactus eſt, ſe auctoritatem ſuam apud ſedem Apoſtolicam adhibiturum, vt cenſuris ſoluerentur; decretaque pontificia, quibus anathematis religio ijs, ſi a Gallorum Regibus deſciſcerent, obiecta erat, conuellerentur: tum etiam omnibus huiuſmodi diplomatibus ac priuilegijs abrenunciarat, et excurrente octo dierum ſpatio illa ſe traditurum obſtrinxerat: qua de re extant in pontificio regeſto regiæ literæ [c]. Cum vero Flandriæ comes ac populi ſuos ad ſedem Apoſtolicam miſiſſent oratores, vt conciliarentur eccleſiæ, vtque edicta ſuperiorum Pontificum ad vinciendam fluxam illorum fidem lata diſſoluerentur, ex pactis cum Gallo Rege initis flagitarent, Pontifex vt illos rite in gratiam admitteret, ab oratoribus expetijt a, an ij, reſciſſis edictis memoratis, in Regis Francorum fide ſtare decreuiſſent; reſpōdere periculum capitis ſe ſubituros, ſi ad hæc reſponderent. Quibus ſubiecit Benedictus, ſe æquitatis legibus ad præterita acta & decreta, quibus cenſuræ Belgis, ſi rebellarent, incuſſæ erant, labefactanda adduci non poſſe, cum ad ipſorum preces edita eſſent, temporiſque vetuſtate confirmata: eam rem trahere ingentia pericula, ſi ita facile ſacramenta violare iuratamque principibus fidem infringere liceret: rite etiā cenſuris eos liberari non poſſe, dū rebellionis non pœniteret, atque apoſtolica illa edicta temerarent. De quibus fecit Philippum Regem Francorum certiorem. Is tamen, ne in inuidiam violati promiſſi a Flandris adduceretur, Petrum e Cunerijs ac Simonem e Buciano oratores [b] ad ſedem Apoſtolicam legauit, qui Benedictum ad remittendam in Belgas ſeueritatem permouerent ac literis iterum iterumque perurſit [c]. At Pontifex ne a iuſtitiæ tramite deflecteret, Philippo reſpondit, Belgas dum in priſtina contumacia obdureſcerent, cenſuris ſolui non poſſe: at ſi rediret ad officium, & in regium procumberent obſequium, mox ſe illos apoſtolico ſinu complexurum.

De liberā do cenſuris Belgio actum.

a Exc. ib. ep. 229.

b Ibi. p. 240.

b Ibi. p. 241.

c Ext. ib. ep. 238. 244. & 245.

11 Conciliata eſt pontificia opera inter Cameracenſem epiſcopum, & Hannoniæ comitem partiumque illius Ioannem Hannonem patruum concordia: ex qua Philippus Rex Francorum, quem præſidio firmiſſimo magniſque operibus eam vrbem aduerſus Angliæ Regem antea accepta epiſcopi clientela muniuiſſeq; hoſtem repuliſſe vidimus, iura ſua lædi ſuſpicatus, has querelas apud Benedictum fudit. [d]

Sanctiſſime pater.

Intelleximus magnificum Henricum comitem Hannoniæ a veſtra ſanctitate abſolutum, atque ab illius terris interdictum amotum. Et quidem credimus, ſi ſe eccleſiæ ſubmiſerit, criminaque ingentia patrata expiarit, grauem veſtræ ſanctitati eius rei rationem non defuiſſe: at vero accepimus, in tractatu concordiæ inter eundem epiſcopum, comitem, & capitulum Cameracenſe ſtatutum ab ipſa fuiſſe, & quemadmodum ſæpius comes noſtris militibus præſidiarijs dixit, pellendos eſſe Cameraco, nec amplius admittendos: qua de re, cum ſingulari regnum noſtrum ſtudio complectatur, admodum miramur. Scit veſtra ſanctitas, rogantibus epiſcopo, decano, et capitulo eccleſiæ & ciuibus Cameracenſibus, nos miſiſſe magno numero & ſtipendijs milites præſidiarios ad vindicandam ab imminenti exitio dictam ciuitatem, adeo vt ex hoc veſtræ ſanctitatis facto vtilitas ad hoſtem, ad nos incommoda & dedecus deriuarentur. Quare prouideat, vt ſperamus facturam: ita enim comitem & alios hoſtes Franciæ Cameracenſi agro in regnum noſtrum poſſent irrumpere, grauiaque mala inuehere eius vrbis opera, quam noſtris ſumptibus magnis operibus communiuimus, &c. *Dat. Pariſijs xiv. die decembris. Deuotus filius veſter Rex Franciæ.*

d Ext. ib. p. 248.

De pellendis Cameraco Gallis actum.

Queritur de ea re Gallus.

Iniuſte has querelas fundebat [e] Philippus Rex, cum non ſanxiſſet Pontifex, vt præſidiarij milites Galli eijcerentur Cameraco; ſed ne vtrinque

e To. 7. ſecr. 249.

que copiæ ad excursiones in vicinos agros agendas contraherentur: ad tutandum tamen Cameracum præsidium militare teneri posse, pronuntiatum fuerat. Respondit itaque IV. non. ianuarj insequentis anni Pontifex, in ijs pacis legibus ipsius iura non violari: *Nec de te, fili amantissime, aut personis alijs, quas dictum non tangit negotium, mentio facta fuit: nec insuper de ciuitate prædicta Cameracensi, cum communitas & ciues ipsius procuratorem non miserint, aliquid tactum extitit in reformatione prædicta; nisi quod, si communitas & ciues ipsi vellent adhærere cum eisdem episcopo, decano, & capitulo reformationi pacis iam dictæ non ad offensionem comitis & patrui sui prædictorum, aut terrarum subditorum eorum, sed pro defensione sua, possent habere gentem armigeram & tenere, &c. Dat. IV. non ianuarij pontificatus anno VII.*

Satis fit ipsi.

Quid de præsidiario militie decretum

12 Absterſit quoque a ex eiusdem Regis animo suspicionem sinistram, quam conceperat animo, Pontificem conatum, Regem Castellæ ab illius studijs abalienare. Cui respondit Benedictus, non modo non meditatum se coniunctionē illam animorum, quæ inter ipsos intercedebat, discindere; verum etiam augere magis ac fortius astringere annisurum. Beneficiorum, quæ ab Apostolica sede acceperat immemor b Philippus Rex fœdus inconsulto Rom. Pontifice cū hoste ecclesiæ nimirum Ludouico Bauaro fecerat, antequam censuris solueretur: vtque suspicax est mala conscientia, Benedictum iniuriam vindicaturum verebatur.

a To. 7. ep. secr. 247.

Phil. intō sulta eccle sia fœdus init cum Bauaro, b Ep. 243.

Ludouicus igitur, vxore sua eademque Philippi Regis nepte intercedente, Gallo se coniunxit; cum maxime Eduardus promissas pecunias, quas erat pactus, ei non dedisset: tum id etiam ignominiæ verteretur, vt qui gerebat imperium, a Rege stipendia acciperet. Abrogauit itaque Eduardo Bauarus Germanici imperij vicariam præfecturam, atque inducias ad Tornacum cum Francorum Rege initas se inconsulto ad firmandum cum ipso fœdus obtendit: paratum se tamen obtulit, si Anglus arbitrum controuersiæ deligeret, operam se ad cā conciliandam collocaturum: Philippum Regem eā sibi auctoritatem, tū ad annuas biennalesue inducias ineundas cōtuliſſe. Quę literæ a Vvalsingamo afferuntur c: tū aliæ Eduardi, quibus queritur, pristina dissoluta fœdera: in Tornacensi quidem obsidione consulere Bauarum non potuisse in pacisendis inducijs, cum a fœderatis principibus ad eas adactus fuerit: sui tamen fuisse consilij pacem cum Philippo, nisi ipso consulto nunquam inire: sua vero ad Gallicum sceptrū iura ambiguo iudicio nolle committere. Inter cæteras porro fœderis cum Bauaro initi leges ea præcipua extitit, vt Philippus, qua florebat gratia & auctoritate apud Pontificem, ad perficiendam Bauari reconciliationem incumberet. Suos itaque Galliæ Rex misit ad sedem Apostolicam oratores, qui hunc libellum d Benedicto porrexere.

Ludouic° ab Angli fœdere di scedit.

c Vvalsing in Eduar. III.

Pro Lud. ecclesiæ conciliando Gallus operam adhibet. Oratores ad Pont. mittit.

d Ext. apud Bened. to. 7. ep. secr. 242. Libellus ab ijs Benedicto porrectus.

Credentia nunciorum Regis est, quod Rex Franciæ protestationibus primitus per ipsum factis in Gallico ore proprio, & postea de præcepto suo factis in Latino per cancellarium suum, & acceptatis per nuncios Bauari, quod non intendebat nec intendit aliquid promittere contra sacrosanctam ecclesiam seu eius statum, contra sanctissimum patrem summum Pontificem seu eius statum, contra reuerendos patres dominos Cardinales, seu alias quascumque personas ecclesiasticas, seu ministros ecclesiæ; sed potius eos tueri & defendere contra quascumque personas: promisit Bauaro, quod erit sibi bonus, verus, & fidelis amicus ad promouendum & procurandum erga ecclesiam & sanctissimum patrem nostrum reconciliationem suam. Et ex parte dicti Regis deuoti filij sui supplicant dicti nuncij domino nostro summo Pontifici, quod non credat deuotum filium suum Regem Francorum feciſſe aliquas promissiones contra personam suam, sacrosanctam ecclesiam, ac eorum statum, licet forte alia ab aliquibus fuerint relata, vt dicitur. Supplicant etiam sanctissimo patri, quod ipse, saluo honore ecclesiæ, gratiose velit vacare ad reconciliationem prædictam intuitu & ad preces deuoti filij sui Regis Franciæ prædicti; cum infinitæ animæ in via periclitationis existentes per istam reconciliationem reduci poterunt ad salutem.

13 Auditis Francorum Regis oratoribus, Pontifex se desiderio teneri conciliandi cum ecclesia Ludouici respondit a, si ad promerendam illius gratiam & commissa crimina rite expianda se compararet. Damnauit vero Philippi cum eo nondum soluto censuris, hæreseos & schismatis nota affecto, edictisque apostolicis defixo, initum fœdus: ipsumque Regem perstrinxit monita apostolica spreuisse: non respondisse mutuis studijs: desciuisse a maiorum gloria, qui hæreticos & schismaticos insectari, non cum ijs fœdera coire, consueuissent.

Benedicti responsū. a Eod. to. 7. ep. secr. 243.

Benedictus, &c. Philippo Regi Francorū illustri.

Non sufficimus admirari, quod cum (sicut notorium est toti mundo, & processus apostolici dudum, præsente multitudine copiosa fidelium, solemniter habiti, & ex superabundanti per diuersa mundi climata publicati, manifestius attestantur) Ludouicus prædictus hæreticus ac schismaticus, ac de hæresi & schismate sententialiter & publice condēnatus, ac profanus & crudelis aduersarius, persecutor & hostis ecclesię sanctę Dei; fautor quoque, receptator, & defensor hæreticorū & schismaticorum hucusq; extiterit, in suis damnatis hęresibus, ac hęreticorū et schismaticorū ipsorum fautoria, receptatione, ac defēsione obstinato, proh dolor! animo dānabiliter perseuerans; aliquis, qui sacræ scripturæ ac canonum, zelumque veritatis catholicæ habuerit, ausus fuerit asserere, tibique consulere vel quomodolibet suadere, vt cum homine hæretico & schismatico publice sic damnato, adhucque vt videtur in suis hæresibus & schismatibus perdurante, antequam vnitati reconciliaretur ecclesiæ, posses absque propriæ salutis & honoris detrimento amicitias & confœderationes inire: cum illa, quæ de sua natura mala sunt & damnata, nunquam valeant licite fieri bono fine.

Corripitur Phil. ob initū fœdus cū Bauar.

Nec minus cogimur admirari, quod tu, fili, absque nostra & Apostolicæ sedis licentia & voluntate processeris ad præmissa; immo contra persuasionis nostræ consilium. Quod si secundum æquitatem attenderentur, quæ circa negotium dicti Ludouici per nos tuæ considerationis intuitu, & cum tua scientia & voluntate, vt nosti, continue facta sunt hactenus, non videbatur sic transgrediendum faciliter, vel etiam contemnendum: & maxime cum ex his tua non credantur verisimiliter prosperari negotia, & magnam nihilominus maculam non faciliter abolendam, sicut ab alijs asseritur, per te circa negotium huiusmodi sit processum, posueris in gloria tui nominis & honoris. Nam, sicut dolentes & tristes audiuimus, iam mundus incipit crebris de-

Non cōsuluisse ipsum in ea re ecclesiam.

tractorijs obloçutionibus multipliciter murmurare, abominabiliter quodammodo, ſicut aſſeritur, proclamando alias eſſe inauditum a ſeculo, quod principes Chriſtianiſſimi inclytæ domus Franciæ cum hæreticis & ſchiſmaticis, quos zelo fidei orthodoxæ accenſi perſequebantur & fugabant, ac eos etiam audire nominari horrebant, cõtraxerint quomodolibet amicitias vel fauores. [Hęc vtinam perpenderent recentiores politici.]

Cæterum quantum dicta credentia reconciliationem prædictam contingit; prouidimus reſpondendum, quod ſi Ludouicus præfatus ad mandata noſtra & eccleſiæ cum effectu voluerit ſecundum iuris formam redire, nos qui conuerſionem ipſius & aliorum omnium, quos ab ouili dominico, extra quod non eſt alicui gratia neque ſalus, ſeparari procurauit aſtutia diabolica, feruentibus deſiderijs affectamus, parati erimus eum, prout ſtatuta volunt canonica, recipere ad prædictam reconciliationem dumtaxat; ac prout eius obedientiæ, contritionis, & pœnitentiæ ſigna vera prætenderint, proſequi & tractare, &c. *Dat. Auin.* IX. *kal. maij pontificatus noſtri anno* VII.

Receptũ iri Lud. ſi ad Apoſt. ſedis obſequia rediret.

14 Refellendus ex his Albertus Argentinas [a], qui dum Philippum Regem Francorum interceſſiſſe pro Ludouico Bauaro conciliando apud Benedictum ait, puerile reſponſum inepte affingit, nulla tantę rei allata ratione, quam nolle iam Apoſtolicam ſedem admittere in gratiam Ludouicum, cum Philippus velit; quandoquidem reſtitui tum gremio eccleſiæ noluerit, cum ipſa voluit: abhorret enim a rei veritate Ludouicum alterius, quam ſua culpa & inconſtantia, vt toties teſtatum vidimus Pontificem, non admiſſum: atque etiam tum Benedictus paratiſſimus ad ſoluendum cenſuris Ludouicum erat. Porrexit illi prævaricandi anſam impudica fœmina Margarita ducisſa Charinthiæ, Ioannis comitis Tirolenſis Regis Boemiæ ſecundi natu filij vxor, quæ ob nullos ex viro ſuſceptos liberos virginem ſe apud Ludouicum iactare auſa eſt, atque impotentiæ & frigiditatis virum accuſare, vt ſoluto eo matrimonio Ludouicum Bauari maiorem natu filium dictum marchionem Brandeburgenſem adulterum acciperet. Audita ſceleris fama, Benedictus Bertrando patriarchæ Aquileienſi partes dedit [b], vt ſi relicto viro Charinthiæ ducisſa Ludouico iuniori Bauaro, non pronuntiata ab eccleſia diuortij cum Ioanne Tirolenſi comite ſententia, matrimonio coniugari meditaretur, illam intentata cenſurarum religione ab ſcelere deterreret, moneretque vt marito adhæreſceret: at ſi prorueret in flagitium, ſeque auctoritate ſua ſegregaret a viro, et cum Ludouico iuniori vel alio matrimonium ſcelere contraheret, adulteros coniuges, & quoſcumque illorum in eo ſcelere ſtudioſos anathemate defigeret. Quæ imperia IV. kal. decembris huius anni patriarchæ data: hiſque emendes auctores, qui eiuſmodi Margaritæ duciſſæ diuortium, plurium bellorum originem, in aliena tempora retulerunt.

Refellitur Argentin. [a] *Argentin. in chron.*

[b] *To. 7. ep. ſecr. 213.*

Intentatæ Ludouico iuniori cenſuræ.

15 Non retardarunt Ludouicum Bauarum ſeniorem incuſſæ cenſurę eccleſiaſticæ: ſed qui Margaritam ad mariti thorum repetendum hortari debuerat, ſuæ oblitus ſalutis, Charinthiæ inuadendæ cupiditate duciſſam inuito filio coniugem, vel adulteram potius, dare non perhorruit [c]; immo pontificalem, ad quam cognoſcendi de matrimonijs, eaque, explorata certiſſimis argumentis cauſa, dirimendi ob coniunctum ſacramentum munus ſpectat, auctoritatem inuaſit, ac de coniugio reſcindendo Margaretam duciſſam inter & Ioannem comitem Tirolenſem, ſententiam a tulit, quæ in additionibus ad Rebdorfium extat. Tanto facinori aliud adiecit. Obſtabat lex canonica de gradibus conſanguinitatis, ne filio Ludouico, quem illa tertio attingebat gradu, matrimonio iungi poſſet, quæ non niſi a Romano Pontifice ſolui poterat: ſed ille, futilibus rationibus ſoluendorum in ea re ſacrorum canonum auctoritatem obtendens, diplomate [b] ſuo canonica impedimenta in ſpeciem diſſoluit. Ob quod atrox ſcelus Clemens Benedicti ſucceſſor illum nouo anathemate percuſſit [c], affecitque grauioribus pœnis. Hæc ſi Ludouicus facinora aduerſus pontificiam auctoritatem, dum eccleſiæ gratiam optare præſeferebat, non adepta imperij confirmatione patrare auſus; quid ab ipſo rerum potito expectare potuit Pontifex? Vt mirum videri non debeat, ſi data ab ipſo ſigna Chriſtianæ pœnitentiæ vana extitiſſe fuerit ſuſpicatus Pontifex.

[a] *Extat in addit. ad Rebdorf. & apud Goldaſt. in collect. conſuetud. & legum imper. & apud Heuuart. ad ann. 1341. n. 24.*

[b] *Extat in add. Rebd. & apud Goldaſt. et Heuuart. vbi ſup.*

[c] *Cle. VI. l. 6. an. 1. ep. cur. 24.*

Dubrau. hiſt. Boem. l. 21.

Soluendi leges canonicas ius atrogat ſibi Lud.

16 Gerente hæc Ludouico Bauaro ad regiæ Boemiæ ſtirpis depreſſionem, Ioannes Rex Boemus, metuens ne aliquæ ſeditiones poſt ipſius mortem oborirentur, ad anteuertenda diſcrimina de primogenito marchione Morauiæ Boemica corona cingendo conſilia ſuſcepit: cum maxime Henricus archiepiſcopus Moguntinus, ad quem regia inunctione perlinendi Boemiæ principis ius ſpectabat, Ludouici Bauari partium ſtudio a Romanæ eccleſiæ obſequio deſciuiſſet. Conſultus itaque ea de re Benedictus, archiepiſcopo Pragenſi ius auctoritatemque contulit [d], vt Carolum in eccleſia Pragenſi, aſſentiente Ioanne Rege, Boemico diademate inſignire poſſet.

Boemus de filio diademate cingendo cogitat.

[d] *An. 7. ep. com. 197.*

Venerabili fratri archiepiſcopo Pragenſi.

Nuper ad noſtrum fidedigna relatione peruenit auditum, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Ioannes Rex Boemiæ illuſtris, certis cauſis rationabilibus ſuadentibus, dilectum filium nobilem virum Carolum primogenitum ſuũ marchionem Morauię proponit in Regem facere Boemiæ coronari. Verũ quia coronatio & inũctio Regis & Reginæ Boemiæ, qui ſunt pro tempore, ad archiepiſcopum Maguntinum, qui pro tempore exiſtit, de antiqua & approbata conſuetudine dicitur pertinere; ac omnis iuriſdictio & auctoritas Henrici archiepiſcopi Maguntini (qui aduerſus Deum & ſanctam Romanam eccleſiam, a qua honores & beneficia multiplicia recepiſſe dignoſcitur, ſe obnoxium reddidit & ingratum) per proceſſus apoſtolicos, eius demeritis exigẽtibus, totaliter eſt ſuſpenſa, nec poteſt ipſius Regis propoſitũ ſine prouidentia ſedis Apoſtolicæ adimpleri; nos, qui bonum ſtatum Regis ac primogeniti prædictorum, ac regni Boemiæ diligimus & honorem, volentes in hac parte per ipſius ſedis prouidentiam opportunum remedium adhibere, ac de tuæ circumſpectionis induſtria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ, vt dictum primogenitum in Regem, & dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem Blancam ſuam conſortem in Reginam Boemiæ, ad hoc ipſius Regis accedente conſenſu, hac vice auctoritate apoſtolica inungere & coronare in tua Pragenſi eccleſia valeas iuxta conſuetudinem & ſolemnitatem in talibus hactenus obſeruatas, auctoritate prædicta tenore præſentium duximus concedendum. Per hoc autem eccleſiæ Maguntinæ & ſucceſſoribus eiuſdem Henrici archiepiſcopis Maguntinis, qui erunt pro tempore, in obedientia & deuotione no-

Spectabat id munus ad Mogunt. archiepiſcopum.

Transfuſum apoſtolica auctoritate ad epiſcopum Pragenſem.

noſtra & ſucceſſorum noſtrorum ac ipſius Romanæ eccleſiæ perſiſtentibus, nullum volumus impræmiſſis in poſterum præiudicium generari. Nulli ergo &c. *Dat. Auin. id. octobris anno VI.*

Renuntiatur idem liber ab imperio Mogũtini archiepiſc. a lib. ep. tom. 400.

17 Solutus eſt idem epiſcopus a Henrici Moguntini archiepiſcopi imperio auctoritateque cum is cenſuras edictis Ioannis XXII. intentatas Ludouicũ Bauarum Cæſarẽ agnoſcentibus contraxiſſet, dum publice illius partes omni ſtudio efferre conatus eſt: ſi vero ille eundem veluti ſuffraganeum ſuis vexare edictis moliretur, ea penitus irrita futura ſanxit.

Venerabili fratri epiſcopo Pragenſi.

Te ignorare non credimus, ſicut cunctæ fidei Chriſtianę prouincię nõ ignorant, proceſſus diuerſos & varios dudũ per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum contra Ludouicum de Bauaria, manifeſtum Dei & eccleſiæ inimicum, ac per ipſam eccleſiam de hæreſi condemnatum, exigentibus & excreſcentibus grauibus & notorijs eius culpis & exceſſibus, adueꝛſus Deum & vniuerſalem ſtatum eccleſiæ in cunctorum fidelium ſcandalum perpetratis, cum magna deliberatione & grauitate, cogente iuſtitia publice habitos & ſolemniter publicatos: quibus conſtat, eundem Ludouicum omni iure regali & imperiali, ſi quod ſibi competebat, fuiſſe priuatum. Nec etiam te latere credimus, quod idem prædeceſſor vniuerſis patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, aliiſque perſonis eccleſiaſticis quibuſcumque ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, & excommunicationis (quam eos incurrere voluit ipſo facto, niſi inhibitioni huiuſmodi efficaciter obedirent) duxit diſtrictius inhibendum, ne prædicto Ludouico tanquam Regi ſeu in Regem Romanorum electo ſuper ijs, quæ ad regnum vel imperium Romanorum aut eius regimen pertinerent, quouis modo parerent, adhærerent, vel intenderent, ſeu præſtarent per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, conſilium, vel fauorem: nec nomine regni vel imperij prædictorum aut dominij cuiuſuis per eum vſurpati in illis ei reſponderent, vel aliam ſatisfactionem ſub quocumque velamine impendere attentarent: quibus pœnis & ſententijs adeo ipſos ligari & aſtringi voluit & decreuit, ac ſi proprijs eorum nominibus nominati fuiſſent ſpecialiter & expreſſe. Quas quidem pœnas & ſententias Henricum archiepiſcopum Maguntinum metropolitanum tuum, eidem Ludouico tanquam Regi ſeu in Regem Romanorum electo in præmiſſis publice ac notorie parendo, adhærendo, & intendendo, ac præſtando per ſe & alios auxilium, conſilium, & fauorem, non eſt dubium incurriſſe.

Obiecta Moguntino defectio ad Ludouicum Bauar.

Cõtractæ inde cenſuræ.

Licet igitur ex prædictis proceſſibus prædeceſſoris eiuſdem, & pœnis contentis in eis credamus pleniſſime informatum, qualiter circa ipſum archiepiſcopum debeas te habere; tamen in ijs, quæ ſtatum tuum reſpiciunt et ſalutem, adijcere apoſtolicæ inſtructionis & iuſſionis inſtantiam vtile ac neceſſarium reputantes, fraternitati tuæ conſulimus, tibique per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus eidem archiepiſcopo, qui non ſolum indiſcrete, ſed etiam infideliter in præmiſſis ſe habuit & habet ad præſens, pœnis & ſententijs contentis in dictis proceſſibus propterea inuoluto, in nullo pareas vel intendas, nec per tuos ſubditos, quantum in te fuerit, parere vel intendi permittas: nam ſi talia faceres, quod abſit, eſſent a via ſalutis deuiatio & manifeſta periclitatio ſtatus tui. Et ſi forte idem archiepiſcopus in tantam prorumperet temeratiæ perſecutionis audaciam, vt ad parendum ſibi per ſe vel alium ſeu alios te quouis modo requireret vel vrgeret, tu memor apoſtolicæ doctrinæ omnino ſtudeas plus Deo quam hominibus obedire, in deuotione & fidelitate Romanæ eccleſiæ firma conſtantia perſiſtendo, ſicut hactenus te credimus perſtitiſſe. Nos enim omnes & ſingulos proceſſus, contra te vel ſubditos tuos communiter vel diuiſim per eundem archiepiſcopum, vel quemuis alium eius nomine, poſtquam fuit eiſdem pœnis & ſententijs inuolutus, forſitan ſuper hoc habitos, vel quos eum per ſe vel alium ſeu alios facere contingeret in futurum, ex nunc, donec ad vnitatem eccleſiæ redierit, caſſamus, irritamus, ac caſſas & irritas, prout ſunt, fore decernimus, ac nullius exiſtere roboris vel momenti. *Dat. Auin. x. kal. aug. anno VII.*

Vetitum Pragenſi ne illius imperijs obtempereꝛ.

18 Hoc anno tranſmiſit Ioannes Brabantiæ dux, quem Ludouico Bauaro adhæſiſſe vidimus, quique iniuſtis oneribus eccleſiaſticos oppreſſerat ſuos ad ſedem Apoſtolicam oratores, quibus ſe ad pontificia imperia paratiſſimum obtulit, & inflicta viris eccleſiaſticis damna ſe refecturum eſt pollicitus a. Cui Benedictus, commendatis eius officijs, apoſtolicum ſtudium ſpopondit b: *Cum ipſi nuntij*, inquit, *pro parte tuæ magnificentiæ inter cætera propoſita per eoſdem filialis deuotionis ſinceritatem, quam ad nos & ſanctam Romanam geris eccleſiam, placidis eloquijs recenſentes, nobis deuotius duxerint offerendum, quod tu tanquam filius benedictionis & gratiæ, noſtris & eiuſdem eccleſiæ beneplacitis cum operoſæ deuotionis affectu iugiter inhærere proponis: & nihilominus circa ea, quæ diuinum beneplacitum & tuam concernunt ſalutem animæ, ſtudijs ſedulis & deuotis intendens, eccleſijs & perſonis eccleſiaſticis infra diſtrictus terrarum tuarum conſiſtentibus, quæ per te vel tuos grauatæ hactenus fuerunt indebite vel oppreſſæ, optimæ ſatisfactionis ſubſidia impẽdere ac impendi facere benigno diſpoſuiſti animo, idq; iam pro parte in effectũ operis deducere incœpiſti, &c.* *Dat. Auin. III. non. iunij an. 7.*

Brabantini ad Põt. legatio.

a To. 7. ep. ſecr. 88.
b Ead. ep. Spondet illi ſua officia.

19 Soluti ſunt eodem anno omnibus cenſuris, quibus ob Ludouici Bauari & antipapæ, ac Matthæi & Galeatij Vicecomitum factiones ſe irretierant Mediolanenſes: quamuis enim iam ante eiuraſſent ſchiſma, & cenſuris rite ſolui eſſent iuſſi; obortæ tamen fuerant variæ difficultates, quæ rei exitum retardarant. Solemnes itaque iterum ad ſedem Apoſtolicam oratores tranſmiſere: quibus profeſſis Romanæ eccleſię dignitatem fidemque orthodoxam, ac ſacramento pollicentibus, nunquam Ludouicum Bauarum ante adeptam eccleſiæ, gratiam & regiũ decus ei confirmatum, venientem in Italiam, aut eius duces recepturos, veniam rite impertijt Benedictus, liberatoſque pœnis omnibus ob ea contractis priſtinis iuribus reſtituit. Ad expiandum autem commiſſum crimen iniunxit, vt ſuis ſumptibus ſacella duo ſancto Benedicto abbati ponerent, omnibuſque ornamentis & vectigalibus ad ſuſtentandos duos ſacerdotes, diuinis operaturos ſingulis diebus, inſtruerent: tum eleemoſynas duobus millibus pauperum, recurrente certo die, erogarent. Inſigne eſt hac de re in pontificio regeſto monumentum c, cui plura de alijs Italiæ populis, ad eccleſię gratiã redeuntibus, documenta publica conſentiunt, quę in molis Adrianę tabulario, et paſſim in M. S. collect. Platinę to. II. extant.

Mediolanenſes cõciliati eccleſiæ.

Impoſita ad crimẽ expiandũ pœna.

c An. 7. ep. cur. 33.

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

De missis ab ijs oratoribus.

20 Dilectis filijs Leone de Dugnano & Manfredo de Ieraczonibus de Mediolano iurisperitis, ambasciatoribus & nuncijs, necnon Guidolo nato quondam Benedicti de Calice ciuibus Mediolanensibus, procuratore & syndico communis & populi ciuitatis Mediolanensis, eiusque comitatus & districtus, & quarundam singularium personarum communis & populi prædictorum, in subscripto instrumento publico sindicatus, seu procurationis communis & populi prædictorum nominatim expressarum, pro infrascriptis exequendis ad nos & sedem Apostolicam specialiter destinatis; coram nobis & fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in consistorio, præsente ibidem tam prælatorum quam aliorum multitudine copiosa fidelium, se cum reuerentia debita præsentantibus, & deuotionem sinceram, quam commune & populus & singulares personæ prædicti ad nos & Romanam ecclesiam gerunt, & constanter disponunt gerere in futurum, deuote ac humiliter exponentibus; præfatus Guidolus prædictum imstrumentum sindicatus seu procurationis, cuius tenorem de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, exhibuit in nostra & fratrum nostrorum præsentia prædictorum. Quo quidem instrumento de mandato nostro in consistorio ipso lecto, præfatus sindicus & procurator sindicario & procuratorio nomine prædictorum, quorum sindicus & procurator existit, deuote ac humiliter recognouit, & sponte ac reuerenter confessus fuit, quod dicta ciuitas Mediolanensis ac districtus & comitatus eiusdem, necnon homines & habitatores eorundem fuerunt & stetерunt sub dominijs & subiectione ac obedientia quondam Matthæi de Vicecomitibus de Mediolano, & quondam Galeatij eiusdem Matthæi filij etiam contra dictam sanctam Romanam ecclesiam; non tamen in hæresi, nec in aliqua fautoria alicuius hæresis & temporibus, quibus dicitur, quod ipsi Matthæus & Galeatius fuerunt in rebellione ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ; ac eis & cuilibet eorum obediuerunt, & dictis tēporibus paruerunt, prout subditi dominis facere consueuerunt, & eis vt talibus fauerunt, ipsos in dominijs & præeminentijs ciuitatis, comitatus, & districtus prædictorum totis viribus defendendo ab omnibus eos volentibus impugnare, ac deijcere de dominijs supradictis; & nihilominus exercitus & caualcatas ad eorundem Matthæi & Galeatij & cuiuslibet ipsorum voluntatem & mandatum faciendo contra omnes & singulos inimicos & rebelles eorum, seu alterius eorundem, nec non subsidia pecuniaria eisdem Matthæo & Galeatio præbendo, & collectas ac tallias persoluendo; *& infra*, fauendo in omnibus secundum possibilitatem ipsorum, præterquam in hæresi vel aliqua fautoria eiusdem, in quibus nunquam eisdem vel alteri obediuerunt, vel fauorem aliquem præstiterunt: quodque ciuitas & homines ac habitatores ipsius, necnon comitatus et districtus eiusdem fuerunt aliquibus temporibus obedientes et fauentes quandoque de voluntate dicti Galeatij, quandoque præter eius voluntatem Ludouico de Bauaria etiam in coronatione ipsius facta in dicta ciuitate Mediolanensi, et scientes tunc temporis eum esse rebellem eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac ipsi Ludouico tanquam Regi Romanorum, et se nominanti Imperatorem, licet non esset per sanctam Romanam ecclesiam approbatus, fauerunt, obediuerunt, et intenderunt in omnibus, prout Matthęo et Galeatio supradictis, prętерquam in hęresi vel aliqua fautoria seu specie hæresis, quibus nunquam eidem Ludouico vel alicui alij obediuerunt, nec fauorem aliquem præstiterunt: & etiam fauorem & obedientiam prædictos ipsi Ludouico impensos præstiterunt non voluntarij, sed inuiti & coacti, quandoque per dictum Galeatium, quandoque per ipsum Ludouicum, seu gentes eiusdem, & quandoque propter timorem aliorum.

Vt petita sit venia de Vicecomitibus ab ijs defensis.

Instructis ad eorum gratiam exercitibus.

De susceptis partibus Ludouici Bauari.

21 Insuper dictus sindicus & procurator quo supra nomine recognouit & confessus fuit, quod ciuitas, comitatus, & districtus prædicti, nec non ciues, homines, & habitatores eorundem aliquibus temporibus nuncios quondam Petri de Corbario, tunc antipapæ, schismatici, & apostatici; tempore quo felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster in humanis agebat, & etiam vnum anticardinalem, legatos, & prædicatores ipsius antipapæ, etiam prædicantes contra præfatum prædecessorem nostrum scienter receperunt & fauerunt eisdem, ipsos vt tales honorabiliter recipiendo & fauorabiliter pertractando, ac eis reuerenter obediendo; non tamen in hæresi, nec in aliqua fautoria alicuius hæresis, neque eis vel alicui eorum in aliqua hæresi, vel specie alicuius hæresis, seu contra catholicam fidem, fauorem vel auxilium aliquod vllo vnquam tempore præstiterunt. Nec etiam credidерunt dictum Petrum de Corbario fuisse vel esse verum Papam, nec dictos Cardinalem, legatos, nuncios fuisse vel esse veri Papæ, ac etiam receptionem, obedientiam, & fauorem huiusmodi, vt dictum est, eis impenderunt & fecerunt non voluntarij, sed inuiti & coacti, & propter timorem & potentiam prædictorum. *Et infra.*

Excepti antipapæ nuntijs & anticardinalibus.

Metu tamen non voluntas.

22 Et subsequenter dictus sindicus ad euidentiam boni & veri propositi, quod dicta ciuitas Mediolanensis, nec non castra, villæ, terra, & loca comitatus & districtus eiusdem, & homines eorundem persistendi in obedientia & deuotione sanctæ matris ecclesiæ, atque nostra & successorum nostrorum habere noscuntur, solemniter bona fide promisit nomine prædictorum, quorum sindicus & procurator existit, prout ab eis in mandatis habebat, quod ciuitatis prædictæ, nec non castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus, & districtus prædictorum communia & homines dacia, gabellas, & collectas, siue pedagia, vel alia onera per se vel alium seu alios non imponent, nec imponi facient, vel permittent ecclesijs siue ecclesiasticis locis & personis ciuitatis prædictæ, nec non castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus prædictorum; nec eadem pedagia, gabellas, collectas, & alia onera ab eisdem ecclesijs, locis, & personis ecclesiasticis huiusmodi, vel bonis eorum exigent vel exigi facient, aut permittent contra canonicas sanctiones directe vel indirecte, publice vel occulte, nec illa imponentibus aut exigentibus dabunt auxilium, consilium, vel fauorem; quinimmo ecclesias & ecclesiasticas personas in suis bonis, iuribus, & libertatibus conseruabunt: & quod præsidentes regiminibus ciuitatis, castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus prædictorum, quatenus ad eos tanquam ipsorum rectores spectabit teneantur, si secus fieret, ipsis ecclesijs & ecclesiasticis personis, de impositionibus siue exactionibus huiusmodi conquerentibus, exacta resti-

Nuncupata sponsio de non opprimendis ecclesiasticis.

De restituendis ablatis ribus.

tue-

tuere, seu restitui ac impositiones factas etiam reuocare seu reuocari facere celeriter, summarie, sine strepitu iudicij & figura; alioquin pœnas inde incurrant super ijs a sacris canonibus promulgatas: quodque ipsi præsidentes & communia ac singulares personæ ipsorum iudices ecclesiasticos non impedient, quominus contra imponentes & exigentes huiusmodi libere procedere valeant ad publicationem dictarum pœnarum & alias iuxta canonica instituta.

23 Insuper dictus sindicus iurauit ad sancta Dei euangelia, per eum corporaliter manu tacta, in animas constituentium prædictorum, prout ab eis specialiter in mandatis habebat, quod comitatus Mediolanensis, nec non castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus prædictorum, communia & homines parebunt super præmissis omnibus, & singulis commissis per eos mandatis ecclesiæ atque nostris, & quod similia de cætero non committent, ac infrascripta omnia & singula inuiolabiliter obseruabunt & adimplebunt: ac procuratorio & sindicario nomine communium & vniuersitatum ciuitatis, castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus prædictorum & singularium personarum ipsorum promisit, & iurauit etiam in animas eorundem, quod communia, vniuersitates, & singulares personæ prædicta nobis & successoribus nostris, canonice intrantibus, erunt deuoti & fideles ac obedientes tanquam Christi vicario, & sanctæ matri ecclesiæ, velut cæteri veri & catholici Christiani: & quod præfato Ludouico & sequacibus suis per ecclesiam condemnatis, & alijs quibuscumque per dictam ecclesiam denotatis (illis qui de iniusta condemnatione occasione præmissorum conqueruntur, vt infra sequitur, exceptis) & denotandis in posterum de hæresi vel fautoria ipsius nunquam scienter dabunt auxilium, consilium, vel fauorem publice vel occulte; nec eos scienter receptabunt in ciuitate, castris, villis, terris, & locis, comitatu & districtu prædictis, vel alijs quibuscumque ipsorum administrationi vel iurisdictioni subiectis, vel subijciendis quousque ad ecclesiæ redierint vnitatem: & quod alquem, qui veniet ad partes Italiæ sub nomine Imperatoris vel Regis Romanorum, vel administratoris iurium imperij vel regni Romanorum, aut quemuis alium quouis titulo seu nomine pro eodem, non receptabunt in ciuitate, castris, villis, & locis, comitatu & districtu prædictis; nec eis dabunt scienter publice vel occulte auxilium, consilium, vel fauorem, priusquam fuerit per sedē Apostolicam approbatus. Et nihilominus sindicus & procurator prędictus quo supra nomine cōfessus fuit ac iurauit specialiter & expresse, quod communia ciuitatis, castrorum, villarū, terrarū, & locorum, comitatus & districtus prędictorū, ac homines eorundem pro certo credunt & firmiter tenent, quod non spectat ad Imperatorem Papā deponere, vel Papam facere. ac hęreticū reputant aliter credere, vel docere, & hæresim damnatam per ecclesiam, quam & ipse sindicus, quantum in eo est, & præfato sindicario & procuratorio nomine potest iuxta determinationem ecclesiæ anathematizauit, & damnatam etiam reputauit.

24 Idem quoque sindicus procuratorio & sindicario nomine supradicto promisit & iurauit, quod communia & homines prædicti de ipsis ciuitate, castris, villis, & locis, ac terris alijs quibuscumque, ipsorum iurisdictioni, regimini, seu administrationi subiectis, vel in antea subijciendis, vniuersos & singulos hæreticos ab ecclesia denotatos & in posterum denotandos, nec non manifestos schismaticos pro viribus bona fide expellere ac exterminare curabunt, quousque ad ecclesiæ redierint vnitatem; protestans dictus sindicus, quod ad illos qui, vt præmittitur, præmissorum occasione de crimine hæresis vel fautoria se iniuste condemnatos conqueruntur, se articulus huiusmodi non extendat donec secundum ordinationem, quam super hoc facimus de ijs, quæ proponunt contra condemnationes ipsas, cognitum fuerit & etiam definitum. Promisit etiam & iurauit dictus procurator & sindicus nomine prædicto, quod communia ciuitatis, castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus prædictorum, ac homines eorum nuntios & gentes nostras, ac successorum nostrorum, & sanctæ Romanæ ecclesiæ per ciuitatem, castra, villas, terras, comitatum, & districtum, & alia loca eorum iurisdictioni subiecta & subijcienda pro tempore, ipsis scientibus, transeuntes, curialiter recipient & tractabunt, ipsosque defendent & protegent bona fide.

Præterea promisit dictus procurator & sindicus nomine ciuitatis Mediolanensis, nec non castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus, communium & hominum ac singularium personarum prædictorum, ac iurauit in animas eorundem, prout ab eis in mandatis habebat, quod constituentes ipsi, omni malitia, dolo, & fraude cessantibus, ecclesias & personas ac loca ecclesiastica vniuersa ciuitatis, castrorum, villarum, terrarum, & locorum prædictorum, ac comitatus & districtus eiusdem, ipsorumque bona, libertates, & iura omnia manutenebunt & defendent, & ipsa vel eorum aliqua non vsurpabunt seu occupabunt directe, vel indirecte, nec vsurpata seu occupata tenebunt; sed ea libere et cum effectu dimittent et restituent ecclesijs et personis, quibus est eorum restitutio facienda: ac ecclesias, clericos, loca, et personas ecclesiasticas huiusmodi bonis, iuribus, libertatibus eorundem libere vti et frui, illosque ea pacifice possidere, ac eorum fructus, redditus, et prouentus permittent percipere et habere, ac promittent illos non vsurpare nec occupare, aut vsurpata vel occupata tenere, seu quominus ecclesiæ, clerici, et personæ ecclesiasticæ prædicti huiusmodi iuribus et libertatibus libere et pacifice vti et frui; nec non ea pacifice possidere, ac illorum fructus et redditus, vt præmittitur, percipere valeant et habere, nec ecclesias aut personas ecclesiasticas in præmissis impedire quoquomodo volentibus consentient, nec in ijs dabunt directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, consilium, vel fauorem: quinimmo facient et procurabunt toto posse cum effectu, quod vsurpata et occupata de bonis et iuribus ecclesiarum, locorum, clericorum, et personarum ecclesiasticarum dimittantur et restituantur prælatis, ecclesijs, locis, clericis, et personis prædictis, præterquam ciuitatis, castrorum, villarum, terrarum, et locorum comitatus et districtus prædictorum notorijs inimicis, quos in casu, quo ad pacem et concordiam cum eorum communitatibus et vniuersitatibus deuenire nollent, manutenere et defendere non promittunt.

25 Rursus promisit sindicus memoratus procuratorio et sindicario nomine antedicto, et iurauit in animas constituentium eorundem, quod ipsi, quorum sindicus et procurator existit, Bononien-

Pulsum iri schismaticos pollicetur

Apostòlicos nuncios colendos.

Restituēdum ius ecclesiasticum.

Bononiā & alias vrbes pontificias non oppugnandas.

Colendis Romanæ ecclesiæ imperijs.

Non iuuādis hæreticis.

De non excipiendo Cæsare legato, nisi a sede Apost. cō firmatus sit.

Profitetur orator nō spectare ad Cæsarē exauctorare Pontificem.

nienſem et Ferrarienſem ciuitates earumque comitatus et diſtrictus, ac marchiam Anconitanam, Romandiolam, ducatum Spoleti, Patrimonium B. Petri in Tuſcia, Campaniam et Maritimam, aut aliquam partem eorum, ſeu terras diſtrictus, pertinentias, honores, aut bona et iura eorundem vel quaſcumque alias ciuitates, terras, caſtra, et fortelitia, villas et loca, ſeu habitationes hominum, quæcumque dominia, iuriſdictiones, portus, vel paſſus terræ vel aquarum fluminis, ſeu aſcenſus vel deſcenſus eorum, ſtratas vel vias publicas vel priuatas quorumcumque ciuitatum, comitatuum, et diſtrictuum prouinciarum ſeu locorum proxime nominatorum, ad nos et Romanam eccleſiam ſpectantia, vel quæ ſub noſtro et eiuſdem Romanæ eccleſiæ nomine reguntur aut tenentur, ſeu in quibus nos et Romana eccleſia ius habemus, qualiacumque ſint, in quibuſcumque et vbicumque conſiſtant, aut perſonas eccleſiaſticas vel ſeculares eorundem ciuitatum, comitatuum, prouinciarum, locorum & diſtrictuum huiuſmodi, vel alicui ipſorum per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, non offendent aut ſubtrahent, nec inuadent, nec capient, nec vſurpabunt vel impedient, aut prædabuntur, ſeu ſpoliabunt in toto vel in parte, nec talia facientibus aut attentantibus, vel facere ac attentare volentibus dabunt ſeu præſtabunt ſuccurſum, auxilium, conſilium, vel fauorem; nec eis in perſonis, bonis, vel rebus eorum irrogabunt damna, iniurias, vel offenſas ſine noſtra & ſucceſſorum noſtrorum & eiuſdem Romanæ eccleſiæ licentia ſpeciali: nec ciuitates, comitatus, prouincias, diſtrictus, terras, & loca proxime dicta, vel aliqua eorundem eiuſdem eccleſiæ, vel ſub dominio & regimine ipſius conſiſtentia, ipſis appropriabunt, vel ea eidem Romanæ eccleſiæ auferent, vel quomodolibet ſubtrahent in futurum: adiecto tamen & ſaluo, quod ſi commune alicuius de ciuitatibus, prouincijs, ſeu locis comitatuũ et diſtrictuum prædictorum, quę tenentur ſeu reguntur ipſius Romanæ eccleſiæ nomine; ſeu perſona ſingularis, commune, ſeu populum dictæ ciuitatis Mediolanenſis, necnon caſtrorum, terrarum, et locorum comitatus et diſtrictus eiuſdem, quorũ ipſe ſindicus procurator exiſtit, vel alicuius eorum aut perſonam ſingularem de illis vel etiam aggrederentur primo vel offenderent, aut hoſtes vel æmulos ad ipſos offendendos receptarent; communia aut ſingularis perſona taliter offenſa vel inuaſa tam per viam iuſtitiæ, quam vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, prout expoſcet facti et temporis qualitas, ſe, et bona ac loca ſua defendere valeant et tueri: ſic tamen, quod in ciuitatibus et locis prædictis quæ, vt præmittitur, tenerentur ſeu regerentur nomine prædictæ Romanæ eccleſiæ, ius eccleſiæ prædictæ, ac etiam ciuitatum et caſtrorum, ſi quod eiſdem in illis vel eorum aliquo, ſeu hominibus ipſorum vel alicuius eorum competat, ipſis Romanæ eccleſiæ ciuitatibus vel caſtris, quibus per præmiſſa vel aliquod præmiſſorum non præiudicetur in aliquo, ſaluũ ſemper remaneat et illæsũ.

Non læſuros clientes eccleſiæ.

Adiecta lex ſi quiſpiam cliés pótificius eos læſerit.

26 [Confeſſus ſuperiora Mediolanenſis orator, admiſſiſque legibus memoratis, prouolutus in genua, Pontificem demiſſe precatus eſt, vt Mediolanenſes cenſuris omnibus, quibus ſe irretierant, ſolueret; cum ob eorum multitudinem, partim ob inopiam, partim ob hoſtium odia ad ſedem Apoſtolicam ſe conferre non poſſent, et conſtanter in obſequio illius perſtare parati eſſent,

Poſtulata flexis genibus cenſurarum ſolutio.

Ad quas preces flexus Benedictus Mediolanenſes priſtinis iuribus, piorum ſocietati, templorumque et ſacrorum vſui reſtituit; hanc tamen pœnam ad crimen rite expiandum inflixit.]

Porro, vt communi, populo, et ſingularibus perſonis ciuitatis, comitatus, et diſtrictus prædictorum, et eorum poſteris in perpetuum de prædictis commiſſis exceſſibus, et ſimilibus de cętero euitandis; nec non de tanta gratia, et venię beneficio ſuper prędmiſſis obtentę de clementia dictę ſedis, memoria perpetua relinquatur, volumus et auctoritate apoſtolica ordinamus, ipſiſq; communi, populo, et hominibus huiuſmodi ciuitatis diſtrictę iniungimus per prędſentes, vt ipſi commune, populus, et homines nomine pœnitentię pro prędmiſſis ędificari, ſeu conſtrui faciant ſumptibus eorundem in dicta ciuitate Mediolanenſi duas pulchras et decentes capellas, vnam videlicet infra maiorem cathedralem, et alteram infra ſancti Ambroſij Mediolanenſis eccleſias ad honorem almi confeſſoris B. Benedicti abbatis, ac eius vocabulo inſignitas: in quarum qualibet vnus presbyter perpetuus capellanus, & vnus miniſter inſtituantur, qui in ea diuina quotidie debeant celebrare: & quod ipſas capellas libris, calicibus, crucibus, veſtimentis, paramentis, & alijs ornamentis, ad cultum diuini nominis opportunis, & decentibus muniant, & ea manuteneant, & faciant effectualiter in perpetuum quoties fuerit opportunum: quodque pro dote cuiuslibet dictarum capellarum tot poſſeſſiones emant, ex quibus fructus, redditus, & prouentus proueniant ad ſummam triginta florenorum auri communiter annis ſingulis aſcendentes, conuertendorum in ſuſtentationem dictorum capellanorum & ſuorum miniſtrorum, qui eis aſſiſtent in celebratione huiuſmodi diuinorum: & quod ipſi commune, populus, & homines quolibet anno in feſto eiuſdem B. Benedicti ac rectores, ſeu regimina dictæ ciuitatis, qui erunt pro tempore, voce præconia populo dictæ ciuitatis generaliter inuitato & conuocato, ad alteram, quam maluerint, dictarum capellarum conueniant, & miſſam ibidem ſolemniter audiant, in qua proponetur populo verbum Dei: in quo habebitur memoria tantæ gratiæ indultæ ipſis miſericorditer a ſede Apoſtolica ſupradicta de tot & tantis exceſſibus ac delictis per eos, vt præmittitur, perpetratis: et quod ipſi commune in die feſtiuitatis ipſius B. Benedicti ſingulis annis in perpetuum ad hoc, vt nec culpa commiſſa per eos, nec gratia veniæ illlus recepta a ſede prædicta de Mediolanenſium memoria valeat aboleri, faciant vnam eleemoſynam in ciuitate Mediolanenſi duobus millibus pauperum perſonarum, cuilibet perſonæ videlicet de vno pane bono & conuenienter albo ponderis duodecim vnciarum pro quolibet: & quod pro huiuſmodi eleemoſyna, perpetuo facienda & manutenenda, ipſi commune, populus, & homines ciuitatis eiuſdem tot emant prædictis capellis annuos redditus, præter redditus capellanorum prædictorum, quod ex eis poſſit dicta eleemoſyna perpetuo ſine defectu fieri & realiter adimpleri; quodque in caſu, in quo non reperirent die huius feſti in ciuitate prædicta tot pauperes, qui ſufficerent ad dictam eleemoſynam capiendam, ipſi commune id quod ſupererit a pauperibus, qui in dicta eleemoſyna interfuerint, diſpenſari faciant & largiri inter pauperes verecundos ciuitatis eiuſdem: & quod prædictas capellas conſtrui faciant, & libros, cruces & calices, ornamenta,

Impoſ. Mediol. nenſib. ad præd. ta exp. da pœ.

Duo ſa. la exp. iuſſa.

Indicta celebrat. annua re. current die D. Be. nedicti ſo. cra.

Imperat. eleemoſ. næ.

ta, vestimenta, & alia paramenta ecclesiastica, ipsis capellis dent & assignent, ac redditus huiusmodi emant tã pro capellanis & ministris, quam eleemosyna supradictis infra duos annos, a data præsentium computandos, &c. [Interiectis nonnullis de his ratis habendis solemni ritu, subdit Pontifex].

27 Volumus & apostolica auctoritate decernimus [si nimirum superiora non fuerint mandata operi] quod præfati commune dictæ ciuitatis, nec non comitatus & districtus ipsius, vniuersitates & homines eorundem in easdem pœnas & sententias, quibus subiacebant antea, recidant ipso facto : quodque si post ratificationem, approbationem, confirmationem, & innouationem præmissorum, vt præmittitur, faciendas eiusdem ciuitatis, nec non castrorum, villarum, terrarum, & locorum comitatus & districtus præfatorum communia, vel eorum aliqua, seu singulares personæ ipsarum contra præmissa & iurata per eundem sindicum eorum nomine de non fauendo dicto Ludouico de Bauaria & sequacibus suis, & de non admittendo vel receptando aliquem, qui veniret ad partes Italiæ sub nomine Imperatoris vel Regis Romanorum, aut administratoris iurium imperij vel regni Romanorum, aut quemuis alium quouis titulo seu nomine pro eodem in ciuitate, castris, villis, terris & locis, ac comitatu & districtu prædictis, seu fauendo eisdem (ac expellendis hæreticis & eorum fautoribus, illis, qui de hæresi vel fautoria ipsius se iniuste, vt præmittitur, asserunt condemnatos, exceptis) ac de terris, bonis & iuribus eiusdem Romanæ ecclesiæ, vt præmittitur, non inuadendis nec etiam occupandis quoquo modo facerent, singulares personæ videlicet excommunicationis incurrant sententiam, & communia taliter facientia seu venientia interdicto ecclesiastico eo ipso & pœnis & sententijs subiaceant, quæ contra fautores hæreticorum & taliter delinquentes, si hæreticis fauerint, vel fautoribus eorundem a sacris canonibus inflictæ sunt & prolatæ, etc.] Additur procuratorium consignatum anno MCCCXL.XXVII. octobris. *Dat. Auin. id. maij anno* VII.

Intentatę censuræ, si legatus Cæsaris excipiatur antequam a sede Ap. confirmetur.

28 Conciliati pariter alij Insubres, nimirum Bergomenses [a], Papienses [b], Nouarienses [c], Cremonenses [d], Vercellenses [e], Comenses [f], Bobienses [g], municipes S. Domnini [h], Soncinates [i], ijsdem nempe pactionibus, quibus Mediolanenses in gratiam recepti: quare superiori formula confecta sunt de ijs restituendis gremio ecclesiæ diplomata. Iussæ autem singulæ vrbes non duo sacella, vt Mediolanenses, sed vnum tantum condere, & eleemosynas mille pauperibus erogare. Quibus etiam legibus superiori anno Terdonenses [l] ac Lucani [m] absoluti a Benedicto, hoc anno pontificiam sententiam grato et demisso animo excepere; ac Petrum Bonaiunctam et Andream procuratores instituere, vt coram Pontifice et Cardinalibus omnia iussa, rata a Lucano populo et magistratibus habita profiterentur: de quo tabulæ [n] publicæ editæ anno a natiuitate Domini MCCCXLI. ind. VIII. die XX. mensis ianuarij cõsignatę. Extant in libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ vna cum alijs Insubrum literæ [o], quibus omnia præscripta a Pontifice se obseruaturos spopondere, neq; Cæsarem nisi a sede Apostolica confirmatum agnituros. Cæterum ad Insubres singulos censuris rite liberandos, Cumensis, Cremonensis et Laudensis episcopi designati sunt [a], concessumque vt corpora defunctorum ecclesiasticæ sepulturæ tradi iuberent.

Conciliati ijsdem legibus alij populi

[a] Eod. an. 7. ep. cur. 34.
[b] Ep. 35.
[c] Ep. 36.
[d] Ep. 37.
[e] Ep. 38.
[f] Ep. 39.
[g] Ep. 40.
[h] Ep. 41.
[i] Ep. 42.
[l] An. 8. ep. cur. 36.
[m] Ib. ep. cur. 26.
[n] Lib. priu. Rom. eccl. to. 1. pag. 166.
[o] Ib. pag. 37.

Cum vero vt iam ante indicatũ est, plures Insubres grauissime quererentur, Gibellinarum partium odio inique a censoribus fidei sententia hæreseos fuisse damnatos, cum fidem orthodoxam colerent, sed tantummodo censuras, quas ob cæsareũ ius anceps defensum a Ioanne XXII. Pontifice inflictas pertulissent; Benedictus Bertrando tit. S. Marci et Guillelmo tit. S. Stephani in Cælio mõte Cardd. prouinciã dedit, vt iudiciarias actiones illas discuterent, insontesq; absoluerent, sontes vero damnarent. Certe fidei censores studio partium nimium commotos in percellendis sententia hæreseos Gibellinis aliquibus constat: nam Benedictus cum iudiciaria acta ab Aycardo archiepiscopo Mediolanensi, Paxio, Iordano, Honesto, Barnaba ordinis Prædicatorum causarum fidei cognitoribus, in Ioannem et Luchinum Matthæi Vicecomitis filios confecta, quibus ob patrem damnatum hæreseos adiutum armis damnati fuerant et infamiæ nota inusti, bonisque omnibus et iuribus priuati, mature cum Cardinalibus discussisset, implorantibus legum æquitatem Ioanne et Luchino, iniqua pronuntiauit [b], ac penitus conuulsit: alia vero acta iuste in Ioannem Vicecomitem ob susceptum ab antipapa Cardinalatum edita iam ante pontificia clementia fuerant abrogata, cum is ad ecclesiæ sinum redijsset.

[a] Ann. 7. ep. cur. 43 Insubrum de fidei censorib⁹ querelæ.

Iudiciaria eorũ acta in Ioannẽ & Luchinum pronuntiata irrita.

[b] Ib. ep. cur. 26.

29 Professi porro sunt hoc anno Ioannes episcopus Nouarienses et Luchinus, qui principatum Insubriæ arripuerant, spectare ad sedem Apostolicam, dum interregnum esset, creare imperij vicariosi: qua dignitate a Benedicto ornati sunt, polliciti nulli Regi Romanorum, nisi ab sede Apost. confirmato se adhæsuros. Quo vero ordine res gesta sit, fuse describitur tum in pontificijs literis [c], tum in publicis documentis [d] Mediolani confectis hoc anno, quibus singula a Pontifice cõstituta a Ioanne & Luchino admissa rataq; habita fuerunt. Et quidem illi, euoluto iam ante biennio, cum Mediolani aliarumque plurium vrbium dominos se dicerent, ex concepta subiectis verbis formula poposcerant a sede Apostolica vicariam imperij in Insubria, vacuo augustali solio, præfecturam.

Vicecomites ecclesiæ vectigales se profitentur.

[c] Ib. ep. cur. 28.
[d] Ext. ib. ext. etiam in arce S. Ang. & inter collect. Plat. M.S. arch. Vat. to. 2. pag. 405. & in M.S. bib. Vall. sign. lit. B. nu. XII. pag. 443. ad 452.

In Christi nomine. Amen. Pateat vniuersis hoc præsens instrumentum inspecturis, quod reuerendus in Christo pater dominus Ioannes Dei & Apostolicæ sedis gratia episcopus Nouarienſis & comes, eiusque ciuitatis & districtus dominus generalis, & magnificus miles dominus Luchinus frater eius filij quondam magnifici militis Matthæi Vicecomitis de Mediolano, ciuitatum & districtuum Mediolani, Pergami, Brixiæ, Cremonæ, Placentiæ, Laudæ, Cumarum, & Vercellarum, nec non Cremæ, Burgi S. Donnini, Sonzini, Martinengi, Castri noui, Buceaduæ, & Carauazÿ castrorum diœcesis Parmæ, Cremonæ, Pergami, & Placentiæ, domini generales, in mei notarij publici & testium infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, sua mera, libera, & spontanea voluntate, ac ex certa scientia fecerunt atque constituerunt & creauerunt suum verum & legitimum procuratorem, actorem, factorem, negotiorum gestorem, & nuntium specialem prouidum & discretum virum Guidolum de Calice, filium quondam domini Benedicti ciuem Mediolanensem, præsentem ac in se onus procurationis huiusmodi suscipientem, ad comparendum, ac sese deuote & hu-

Quarum vrbium tenuerint imperiũ.

& humiliter ipſorum dominorum Ioannis & Luchini nomine præſentandum coram ſanctiſſimo in Chriſto patre & domino domino Benedicto, diuina prouidentia Papa XII. ac ſacro collegio reuerendorum patrum dominorum Cardinalium S. R. E. tam in conſiſtorio publico & priuato, quam in camera & alijs quibuſcumque locis, de quibus & quotieſcumque pro infraſcriptis perficiendis & complendis opus fuerit: & ad exponendum reuerenter coram eis deuotam & debitam ſubiectionem & filialem deuotionem, & ſincerum ac verum affectum, quos ijdem domini Ioannes & Luchinus ad dictos ſanctiſſimum patrem & dominos Cardinales & Romanam eccleſiam gerunt, habent, & conſtanter diſponunt & volunt gerere in futurum: ac ipſos dominum Ioannem & Luchinum & ſubditos ſuos, nec non ciuitates & caſtra prædicta & alias terras quaslibet & loca, ſub eorum regimine & iuriſdictione conſiſtentia, & poſſe ipſorum dominorum Ioannis & Luchini eiſdem dominis ſummo Pontifici & Cardinalibus, & ad eorum obedientiam & mandatum & beneplacita totaliter offerendum, ac ſe & ipſos tanquam veros & fideles ſanctæ Romanæ eccleſiæ filios, ſubditos, & deuotos: & vt huiuſmodi deuotionis, ſubiectionis, & ſinceritatis affectus ipſis domino ſummo Pontifici & Cardinalibus clarius liqueat, ad promittendum ipſorum dominorum Ioannis & Luchini nomine, ac iurandum in animas ipſorum, quod ipſi domini Ioannes & Luchinus ſunt, erunt, & permanebunt deuoti ſubditi, obedientes, & fideles, præfato domino ſummo Pontifici *& ſucceſſoribus eius canonice intrantibus, ſicut Chriſti vicarijs, & eidem ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ, velut veri ſubditi & catholici Chriſtiani.*

Ioannis & Luchini pollicitationes datæ eccleſiæ.

30 *Et ad confitendum & firmiter aſſerendum, quo ſupra nomine, ac iurandum, quod ipſi domini* Ioannes *& Luchinus non credunt nec crediderunt, quod ſpectat ad Imperatorem Papam deponere & alium facere; ſed reputant taliter credere errorem nefandum & abominabilem, & hæreſim per eccleſiam damnatam, quam & ipſi domini* Ioannes *& Luchinus, quantum ad eos ſpectat, anathematizant ſecundum determinationem eccleſiæ. Et ad promittendum & iurandum, quo ſupra nomine, & in animas ipſorum dominorum Ioannis & Luchini, quod ipſi domini* Ioannes *& Luchinus non adhærebunt Ludouico de Bauaria damnato, nec alicui antipapæ vel ſchiſmatico, nec eorum ſequacibus vel complicibus, nec eis ſcienter dabunt auxilium, conſilium, vel fauorem, directe vel indirecte, publice vel occulte; nec eos ſcienter receptabunt in terris, eorum dominio vel iuriſdictioni ſubiectis, vel ſubijciendis, quouſque ad eccleſiæ Romanæ redierint vnitatem & gratiam: quodque aliquem, qui veniret ad partes Italiæ ſub nomine Imperatoris, aut Regis Romanorum, vel adminiſtratoris imperij, vel* Regis Romanorum *prædicti quouis titulo vel nomine pro eo, non receptabunt in terris prædictis, nec ei vt tali adhærebunt, fauebunt, vel obedient in aliquo, niſi prius fuerit per Romanam eccleſiam approbatus. Et ad promittendum prædicto nomine & iurandum, quod ijdem domini* Ioannes *& Luchinus de ciuitatibus, villis, caſtris, & locis, ac terris, eorum iuriſdictioni & adminiſtrationi ſubiectis vel ſubijciendis, expellere & exterminare ſtudebunt pro viribus bona fide vniuerſos hæreticos ab eccleſia de hæreſi denotatos & denotandos, ac ſchiſmaticos manifeſtos. Et nihilominus ad promittendum, quo ſupra nomine, ac iurandum, quod ipſi domini* Ioannes *& Luchinus nuncios & gentes præfati domini ſummi Pontificis & ſucceſſorum ſuorum ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ per ciuitates, caſtra, villas, terras, & loca huiuſmodi, dictorum dominorum Ioannis & Luchini iuriſdictioni vel adminiſtrationi ſubiecta & ſubijcienda, tranſeuntes curialiter recipient & tractabunt, ac recipi & tractari facient, ipſoſque protegent & defendent bona fide.*

Damnata ab ijs Marſiliana hæreſis.

Repetita ſponſio de non parendo legato Cæſaris, niſi confirmatus ſit a ſede Apoſt.

Ac inſuper ad promittendū et iurandū, quo ſupra nomine, quod ſi quæ eccleſiæ & eccleſiaſticæ perſonæ forent et detinerentur ſpoliatæ in ciuitatibus, caſtris, villis, terris, et locis prædictis per ipſos, vel aliquos eorum ſubditos, bonis vel rebus immobilibus eorum, perſonas ipſas reſtituent et reſtitui facient de plano ſine ſtrepitu iudicij et figura in ipſis eorum bonis et iuribus ac rebus; et eas facient illis pacifica poſſeſſione gaudere, ac reſtitutas defendent, quantum ad ipſos tanquam rectores ſpectabit: quodque ſi aliquæ eccleſiæ vel eccleſiaſticæ perſonæ conquererētur, ſe fore bonis mobilibus ſpoliatas per ipſos dominos Ioannem et Luchinum, vel prædeceſſores aut ſubditos ſuos coram præfato domino ſummo Pontifice, *ſeu illo cui hoc duxerit committendum, iuri parebunt ſine ſtrepitu iudicij et figura, vel concordabunt amicabiliter cum eccleſijs et perſonis taliter ſpoliatis.*

De tuendo iure eccleſiaſtico.

31 *Ad promittendum quoque ac iurandum, quo ſupra nomine, et in animas prædictorum dominorum Ioannis et Luchini, quod ipſi domini Ioannes et Luchinus omnes eccleſias et eccleſiaſticas perſonas regulares et ſeculares ciuitatum, caſtrorum, villarum, et terrarum, et locorum prædictorum, ſuæ iuriſdictioni et adminiſtrationi ſubiectorum, et ſubijciendorum in futurum, gaudere permittent, nec impedient quominus gaudere poſſint omnibus ſuis redditibus, prouentibus, obuentionibus, iuribus, et libertatibus vniuerſis in huiuſmodi ciuitatibus, caſtris, villis, terris, et locis eorumque diſtrictibus, quantum in eis erit et eſſe poterit, modo aliquo ſiue forma: nec eccleſias et perſonas ipſas impedienti dabunt auxilium, conſilium, vel fauorem per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, niſi eſſent ſui iniuſti et notorij inimici vel rebelles ſui, vel communium, ciuitatum, caſtrorum, terrarum, et locorum huiuſmodi iniuſte exiſterent. Item ad promittendum dicto nomine, ac in animas ipſorum dominorum Ioannis et Luchini iurandum, quod ipſi Bononienſem et Ferrarienſem ciuitates ac eorum diſtrictus, et quaſcumque alias ciuitates, caſtra, terras, et prouincias diſtrictus, comitatus, et loca ac iura quælibet ad dictam Romanam eccleſiam pertinentia, vel quæ nomine ipſius eccleſiæ vel domini noſtri ſummi Pontificis reguntur, aut ipſorum aliquem vel aliquod; nec non communitates eorum et ſingulares perſonas eccleſiaſticas vel ſeculares eorundem, vel aliqua alia, in quibus præfatus dominus ſummus Pontifex vel eccleſia* Romana *ius habuerit, qualiacumque ſint, et in quibuſcumque conſiſtant, per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, non inuadent, capient, vſurpabunt, impedient, vel deprædabuntur in toto, vel in aliqua parte; nec talia facientibus dabunt ſeu præſtabunt ſuccurſum, auxilium, vel fauorem: nec eis in perſonis vel rebus eorum irrogabunt iniurias vel offenſas ſine Romani Pontificis ſpeciali licentia, vel mandato.*

Non affectanda dictione pontificia.

Et nihilominus ad promittendum præfatis dominis ſummo Pontifici & Cardinalibus ipſorum dominorum Ioannis & Luchini nomine bona fide, quod ipſi domini Ioannes & Luchinus dacia, gabellas, aut collectas, ſeu pedagia vel alia onera non imponent indebite, nec contra iura aliquibus eccleſijs vel eccleſiaſticis perſonis, nec impoſita exigent directe vel indirecte, publice vel occulte, nec ea imponentibus ſiue exigentibus dabunt auxilium, conſilium, vel fa-

uo-

uorem; sed ipsas ecclesias & personas ecclesiasticas in suis iuribus & libertatibus conseruabunt. Ac insuper ad promittendum & offerendum, dandum & soluendum eorum nomine, ac pro eis, præfatis dominis summo Pontifici & Cardinalibus ac Romanæ ecclesiæ pro emenda pro omnibus & singulis damnis & iniurijs, quæ legatis, nuntijs, et gentibus dictæ Romanæ ecclesiæ per ipsos dominos Ioannem & Luchinum & progenitores & agnatos suos, sequaces, fautores, & auxiliatores eorum illata, & irrogata dicerentur quomodolibet vsque ad præsentem diem, quinquaginta millia florenorum auri boni & iusti ponderis & cunei Florentini, soluendorum ipsi Romanæ ecclesiæ in Romana curia, vbicumque fuerit, in terminis quos ad hoc præfatus dominus summus Pontifex ordinabit: & pro huiusmodi quinquaginta millibus florenis soluendis in terminis, præfatos dominos Ioannem & Luchinū ac heredes et successores eorum, et bona eorū mobilia et immobilia, præsentia & futura, præfatis dominis dominis sūmo Pontifici & Cardinalibus ac Romanæ ecclesiæ obliganda, & fideiussores idoneos propterea eis dandum, ac promissionem & obligationem huiusmedi omnibus pœnis, stipulationibus, solemnitatibus, & obligationibus realibus & personalibus, & cautelis, ac iuramento, ipsorum dominorum Ioannis & Luchini nomine & in eorum animas præstando vallandum, ipsosque dominos Ioannem et Luchinū, ac heredes & successores eorū pœnis et sententijs quibuscumq; spiritualibus & temporalibus, de quibus præfato domino summo Pontifici placuerit, occasione solutionis huiusmodi quinquaginta millium florenorum integraliter faciendæ, & alia faciendum, quæ circa hoc eidem domino nostro visa fuerint.

Promissa quinquaginta aureorum millia pro farciendis damnis.

32 *Item ad deuotionem & subiectionem ipsorum dominorum Ioannis & Luchini erga dictum dominum summum Pontificem & Romanam ecclesiam ostendendam, & ad recognoscendum & confitendum dictorum dominorum Ioannis & Luchini nomine, & pro eis & iurandum in animas eorum, ipsos dominos Ioannem & Luchinum, ciuitatem Mediolanensem & districtum tenere & debere tenere, imperio Romano vacante, a præfato domino domino summo Pontifice, sede Apostolica, & Romana ecclesia, vt a dominis & superioribus, & vt ab illis ad quos, ipso vacante imperio, sicut nunc vacat, regimen, dispositio administratio & gubernatio eiusdem imperij pertinent & pertinere debent: ac dominos Ioannem & Luchinum, heredes, & successores prædictos illos ciuitatem & districtum ipsorum domini summi Pontificis & successorum suorum, ac Romanæ ecclesiæ nomine, & sub eorum dominio & potestate, dicta imperij vacatione durante, velle, tenere, & regere & etiam gubernare; saluis tamen iuribus, libertatibus, & priuilegijs dictis ciuitati Mediolanensi & districtui, nec non eisdem dominis Ioanni & Luchino vel successoribus suis, vel alijs quibuscumque in eis competentibus quouis modo: & super ijs & alijs, de quibus præfato procuratori videbitur, protestandum; & specialiter quod ipsi domini Ioannes & Luchinus, vel eorum successores pro huiusmodi confessione & recognitione ciuitatum et districtus earum ad solutionem alicuius census nullatenus teneantur. Ac promittendum prædicto nomine et iurandum, quod ipsi domini Ioannes et Luchinus, ac heredes et successores sui prædicti ciuitatem et districtum prædictos, eadem imperij vacatione durante, ipsorumque ciuitatis et districtus personas fideliter regent et gubernabunt in bono statu, æquitate, et iustitia iuxta posse ipsorum. Et nihilominus ad præstandum ipsorū dominorum Ioannis et Luchini nomine, et in animas eorum pro ciuitate et districtu Mediolanensi prædictis præfato domino summo Pontifici, et Romanæ ecclesiæ illud fidelitatis cum omnibus capitulis ad sancta Dei euangelia manu tacta corporaliter iramentum, et per ipsos dominos Ioannem et Luchinum obseruandum, ad quod ipsi domini Ioannes et Luchinus tenerentur Imperatori Romanorum legitimo, seu Romano imperio pro eisdem. Item ad supplicandum domino summo Pontifici prælibato reuerenter ipsorum dominorum Ioannis et Luchini nomine, vt ipse dominus nostler rectoriam et gubernationem ciuitatis, comitatus, et districtus Mediolanensis, et personarum earundem cum mero et mixto imperio ipsa imperij vacatione durante, sine promissione, solutione, aut oblatione alicuius census vel seruitij, eisdem summo Pontifici et Romanæ ecclesiæ faciendi, auctoritate apostolica concedere et committere dignetur, gerendas per eos et successores suos, huiusmodi vacatione durante, etc. Acta fuerunt hæc Mediolani, & infra, anno Domini* MCCCXXXIX. *indictione* VIII. *die iouis* XXVIII. *mensis octobris.*

Vacuo sedi cæsareo præfecturam Mediolanensem a sede Ap. expoſcunt

Iuſtitiam integerrime adminiſtrandi ſpopõdere

Admissa a Viceconitibus quę promiserat orator

33 Post varios demum tractatus extracta res est in hunc annum, quo Benedictus vicariam eam præfecturam dedit Apostolico diplomate, cui ascripta est dies id. maij: quo diplomate singulæ eæ pactiones a Vicecomitibus propositæ sanciuntur, & conceptum suis verbis superius instrumentum inseritur. Ioannes autem & Luchinus conuenta hæc, Guidoli oratoris opera inita cum Pontifice, solemni ritu admisere. Qua de re editæ publicæ tabulæ [b], transmissæque ad Benedictum Papam, pendentibus Ioannis & Luchini sigillis obsignatæ; in quibus diffuse diploma pontificium cū superioribus procuratorijs literis afferuntur, ac deinde rei habitæ ratę formula, et sacramenta fidei, quibus Ioannes et Luchinus Benedicto et successoribus se deuinxere, subijciuntur his verbis: *Prædicta omnia et singula promissa, conuenta, recognita, protestata, confessata, et iurata, acta et quomodolibet actitata, prout in prædictis apostolicis literis seriosius continetur generaliter et singulariter, specifice et expresse, cum gratiarum actione acceptamus, ratificamus, approbamus, confirmamus, et innouamus, ac iuramus ad sancta Dei euangelia, per nos corporaliter manu tacta, ea omnia et singula firmiter attendere, et inuiolabiliter obseruare, ac facere obseruari, et non contra facere vel venire. Et insuper.*

[a] Ep. cur. 28.

[b] Ext. ib. et in arch. arc. S. Ang. & inter collectan. Plat. to. 2. pag. 105. et 405. & in M. S. Vall. sign. lit. B. n. XII pag. 443. Sacramẽti formula ab ijs nuncupata.

Ego Ioannes de Vicecomitibus Dei gratia episcopus Nouariensis pro domino meo domino Benedicto Papa XII. ac sancta Romana ecclesia, vacante Romano imperio, sicut nunc vacare dignoscitur, ciuitatis, comitatus, et districtus Mediolanensis vicarius, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro et eidem domino meo domino Benedicto Papæ XII. suisque successoribus canonice intrantibus, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio aut consensu vel facto, vt vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri sunt per se, aut per nuntios, siue literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: et si sciuero fieri vel procurari, siue tractari aliquid, quod sit in ipsorum damnum, illud pro posse impediam; et si impedire non possim, illud eis significare curabo. Papatum Romanum et regalia S. Petri tam in ciuitate, comitatu, et districtu Mediolanensi prædictis, quam alibi existentia, adiutor eis ero ad retinendum, defendendum, et recuperandum, et recuperata manutenendum cõtra omnem hominem. Vniuersas et singulas promissiones & obligationes per meum et Luchini fratris mei procura-

to-

torem factas et iuratas, et conditiones per eundem dominum Benedictum summum Pontificem contentas in ipsis præsentibus literis cõfectis super concessione et commissione vicariatus, regiminis, et gubernationis prædictorum, mihi et eidem fratri meo Luchino factas, appositas, et omnia et singula, quæ continentur in eisdem literis, plenarie adimplebo et inuiolabiliter obseruabo; nec vllo vnquam tempore, durante vicariatu prædicto, veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet, et hæc sancta Dei euangelia. Adiunctum est nuncupatum ijsdem verbis a Luchino sacramentum; tum temporis nota apposita: *Datum et actum Mediolani*, et interiectis testium nominibus, *anno Domini* MCCCXLI. *indictione* IX. *die lunæ* VI. *mensis augusti*. Iussi denique sunt a Pontifice a Mediolanensis principatus proceres, vt Ioanni et Luchino creatis a sede Apostolica præfectis Mediolani, parerent.

Seruãdas superiores pactiones iureiurando confirmatum.

a An. 7. ep. cur. 29.

34 Tum pacandæ Italiæ studio Benedictus, Ioannem et Luchinum Vicecomites, quos paulo ante memoraui, rogauit ne qua Albertum et Mastinum Scaligeros iniuria lacesserent, nec excursione hostili in eorum terras prædatum irent, vel cum ipsorum hostibus auxilia coniungerent. Fecisse antea anno ineunte Luchinum cum Azone Corrigia fœdus, refert Ioannes Villanus b, vnaque cum Roberto Rege et Gonzaga Mantuano auxilijs fulciuisse, vt Parmam Mastino nepoti suo eriperet, sibique subijceret; vnde Albertus Scaliger in Mantuanum duxit: sed submittente Luchino copias Mantuano, amissis castris, recessit. Erepta ita Mastino Parma, cum Luca ab illo ob intercluſa itinera retineri non posset, Florentini in spem venere d de ipsa pretio aut armis comparanda. Vrebat eadem Pisanos cupiditas, ac Mastinus Lucam pretio distrahere constituit. Florentini eam vrbem ducentis quinquaginta aureorum millibus licitati e, cum votorum compotes euasisse putarent, Pisani inito cum Luchino fœdere, cuius amicitiam Francisco Postierla viro insignio prodito, quem contra fidem datam Luchino querelas de ipso ad Pontificẽ relatas vindicaturo cædendum tradidere, sibi compararunt f, valida obsidione Lucam cinxere. Cum Florentini, vt illos distraherent, primum in agrum Pisanum inuecti g, dein soluere obsidionem meditati, repulsi ac profligati fuere h: subinde trahere in belli societatem Robertum Siciliæ Regem sunt conati, in quem parta in Lucam iura transfudere i, cum aliter auxilia impetrare non possent: sed Robertus cum Pisanis, vt soluerent obsidionem minas intentasset, ipsos lacessere bello supersedit.

Imperata inter proceres Italos pax.

b Io. Vill. l. 11. c. 126.

c Eod. lib. cap. 128.

De Luca Pisani & Florentini disceptant.

d Super c. 126.

Leon. Aret. hist. Flor. l. 7.

e Io. Vill. l. 11. c. 129

f Cap. 130

Orta inde inter eos bella.

g Cap. 131

h Cap. 133

i Cap. 136

35 Implicitus sane pluribus alijs bellis erat Siciliæ Rex; in Pedemontio quidem Montisferrati marchio Astã illi eripuerat, atq; hostibus accessuri timebãtur Ioannes & Luchinus Vicecomites Mediolanenses, quos Pontifex nonis octob. monuit l, ne quam Roberti Regis clientibus ac subditis iniuriam inferrent: tum a tractatu de tradenda ipsis Asta discederent m, cum ea vrbs ad Robertum iure spectaret. Fœdabant etiam citeriorem Siciliam publici viarum grassatores, ad quam excindendam pestem, purgandumque regnum idoneos viros præfectos Pontifex, cui ea res vt supremo regni domino cordi erat, est Regi gratulatus. Agitabat etiam Robertus aliud bellum grauissimum, atque Siciliæ insulam ex Petri Aragonij iniuste regno incubantis manibus vindicare nitebatur, quem Benedictus, accepto ingenti ab eo instructo bellico apparatu pro recuperanda Trinacria, III. kal. martias ad iusta consilia perducenda magis incendit a. Tum Genuenses, quos Petro Aragonio studere audierat, grauissimis literis est adhortatus b, ne illi opem ferrent, cum Trinacriam iure fiduciario traditam a sede Apostolica Roberti auo Carolo I. inique occuparet; ob id in ipsum edicta apostolica & omnes ipsius studiosos lata, incussasque censuras: nonnullos tamen Genuenses diuini timoris oblitos, Messanæ, cum a classe Regis Roberti obsideretur, commeatus obsessis intulisse.

Pedemontium excursionibus infestatur.

l To 7. ep. secr. 295.

m Ib. ep. secr. 294.

Robertus Trinacriã repetere tentat.

Pontifex Genuenses illiciliare titur.

a Eod. b Eod. ep. sec. 197.

Dilectis filijs, rectori, consiliarijs, & communi ciuitatis Ianuensis.

36 Quantum cedat in animarum salutis dispendium ecclesiasticam censuram contemnere, quantumue fauere indeuotis & rebellibus Romanæ ecclesiæ, qui eam a longis retro temporibus varijs & continuatis iniurijs affecerunt, noscatur in diuinæ maiestatis offensam, nostrum, & Apostolicæ sedis contemptum & iniuriam, ac exempli perniciem redundare, vestra non potest nec debet prudentia ignorare. Nostis etiam, sicut est toti mundo notorium, quod post amaræ commotionis dissidium & proteruæ rebellionis insultum in insula Siciliæ contingentia, & subsequentes inuasionem & occupationem ipsius, per quondam Petrum olim Regem Aragonum attentatas, & per quondam Fredericum eius genitum cum successione vtique continuatas in culpam, multa prouenerunt Christianitati nõ facile numeranda discrimina, quæ guerrarũ dissidia, collisiones regnorum, animarum pericula, strages corporum, facultatum lapsus, & alia mala plurima induxerunt; et quia, dicto Frederico sublato de medio, Petrus eiusdem Frederici primogenitus dictam insulam etiam contra formam certæ pacis, & pacta iuramento firmata, dudum inter claræ memoriæ Carolum secundum Regem Siciliæ ac Fredericum prędictum inita, prosumptuosæ temeritatis audacia non sine magno nostro & eiusdem sedis contemptu occupauit, & detinet in animæ suæ periculum occupatam, & se nobis & eidem ecclesiæ inobedientem & indeuotum notorie constituit & rebellem; nos nolentes iura eiusdem Rom. ecclesiæ sponsæ nostræ, ad quam dicta insula cum alijs insulis sibi adiacentibus & tota terra citra farum regni Siciliæ iure directi dominij pertinet, neglecta dimittere, contra dictum primogenitum ac fratres suos, & quoslibet alios eisdem in detentione ipsius insulæ quouis modo præstantes auxilium, consilium, vel fauorem, nonnullos processus fieri fecimus [ea iudiciaria acta a patriarcha Constantinopolitano & episcopo Vasionensi A. S. internuntijs iam ante confecta attulimus] excommunicationis & interdicti sententias & pœnas alias continentes: qui publicati in diuersis mundi partibus solemniter extiterunt: quodque, sicut habet fidedignorum relatio facta nobis, nonnulli ex ciuibus vestris, Dei & nostra reuerentia procul pulsis, proprijs commodis inhiantes, ac pœnas & sententias contentas in dictis processibus incurrere non verentes; & specialiter quidam de Scursaficu, qui cum quadam sua naui ad requisitionem & instantiam dicti primogeniti ciuitatem Messanensem, tunc galeis chariſſimi in Christo filij nostri Roberti Regis Siciliæ illustris obsessam, & in magna victualium penuria constitutam conducendo ad eam nauim prædictam dictis victualibus oneratã victualibus muniuit eisdem cum eorum vasis naualibus in

Illatus a Ligure Messanam commeatus.

ipsius

ipſius primogeniti eiuſdem inſulæ detentoris illicitum ſuccurſum & ſubſidium acceſſerunt, in magnum contemptum dictorum proceſſuum, ac noſtram & eccleſiæ prædictæ iniuriam atque damnum, necnon graue diſpendium dicti Regis, non ſolum propriam, ſed ipſius Romanæ eccleſiæ cauſam & iuſtitiam proſequentis, cuius gentes propter amicitiam, quam vobiſcum idem Rex habere dignoſcitur, dictos veſtros ciues & vaſa naualia eorundem, cum potuiſſent offendere, noluerunt, &c.] Præcipit, vt auctoritati ipſorum obnoxios, qui fœderis cum ipſis initi leges & imperia apoſtolica infregerunt, meritis pœnis afficiant, atque alios earum terrore a ferendo occupatoribus Siciliæ auxilio ſubmoueant: cenſuras vero eccleſiaſticas ſe in ipſos, ni modum ijs poſuerint, diſtricturum. *Dat. Auin. non. decembris anno* VII. De geſto a Roberto Rege in Trinacria bello meminit Ioannes Villanus a immiſſamque quadragintaquinque triremium & aliarum nauium claſſem, validaque obſidione ab ea Melacium cinctum, quod ſequenti anno expugnatum viſuri ſumus. Fauebant vero Regi Roberto Palicij, quos a Petro Aragonio diſceſſiſſe ac geſſiſſe in eum arma, referunt auctores. b

37 Solutum porro Apoſtolicæ ſedi a Roberto Rege octo millium vnciarum auri cenſum accepti beneficio pontificio regni ergo, ſyngrapha Benedicti Papæ teſtatur c. Illatum d pariter a Petro Rege Aragonum duorum millium marcharum argenti vectigal pro Sardinia & Corſica iure beneficiario obtentis. Defuerat Aragonius officio die conſtituta, atque anathema contraxerat, & interdicto eccleſiaſtico regnum inuoluerat: perfectaque ſolutione, datæ e epiſcopo Ilerdenſi partes, vt cenſuras diſſolueret.

Benedictus, &c. venerabili fratri epiſcopo Ilerdenſi.

Pro parte chariſſimi in Chriſto filij noſtri Petri Regis Aragonum & Sardiniæ illuſtris propoſitum extitit coram nobis, quod ex eo, quod ipſe cenſum annuum duarum millium marcharum argenti bonorum & legalium Sterlingorum, nobis & eccleſiæ Romanæ in feſtiuitate beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli annis ſingulis ſoluendarum in Romana curia, vbicunque fuerit, debitum pro regno Sardiniæ & Corſicæ (quod a nobis & eadem eccleſia ſub eodem cenſu ac certis vaſſallagio, homagio ligio, & fidelitatis iuramento, alijſque pactis, conuentionibus, & conditionibus expreſſis in literis apoſtolicis, olim ſuper conceſſione dicti regni confectis, tenet in feudum) in termino feſti eorundem Apoſtolorum proxime iam elapſi, vel infra quatuor menſes poſt terminum prædictum ſubſequentes, certis neceſſitatibus ſuis, vt ex parte ipſius aſſeritur, præpeditus non ſoluit, excommunicationis & alias ſpirituales pœnas & ſententias, promulgatas & contentas in literis ſupradictis, incurrit & regnum prædictum Sardiniæ & Corſicæ ſubiacet eccleſiaſtico interdicto. Sane cum Rex præfatus de dicto cenſu pro eodem termino dicti feſti proximo præteriti noſtræ cameræ plenam fecerit dari præſentium ſatisfactionem impendi, prout in literis noſtris inde ſub eadem data confectis plenius continetur; nos eiuſdem Regis ſupplicationibus inclinati, abſoluendi præfatum Regem iuxta formam eccleſiæ ab huiuſmodi pœnis & ſententijs, quas ex cauſis præmiſſis incurrit, & interdictum relaxandi prædictum hac vice fraternitati tuæ plenam concedimus tenore præſentium facultatem: non intendentes propter hoc, vel quęuis alia præcedentia vel ſubſequentia, ſicut nec intelleximus hactenus, contentis in ſupradictis literis apoſtolicis ſuper conceſſione dicti regni, vt præfertur, confectis in aliquo derogare, nec immutare aliquid ſuper eis; ſed ea potius volumus & intelligimus in ſui roboris efficacia permanere. *Dat. Auin. xv. kal. iulij anno* VII.

38 Aſſerendorum etiam Romanæ eccleſiæ iurium cauſa, cum Vmbertus delphinus Viennenſis nobile municipium, cui Romans nomen inditum, oborta de eiuſdem municipij dominatione lite, bello vexaret, Benedictus municipum cliẽtelam ſuſcepit, atq; archiepiſcopo Lugdunenſi, epiſc. Valentino, & abbati S. Ruffi mandauit, vt imperatis inducijs apoſtolica auctoritate certamina dirimerent, conqueſtus violari in ea re eccleſiæ Romanæ maieſtatem. Vt enim lapſis retro temporibus illius vectigale fuiſſet, his verbis expoſuit a: *Licet villa de Romans Viennenſis diœceſis, ſicut ex regiſtris antiquis Romanæ eccleſiæ alijſque documentis legitimis clare patet, cenſualis de iure, ac pro parte ipſius Romanæ eccleſiæ ab antiquo fuiſſet & eſſet; ac nobilis vir Humbertus delphinus Viennenſis & officiales ſui præmiſſa, nec non quod archiepiſcopus Viennenſis, qui eſt pro tempore, ac dilecti filij capitulum eccleſiæ dictæ villæ nomine Viennenſis & prædictæ de Romans eccleſiarum villam ipſam cum mero & mixto imperio, ac omnimoda iuriſdictione, alta & baſſa, tenuiſſent ab antiquo ſub præfata Romana eccleſia, & tenere non ignorarent; tamen baliuus & aliqui officiales & gentes delphini præfati ipſius nomine, & eo ſciente vel mandante, ac ratum habente, villam prædictam de Romans de menſe aprilis proximo præteriti hoſtili de delphinatu & aliunde congregato exercitu, & vexillis explicatis obſiderunt, &c. Dat. Auin. non decembris anno* VII.

a *Eod to. 7 ep ſecr. 298.* Romana colonia in delphinatu Viẽné.

Vectigalis Romanæ eccleſiæ.

Repetita ſunt proximo anno eadem pontificia imperia b, de ponendis vtrinque armis, vt legum æquitate lis ſolueretur. Ad vindicandam etiam ab iniurijs & vi, quam inferebat Guillelmus comes Hannoniæ, Tornacenſem eccleſiam Pontifex iudicio in illum agi iuſſit c. Et de his hactenus.

Tornacenſis eccleſia ab Hẽnone oppreſſa. Intentatũ illi iudiciũ

39 In Polonia vigebat adhuc vetus cum equitibus Liuoniæ controuerſia, de qua ſuperius mentio facta eſt: cumq; Caſimirus Rex a Pontifice flagitaret, vt ſententiam ab apoſtolicis internuncijs latam in cruciferos cõfirmaret, ac Benedictus referentibus Cardinalibus, vitio eam non careré cõperiſſet; inter cętera enim ad Polonorum gratiã pronuntiata edixerant, vt Pomeraniam, quam Carolus Vngariæ & Ioannes Boemiæ Reges pacis arbitri attribuerant cruciferis, Polonis reſtitueret; apud Caſimirum ipſum hiſce literis ſe excuſauit d.

b *An. 8 ep. cur. 3.* c *An. 7 ep. com. 226.*

De Pomerania controuerſũ.

d *To. 7 ep. ſecr. 128.*

Benedictus, &c. Caſimiro Regi Poloniæ illuſtri.

40 Cum quandam ſententiam per dilectos filios Galhardum de Carceribus præpoſitum Titulenſis Colocenſis diœceſis, & Petrum Geruaſij canonicum Anicienſis eccleſiarum commiſſarios ſuper quæſtione inter te, fili chariſſime, ex parte vna, & dilectos filios magiſtrum & fratres ordinis B. Mariæ Theutonicorum ex altera depu tos, ſuper certis ducatibus ſiue terris infra regnum tuum Poloniæ, vt aſſeritur, conſiſtentibus auctoritate apoſtolica latam proſte, ac contra magiſtrum, commendatores, & fratres prædictos peterent a nobis ex noſtra certa ſcientia confirmari; nos petitioni huiuſmodi annuere, ſi iuſte valeret fieri, cu-

cupientes proceſſum per dictos commiſſarios ſuper predictis habitum & eandem ſententiam, nobis per ipſos nuntios exhibitos, examinari per quoſdam ex fratribus noſtris S. R. E. Cardinales fecimus diligenter. Et quia per relationem fidelem inde ab ipſis Cardd. nobis factam in dicto proceſſu notabiles inuenimus defectus, non potuimus decenter nec de iure confirmationem concedere poſtulatam.

[Quæ vero illa tandē ſententia a Galhardo e Carceribus & Petro Geruaſij internuntijs pronuntiata capita continuerit, indicat Michouias a verbiſque amplioribus Cromerus deſignat b: *Cum iudices a Pontifice delegati Varſauiæ cognoſcendæ cauſæ aliquandiu operam dediſſent, refutata friuola detrectatione et prouocatione cruciferorum, anno Chriſti nati* MCCCXXXIX. *adiudicarunt Caſimiro & Polonis Pomeraniam, Cuiauiam, Dobrinenſem, Culmenſem, & Michalouienſem ditionem: cruciferos autem ad centum nonaginta quatuor millia & quingentas marchas Polonicas pro damnis datis, itemque ad mille ſexcentas marchas impenſarum nomine condemnarunt. Adhæc, vt ÿ templa & monaſteria, in Polonia ſuperiore bello direpta & exuſta, inſtaurarent. Cumque iudicata non facerent, anathemate deuoti ſunt, & ſacris interdictum omnibus locis, quæ in ditione eorum eſſent, & ad quæ quiſpiam eorum perueniſſet.* Hactenus Cromerus. Ad controuerſiam arduam componendam, quæ annis pluribus cruciferorum & Polonorum arma exercuerat, Pontifex Guillelmum tit. S. Stephani in monte Cœlio presbyterum Cardinalem legatum in Poloniam miſit c: ac demum pacem ijs legibus ſancitam, vt Caſimirus Pomeraniam cruciferis dimitteret, refert Cromerus d, qui ob id inertiæ Caſimirum notat: cum tamen prudentiæ fuerit ſua in fidei hoſtes arma conuertere, ac regnum prouinciarum infidelium acceſſione amplificare. Subegerat e is anno ſuperiori Ruſſiam, redactamque in prouinciæ formam regno Polonico adiunxerat: qua de re (vt videtur) Pontifex ſubiectis verbis hoc anno eſt ei gratulatus f; vtque in finitimos, qui a fide catholica diſſentiebant, latius proferret victorias accendit, ac viros eccleſiaſticos commendauit].

a *Michou. l.4.c.17.* b *Crom. l.12. in Caſim.11*

Lata ab internuntijs ſententia.

Guill. Card. miſſus in Poloniam.

c *Ben. l.7. ſup. ep.128*

d *Chromi l.12.*

e *Michou. l.4. c.18.* Ruſſia ſuperior adiuncta Poloniæ.

De propagato imperio gratulatur Pōt. Caſimiro Regi Pol.

f *Super ep.128.*

41 Porro, fili dilectiſſime, de te gaudemus in Domino & plurimū conſolamur, quod ſicut gratis & placidis admodum percepimus relatibus, tu ad Deum & ſacroſanctam Romanam eccleſiam matrem tuam ingentis gerens deuotionis affectum, circa colendum, confouendum, & manutenendum in regno & terris tuis cultum iuſtitiæ ſtudijs virtuoſis intendens, ad repreſsionem & depreſsionem hoſtium crucis Chriſti, ac catholicæ dilatationem fidei magnanimiter & ſtrenue tanquam princeps Chriſtianiſsimus te laudabiliter impendiſti hactenus, & iugiter impendere non deſiſtis. Ideoque tuam rogamus excellentiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus conſideranter attendens, quod non inchoantibus, ſed perſeuerantibus eſt corona gloriæ repromiſſa, tam in deuotione prædicta, quæ te Deo ſemper acceptiorem efficiet, & proſperabit continuę facta tua; quam alijs prædictis & ceteris virtuoſis & laudabilibus actibus, ex quibus fama tui nominis & honoris incrementa ſuſcipiet felicia, mente ſincera & continuatione ſolida perſeueres: eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, in eiſdem & terris tuis conſiſtentes, habendo nihilominus in ſuis iuribus et libertatibus pro diuina et eiuſdem ſedis reuerentia, tuæque obtentu ſalutis propenſius commendatas, etc. *Dat. Auin. xv. kal. auguſti anno* VII.

42 Hic vero ſilentio prætereundum non videtur, Benedictum Papam, ne Polonicæ eccleſiæ iura iniuria temporum ſenſim obſoleſcerent, nonnulla illius vetera priuilegia, quæ nimirum Cracouienſi a Boleslao olim duce pietate ſpectatiſſimo principe collata fuerunt, hoc diplomate apoſtolico confirmaſſe. a

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Exhibita nobis pro parte venerabilis fratris noſtri Ioannis epiſcopi Cracouienſis petitio continebat, quod dudum recolendæ memoriæ Boleslaus Cracouiæ & Sandomiriæ dux de maturo conſilio & conſenſu militum ſuorum decreuit, & promiſit omnes libertates & priuilegia quæliber, per eum alias & duces Cracouiæ & Sandomiriæ prædeceſſores ſuos eccleſijs & perſonis quibuſcumque conceſſa, perpetuo inuiolabiliter obſeruare: ac nihilominus omiſſa & neglecta, ſeu etiam immutata a nonnullis prædeceſſoribus ſuis ſupplere, ac etiam reformare volens, eccleſiæ Craconienſi cæteriſque collegiatis ſecularibus & religioſis ac alijs quibuslibet eccleſijs in ſuo dominio conſtitutis certas libertates conceſſit, videlicet vt in villis, poſſeſſionibus, ac prouentibus, & quibuslibet bonis ſuis acquiſitis, & in poſterum quocumque titulo acquirendis, ab omni ſeruitio, ſeruitute, angaria, vexatione, telonio, ſolutione, collecta, & exactione generalibus & ſpecialibus, quocunque nomine cenſeantur; nec non a iuriſdictione omnium caſtellanorum, palatinorum, & quorumlibet iudicum ab ipſo duce & ſucceſſoribus pariter & nobilibus ſuis forent perpetuo penitus libera & exempta.

Voluit etiam dictus dux, quod epiſcopus & capitulum Cracouienſe, totuſque clerus a qualibet expeditione intra vel extra terminos ipſius ducis eſſent perpetuo liberi & exempti; ita quod de villis, poſſeſſionibus, & alijs bonis ſuis eccleſiaſticis ad expeditiones perſonaliter ire, vel aliquos homines mittere minime tenerentur: excepto dumtaxat, quod tempore incurſus ſubiti Lituanorum idem epiſcopus de Kyltien & Tarſen caſtellanijs homines ſuos ad expeditionem mittere teneretur: quos quidem & alias caſtellanias, olim eidem eccleſiæ Cracouienſi per prædeceſſores dicti ducis conceſſas, ab omni alia exactione, ſeruitio, ſeruitute, angaria, vexatione, ſtatione, ſolutione, exactione, collecta, telonio, & iuriſdictione generalibus vel ſpecialibus, quocumque nuncupentur nomine, dictus dux a ſe ac ſucceſſoribus ſuis, atque caſtellanis, palatinis, & iudicibus quibuſcumque voluit eſſe perpetuo liberas & exemptas; ita quod dictus epiſcopus in eis ducali & militari iure gauderet in venando, piſcando, & alia quæcunque vellet faciendo, quæ prædeceſſores eiuſdem ducis olim facere conſueuerant, cum omni iure, dominio, & honore: ac nihilominus idem dux iura & ſtationes, quæ in eiſdem caſtellanijs ſibi & ſuis ſucceſſoribus in ſignum dominij reſeruarat, per ſuum priuilegium relaxauit, prout hæc omnia & ſingula in eodem priuilegio, ſigilli autentici eiuſdem ducis appenſione munito, cuius tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dicti epiſcopi nobis extitit humiliter ſupplicatum, vt præmiſſa omnia & ſingula apoſtolico fulciremunimine dignaremur. Nos igitur huiuſmodi

ſup-

supplicationibus inclinati decretum, promissionem, concessionem, voluntates, & relaxationem prædicta rata & grata habentes, ea auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dicti priuilegij talis est.

Boleslai ducis de ea re diploma.

43 *In nomine Domini. Amen. Cum vsus rerum temporalium, ac eorum spatiosum dominium ad futuram gloriam promerendam nil conferant, nisi quatenus ad pias causas, seu charitatis opera conuertuntur; hoc solers nostrorum prædecessorum principum prouidentia diligenter aduertens, pro eadem consequenda gloria diuini cultus intuitu mirificas extruxit tam cathedralem, quam collegiatas, quam etiam religiosorum & regularium plures ecclesias multis possessionibus, prouentibus, ac bonis alijs, secundum exigentiam cuiuslibet ipsas copiose dotando, & varijs libertatibus, prærogatiuis, & priuilegijs decorando. Nos etiam Boleslaus, Dei gratia dux Cracouiæ & Sandomiriæ, tam salubribus eorum vestigijs inhærere volẽtes, vna cum sereniſſima genitrice nostra Grimyslaua de maturo consilio et cõsensu nostrorum militum decreuimus & prouidimus libertates & priuilegia qualibet per nos alias, et per nostros prædecessores concessas ecclesijs, et personis ecclesiasticis quibuscumq; perpetuo inuiolabiliter obseruare. Quinimmo quæ a nonnullis nostris prædecessoribus omissa, neglecta, seu etiam immutata fuerunt, suppiere ac reformare volentes; ad omnipotentis Dei gloriam & honorem, & B. Mariæ matris suæ virginis gloriosæ, sanctorumque martyrum Vvenceslai & Stanislai pontificis, Cracouiensis ecclesiæ patronorum, & in remissionem omnium nostrorum peccaminum; nec non precum venerabilis patris nostri domini Prandothæ, Dei gratia Cracouiensis ecclesiæ antistitis intuitu, eidem ecclesiæ cathedrali, cæterisque collegiatis secularibus, religiosis, & alijs quibuslibet ecclesijs in nostro dominio constitutis hanc concedimus libertatem, vt in villis, possessionibus, & prouentibus & quibuslibet bonis suis, olim sibi acquisitis & in posterum quocumque titulo acquirendis, ab omni seruitio, seruitute, angaria, vexatione, telonio, solutione, collecta, exactione, generalibus vel specialibus, quocunque nomine censeantur; nec non a iurisdictione omnium castellanorum, palatinorum, & quorumlibet iudicum sint perpetuo, a nobis & nostris successoribus pariter, & a nobilibus nostris, penitus liberæ & exemptæ: et sic ea, quæ dicti prædecessores nostri singularibus impenderunt ecclesijs, nos in testamentum sempiternum generaliter omnibus ecclesijs impendamus.*

Immunitates Cracouiensis ecclesiæ.

Insuper vt episcopus cum clero suo possit diuinis laudibus liberius insistere & inuigilare, præsertim hostilitatis tempore, orationibus ipsum, qui per tempora fuerit episcopum, & capitulum suum, totumque clerum ab expeditione qualibet intra vel extra terminos nostros perpetuo volumus esse liberos & exemptos; ita videlicet, quod de villis, possessionibus, & alijs bonis suis ecclesiasticis venire personaliter, aut aliquos homines ad expeditiones mittere minime teneantur: hoc dumtaxat excepto, quod tempore incursus subiti Lithuanorum, de Kyltyen, & Tarsen castellanijs, episcopus homines suos ad expeditionem, prout in alio quodam nostro priuilegio distinximus, mittere teneatur. Quas etiam castellanias, pariter & alias, per nostros prædecessores olim prædictæ Cracouiensi ecclesiæ attributas, ab omni alia expeditione, seruitio, seruitute, angaria, vexatione, statione, solutione, exactione, collecta, telonio, & iurisdictione generalibus vel specialibus, quocumque nomine nuncupentur, a nobis & nostris successoribus atque a castellanis, palatinis, & iudicibus quibuscumque perpetuo volumus esse liberas & exemptas; ita quod episcopus prorsus in eis gaudeat iure ducali & militari in venando, piscando, & alia quæcumque voluerit faciendo, quæ nostri prædecessores olim facere consueuerunt, cum omni iure, dominio & honore. Insuper quæ in dictis castellanijs iura & statione in quodam alio priuilegio nobis & nostris successoribus in signum dominij reseruauimus ex præmissis causis per præsens priuilegium relaxamus. In cuius rei perpetuam memoriam præsentem paginam nostri sigilli autentica appensione per manum Tvvardoslay nostræ curiæ subcancellarij duximus roborandam. Actum & datum in colloquio, iuxta Sandomiriam in Blone celebrato, anno Domini MCCLVIII. *idus iunij, præsentibus nostris nobilibus infrascriptis, Adam castellano Cracouiensi, Segneo palatino Sandomirienſi, Nicolao palatino Cracouiensi, Boguslao castellano Sandomirienſi, Boguta castellano Vvislicensi, Petro castellano Lublinensi, Vislao castellano de Malogosch, Iacobo castellano de Vvoynicz, Petro castellano de Czechouu, Ioanne iudice Sandomirienſi, Nicolao iudice Cracouiensi, Vvarshyo dapifero Sandomirienſi, Falislao pincerna Sandomirienſi, Guenomiro dapifero Cracouiensi, Pelca subcamerario Cracouiensi Laurentio subdapifero Sandomirienſi, Michaele subdapifero Cracouiensi, & alijs militibus infinitis.* Nulli ergo &c. *Dat. Auin.* II. *id. maij anno* VII.

Migrasse hoc anno ad meliorem vitam Nankerum episcopum Vvratislauiensem insignem sanctitate tradunt, quos paulo ante memoraui, historici Poloni, de quo hæc digna memoria refert Michouias [a]: *In morte eius quædam religiosa famina suauissimum audiuit cantum, cui reuelatum est, animam Nankeri episcopi Vvratislauiensis ab angelis in cælũ deferri.* Et infra: *Fertur hic episcopus miræ deuotionis ac magnæ abstinentiæ fuisse, & missas quotquot legi poterant in ecclesia, in qua aderat, audiuisse & ad quamlibet earum specialem oblationem obtulisse.* Hactenus de occidentalibus rebus: nunc orientales aggrediamur.

Nankeri episc. Vvratisl. pia mors.

[a] Michou. l. 4. c. 23.

44 Graues in Cypro sunt exortæ dissensiones [b] inter Hugonem Regem & illius generum Ferrandum e Maioricis Iacobi Balearium Regis fratrem, qui Eschiuiam Hugonis filiam duxerat vxorem: adeoque creuerant odia, vt fugam Ferrandus meditari sit visus, ac Rex de capitis discrimine illi inferendo pene ambigeret. Reuocandæ vero inter eos mutuæ concordiæ desiderio Pontifex Ferrandum est adhortatus [c], vt quibus par erat officijs demissisque obsequijs socerum Regẽm prosequeretur: Hugonem [d] vero mulcere nisus, vt iras poneret, & generum amore paterno complecteretur, neue iniuria aliqua afficeret rogauit: *Sane*, inquit, *fili dilectissime, quia tuam decet excellentiam non solum refrænare a talibus motus tuos, sed etiam pro ipso nobili genero tuo, qui per te haberi debet vt filius, consilium in suis actibus capere, vt feliciter & prospere sub tua directionis culmine dirigantur; magnificentiam rogamus regiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus præmissa, nec non quod si confunderetur idem nobilis, quod auertat Dominus, in tuum & filiæ tuæ vxoris suæ opprobrium & dispendium gaudiumque tuorum æmulorum fidei hostium orthodoxæ, a te non longe distantium, redundaret; possentque inde pericula & incommoda grauia tibi & regno tuo nociua, quod absit, subsequi; præsertim cum, vt regia prudentia non ignorat, ipse de potentum*

Dissensio in Cypria regia.

[b] To. 7. ep. secr. 199. Sur. l. 7. c. 55.

[c] ib. ep. 200

[d] Super ep. 199.

Ad eam pacandã incumbit Pont.

tum domorum regalium profapia proceſſerit, quæ in eius iacturis & læſionibus proculdubio laderentur. Dat. Auin. xvi. kal. nouembris anno vii.

Coniuncta ab Aragone ſtudia.

Miſiſſe Petrum Regem Aragonum in Cyprum ad conciliandas eas diſcordias oratorem Martinum Lopezium, qui Aragonum arma, ſi in generum ſocer ſtatueret grauius aliquid, intentaret; pacemque demum in regiam Cypriam reuocatam, refert Surita a.

a Sur. l. 5. c. 55.

Pullulant in Armenia hæreſes.

45 In Armenia fœdiſſimæ hæreſes his temporibus pullularunt, in eamque finitimi Saraceni varijs excurſionibus grauiſſimas clades intulerunt. Exoraturus vero occidentalium auxilia Leo Armeniæ Rex, oratores legauit ad Benedictum, qui grauiſſimis literis Armenum monuit, nullum ad frangendos hoſtium impetus munimentum fortius ac præſtantius eſſe diuina clientela, cuius promerendæ gratia excindendi eſſent errores, qui Armeniam fœdarant: tum quæ ad reſtituendam ſuo ſplendori incorruptam Romanæ eccleſiæ fidem præſtanda eſſent, edocuit. b

b To. 7 ep. ſec. r. 137.

Benedictus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Leoni Regi Armeniæ illuſtri.

Nuntios patienter, fauorabiliter, & benigne audiuimus, & quæ per ipſos propoſita & petita coram nobis fuerunt pro parte regia, pleno collegimus intellectu: cumq; ipſi oppreſſiones, moleſtationes, & afflictiones varias tibi, fili chariſſime, regno, & regnicolis tuis illatas ab infidelibus, & quæ inferuntur iugiter exponentes, a nobis ſubſidium ſuper hoc humiliter poſtularint, eis duximus reſpondendum: nos diſpliciibiliter admodum nonnullorum fidedignorum relatibus inculcatis auribus noſtris ſæpius audiuiſſe, multorumque depoſitionibus teſtium de ſtatu partium illarum notitiam, vt dicebant, habentium a nobis pro informatione noſtra pleniori receptorum ſuper hoc percepiſſe, quod tam in maiori, quam in minori Armenia nonnulli execrandi errores tenentur a multis, & dogmatizantur ibidem contra fidem catholicam, quam tenet, docet, & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia mater omnium fidelium & magiſtra; quamobrem, ſi relatibus huiuſmodi ſuffragaretur veritas, nos & eccleſia ipſa cum ſinceritate & honeſtate non poteramus tenentibus & dogmatizantibus errores huiuſmodi auxilium impertiri. Subſequenter autem volentes iuxta ſalutarem Domini noſtri doctrinam deſcendere, ac ſcire clarius, ſi præmiſſa quæ audiueramus, vt præfertur, de huiuſmodi erroribus vera eſſent; per viam inquiſitionis iudicialis & ſolemnis, vrgente conſcientia, ſuper his procedentes teſtes multos, habentes ſimiliter de ſtatu partium ipſarum notitiam, recipi fecimus & audiri, per quorum depoſitiones fideliter in ſcriptis redactas etiam per libros, qui per Armenos & habentur communiter, vt aſſeritur, coram nobis exhibitos; de ipſis erroribus peſtiferis, quibus damnabiliter per nonnullos animæ decipiuntur, proh dolor! in illis partibus, conſtitit euidenter. Vt autem de illis quos te, fili chariſſime, deteſtari & execrari credimus, tua magnificentia valeat informari plenius, & ad eos extirpandos de illis partibus, prout ad te pertinuerit, operam dare commodius efficacem; ecce quod illos diſtincte ſcriptos in libello præſentibus intercluſo regiæ prudentiæ deſtinamus.]

Fuſæ de ijs querelæ a Pont.

Rogatus Leo, vt regia ſtudia ad tollendos eos errores collocet.

Addit Pontifex gerere ſe in votis, vt præſules Armeni celebrent ſynodum, in qua, damnatis pulſiſque ijs erroribus, pia Romanæ eccleſiæ dogmata profiteantur: ea enim perfecta re, ſe Armenos arctiſſima beneuolentia complexurum. Ad ſuccidenda etiam errorum germina præfocandaq; conſuluit Leoni dare operam, vt decretalium libri ab eccleſia Armena exciperentur, quibus illa in poſterum regeretur: tum enim hoſtium potentiam fractum iri, cũ orthodoxa religio refloruerit. Suaſit etiam, vt viros prudentia conſpicuos ad ſedem Apoſtolicam mittendos curaret, qui de veritate ad diſcutiendam errorum caliginem conferrent: actum, ſi viſum fuerit, viros theologica ſcientia excultos legatum iri, qui doctrinæ ſplendore Armenos colluſtrarent: ad quæ in opus reuocanda additæ ad Leonem preces, vt regia ſtudia in ea re collocaret.

Solicitat præſules ad eos abolẽdos.

46 Hortatus eſt alijs literis eodem die, nempe kal. auguſti, exaratis Pontifex Armenorum catholicon a, vt diligentiam in celebranda ſynodo adhiberet, atque errores in libello deſcriptos confutatoſque damnaret: vtque in id ſtudia ſua cõferrent, archiepiſcopos S. Thadæi in maiori Armenia, Nauarzanenſem, Tarſenſem, & Soldanenſem ſolicitauit b. Conceptæ vero ſunt his verbis ad catholicon datæ literæ. c

a Rod. an. ep. ſeq. 138.

b Ibid. ep. 139. 140. & 144.

c Supra 138.

Benedictus, &c. dilecto in Chriſto fratri catholico Armenorum ſpiritum gratiæ ſalutaris.

Dudum ad audientiam noſtri apoſtolatus extitit quorundam fide dignorum relatione perductum, quod tam in maiori, quam in minori Armenia nonnulli deteſtandi & execrandi tenentur errores, & dogmatizantur contra fidem catholicam, quam tenet, docet, & prædicat ſacroſancta Rom. eccleſia mater omnium fideliũ & magiſtra. Et licet nos huiuſmodi relatibus fidem ab initio nollemus credulam adhibere, poſtmodũ tamen ad credendum ea mentem noſtram dicta quorundam teſtium, qui de ſtatu partium illarum plenam ſe dicebant habere notitiam, compulerunt. Sed adhuc antequam præmiſſis fidem vellemus plenariam adhibere, indagare volentes plenius veritatem per viam inquiſitionis iudicialis & ſolemnis, multos teſtes, qui ſimiliter ſtatum, conditiones, & obſeruantias dictarum partium ſe noſſe dicebant, recipi fecimus & audiri: per quorum depoſitiones fideliter in ſcriptis redactas, ac per libros, quibus vti aſſeruntur Armeni communiter, coram nobis exhibitos, de huiuſmodi erroribus conſtitit euidenter. Deſiderantes itaque errores eoſdem, quibus decipiuntur, immo (quod valde dolendum eſt) perimuntur animæ, de illis partibus penitus extirpari; teque frater ac tuos ſubditos & Armenos quoslibet, qui ſe Chriſticolas profitentur, ſic eſſe ac manere incluſos in ouili dominico, cuius eſt vnus paſtor, vt noſtri, ac fortes & ſinceros perſiſtere in fide catholica, quod lupus rapax inuiſibilis, qui circuire nõ ceſſat quos deuoret, oues dominicas, extra illud reperire nequiret quomodolibet oberrãtes; ſupradictos errores in quodam libello diſtincte ſcriptos tibi mittimus præſentibus intercluſos, vt ad eorum extirpationem melius & vtilius procedere valeas, vt optamus.

Date eos literæ.

Vt excommunicati ſint libri in quibus ij errores continentur.

Conſilium Benedicti celebrandi ſynodum ab Armenis.

47 Ideoque fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur in domino Ieſu Chriſto, quatenus quantum errores prædicti periculoſi ſint conſideranter attendens, prælatis partium Armeniæ alijſque viris eccleſiaſticis, de quibus fuerit expediens, ad celebrandum concilium celeriter conuocatis, & in eodem concilio intellectis dictis erroribus & diſcuſſis, illos velut peſtiferos, dictæq; fidei catholicę inimicos condemnes, & per dictum concilium condemnari & præſcindi facias; ſtatuendo & ordinando fidem ipſam abſque mixtio-

tione illorum vel aliorum errorum quorumlibet teneri, prædicari, & coli per partes eaſdem, ſicut eadem Romana mater eccleſia, apud quam ipſius fidei magiſterium reſidere noſcitur, prædicat, tenet, & docet. Sciturus, quod ſi tu ac prælati & ſubditi partium prædictarum hæc adimpleueritis, recognoſcendo effectualiter eiuſdem eccleſiæ Romanæ primatum, nos & ſedes Apoſtolica, vobis paternæ charitatis & dilectionis amplexibus occurrentes, erga vos prompti reperiemur & propitij continue in nuncijs, fauoribus, & auxilijs opportunis: nempe ad euellendas amaras, peſtiferas, & nociuas errorum prædictorum radices, ne vlterius plantas emittere valeant infectiuas, non parum opportunum, immo plurimum vtile crederetur in eodem conuocando concilio ſalubriter ordinari, quod libri decretorum & decretalium, aliaque dicta ſanctorum patrum, & inſtituta canonum, prout illa habet & tenet præfata Romana eccleſia, in illis partibus a prælatis & clericis pro vera informatione fidei ac morum, & obſeruantiarum ſalutarium ipſius Romanæ eccleſiæ, haberentur. Super quibus tua fraternitas, vt hæc ordinentur, & ad effectum deducantur efficacem, det operam, & ſuper hoc nobis ſcribat.

Decreta-lia in ea promul. gandas.

Tenemus quidem indubie, quod ſi ſplendor eiuſdem fidei ſub magiſterio dictæ ſedis Apoſtolicæ luceret in illis partibus, errorum quorumlibet caligine profugata, hoſtes ipſius fidei aduerſus fideles, qui ſemper haberent fidem ipſam, eos potentia diuinæ dexteræ protegente, minime præualerent. Demum ſatis videretur expediens, ac nobis & eidem ſedi redderetur acceptum, ſi habita ſuper prædictis, vt præmiſimus, deliberatione concilij prouida & vnanimi, viri aliqui literarum ſcientia præditi, veritatis & fidei zelatores pro parte tua & aliorum, qui fuerunt in eodem concilio, ſufficienti poteſtate muniti, ad nos & ſedem mitterentur prædictam: cum eis quidem ratiocinari circa præmiſſa poterimus melius & plenius, ipſique viâ veritatis, per nos eiſdem oſtenſam, clarius & efficacius manifeſtare valebunt. Et ſi tunc nobis & dictæ ſedi expediens videretur, viros alios doctos in lege Domini, probitatis & fidelitatis maturitate conſpicuos, pro informatione pleniori fidei ac morũ & obſeruantiarum eccleſiæ Romanæ prædictæ, aliiſque virtutibus inſerendis ad partes illas poterimus deſtinare. Porro literas, quas quibuſdam prælatis Armeniæ ſuper præmiſſis dirigimus, tua prudentia e veſtigio mittere non poſtponat. *Dat. Auin. kal. auguſti anno VII.* Qui vero ij errores fuerint cenſura pontificia notati, ex ipſo Benedicti libello a ad Armenos tranſmiſſo patebit.

Mittẽdos deinde ad ſedem Apoſt. ora tores.

a Extr. in M.S. arch. Vat. de rub. Tart. Armenor. Cre pag. 10.

In nomine Domini. Amen.

48 Cum dudum ad audientiam ſanctiſſimi patris & domini noſtri domini Benedicti, diuina prouidentia, Papę XII. & etiam diu ante, dum erat in Cardinalatus officio conſtitutus, ad audientiam felicis recordationis domini Ioannis Papæ XXII. prædeceſſoris ſui ſæpiſſime peruenisſet, quod Armeni in & de his, quæ ad fidem & credentiam pertinent Chriſtianam, communiter in vtraque Armenia, vel ſpecialiter in vna vel in alia Armenia, aut aliqui de vna vel de alia tenebant & docebant, vel etiam prædicabant errores varios ſeu diuerſos tam contra diuinam ſcripturam, concilia generalia, quam etiam contra illa, quæ determinauit, docet, & docuit, ac prædicauit & prædicat ſancta Romana eccleſia mater omnium & magiſtra; volens idem dominus noſter Papa ſuper prædictis & eorum ſingulis inquirere ac ſcire plenius veritatem, ad ſui præſentiam fecit venire plures Armenos, & aliqui etiam ex eis venerunt ad eandem præſentiam per ſeipſos, aliquos etiam ex Latinis qui fuerant in partibus Armeniæ, audiuerãtq; dictos Armenos errores multos dogmatizantes atque tenentes, fecit ad ſe venire, a quibus Armenis & Latinis, videlicet ab aliquibus eorum, per dictum dominum noſtrum Papam, & ab alijs per reuerendum patrem dominum Bernardum tit. S. Cyriaci in thermis presbyterum Cardinalem de mandato ipſius domini Papæ receptum extitit iuramentum, quod ipſi ſuper prædictis & alijs, quæ in dictis partibus vel alibi ab eiſdem Armenis audiſſent, vel ſcirent ipſos tenere, docere, vel prædicare, plenam & meram tam de ſeipſis, vt de principalibus, quam de alijs perſonis viuis & defunctis, vt teſtes confiterentur & deponerent veritatem. Ipſis itaque ſic receptis & eis poſtmodum, videlicet illis, qui linguam Latinam nec loqui nec intelligere ſciebant, per interpretes idoneos, & alijs qui vtramque linguam, ſcilicet Armenam & Latinam loquì & intelligere ſciebant, per ſe; nec non & quibuſdam libris in Armena lingua ſcriptis ipſi domino noſtro Papæ traditis per aliquos de dictis Armenis, quibus vt plures ex eiſdem Armenis aſſeruerunt & adhuc aſſerunt, communiter vtuntur Armeni tam in maiori Armenia, quam minori, diligenter examinatis; ad hæc eis certo notario apoſtolico aſſignato, qui depoſitiones & confeſſiones, dum fiebant, & errores certos, dum de prædictis libris interpretarentur, ſeu extraherentur per certas perſonas vtramque linguam, ſcilicet Armenam & Latinam, intelligere ac loqui ſcientes, redigebat & redigit in ſcriptis; conſequenter ex depoſitionibus & confeſſionibus eorum inuentum eſt dictos Armenos vel aliquos ex eis tenere, credere, & docere articulos infraſcriptos.

Vt perfacta fit ad ſedem Apoſt. de grauibus vtriuſque Armeniæ erroribus grauis ſa ma.

Inſtituta de ijs iudiciaria inquiſitio.

Adhibiti interpretes fidi.

49 I. Et primo quod aliqui antiqui magiſtri Armenorum dixerunt & prædicauerunt, quod Spiritus ſanctus procedit a Filio ſicut et a Patre, ſed a ſexcentis & XII. annis citra magiſtri & prælati & alij Armeni de maiori Armenia dimiſerunt prædicare et dicere, quod Spiritus ſanctus procedat a Filio ſicut et a Patre, quia dicto tempore factum fuit concilium apud Armenos, vbi fuerunt catholicon et epiſcopi ac magiſtri Armenorum et patriarcha Surianorum, et ibi determinauerunt, quod de cætero non diceretur apud eos, quod Spiritus ſanctus procederet a Filio ſicut et a Patre: et condemnauerunt antiquos doctores Armenorum, qui fuerunt ante dictum concilium, eo quod dixerant et docuerant, quod Spiritus ſanctus procedit a Filio ſicut et a Patre: et ex tunc omnes Armenos, qui tenuerunt et docuerunt quod Spiritus ſanctus procedebat a Filio ſicut et a Patre, perſecuti ſunt incarcerando eos, et in vinculis ponendo. Et ſic apud Armenos nullus audet hoc dicere vel docere, niſi ſoli illi, * reuniti ſunt ſanctæ Romanæ eccleſiæ: et ſi quandoque inueniatur in libris eorum poſitum, quod Spiritus ſanctus procedat a Filio, hanc proceſſionem * temporali ad ſanctificandam creaturam, et non de proceſſione eius æterna, qua proceſſit æternaliter a Patre et Filio in eſſe perſonaliter *.

Quinam errores ij fuerint.

Aduerſus proceſſionem Spiritus ſancti.

* qui

* de

* intelligẽdã dicunt

II. Item quod Armeni articulum fidei in ſymbolo poſitum de Spiritu ſancto ſic pronuntianti:

tiant: *Credo in Spiritum ſanctum increatum & perfectum, qui locutus eſt in lege & prophetis & in euangelijs, & deſcendit in Iordane, & prædicauit in Apoſtolis, & habitat in ſanctis*; nullam mentionem facientes, quod Spiritus ſanctus procedat a Patre vel a Patre et Filio. Quando tamen legunt euangelium Ioannis, vbi dicitur, quod Paraclitus procedit a Patre, hoc dicunt & confitentur; ſed multi ex eis negant, quod Spiritus ſanctus procedat a Filio: & ſi aliqui hoc credant, tamen non audent hoc manifeſte dicere. Et licet in concilio Chalcedonenſi non fuerit determinatum expreſſe, quod Spiritus ſanctus procederet a Filio ſicut a Patre, ſed hoc fuerat determinatum in concilijs Conſtantinopolitano & Epheſino; quia tamen concilium Chalcedonenſe approbauit determinata in dictis concilijs prioribus, ideo reprobando dictum concilium Chalcedonenſe dicti Armeni, reprobauerunt dicta concilia, quæ per dictum concilium approbata fuerunt; inter quæ erat, quod Spiritus ſanctus procedit a Filio ſicut & a Patre.

50 III. Item quod in dicto concilio reprobauerunt concilium Chalcedonenſe ex eo principaliter, quod in dicto concilio Chalcedonenſi fuerat determinatum, quod in domino Ieſu Chriſto erant duæ naturæ, humana ſcilicet & diuina, & vnica perſona ſubſiſtens in duabus naturis: & in dicto concilio determinauerunt, quod ſicut in domino Ieſu Chriſto erat vnica perſona, ita erat vna natura, ſcilicet diuina, & vna voluntas & vna operatio, & anathematizauerunt dicentes cõtrarium: & illos, qui contrarium dicebant, perſecuti ſunt, eos incarcerando, vinculãdo, & morti tradẽdo. In dicto etiam concilio damnauerunt B. Leonẽ Papam & epiſtolas eius, quas miſerat ad concilium Chalcedonenſe & ad Flauianum patriarcham Conſtantinopolitanum, in quibus B. Leo ſcripſerat, quod in domino Ieſu Chriſto erant duæ naturæ & vna perſona, duæ voluntates, & duæ operationes. In dicto etiam concilio Dioſcorum condemnatum per dictum concilium Chalcedonenſe canonizauerunt, & pro ſancto haberi voluerunt, & adhuc ter in anno faciunt feſtum de eo ſicut de ſancto, & eum laudant vt ſanctum; & maledicunt beatum Leonem & concilium Chalcedonenſe, qui damnauerunt dictum Dioſcorum. Dicunt etiam, quod illi, qui conſenſerunt determinatis in dicto concilio Chalcedonenſi, Chriſtum negauerunt.

Aduerſus diſtinctionem naturarum in Chriſto.

IV. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod peccatum primorum parentum perſonale ipſorum tam graue fuit, quod omnes eorum filij ex ſemine eorum propagati vſque ad Chriſti paſſionem merito dicti peccati perſonalis ipſorum damnati fuerunt, & in inferno poſt mortem detruſi, non propter hoc quod ipſi ex Adam aliquod peccatum originale contraxerint, cum dicant pueros nullum omnino habere originale peccatum, nec ante Chriſti paſſionem nec poſt; ſed dicta damnatio ante Chriſti paſſionem eos ſequebatur ratione grauitatis peccati perſonalis, quod commiſerunt Adam & Eua, tranſgrediendo diuinum præceptum eis datum: ſed poſt Domini paſſionem, in qua peccatum primorum parentum deletum fuit, pueri qui naſcuntur ex filijs Adam non ſunt damnationi addicti, nec in inferno ratione dicti peccati ſunt detrudendi, quia Chriſtus totaliter peccatum primorum parentum deleuit in ſua paſſione.

De originali peccato male ſentiunt.

V. Item quod quidam magiſter Armenorum vocatus Mechitariz, qui interpretatur paraclitus, de nouo introduxit & docuit, quod anima humana filij propagatur ab anima patris ſui, ſicut corpus a corpore, & angelus etiam vnus ab alio; quia cum anima humana rationalis exiſtens, & angelus exiſtens intellectualis naturæ ſint quædam lumina ſpiritualia, ex ſe ipſis propagant alia lumina ſpiritualia; & in hoc ſecuntur eum quaſi omnes de prouincia Argicienſi, quæ eſt magna prouincia, continens ſeptem diætas. Alij vero Armeni non dicunt hoc, ſed quod Deus omnes animas creat. Et Armeni de dicta prouincia habent illum Mechitariz pro ſancto.

Mechitariz hæreſiarcha.

51 VI. Item dicunt Armeni, quod animæ puerorum, qui naſcuntur ex Chriſtianis parentibus poſt Chriſti paſſionem, ſi moriantur antequam baptizentur, vadunt ad paradiſum terreſtrem, in quo fuit Adam ante peccatum: animæ vero puerorum, qui naſcuntur ex parentibus non Chriſtianis poſt Chriſti paſſionem, & moriuntur ſine baptiſmo, vadunt ad loca, vbi ſunt animæ parentum ipſorum.

Error de animabus puerorum.

VII. Item quod dicti Armeni dicunt, quod animæ hominum adultorum, qui mortui ſunt vel morientur poſt Chriſti paſſionem, vadunt in aere vel in terra, quæ eſt iuxta paradiſum terreſtrem, vel alibi, vbi Deus ordinat ipſas manere vſque ad diem iudicij, ſiue ſint Chriſtiani ſiue non: nulla tamen anima ipſorum vadit ad infernum, vel paradiſum cæleſtem vel terreſtrem, vſque ad dictum tempus iudicij. Et, vt dicunt, animæ puerorum non baptizatorum ad generale iudicium venient cum corporibus ſuis, & poſt iudicium ibunt ad paradiſum terreſtrem, in quo volabunt ſicut columbæ de vna arbore ad aliam, & ſicut angeli de cælo ad terram, & de vna parte terræ ad aliam: non tamen habebunt gloriam, nec ſuſtinebunt pœnam aliquam. Poſt generale iudicium animæ adultorum ibunt ad loca, quæ eis deputabuntur poſt dictum generale iudicium.

De animarum ſtatu.

VIII. Item quod Armeni dicunt, quod animæ puerorum baptizatorum, & animæ multum perfectorum hominum poſt generale iudicium intrabunt in regnum cælorum, vbi carebunt omni malo pœnali huius vitæ, quia nec eſurient, nec ſitient, nec alios defectus humani corporis ſentient, nec nubent, nec nubentur; ſed erunt ſicut angeli Dei in cælis: nec peccare poterunt, nec cadere a ſtatu, in quo erunt. Non tamen videbunt Dei eſſentiam, quia nulla creatura eam videre poteſt: ſed videbunt claritatem Dei, quæ ab eius eſſentia manat, ſicut lux ſolis emanat a ſole, & tamen non eſt ſol: & in dicta viſione dictæ claritatis erunt diuerſi gradus, ita quod perfectius dictam claritatem videbunt angeli quam quicumque homines, & prophetæ, & Apoſtoli; ac martyres & virgines, quam pueri baptizati: & in hoc dicunt, quod conſiſtet ſanctorum perfectorum & puerorum baptizatorum beatitudo.

Aduerſus viſionem beatificã.

52 IX. Item de pueris non baptizatis & de non perfecte iuſtis hominibus, qui ſcilicet non peruenerunt ad perfectionem Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, & virginum, Armeni dicunt, quod poſt generale iudicium ibunt ad paradiſum terreſtrem & non cæleſtem, vbi carebunt omni moleſtia corporali & delectabuntur inter ligna paradiſi: non tamen comedent, nec bibent, nec nubent, nec nubentur, & ita perpetuo ibi manebunt, et in hoc conſiſtet eorum beatitudo. Differentia tamen erit inter pueros non baptizatos Chriſtianorum filios et adultos non perfecte iuſtos,

Figmentum de paradiſo terreſtri.

ſtos, quia adulti non perfectè iuſti habebunt coronam de lumine ignis, quo terra comburetur ante iudicium: videbunt etiam claritatem ligni crucis Chriſti, quæ claritas tunc maxima erit; quia omnes claritates, quæ ſunt in hoc mundo, adiungentur claritati crucis Chriſti, & dicti adulti ſecundum quod magis vel minus perfecti erunt, dictas coronas luminis differentes habebunt, & dictam claritatem crucis Chriſti differenter videbunt ſecundum eorum merita: dictas tamen coronas luminis non habebunt pueri non baptizati, nec videbunt claritatem crucis Chriſti: & in hoc erit differentia inter eos.

Et de ſtatu mediocriter malorum.

X. Item dicunt quod mediocriter homines mali Chriſtiani poſt generale iudicium non ibunt ad paradiſum cæleſtem vel terreſtrem, ſed manebunt in terra, in qua nunc habitant homines, quę tota erit plena arboribus ſicut paradiſus terreſtris: & tamen non comedent nec bibent, nec ex tunc morientur: & hic locus dabitur eis ex hoc, quod mediocriter mali fuerunt. Vocant autem homines mediocriter malos homines coniugatos, & alios in ſeculo communiter viuentes.

XI. Item de multum malis hominibus, ſicut ſunt generaliter omnes infideles, & Chriſtiani malam vitam & peccatricem ducentes, habent duas opiniones, quorum vna eſt, quod tales poſt generale iudicium ponentur in oceanum, quod tunc erit igneum, & ibi grauiter cruciabuntur per vermes, qui ibi erunt, qui ita magni erunt ſicut dracones, & ſicut magis vel minus peccauerunt, ita dicti dracones vel maiores vel minores erunt; quia, vt dicunt, ſtatim quando homo grauiter peccat, dictus draco naſcitur in oceano & creſcit ſecundum quod plus vel minus homo peccat: & aliqui ex hominibus malis, qui multa peccata & diuerſa commiſerunt, plures dracones ibi habebunt, quorum vnus cruciabit eos in oculis, & alter in auribus, & ſic de alijs membris. Cruciabuntur etiam ibi dæmones, qui ibi cum eis erunt, iuxta illud quod Dominus dicturus eſt malis: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius*; et ita perpetuo ibi mali homines cruciabuntur. Alia vero opinio eorum dicit, quæ magis communis eſt apud Armenos, quod poſt generale iudicium nullus infernus erit, nec nunc eſt, nec fuit poſtquam Chriſtus ad inferos deſcendit, & infernum totaliter deſtruxit: ſed vnuſquiſque peccator peccato, quod commiſit, cruciabitur, & ſecundum quod plus vel minus peccauit, ſecundum hoc plus vel minus a dictis peccatis cruciabitur: & ſic talia peccata dicuntur eſſe infernus, in quo peccatores poſt generale iudicium cruciabuntur.

Et de inferno deſtructo.

53 XII. Item prædicti Armeni dicunt, quod homines mediocriter mali in iudicio cum operibus ſuis ponentur in ſtatera, & ſi plus ponderauerint eorum mala, quam bona, tunc ponentur in oceanum ſecundum prædictam opinionem, de qua ſupra dictum eſt, & affligentur ibi ſecundum quod demeruerunt. Si vero plus ponderauerint eorum bona quam mala, tunc ponentur in iſta terra, quæ erit arboribus plena; non tamen ita delectabilis, ſicut eſt paradiſus terreſtris. Si vero bona eorum & mala æqualiter ponderent, tunc ad preces B. Mariæ & aliorum ſanctorum Deus ponet eos in iſta terra, in qua nullum malum afflictiuum patientur.

Fictio de æqualitate malorũ & bonorũ operum.

XIII. Item licet in ordinario Armenorum contineatur, quod illi, qui baptizantur, etiamſi pueri ſint, qui veniunt ad baptiſmum de diaboli ſeruitute, tamen dicunt, quod tales pueri nullum peccatum habent; ſed ſicut omnino innocentes, & omni peccato etiam originali immunes: nec dicunt quod baptizentur, vt conſequantur remiſſionem peccatorum; ſed vt ſint Chriſtiani, & vt poſt generale iudicium intrent cum perfectis ſanctis in regnum cælorum, & ad hæc duo valet eis baptiſmus ſecundum eos.

Hæreſis circa peccatum originale.

XIV. Item quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod Chriſtus deſcendens ad inferos prædicauit ibi, & illas animas, quæ ei credere voluerunt, iuſtificauit: illas autem, quæ ei credere noluerunt, in ſuo peccato dereliquit. Exiens autem ab inferis deſtruxit totaliter infernum, & omnes animas, quas ibi inuenit, ſiue eſſent bonæ ſiue eſſent malæ, inde eduxit, et poſuit eas in iſto aere & terra & circa paradiſum terreſtrem, vbi erunt vſque ad finale iudicium. Interim tamen animæ mediocriter malæ & malæ ſimpliciter non patientur aliquam pœnam ſenſibilem, ſed ſolum patiuntur timorem: mediocriter quidem malæ, quia timent ſuum periculum, quod erit in die iudicij, vt ſupra ſcriptum eſt, quando ponentur in ſtatera: malæ vero ſimpliciter, quia timent pœnam oceani, vbi ponentur poſt generale iudicium, patiuntur pœnam timoris, quæ eas multum affligit mentaliter. Mediocriter vero bonas & perfectè bonas poſuit in iſta terra vel aere circa paradiſum terreſtrem: & vt dicunt, tales animæ ſunt in magna conſolatione propter ſpem, quam habent de remuneratione, quam conſecuturæ ſunt poſt generale iudicium. Et dicunt, quod ante dictum generale iudicium non erit remuneratio alia operum bonorum vel malorum, inducentes ad hoc dictum Apoſtoli: *Oportet nos præſentari ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout in corpore geſſit ſiue bonum fuerit ſiue malum.*

Fabulantur Arm. Chriſtum prędicaſſe damnatis.

XV. Item quod dicti Armeni non dicunt, nec tenent, quod Chriſtus deſcendens ad inferos prædicauerit dæmonibus, nec quod dæmones eduxerit de inferno; ſed bene dicunt, quod dæmones vſque ad generale iudicium ſunt in iſto aere, vel in terra. Si tamen ibi exiſtentes aliquam pœnam ſenſibilem ſuſtinent, vel ſuſtinebunt vſque ad dictum generale iudicium, non exprimunt: dicunt tamen, quod patiuntur carentiam gloriæ, & quod ipſi, qui prius erant clari, effecti ſunt nigri; & quod multum timent pœnam oceani, in qua ponendi ſunt poſt generale iudicium cum malis hominibus.

Quid ſentirent de tempore creationis angelor.

XVI. Item quod inter Armenos ſunt duę opiniones de tempore, quo creati fuerunt angeli, quia eorum aliqui dicunt, quod ante iſtum mundum ſenſibilem angeli creati fuerunt: alij vero dicunt, quod cum iſto mundo ſenſibili creati fuerunt, ſcilicet cum cælo empyreo ante omnem diem. Dicunt etiam, quod omnes angeli boni creati fuerunt, & in dicta bonitate ſteterunt, vt eorum aliqui dicunt, vſque ad quartam diem, quando Deus luminaria fecit: aliqui vero eorum dicunt quod ſexta die, quãdo Adam creatus fuit, dæmones peccauerunt, & de cælo ceciderunt per illam partem cæli, quæ apud eos dicitur arocea, apud nos vero dicitur galaxia, cum quibus etiam per dictum foramen vnus bonus angelus cecidit, & multi alij cecidiſſent, niſi Deus eis dixiſſet: *Pax vobis*; ille vero bonus angelus, qui ceciderat, ad preces B. Baſilij reſtitutus in cælo fuit. Dicunt etiam eorum aliqui, quod feria ſexta de mane Adam creatus fuit, ſed circa ſextam dictæ diei Eua fuit formata, & ſecundum ali-

quos eorum eadem die fuit per diabolum tẽtata, ſecundum vero alios feria ſexta ſequentis ſeptimanæ. Dicunt etiam, quod nullus bonorum angelorum vnquam efficietur malus, nec malus bonus.

Male ſentiunt de purgatorio.

54 XVII. Item quod Armeni communiter tenent, quod in alio ſeculo non eſt purgatorium animarum, quia vt dicunt, ſi Chriſtianus confiteatur peccata ſua, omnia peccata eius, & pœnæ peccatorum ei dimittuntur. Nec etiam ipſi orant pro defunctis, vt eis in alio ſeculo peccata dimittantur; ſed generaliter orant pro omnibus mortuis, ſicut pro B. Maria, Apoſtolis, martyribus, & alijs ſanctis, vt in die iudicij intrent in regnum cæleſte, vel in alijs locis, vt ſupra dictum eſt, & quod ibi requieſcant. De animabus vero paganorum dicunt, quod animæ eorum ſunt ſuper ſepulchra ipſorum, vel in ſepulchris vſque ad diem iudicij, & frequenter audiuntur in ſepulchris Saracenorum voces & mugitus, & etiam quandoque animæ eorum vel dæmones pro eis videntur circa ſepulchra ipſorum in diuerſis ſpeciebus animalium vel hominum: propter quod Saraceni non libenter ſtant circa ſepulchra Saracenorum, & ex hoc etiam quandoque Saraceni faciunt baptizari ſuos filios & inungi in diuerſis locis, vt poſt mortem non egrediantur de ſepulchris: non tamen faciunt eos baptizari, vt efficiantur Chriſtiani.

Fabula de animab. paganor. mortuor.

XVIII. Item quod Armeni credunt & tenent, quod Chriſtus deſcendit de cælo & incarnatus fuit propter hominum ſalutem: non pro eo, quod filij propagati ex Adam & Eua poſt peccatum eorum ex eis contrahant originale peccatum, a quo per Chriſti incarnationem & mortem ſaluentur, cum nullum tale peccatum dicant eſſe in filijs Adæ; ſed dicunt, quod Chriſtus propter ſalutem hominum eſt incarnatus & paſſus, quia per ſuam paſſionem filij Adam, qui dictam paſſionem præceſſerunt, fuerunt liberati ab inferno, in quo erant non ratione originalis peccati, quod in eis eſſet, ſed ratione grauitatis peccati perſonalis primorum parentum. Credunt etiam, quod Chriſtus propter ſalutem puerorum, qui nati fuerunt poſt eius paſſionem, incarnatus fuit & paſſus, quia per ſuam paſſionem deſtruxit totaliter infernum, & ita poſt eius paſſionem nullus ex dictis pueris vadit ad infernum. Credunt etiam, quod propter ſalutem hominum adultorum Chriſtianorum Chriſtus fuerit incarnatus & paſſus, quia ſi tales pœniteant de peccatis ſuis poſt eius paſſionem quando moriuntur, non vadunt ad infernum.

Error de liberatis damnatis

XIX. Item quod Armeni credunt & tenent, quod primi parentes, & tota eorum poſteritas vſque ad Chriſti paſſionem mortua fuit in corpore, & in anima ad infernum deſcendit non propter originale peccatum, quod filij Adam contraxerunt ab Adam, ſed ratione grauitatis peccati perſonalis primorum parentum: propter quod, licet eorum filij non peccauerint, tamen propter peccatum primorum parentum paſſi fuerunt & mortem corporalem, & apud inferos punitæ eorum animæ fuerunt vſque ad dictum tempus. Credunt etiam et tenent, quod poſt Chriſti paſſionem, et ante vſque ad generalem reſurrectionem filij Adam habent concupiſcentiam inordinatam carnis, et mortalitatem propter grauitatem peccati primorum parentum, & non propter originale peccatum, quod ex eis contraxerint; a qua concupiſcentia & mortalitate ſancti liberabuntur in generali reſurrectione per Chriſtum: & in tantum dicunt, quod dicta concupiſcentia carnis eſt peccatum & malum, quod parentes etiam Chriſtiani, quando matrimonialiter concumbunt, committunt peccatum: & propter hoc pœnitentia eis imponitur per ſacerdotes, quia actum matrimonialem dicunt eſſe peccatum, & etiam matrimonium. Credunt etiam & tenent, quod ſi Adam & Eua non fuiſſent tranſgreſſi Dei mandatum, non fuiſſet inter eos carnalis commixtio, nec per ſeminum commixtionem fieret generatio humana; ſed homines propagarentur ab hominibus ſine carnali commixtione, ſicut lumen propagatur a lumine. Dicunt etiam, quod Deus præſciens, quod homines tranſgrederentur eius præceptum, membra genitalia fecit in eis, per quę poſt peccatum fieret hominum propagatio.

Error circa originale peccatum.

55 XX. Item quod Armeni credunt & tenent, quod æternus Dei Filius natus de ſubſtantia Patris, in tempore ſibi vniuit humanam naturam, & factus fuit homo; ſic tamen, quod in ipſa vnione humanæ naturæ ad Dei Filium humana natura conuerſa fuit in diuinam eius naturam, ſic quod poſt dictam vnionem in Chriſto non eſt niſi vna natura, ſcilicet diuina & non humana, ſicut ipſe eſt vna perſona. Et dicti Armeni maledicunt omnes illos, qui contrarium dicunt: & in tantum deteſtantur illos, qui dicunt, poſt vnionem duas naturas eſſe in Chriſto, diuinam ſcilicet & humanam, quod ſi aliquis Armenus prius baptizatus ſecundum ritum eorum hoc diceret, non communicant cum eo, ſed habent eum ac ſi paganus fuiſſet; et ſi vult reuerti ad fidem Armenorum, eum rebaptizant, * ſic ſemper paganus fuiſſet: & poſt ſecundum baptiſmum imponunt ei pœnitentiam viginti annorum.

XXI. Item quod Armeni credunt & tenent, quod quia ſecundum eos poſt vnionem naturarum in Chriſto natura humana conuerſa fuit in naturam diuinam, ita quod in Chriſto ex tunc non fuit niſi natura diuina; cum dicta natura diuina in Chriſto fuit paſſibilis & impaſſibilis, mortalis & immortalis, ſecundum quod Chriſto placebat; ſic dicunt, Chriſtum fuiſſe paſſum & mortuum ſecundum naturam diuinam, quia ſic voluit ipſe, licet humana natura in eo non eſſet quando paſſus & mortuus fuit. Credunt etiam & tenent, quod in domino Ieſu Chriſto poſt vnionem non fuit niſi vnus intellectus, vna voluntas, & vna operatio, ſcilicet diuina & non humana.

XXII. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod ab illa hora, qua Dominus mortuus fuit in cruce, ipſe deſcendit ad inferos, & infernum deſtruxit totaliter: ita quod ex tunc non fuit infernus, nec aliquæ animæ hominum, vel etiam dæmones ex tunc fuerunt in inferno, nec erunt poſtea: quando vero Chriſtus reſurrexit, educens de inferno ſanctorum animas, quæ ibidem erant, duxit eas in paradiſum terreſtrem, & cum ipſis dictum paradiſum intrauit, dicens eis: *Ecce locus in quo fuiſtis*; & ſtatim de dicto paradiſo eas eiecit, & poſuit eas in terra vel aere circa paradiſum terreſtrem.

XXIII. Item quod de anima latronis, Chriſtum confitentis in cruce, apud Armenos ſunt diuerſæ opiniones: quarum vna eſt, quod illud, quod ponitur in euangelio; *Hodie mecum eris in paradiſo*; ly *hodie*, non tenetur ibi determinate pro illa die, qua mortui fuerunt Dominus & latro, ſed tenetur quod die finalis iudicij, quando ſancti perfecti intrabunt in paradiſum cæleſtem,

quo-

quomodo dies accipitur in psalmo: *Melior est dies vna in atrijs tuis*; tunc enim, & non ante, latro intrabit in paradisum cælestem secundum eos cum alijs sanctis perfectis. Alia vero opinio eorum dicit, quod die qua dictus latro mortuus fuit, eius anima venit ad portam paradisi terrestris volens illuc intrare: sed per angelos & Enoch & Eliam intrare illuc prohibitus fuit: sed in die resurrectionis Domini, quando Dominus cum alijs animabus sanctorum, quas extraxerat de inferno, venit ad portam paradisi terrestris: inuenit ibi dictam animam latronis, & cum Dominus ostendisset manus & latus angelis & Enoch & Eliæ aperientes ei portam paradisi, intrauit illuc cum dicta anima latronis & aliorum sanctorum, & cum eis dixisset: *Ecce locus, de quo exiuistis*; cum omnibus dictis animabus exiuit de paradiso, & eas posuit in terra vel in aere circa dictum paradisum, vbi erunt vsque ad diem iudicij: & tunc inducentur in paradisum cælestem. Alij vero dicunt, quod illa hora, qua Adam exiuit de paradiso feria sexta, Dominus posuit animam latronis in paradiso terrestri: si tamen postea inde eduxit eam vel non, non dicunt.

Fabula de paradisi terrestri ingressu.

56 XXIV. Item quod dicti Armeni dicunt et tenent, quod animæ malorum hominum, quæ multa peccata actualia grauia commiserunt, qui mortui fuerunt ante Christi passionem, fuerunt positæ in inferno, & ibi pœnas infernales pro peccatis suis sustinuerunt: sed cum Dominus post suam passionem infernum destruxisset, dictas animas posuit in terra vel in aere, & ibi vadunt huc et illuc non patientes aliquam pœnam sensibilem vsque ad diem iudicij. Hominum autem malignorum animæ, qui fuerunt post Domini passionem, quando mortui sunt dicti homines, angeli mali et terribiles accipiunt eas, et adducunt ad oceanum, de quo supra mentio facta est, et ostendunt eis oceanum, et vermes vel dracones, qui ibi sunt, et dicunt eis, quod post generale iudicium ibi ponentur, et per dictum oceanum et dracones cruciabuntur: et ex hoc dictæ animæ multum timent propter dictas pœnas, quas passuræ sunt post generale iudicium: non tamen interim aliam pœnam sensibilem patientur. Animæ vero hominum bonorum et perfectorum, quando mortui sunt, accipiuntur per bonos angelos et ducuntur in cælum ante thronum Dei, et vident sub throno Dei, qui thronus sunt angeli, gloriam quam post generale iudicium habituræ sunt, et de hoc multum consolantur: postea tamen ab angelis ducuntur ad terram vel ad aerem, et sunt ibi vsque ad diem iudicij, et propter dictã spem requiescere dicuntur. Dicunt etiam et credunt, quod post generale iudicium homines mali, qui fuerunt vel ante Domini passionem vel post, ponentur in corpore et in anima in dicto oceano, et ibi cruciabuntur perpetuo.

Error quod impiorum animæ nõ patiantur infern. ante iudiciũ.

XXV. Item quod Armeni dicentes, vnam solam naturam esse in Christo, scilicet diuinam et non humanam, respondere non possunt ad dicta posita in scriptura, per quæ manifeste ostenditur Christum habuisse humanam animam, quæ diuina natura non erat, sicut: *Non derelinques animam meam in inferno*; nec ad illud: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; nec ad illud, quod dicit Petrus, quod spiritualiter descendens, prædicauit in inferno; nec ad illud, quod Dominus dicit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: & *inclinato capite emisit spiritum*. Per quæ omnia manifeste scriptura dicit, fuisse in Christo post vnionem animam humanam. Sed cum eis prædicta dicuntur, non habentes quid respondeant, recurrunt ad baculos vel ad pœnas corporales, vt male tractent illos, qui talia eis dicunt. Dicunt etiam & credunt, quod anima Christi quando descendit ad inferos, ne cognosceretur, induit se deitate, sicut & quando erat in vita præsenti, ne cognosceretur, induit deitatem suam corpore.

Hæresis negantiũ in Christo humanã animam.

XXVI. Item quod Armeni dicunt & credunt, quod licet resurrectio a morte solum ad carnem pertineat, quæ mortua fuerat; tamen in Christo, quia non erat nisi diuina natura post vnionem, ipsa secundum quod volebat faciebat opera carnis & opera animæ, quamuis in Christo nec caro esset nec anima post vnionem.

Alius error.

57 XXVII. Item quod Armeni credunt & tenent, quod die sabbati post parasceuen hora sexta Dominus resurrexit, & hoc dicunt se habere ex traditione Gregorij, qui fuit antiquus eorum catholicon, cui, vt dicunt, fuit reuelatum, cum esset in sepulchro Domini, quod hora sexta dictæ diei sabbati resurrexerat Dominus: & sic apud Armenos est determinatum: & dicta hora faciunt festum de resurrectione Domini, & postea eadem die comedunt oua & caseum, non tamen carnes. Computant autem tres dies & noctes, quibus fuit Dominus in ventre terræ sic, quia in nocte sequente feriam quintam Dominus tradidit corpus suum & sanguinem discipulis suis, qui terrei erant, corpus eius & sanguinem comederunt & biberunt, & sic in seipsis Christum sepeliuerunt; & computant illam noctem: & postea diem sequentem vsque ad illam horam, qua in die parasceues tenebræ factæ sunt super vniuersam terram pro prima die & nocte: tempus vero illud, quo dictæ tenebræ durauerunt, computant pro secunda nocte; & diem, qui fuit post dictas tenebras, computant pro secunda die: noctem quæ præcedit sabbatum, computant pro tertia nocte; & diem sabbati vsque ad meridiem pro tertia die: & dicunt quod prædicta eorum opinio confirmata fuit per beatum Siluestrum Papam ad instantiam dicti Gregorij, & plus credunt dictæ opinioni, quam euangelijs Marci & Lucæ, qui dicunt, quod prima sabbati, id est dominica, Dominus resurrexit.

Error circa tẽpus resurrectionis Christi.

XXVIII. Item quod Armeni nescient respondere ad illa, quæ in euangelijs continentur, vbi manifeste scribitur, quod Christus post suam resurrectionem verum corpus humanum habuit, cum dicant, quod in ipsa vnione humana natura conuersa fuit in deitatem; nisi hoc solum, quod voluntas diuina secundum quod volebat faciebat & ostendebat se corpus humanum habere, cum tamen non haberet.

Eutychis delirium.

XXIX. Item licet secundum Armenos in Christo post vnionem non fuerit nisi natura diuina, in quam conuersa fuit humana eius natura; Armeni tamen dicunt & tenent, quod voluntati Christi subiecta erat diuina natura, vt de ea faceret quod vellet: et ita, vt dicunt quando voluit diuina eius natura mortalis fuit et etiam mortua, et quando voluit facta fuit immortalis, sicut factum fuit post suam resurrectionem, accipientes ad hoc probandum illud quod dicitur in Ioanne: *Ego viuo, & vos viuetis*.

Blasphemia in diuinitatem quod sit mortua.

XXX. Item Armeni dicunt et tenent, quod ex hoc, quod Christus ascendit in cælum, in eo post vnionem desijt esse humana natura: alioquin si in ipso fuisset humana natura post vnionem, non ascendisset in cælum, sed translatus fuisset in paradi-

Error quod in Christo humana natura defierit.

diſum terreſtrem, ſicut factum fuit de Elia et Enoch.

Sacra oracula perperam interpretata.

58 XXXI. Item quod Armeni tenent, quod illæ auctoritates prophetæ et Apoſtoli: *Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem*; et quod Chriſtus expoliauit principatus et poteſtates, et tranſduxit eas in ſemetipſum; non intelliguntur quod hoc fecerit, quando Chriſtus aſcendit in cælum: ſed intelligunt quando Chriſtus, aſcendens ab inferis, eduxit ſecum animas hominum, quæ ibi erant, et poſuit eas in iſta terra, vel aere vſque ad diem iudicij.

*deſcendens

XXXII. Item quod Armeni dicunt et tenent, quod Chriſtus * aſcendens ad inferos, ligauit dæmones, qui ibi erant, et etiam ſuper terram, vt non poſſent tentare vel offendere homines ſicut ante faciebant: ſed ſunt iam trecenti anni, quod omnes dæmones ſunt disligati, et ſeduxerunt homines a fide Chriſti per totum mundum, exceptis Armenis: ſed a triginta annis citra illos homines de minori Armenia, et a viginti quinque annis citra Armenos de maiori Armenia ſeduxerunt a fide Chriſti, quia vt dicunt, ex tunc Armeni poſuerunt in ſacrificio aquam in vino, et fecerunt feſtum natiuitatis Domini vigeſima quinta die decembris, et ſic a dæmonibus ſeducti fidem Chriſti dimiſerunt.

Fictio circa mixtionem aquę in ſacrificio.

XXXIII. Item quod Armeni dicunt et tenent, quod Chriſtus poſt ſuam aſcenſionem habuit humanitatem, ſed non habuit naturam humanam, nec voluntatem, nec operationem humanam. Dicunt etiam et tenent, quod Chriſtus in cælum aſcendens non ſubito peruenit ad dexteram Patris, ſed in decima die poſt ſuam aſcenſionem, et in nouem diebus, qui ſunt a die aſcenſionis eius vſque ad diem pentecoſtes, Chriſtus fuit inter angelos; ita quod per vnam diem fuit in vno ordine angelorum, et alio die in alio, et quilibet ordo angelorum feſtiuauit eum vna die: decima vero die peruenit ad dexteram Patris, et tunc ſtatim miſit Apoſtolis Spiritum ſanctum, et propter hoc Armeni feſtiuant illas decem dies.

Fabula circa aſcẽſionem Domini.

Errores in maiori Armenia graſſantes

59 XXXIV. Item quod Armeni de maiori Armenia dicunt et tenent, quod ipſi ſunt eccleſia catholica et apoſtolica, et propter hoc ipſi habent catholicon: et etiam eorum eccleſia eſt apoſtolica, quia ipſi tenent fidem, quam Apoſtoli prædicauerunt; et propter hoc ſunt eccleſia catholica et apoſtolica: Græca vero eccleſia non eſt eccleſia catholica vel apoſtolica, quia ponunt aquam in vino in ſacrificio, & quia dicunt duas naturas eſſe in Chriſto, et quia faciũt feſtum natiuitatis Domini vigeſima quinta die menſis decembris. Dicunt etiam et tenent, quod eccleſia Romana non eſt eccleſia catholica et apoſtolica propter eaſdem cauſas, quas dicunt de eccleſia Græca, et etiam quia corrupit fidem Chriſtianam, faciendo et acceptando concilium Chalcedonenſe ad inſtantiam B. Leonis Papæ. Dicunt etiam et tenent, quod eccleſia Romana et Græca eſſe deſinent ante generalem reſurrectionem vel tempora Antichriſti; eccleſia vero Armenorum durabit vſque ad finem: et quod illi de Armenia minori, exceptis Rege et quibuſdam nobilibus, ſunt de eccleſia maioris Armeniæ, et ſunt peiores quam illi de maiore Armenia, nec volunt recipere aliquem magiſtrum, niſi ſit de maiori Armenia. Dicunt etiam, quod Rex et nobiles minoris Armeniæ, quia tenent ſupradictos articulos cum eccleſia Romana et Græca, non ſunt de eccleſia catholica & apoſtolica.

Eutychis error.

XXXV. Item Armeni dicunt et tenent, quod eccleſia catholica fuit per totum orbem diffuſa a principio, quia aliqui ex omnibus gentibus crediderunt in Chriſtum: ſed poſtea in concilio Chalcedonenſi fuit fides eccleſiæ corrupta et deſtructa ex eo, quod ibi determinatum fuit, quod in Chriſto erant duæ naturæ et vna perſona; et omnes qui dictum concilium receperunt *... eccleſiam catholicam: et quia dicti Armeni dictum concilium non receperunt, ſed condemnauerunt, ideo ſolum apud eos eſt eccleſia catholica, exceptis paucis de eccleſia minoris Armeniæ.

*deſerunt

XXXVI. Item quod Armeni credunt et tenent, quod ſolum apud ipſos eſt vna eccleſia catholica, quia vt dicunt, apud eos ſunt illa, quæ faciunt eſſe vnam ſanctam eccleſiam, ſcilicet vnus baptiſmus, et vnica fides Chriſti, et vnus Spiritus ſanctus, et vnus Deus et dominus; quæ apud alias eccleſias, quæ vocantur Chriſtianæ, non ſunt, quia vt dicunt, Armeni habent verum baptiſmum, propter quod omnes venientes ad ſe de alijs eccleſijs rebaptizant, immo, vt dicunt, verius baptizant, quia baptiſmum datum in alijs eccleſijs non reputant eſſe verum baptiſmum. Habent etiam, vt dicunt, veram fidem, quam aliæ eccleſiæ deſtruxerunt, recipiendo concilium Chalcedonenſe. Habent etiam verum Spiritum ſanctum, et verum Deum et dominum, quæ aliæ eccleſiæ non habent, quia negauerunt Deum et dominum in concilio Chalcedonenſi, dicendo quod in Chriſto ſunt duę naturæ et vna perſona: propter quæ in ſymbolo non dicunt ſimpliciter: *Et in vnam ſanctam eccleſiam*; ſed *in iſtam ſanctam eccleſiam*; accipiendo le *iſtam*, pro eccleſia Armenorum.

Impietas anabaptistarum.

60 XXXVII. Item quod a tempore Heraclij Imperatoris citra fuerunt tres catholicon in Armenia, tenentes diuerſam fidem et diuerſum baptiſmum ab inuicem; nam catholicon Columbarum dicit, quod Pater, et Filius, et Spiritus ſanctus fuerunt crucifixi in cruce, et illi, qui ſunt ſubiecti ei baptizant in aqua: catholicon vero medius et ſubiecti eius dicunt, quod ſolus Dei Filius fuit crucifixus in cruce, et pro maiori parte baptizarunt in aqua, pauci tamen baptizant in vino, non tamen baptizatos mergunt, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: catholicon vero tertius a quinquaginta annis citra tenet illud, quod tenet eccleſia Græcorum. Conueniunt tamen dicti tres catholicon et ſubiecti eorum in iſtis, quod in Chriſto eſt vna natura, ſicut vna perſona, quæ natura eſt diuina, et quod non ponunt aquam in vino in ſacrificio, nec faciunt feſtum natiuitatis Domini vigeſimaquinta die decembris, excepto catholicon tertio, qui a quinquaginta annis citra in iſtis a primis duobus eſt ſeparatus: quilibet autem de dictis catholicon dicit, quod ipſe tenet veram fidem, et verum baptiſmum habet, et quod alij catholicon ab eo non habent veram fidem, nec verum baptiſma: et ſic quia ſunt diuerſi inter ſe, non eſt vna eccleſia inter eos, ſed alia et alia.

Sabellij error.

Alius Eutychis.

XXXVIII. Item quod Armeni credunt et tenent, quod in alijs eccleſijs ab eccleſijs Armenorum non datur peccatorum remiſſio, quia aliæ eccleſiæ negauerunt veram fidem, recipiendo concilium Chalcedonenſe: nec etiam habent verum baptiſmum, quia miſcent aquam in vino in ſacrificio, dicentes quod aqua, quæ fluxit de latere Chriſti virtutem tribuit ſoli ſacramento baptiſmi, et ideo illæ eccleſiæ, quæ miſcent aquam in

Error circa baptiſmum.

in vino baptiſmum perdiderunt : propter quod peccatorum remiſſio non fit apud ipſos, ſed ſolũ fit in eccleſia Armenorum : & ideo presbyteri Armenorum prohibent ſubiectis ſuis, ne ſacramenta recipiant ab alijs, quam ab Armenis, quia illa ſacramenta alij non habent.

Et adminiſtrationem ſacramentorũ.

XXXIX. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod populus ſubiectus vni catholicon poteſt recipere dicta ſacramenta ab alio catholicon vel presbyteris eius, & dicta ſacramenta valent dicto populo ; ſed epiſcopi & presbyteri vnius catholicon non poſſunt recipere ſacramenta ab alio catholicon, vel ſubiectis eius, & ſi reciperent talia ſacramenta, eis non valerent.

Corrupte circa ſacramẽtũ pœnitentiæ.

XL. Item Armeni credunt & tenent, quod nullus Armenus poteſt conſequi remiſſionem peccatorum per epiſcopos vel presbyteros eccleſiæ Romanæ vel Græcæ : ſed aliqui ex Armenis dicunt, quod peccatorum remiſſio poteſt fieri in Armenis per epiſcopos & presbyteros Armenorum : alij vero dicunt quod epiſcopi vel presbyteri Armenorum nihil faciunt ad peccatorum remiſſionem nec principaliter nec miniſterialiter ; ſed ſolus Deus peccata remittit : nec epiſcopi vel presbyteri adhibentur ad faciendam dictam peccatorum remiſſionem, niſi quia ipſi acceperunt poteſtatem loquendi a Deo, & ideo cum abſoluunt dicunt : *Deus dimittat tibi peccata tua* ; vel : *Ego dimitto tibi peccata tua in terra ; & Deus dimittat tibi in cælis*.

61 XLI. Item Armeni dicunt & tenent, quod poſtquam aliquis peccando perdidit gratiam Dei, nunquam poſtea in æquali gratia reſurgit.

Error circa gratiã & iuſtificationem

XLII. Item Armeni dicunt & tenent, quod ſola Chriſti paſſio ſine omni alio Dei dono, etiam gratificante, ſufficit ad peccatorum remiſſionem : nec dicunt, quod ad peccatorum remiſſionem faciendam requiratur gratia Dei gratificans, vel iuſtificans ; nec quod in ſacramentis nouæ legis detur gratia gratificans.

Circa libertatem

XLIII. Item Armeni dicunt & tenent, quod liberum arbitrium humanum non ſufficit ſibi ad peccandum, ſed diabolus facit & inſtigat homines ad peccandum ; ita quod ſi dæmones non eſſent, nullus homo peccaret.

Circa purgatorium.

XLIV. Item licet Armeni orent in miſſa, & alias pro bonis tam ſpiritualibus quam temporalibus adipiſcendis, & pro malis remouendis pro mortuis ; tamen non orant, vt in præſenti requiem obtineant, ſed tantummodo in futuro.

Superſtitio in ſacrificio animaliũ vſurpando.

XLV. Item quod apud Armenos, quando aliquis ex eis mortuus eſt, talis obſeruatio fit, quod de ſero ducuntur animalia munda ſecundum legem Moyſi, cuiuſmodi ſunt oues, capræ, & boues coopertæ pannis ſericis ad oſtium eccleſiæ : ad quem locum exeunt clerici dictæ eccleſiæ ; & ſacerdos benedicit ſal, & de ſale benedicto ponit in ore dictorum animalium ; & poſtea cum oleo de lino inunguntur dicta animalia, & deinde effuſo ipſorum ſanguine occiduntur, & de carnibus dictorum animalium ſequenti nocte comedunt clerici cum ſale : ſed ſacerdos, qui in craſtinum debet celebrare pro mortuo, non comedit de carnibus dictorum animalium vſque poſt miſſam. Faciunt autem prædicta, quia dicunt & tenent, quod licet remiſſio peccatorum fiat principaliter per ſanguinem Chriſti ; tamen non fieret dicta remiſſio peccatorum, niſi ſanguis animalium prædictorum effunderetur in peccatorum viuorum & mortuorum remiſſionem, quia lex Moyſi dicit, quod remiſſio peccatorum ſit per effuſionem ſanguinis animalium brutorum mundorum, & ſine eo non ſit peccatorum viuorum & mortuorum remiſſio : & Dominus dicit in euangelio, quod ipſe non venit ſoluere legem, ſed adimplere ; quam ſoluiſſet ſi peccatorum remiſſio fieret ſine effuſione ſanguinis animalium brutorum. Et de hoc etiam reprehendit eos Damaſcenus, dicens quod dicti Armeni, accipientes de erroribus Iudæorum, Saracenorum, paganorum, et aliorum errantium, de illis erroribus ſuam fidem compoſuerunt, et de dicta fide in concilio Maneſguerdenſi librum compoſuerunt, qui apud eos vocatur *Radix fidei*.

Fallax eorum argumentum.

62 XLVI. Item quod dicti Armeni obſeruant diſcretionem ciborum mundorum et immundorum animalium, ſecundum quod lex Moyſi dicit : et licet aliqui ex Armenis comedant porcum, tamen ſecundum eos, ſi ſacerdos comederet de porco, poſtea non poſſet expellere dæmones de obſeſsis corporibus, quia, vt dicunt, Dominus expellens dæmones de duobus hominibus miſit eos in porcos.

Iudaizantium Armenor. de liria.

XLVII. Item quando Armeni ieiunant diebus ieiuniorum inſtitutis inter eos, dictis diebus non comedunt carnes, nec piſces, nec oua, nec caſeum, nec butyrum, nec lac, nec oleum : quia dicunt, quod omnia iſta ſunt quædam carnes : comedunt autem ſolum herbas, panem, & vinum : poſſunt tamen comedere quoties volunt, illis diebus, quibus ieiunant. Dicunt etiam & prædicant, quod illi, qui in diebus ieiuniorum comedunt piſces, oua, caſeum, butyrum, & oleum, ſunt maledicti & infideles, & contra fidem conſtituti, & ſunt ſeparati ab ouili Chriſti.

Superſtitio circa ieiunium.

XLVIII. Item Armeni dicunt & tenent, quod ſi Armeni committant ſemel quodcumque crimen, quibuſdam exceptis, eccleſia eorum poteſt abſoluere eos quantum ad culpam & pœnam de dictis criminibus : ſed ſi aliquis poſtea committeret iterum dicta crimina, abſolui non poſſet per eorum eccleſiam.

Error circa remiſſionem peccatorum.

XLIX. Item dicunt, quod ſi aliquis eorum poſt baptiſmum accipiat primam & ſecundam vxorem, abſolui poteſt per eos : ſed ſi accipiat tertiam, vel quartam, & deinceps, non poteſt abſolui per eorum eccleſiam, quia dicunt, quod tale matrimonium fornicatio eſt : & talem habent pro pagano, ita quod nec in fine eum communicant, nec educunt eum de domo ſua ad ſepeliendum per portam domus, ſed frangunt parietem domus, & per foramen parietis educunt corpus eius : nec miſſam celebrant, nec ſepultura eccleſiaſtica eum ſepeliunt, ſed faciunt de eo ſicut de pagano. Si tamen ille, qui recipit tertiam vxorem, dum viuit, eam dimittit ſic, quod poſtea non reuertatur ad eam, recipiunt eum ad pœnitentiam, & imponunt ei quindecim annos pro pœnitentia ſic, quod in dictis annis non comedat carnes, piſces, & ſupradicta lacticinia : & ſi dictam pœnitentiam perfecerit, & poſtea moriatur, faciunt de eo ſicut de Chriſtiano alio in vita & in morte.

Circa trigamiam error & ſuperſtitio.

63 L. Item Armeni dicunt & tenent, quod ſi aliquis ante ſuſceptionem ordinis ſacri commiſerit aliquod peccatum luxuriæ carnalis exterioris, quod ille habet confiteri confeſſori dictum peccatum : & deinde epiſcopus, qui ordines facit, interrogat dictum confeſſorem, ſi eſt ille dignus ordinari. Cui ſacerdos reſpondet, quod non : & ſic repellitur a ſuſcipiendo ordine ſa-

ſacro. Si vero poſtquam ordinatus eſt, commiſerit tale peccatum luxuriæ, oportet quod ſi abſolui velit, confiteatur confeſſori ſuo; & tunc ille confeſſor deponit eum ab executione ordinis: & ſi poſtea exequatur actus dicti ordinis, dictus confeſſor dicit hoc epiſcopo etiam in præſentia aliorum, & cum qua vel quo peccauit reuelat. Mulieres etiam, cum quibus tales peccauerunt, iactant ſe dicendo: *Ego depoſui talem ſacerdotem*; ex quo contingit apud Armenos, quod multi ſunt, qui dicta peccata nolunt confiteri dum viuunt, ne repellantur a ſuſceptione ſacrorum ordinum: & ſi eos ſuſceperint, ne poſtea deponantur ab ordinis executione.

Corrupte la in propalando confeſſionis ſacramento.

LI. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod iſta peccata ſunt irremiſſibilia, nec eorum eccleſia poteſt hæc peccata remittere, quia Chriſtus non dedit eccleſię poteſtatē, quod talia peccata remittat, ſcilicet ſi aliquis peccatum luxuriæ committat in ore hominis vel mulieris, & ſi blaſphemat Chriſtum, vel fidē Chriſtianā aut crucem: & tales blaſphemos nō reputāt Chriſtianos, nec eccleſiaſtica ſacramenta eis miniſtrant, dum viuunt: nec quando moriuntur, faciunt de eis ſicut de Chriſtianis; nec eorum filios reciperent ad baptiſmum, niſi conuertantur & pœnitentiam agant.

Error negantium aliqua peccata remitti poſſe.

64 LII. Item quod dicti Armeni dicunt et tenent, quod ſi aliquis ſemel commiſerit peccatum adulterij, ſodomiæ, beſtialitatis, vel homicidij, aut apoſtaſiam a fide, faciendo ſe Saracenum vel Iudæum et etiam ſi aliquis dicat, quod in Chriſto ſunt duę naturæ et vna perſona, poteſt abſolui per eorum eccleſiam; non tamen debet communicare niſi in fine vitę ſuæ. Et ſi quis commiſerit dicta peccata vel etiam alia pluries, non poteſt abſolui per eccleſiam, niſi prima vice: et ſi poſtquam ſemel confeſſus fuerit et abſolutus de aliquo peccato, de prædictis iterato commitat dictum peccatum, prima abſolutio non valet.

Sana doctrina de duabus in Chriſto naturis & vnitate perſonæ ijs inſtar piaculi.

Sodomia ab eiſd. hæreticis non datur vitio.

LIII. Item quod dicti Armeni dicunt et tenent, quod ſi ſacerdos habens vxorem cum ipſa committat ſodomiam, no peccat, nec ſi hoc confiteatur deponitur: ſed in hoc dimittitur conſcientiæ ſuæ, quod confiteatur vel non confiteatur, ſi vult.

LIV. Item quod inter Armenos catholicon et epiſcopi excommunicant Armenos ſine omni culpa excommunicatorum, et nulla monitione præmiſſa, vt volunt. Et dicunt, quod excommunicati per eos non poſſunt abſolui de aliquo peccato niſi per catholicon vel epiſcopos, qui eos excommunicauerunt: ſi tamen vadant ad alium catholicon vel epiſcopos alij catholicō ſubiectos poſſunt abſolui per eos a dicta excōmunicatione et peccatis ſuis. Dicunt etiam et tenent, quod excommunicatis non debent eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrari. Et ſi aliquis excommunicatus moriatur, amici eius vadunt vel mittunt ad illum, qui eum excommunicauit, et dant ei pecuniam vel alias res valentes pecuniam, prout conueniunt cum eo: et tunc excommunicans dat eis licentiam, quod ipſum ſepeliant eccleſiaſtica ſepultura. Qui faciunt pro eo illa, quæ ſupra dicta ſunt de animalibus; non tamen aliter abſoluunt illum ab excommunicatione,

Corrupte læ in excommun. infligēdaſ.

Spretæ ab ijſdem cenſuræ.

LV. Item Armeni dicunt & tenent, quod excommunicationis ſententia etiam iuſte lata ſecundum Domini ordinationem, quia monitus non vult eccleſiæ obedire, nec ſe de peccato, quod commiſit emendare, non excidit a regno Dei, quia ita bene excommunicatus, ſicut non excommunicatus vadit ad regnum Dei: ſed fornicatio, adulterium, homicidium, et ſi ſacerdos accipiat ſecundam vxorem, et ſi aliquis ex Armenis dicat eſſe in Chriſto duas naturas et duas voluntates et duas operationes et vnam perſonam, iſta excludunt a regno Dei, et non excommunicatio lata propter inobedientiam eccleſiæ; vnde Armeni parum vel nihil reputant excommunicationem valere.

65 LVI. Item quod Armeni dicunt et tenent, quod ſi aliquis fuiſſet baptizatus in eccleſia Armenorum, et poſtea lapſus fuiſſet in hęreſim vel in apoſtaſiam a fide, faciendo ſe Saracenum vel Iudæum, et deinde vellet reuerti ad eccleſiam Armenorum, non rebaptizatur, ſed ſolum cū chriſmate inungitur, nec aliter abſoluitur: imponitur tamē ei, quod vadat ad locum illū, in quo commiſit apoſtaſiam a fide, & ibi coram omnibus confiteatur peccatum ſuum, et abneget illam perfidiam, quam commiſit. Si tamen aliquis fuiſſet baptizatus in eccleſia alicuius catholicon Armenorum, et poſtea conuerteretur ad fidem Romanæ eccleſiæ vel Græcæ, ſi poſtea vellet venire ad eccleſiam primam, in qua fuerat prius baptizatus, illa eccleſia ſic baptizaret eum, ac ſi nunquam fuiſſet baptizatus, ſed ſemper fuiſſet Saracenus vel paganus. Si vero aliquis fuiſſet primo baptizatus in eccleſia Romana vel Græca, et poſtea vellet venire ad eccleſiam Armenorum, illa eccleſia, ad quam veniret, baptizaret eum, ac ſi nunquam baptizatus fuiſſet, ſed ſemper fuiſſet paganus vel Saracenus. Et quia Armeni ideo dicunt, quod baptizati in eccleſia Romana vel Græca, quando veniunt ad eccleſiam Armenorum, rebaptizari debent, quia eccleſia Romana et Græca ex eo, quod dicunt duas naturas eſſe in Chriſto, fidem negauerunt; et ex eo, quia ponunt aquam in vino in ſacrificio, non habent aquam baptiſmi, quia aqua, quæ fluxit de latere Chriſti, non poteſt ſeruire niſi ſacramento baptiſmi; vnde cum ponatur in ſacrificio per dictas eccleſias, eædem eccleſiæ non habent aquam baptiſmi, ſine qua non poteſt fieri baptiſmus; ex eo etiam dictæ eccleſiæ non habent baptiſmum, quia nō habent verum chriſma, ſine quo verum baptiſma non datur; et propter prædicta quia eccleſia Latina et Græca non habent verum baptiſmum, ſed ſolū eccleſia Armena dictum baptiſmum verū habet, quia contraria dictis eccleſijs tenet et habet; et ideo eccleſia Armena baptizat baptizatos in eccleſia Latina vel Græca, quando veniunt ad eam.

Iterato perperā baptiſet.

Falſo ita ſtāt apud ſe tantum valere ba ptiſmum.

66 LVII. Item Armeni dicunt et tenent, quod verum chriſma ſic conficitur, quod habent diuerſos flores aromaticos, et alios quos inuenire poſſunt in die ramiſpalmarum, et illos decoquunt in vino, et deinde dictum vinum accipiunt et per quatuor dies ante diem cœnæ ponunt dictum vinum in oleo, et decoquunt inſimul, et aſtant tunc multi epiſcopi et ſacerdotes, dicentes multas orationes, dum hæc decoctio fit. Et deinde die cœnæ accipitur vnus flaſco de dicto oleo, et in ipſo flaſcone ponit catholicon balſamum, et poſtea catholicon celebrat miſſam: et quando catholicon eleuat corpus Domini, vnus epiſcopus qui aſtat ei, eleuat dictum flaſconem, et catholicon dicit orationes. Et deinde de dicto flaſcone ponitur in diuerſis vaſis, quæ ſtant ibi iuxta altare, et ſic verum chriſma conficitur ſolum per catholicon modo prædicto: et ſine tali chriſmate non poteſt dari verus baptiſmus. Vnde contigit

Modus conficiendi chriſmatis apud Armenos.

apud

Error, sine chrismate baptismū non posse conferri.

apud eos, quod pueri portati ad baptismum, quia sacerdos non habet de dicto chrismate, vel illi, qui puerum portauerunt, nolunt tantum dare pro chrismate quantum sacerdos vellet, frequenter moriuntur sine baptismate: de quibus pueris dicunt Armeni, quod in die iudicij baptizabuntur de sanguine, qui fluxit de latere Christi quia, vt

Fictio de Christi sanguine in luna.

dicunt, quando Christus moriebatur in cruce, luna descendit et accepit sanguinem Christi, qui adhuc manet in luna; & ex hoc apparet aliqua nigredo in luna, quæ prius non apparebat: in die autem iudicij effluet dictus sanguis de luna, de quo baptizabuntur dicti paruuli, vt sic possint intrare in cælos.

LVIII. Item quod Armeni dicunt & tenent, quod ad hoc, quod sit baptismus verus, ista tria requirūtur, scilicet aqua, chrisma modo prædicto factum, & Eucharistia; ita quod, si aliquis baptizaret in aqua aliquem, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen*; & postea non inungeretur dicto chrismate, non esset baptismus. Si etiam non daretur ei Eucharistiæ sacramentum, baptizatus non esset. Et etiam

Abusus in dāda pueris baptizatis Eucharistia.

apud eos non baptizantur pueri antequam habeant octo dies. Et species sacramenti Eucharistiæ liquefiunt in aqua vel vino, et ponūtur in ore primum baptizati, & sic accipiunt Eucharistiæ sacramentum: & tunc dicuntur vere esse baptizati. Quæ tria si non fierent, Armeni non reputarent puerum vere baptizatum. Dicunt etiam, quod pueri non baptizantur in peccatorum remissionem, quia nullum peccatum habent: ad vltimum vero baptizantur in peccatorum remissionem, non quia in aqua baptizantur, sed quia dicto chrismate inunguntur & accipiunt Eucharistiæ sacramentum.

67 LIX. Item quod Armeni diuersimode baptizant, & quantum ad materiam, & quantum ad formam baptismi. Quantum ad materiam quidem, quia aliqui, licet pauci, baptizant in vino puro, alij vero in lacte, alij vero communiter in aqua. Quantum vero ad formam, nulla forma

Baptismi forma incerta apud Armenos.

baptismi certa est apud eos, sed quilibet episcopus vel presbyter ordinat sibi formam, in qua baptizet, & modum baptizandi tenet, quem vult. Aliqui enim ex eis, qui in aqua baptizant, non nominant, dum baptizant, tres personas diuinas dicendo: *Baptizetur iste in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; sed dum baptizatum in

Variæ ab impostoribus inductæ.

aqua lauant, dicunt euangelium ab illo loco: *Venit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem*; vsque ad illum locum, *& vox facta est dicens: Hic est Filius meus*. Alij vero, dum baptizatum lauant, dicunt: *Vox Domini super aquas: Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas*. Alij vero dum baptizatum lauant, dicunt antiphonam, scilicet: *Dum erant Apostoli in cœnaculo, repente venit sonitus de cælo tamquam spiritus vehementis cum magna voce, & accendit eos in igne sine ardore*. Dicunt etiam aliam antiphonam: *Repente descendit Spiritus sanctus in similitudinem gloriæ super Apostolos*; & aliam etiam, quæ talis est: *Benedictio in excelsis Spiritus sancti procedentis a Patre, per quem inebriati sunt Apostoli vino immortali, & inuitauerunt terram ad cælum*. Illi vero, qui baptizant in vino, dum lauant illum, qui baptizatur, dicunt: *Ego te lauo in vino, vt sis fortis & non patiaris frigus*. Illorum vero, qui baptizant in lacte, non exprimitur aliqua forma. Alij vero, dum lauant baptizandos, dicunt quod ipsi vellent committere turpia cum matre pueri, qui baptizatur. Aliqui etiam ex Armenis, quando ponunt baptizandum in aqua, dicunt: *Baptizetur talis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; & deinde, dum baptizandum lauant, dicunt iterum eadem verba; & deinde quando extrahunt de aqua, dicunt eadem verba; & deinde inunguntur baptizandum cum chrismate in oculis, in auribus, in fronte, in naribus, in ore, in & sub axellis, in genū & sub genu, in pedibus, in soleis, dicendo certa verba; & postea baptizatum communicant de sacrificio altaris. Et sic vt dicunt homo vere & plene est baptizatus, & aliter non.

Græcorū forma ab aliquibus vsurpata.

LX. Item quod si aliquis Armenus baptizatus in aqua vel vino aut lacte modis supradictis, etiam si, dum baptizatur in aqua, dicatur: *Baptizetur iste in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; transeat ad ecclesiam Latinam vel Græcam, & postea reuertatur ad primam ecclesiam, ita rebaptizatur ac si paganus semper fuisset: si vero de ecclesia vnius catholicon transeat ad ecclesiam alterius catholicon, ille catholicon, ad cuius ecclesiam vadit, facit eum negare fidem illius catholicon, qui eum baptizauit, & chrismauit cum modo supradicto, dicens quod chrisma alterius catholicon nihil valet nisi suum: non tamen rebaptizat eum, excepto catholicon Armeniæ minoris, qui baptizatos & chrismatos in ecclesijs catholicon maioris Armeniæ, venientes ad ecclesiam minoris Armeniæ, rebaptizat & chrismat modo supradicto.

Armenor præsulum perfidia.

68 LXI. Itē Armeni dicunt, quod virtute sacramenti baptismi baptizatus efficitur membrum ecclesiæ, & potest participare sacramentis, & efficitur Christianus; & post finale iudicium, nisi aliud obsistat, intrabit in regnum cælorum.

LXII Item Armeni dicunt & tenent, quod licet in eorum ordinario antiquo dicatur, quod per baptismum datur remissio peccatorum; ipsi tamen hoc sic exposuerunt, quod hoc veritatem non habet de pueris, qui in ætate puerili baptizantur infra ætatem duodecim annorum, quia tales reputant innocentes & sine peccato: quia ipsi Armeni pro maximo peccato habent peccatum luxuriæ, quod committere non possunt tales pueri: sed de illis qui baptizantur, postquam peccata luxuriæ commiserunt, dicunt quod tales baptizantur in remissionem peccatorum. Tenent etiam dicti Armeni, quod illi, qui non commiserunt peccatum luxuriæ, sunt virgines & innocences, etiam si non bapizati decederent.

Originale peccatum negatum ab Armenis.

LXIII. Item apud Armenos vtriusque Armeniæ non datur sacramentum confirmationis, quia vt dicunt, illi qui eis fidem prædicauerunt a principio, tale sacramentum eis non dederunt: & quamuis Apostoli miserint Petrum & Ioannem ad illos, qui baptizati fuerant in Samaria per Philippum, vt imponerent eis manus, & acciperent Spiritum sanctum, quod ad sacramentum confirmationis pertinere videtur; dicunt tamen Armeni, quod illi, qui baptizati fuerant per Philippum, non acceperant verum baptismum, quia Philippus solum erat diaconus & non presbyter vel episcopus, qui presbyter & episcopus solum possunt dare verum baptismum: & ideo missi fuerunt dicti duo Apostoli ad eos, vt verum baptismum & Spiritum sanctum acciperent. Dicunt etiam dicti Armeni, quod eunuchus baptizatus a Philippo in tali baptismo non accepit Spiritum sanctum: sed postquam Philippus arreptus

Sacramentum confirmationis apud eos obsoletum.

Error circa ministrum baptismi.

ptus fuit ab eo, Spiritus ſanctus venit ſuper eunuchum.

Et confirmatione.

LXIV. Item catholicon minoris Armeniæ dicit, quod ſacramentum confirmationis nihil valet, & ſi valet aliquid, ipſe dedit licentiam presbyteris ſuis, vt idem ſacramentum conferant.

Item ſacrament. extremæ vnctionis.

LXV. Item Armeni dicunt & tenent, quod illa inunctio cum chriſmate facta in nouem locis, de qua ſupradictum eſt, valet Chriſtianis, dum viuunt pro omnibus inunctionibus, quæ fiunt per eccleſiam Latinam: vnde apud eos non eſt ſacramentum confirmationis, nec extremæ vnctionis: nec quando conſecrantur presbyteri vel epiſcopi, inunguntur eorum manus vel capita; ſed quando epiſcopi vel presbyteri ſunt mortui, portantur ante altare, & ibi eorum capita & frontes ac manus dextræ inunguntur: & tunc populus venit & oſculatur manum dextram prædictorum, & faciunt oblationes ſuas, ac ſi primam miſſam haberet celebrare; & poſtea adducuntur ad oſtium eccleſiæ animalia munda cooperta pannis ſericis, & modo ſupradicto occiduntur, & poſtea comeduntur.

Superſtitio in offerendis animalium ſacrificijs.

LXVI. Item omnes Armeni communiter dicunt & tenent, quod per hæc verba poſita in eorum canone miſſæ, quando dicuntur per ſacerdotem: *Accepit panem, & gratias agens fregit, dedit ſuis ſanctis electis, & recumbentibus diſcipulis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis & multis diſtribuitur in remiſſionem peccatorum. Similiter & calicem accipiens, benedixit & fregit, gratias egit, bibit, dedit ſuis electis ſanctis & recumbentibus diſcipulis dicens; Accipite, bibite ex hoc omnes: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remiſſionem peccatorum*; non conficitur, nec ipſi conficere intendunt corpus & ſanguinem Chriſti; ſed ſolum dicunt dicta verba recitatiue, recitando ſcilicet quod Dominus fecit, quando ſacramentum inſtituit. Et poſt dicta verba dicit ſacerdos multas orationes poſitas in eorum canone, & poſt dictas orationes venit ad locum, vbi ſic in eorum canone dicitur: *Adoramus, ſupplicamus, & petimus a te benigne Deus, mitte in nobis & in hoc propoſitum donum coeſſentialem tibi Spiritum ſanctum, per quem panem benedictum corpus veraciter efficies domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti.* Et dicta verba dicit ſacerdos ter. Deinde dicit ſacerdos ſuper calicem & vinum benedictum: *Sanguinem veraciter efficies domini noſtri ſaluatoris Ieſu Chriſti;* & per hæc verba credunt, quod conficiantur corpus Chriſti & ſanguis. Diuerſum etiam ritum habent dicti Armeni in celebrando miſſam, quia quidam eorum in altari ponunt duos calices, in quibus ponunt panem & vinum: & quidam ponunt ſolum vnum, in quo ponunt vinum: & calices apud eos ſunt vel terrei vel lignei. Et quidam celebrant miſſam in communibus veſtibus, & quidam induuntur ſacris veſtibus: & quidam celebrant populo præſente, & quidam excluſo populo & clauſis ianuis. Sacerdos celebrans ſolus intrat eccleſiam & exit, & penitus non oſtendit populo corpus Domini: & adhuc in pluribus locis fit iſto modo, quod celebrant ſub ianua clauſa, quouſque ſacerdos dicit: *Reſpicite*; quando ſcilicet eleuat ſacramentum, vt populus videat, & tunc aperiuntur ianuæ eccleſiæ.

Error circa conſecrationē euchariſtiæ.

Varij abuſus in celebranda miſſa.

69 LXVII. Item quod Armeni non dicunt, quod poſt dicta verba conſecrationis panis & vini fit facta tranſubſtantiatio panis & vini in verum corpus Chriſti & ſanguinem, quod natum fuit de virgine Maria, & paſſum, & reſurrexit; ſed tenent, quod illud ſacramentum ſit exemplar vel ſimilitudo aut figura veri corporis & ſanguinis Domini: & hoc ſpecialiter aliqui magiſtri Armenorum dixerunt, videlicet quod non erat ibi corpus Chriſti verum & ſanguis, ſed exemplar & ſimilitudo eius. Dicunt etiam, quod quando Chriſtus ſacramentum inſtituit, non tranſubſtantiauit panem & vinum in corpus ſuum & ſanguinem; ſed ſolummodo inſtituit exemplar & ſimilitudinem corporis & ſanguinis ſui: propter quod ipſi ſacramentum altaris non vocant corpus & ſanguinem Domini, ſed hoſtiam, vel ſacrificium, vel communionem. Quidam etiam magiſter vocatus Narces habet in ſuis libris expreſſum, quod quando ſacerdos dicit hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*; tunc eſt ibi corpus Chriſti mortuum: ſed quando ſacerdos dicit: *Per quem*; vt propoſitum eſt, ibi eſt corpus Chriſti viuum: non tamen expreſſit ſi erat verum corpus Chriſti ibi, vel ſimilitudo eius. Et quod etiam Armeni illud, quod ponitur in eorum canone miſſæ: *Per quem panis benedictus efficitur verum corpus Chriſti*; ſic ly *verum corpus Chriſti*, exponunt, quia efficitur ibi vera ſimilitudo & exēplar corporis & ſanguinis Chriſti. Vnde & Damaſcenus propter hoc reprehendens eos dixit, quod ducenti tunc anni erant, quod Armeni perdiderunt omnia ſacramenta: & quod illa ſacramenta, quæ habebant, non erant eis tradita ab Apoſtolis vel ab eccleſia Græca vel Latina, ſed ipſi, vt voluerant, ſibi ſacramenta confinxerant.

Hæreſis negans Chriſtū præſentē in Euchariſtia.

Narces reſtatur.

Hæreſis circa ſacerdotij poteſtatē.

LXVIII. Item Armeni dicunt & tenent, quod ſi presbyter vel epiſcopus ordinatus committat fornicationem etiam in ſecreto, perdit poteſtatem conficiendi & miniſtrandi omnia ſacramenta, quæ pertinent ad epiſcopum vel presbyterum: & talia ſacramenta per eos confecta nullam efficaciam vel virtutem habent. Si autem publicum ſit, quod fornicati fuerunt, nullus Armenus ſacramenta confecta per eos acciperet, quia credunt, quod talia ſacramenta nullam virtutem vel efficaciam habent, eo quod tales fornicatores perdiderunt poteſtatem ſacramenta conficiendi & adminiſtrandi: dicunt tamen, quod bonus laicus & fidelis Euchariſtiam confectam per epiſcopum vel presbyterum habentem poteſtatem conficiendi ſacramentum Euchariſtiæ, eam alijs miniſtrare poteſt.

Effectus Armeni fornicationem apoſtaſia grauiorē.

LXIX. Item dicti Armeni dicunt, quod ſi epiſcopus vel presbyter committat fornicationem, vel quamcumque aliam ſpeciem luxuriæ ſecrete, vel publice, perdit poteſtatem conficiendi & miniſtrandi ſacramenta, quæ ad eum pertinent: ſi vero efficiatur hæreticus vel apoſtata a fide, vt ſi efficiatur Saracenus vel Iudæus, vel committat quodcumque aliud crimen, vt homicidium, periurium, & ſic de alijs criminibus, dictam poteſtatem conficiendi & miniſtrandi ſacramenta non perdit; ſed ſufficit quod de talibus peccatis pœniteat, ſiue dicta peccata commiſerit publice ſiue occulte.

Negant ſacramentū Euchar. vim conferendæ gratiæ.

LXX. Item Armeni non dicunt nec tenent, quod ſacramentum Euchariſtiæ digne ſuſceptum operetur in ſuſcipiente peccatorum remiſſionem, vel pœnarum debitarum peccato relaxationem, vel quod per ipſum detur gratia Dei, vel eius augmentum; ſed ſolum dicunt, quod effectus ſacramenti Euchariſtiæ ſunt iſti, ſcilicet quod ille,

qui

qui recipit hoc ſacramentum, Chriſtus manet in eo, quia ſcilicet corpus Chriſti intrat in eius corpus, & in ipſum conuertitur, ſicut et alia alimenta conuertuntur in alimentato. Et quia Euchariſtia manet in ſuſcipiente, dicunt quod presbyter, qui accipit corpus Chriſti, non debet phlebotomari poſtea per triduum; et quia quidam presbyter contrarium fecit, exiuit de phlebotomia ſanguis et ignis. Dicunt etiam Armeni, quod effectus Euchariſtiæ ſunt, vt cuſtodiatur accipiens a fulgure et grandine, et ab alijs aeris nociuis impreſſionibus, et ab infirmitatibus corporis, et talibus malis corporalibus ſuis, vel charorum ſuorum. Et idem dicunt quoad iſtas pœnalitates corporales de ſacramento pœnitentiæ, quod ſcilicet homines per dictum ſacramentum a talibus pœnalitatibus cuſtodiuntur.

Manesguerdenſe concilia-bulum.

LXXI. Item quod ſexcenti duodecim anni ſunt, quod concilium ſupradictum fuit celebratum per Armenos in ciuitate Maneſguerdenſi, & ibi patriarcha Surianorum catholicon, epiſcopi, ac magiſtri Armenorum determinauerunt, quod in ſacrificio altaris non deberet miſceri aqua in vino: & nihilominus determiuauerunt ibi, quod illi, qui miſcent aquam in vino in ſacramento altaris, non habent verum baptiſmum, quia illa aqua, quæ fluxit de latere Chriſti in cruce, non poteſt ſeruire niſi ſacramento baptiſmi & ideo qui aquam ponunt in vino, perdiderunt ſacramentum baptiſmi. Determinauerunt etiam in dicto concilio, quod ſi aqua in ſacrificio altaris poneretur, quod illud ſacramentum nullum eſſet, quia Dominus poſt confectionem ſacramenti Euchariſtiæ dixit: *Non bibam de hoc genimine vitis*; & ita ſolum genimen vitis debet poni in ſacrificio, & non aqua. In quo etiam concilio anathematizauerunt illos, qui ponebant vel ponerent aquam in dicto ſacrificio: & in tantum hoc deteſtantur, quod ſi in aliqua Armenorum eccleſia celebretur miſſa, in qua miſceatur aqua in vino, aliqua pars tecti eccleſiæ diſcooperitur, vt radius ſolis in ea intrare poſſit, per cuius introitum conſecratio dictę eccleſiæ tollitur: & poſtea antequam aliquis Armenus in dicta eccleſia miſſam celebret, opottet quod dicta eccleſia reconcilietur.

In eo ſanctum impie, ne aqua in ſacrificio miſceatur vino.

LXXII. Item Armeni antiqui dixerunt & tenuerunt, quod nullus non ordinatus in presbyterum, quantumcumque eſſet bonæ vitæ, poterat conficere ſacramentum euchariſtiæ: & quod illi, qui erant in presbyteros ordinati, ſi malę vitæ eſſent, non poterant dictum ſacramentum conficere; ſed boni presbyteri hoc facere poterant & non alij. Armeni vero moderni dicunt, quod boni & mali presbyteri, dummodo non dimiſerint legem Armenorum, nec effecti fuerint de lege eccleſiæ Latinæ vel Græcæ, nec commiſerint peccata, de quibus ſupra dictum eſt, poſſunt conficere dictum ſacramentum. Sed illi presbyteri, qui dimiſerunt legem Armenorum, vel facti ſunt de lege eccleſiæ Græcæ vel Latinæ, quia eam dimittendo effecti ſunt hæretici, non poſſunt conficere dictum ſacramentum.

Obid Latinos & Græcos execrantur.

LXXIII. Item Armeni habent in quodam canone, quod ſi aliquis fuiſſet baptizatus in quibuſcumque eccleſijs, quę tenerent, quod in Chriſto ſunt duæ naturæ & vna perſona, & vellet a presbyteris Armenorum accipere Euchariſtiæ ſacramentum, idem ſacramentum non daretur ei per dictos presbyteros, niſi prius abnegaret baptiſmum, quod prius acceperat, & malediceret illos, qui dicunt duas naturas eſſe in Chriſto, & qui miſcent aquam in vino in ſacrificio; quibus factis, rebaptizant eum modo Armenorum, & tunc dant ei Euchariſtiæ ſacramentum per eos modo Armenorum confectum: & quod presbyteri Armenorum, dum celebrant miſſam clauſis ianuis eccleſiæ, ſecundum quod ſupra dictum eſt, maledicunt illos, qui dicunt, duas naturas eſſe in Chriſto, & qui miſcent aquam in ſacrificio, & qui aliquam reuerentiam faciunt imaginibus Dei vel ſanctorũ.

Eorundẽ perfidia.

LXXIV. Item quod apud Armenos maioris Armeniæ non ſit imago Crucifixi, nec aliæ imagines tenentur ſanctorum.

Sublatæ ſacræ imagines.

LXXV. Item quod quidã magiſter Armenorũ, cum veniſſet ad quendam locum, vbi fiebat ſolemnitas, & ſacerdos eleuaſſet Euchariſtiæ ſacramentum, vt videretur a populo, dictus magiſter maledixit eidem ſacerdoti dicens, quod myſterium fidei in ſecreto debebat teneri & non populo oſtendi; & quod, oſtendendo dictum ſacramentum, ſacerdos videatur dicere populo: Non timeatis, quia vnum fruſtum panis eſt hoc ſacramentum.

Negant propalandum fidei myſteriũ.

LXXVI. Item quod fuerunt Bononiæ tres Armeni, qui prius fuerant baptizati in forma Armenorum, & poſtea fuerunt baptizati in forma eccleſiæ Latinæ [nempe ſub conditione, ſi baptiſmo non eſſent rite abluti, vt ex literis pontificijs conſtat] qui homines cum poſtea veniſſent apud Florentiam, dum Armeni interrogauerunt eos, an fuiſſent balneati, vocantes balneationem baptiſmum receptum in eccleſia Latina. Qui cum reſpondiſſent eis, quod ſic, dixerunt eis, quod abnegarent dictam balneationem. Quod cum facere nollent, tantum verberauerunt eos, quod vnus ex eis poſt paucos dies deceſſit: alios vero duos tamdiu in carcere detinuerunt, quouſque dictam balneationem abnegarent, dicendo quod dictam balneationem reputabant, ac ſi vnus canis minxiſſet ſuper eos; & fuerunt per eos, vt creditur, rebaptizati ſecundum modum Armenorum; alioquin talibus non darent Euchariſtiæ ſacramentum etiam in fine, quantumcumque peterent.

Latinorũ baptiſmũ damnant.

LXXVII. Item cum quidam clerici & laici Armeni fuiſſent baptizati in forma eccleſiæ Latinæ, catholicon minoris Armeniæ eos fecit capi & dehoneſtari, radendo totaliter eorum capita & medietatem barbæ, & ſcindendo veſtes eorum, & poſtea in carcerem poni, & cogebat eos ſacramentum baptiſmi, quod acceperant in forma eccleſiæ Romanæ, abnegare: & quia facere nouerunt, diu fecit eos in carcere detineri.

Afficiunt contumelijs baptizatos.

LXXVIII Item quod com duo archiepiſcopi, dubitãtes an eſſent vere ordinati & baptizati per Armenos, veniſſent ad catholicon, qui nũc eſt minoris Armeniæ, dictus catholicõ vocauit prædictos archiepiſcopos, & inhibuit eis hoc primo, quod non celebrarent miſſam Latinam, ſed Armenorum antiquam miſſam. Secundo præcepit eis, quod non ſeruarent ieiunia eccleſiæ Romanæ, ſed antiqua ieiunia Armenorum. Tertio præcepit, quod non baptizarent aliquem, qui dubitaret de ſuo baptiſmo, & veniret ad eos, ad petendum verum baptiſmum; ſed vt dicerent eis, quod baptiſmus Armenorum eſt melior, quam baptiſmus eccleſiæ Romanæ. Quarto inhibuit eis, ne facerent populum ſuum Armenum Latinum, quia dicebat ille dictus catholicon, quod melius erat quod populus ſuus ſicut Armenus vadat ad infernum, quam ſi fierent Latini, & irent omnes ad paradiſum. Quarto præcepit eis, quod non docerent pueros Armenos nec linguam, nec literam

Blaſphemæ catholicon voces.

Latinam, quia quando addiſcerent literam Latinam, amitterent linguam Armenorum. Et ad teſtimonium & confirmationem horum dictorum eſt hoc, quod in eodem anno ſupradictus catholicon conſecrauit ſex epiſcopos Armenos, & accepit ab eis literam publicam, quod ipſi non darent pueros de partibus ſuis ad addiſcendum literam Latinam, nec dimitterent aliquem prædicatorem Latinum, qui prædicaret veritatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ in diœceſi & prouincia ſua. Item quemlibet epiſcopum, quem ipſe conſecrat, facit anathematizare illos Armenos, qui volunt fieri veri catholici & obedientes eccleſiæ Romanæ. Sexto inhibuit eis, quod non prædicarent Papam Romanum caput eſſe eccleſiæ in orientalibus partibus; ſed ipſe ſe dicit & facit papam in partibus orientalibus a fine maris vſque ad magnum Imperatorem Tartarorum. Et multa alia inconuenientia verba & errorem ſapientia locutus fuit, & hæc omnia inhibuit eis dictus catholicon: & quia noluerunt ei obedire in prædictis, grauem perſecutionem contra eos fecit; propter quod vnus ex eis poſt annum cum dimidio iuit ad inſulam Cypri, & ibi audiuit, quod dictus catholicon, conſentiente Rege Armeniæ, illos quos ipſi & aliqui alij Latini baptizauerãt vel ordinauerant ſub conditione in forma eccleſiæ Rom. capi fecit, & aliquos ſacerdotes ex eis degradauit, & in duro carcere Regis poſuit: alios vero incarcerauit, & adhuc ſunt carcerati, & eorum bona & poſſeſſiones fuerunt confiſcatæ & alijs venditæ.

Primatũ in oriente ſibi arrogat.

Communicantibꝰ cũ Latin. pœnam irrogat.

LXXIX. Item quod presbyteri & epiſcopi Armenorum imponunt pœnitentiam illis Armenis, qui veniunt, vt baptizentur in eccleſia Græca vel Latina, per aliquos annos, vt ſcilicet ieiunent modo Armenorum. Modus autem talis eſt, quod in dicto tempore non debent comedere carnes, piſces, lac, caſeum, vel oua: poſſunt tamen quoties volunt in die comedere. Illis vero Armenis, qui accipiunt Euchariſtiæ ſacramentum in eccleſia Græca vel Latina, imponunt pœnitentiam quinque annorum, vt ſcilicet ieiunent per dictum tempus modo ſupradicto.

Superſtitio circa dies celebrandæ miſſæ.

LXXX. Item quod apud Armenos in quadrageſima, quam incipiunt dominica in quinquageſima, non celebratur miſſa in eccleſijs, niſi in die ſabbati & dominica, nec dicitur alijs ſeptimanis anni, in quibus Armeni ieiunant. Magis autem celebrant miſſas in die ſabbati quam in alijs diebus dictis temporibus, quia communiter omnia feſta, quæ veniunt in ſeptimana, celebrant in die ſabbati, exceptis feſtis aſſumptionis B. Mariæ & exaltationis ſanctę Crucis, quæ feſta celebrant in die dominica. Alio vero tempore anni communiter in eccleſijs non celebrant niſi dictis duobus in ſeptimana, & tunc etiam ducunt animalia ad oſtium eccleſiæ, & occidunt modis ſupradictis.

Animaliũ ſacrificia apud Arm

LXXXI. Item quod apud Armenos populus non communicat niſi in vigilia epiphaniæ & in die; ita quod illi, qui ieiunauerunt per ſeptimanam ante dictam vigiliam, in dicta vigilia vel nocte ſequenti communicant, & ibi anathematizant omnes illos, qui faciunt feſtum natiuitatis Domini xxv. die decembris. In ſequenti vero die faciunt feſtum epiphaniæ, & tunc illi de populo, qui volunt, communicant etiam illi, qui non ieiunauerunt dictam ſeptimanam: communicant etiam aliqui in die cœnæ & in ſabbato ſancto.

Quibus diebus cõ municẽt.

LXXXII. Item quod quando aliqui communicare debent per ſacerdotem, fit confeſſio generalis, dicendo genera peccatorum non deſcendendo ad aliquod peccatum ſingulare: & poſtea populus reiterat dictam confeſſionem: in ſecreto tamen raro, vel nunquam aliquis Armenus confitetur ſacerdoti ſua peccata; & ſi confitetur, non dicit, quod hoc vel illud ſingulare peccatum commiſerit, ſed dicit, quod diabolus dictum peccatum fecit, vel quod ad ſuggeſtionem alterius hominis dictum peccatum fecit. Dimittunt autem peccata ſua confiteri ſecrete & ſingulariter, quia ſacerdotes eorum peccata reuelarent, & multum graues pœnitentias eis imponerent: propter quod communiter Armeni non confitentur niſi in genere peccata ſua. Facta autem dicta generali confeſſione per populum, ſacerdos dicit vel: *Ego dimitto vobis peccata veſtra*; vel: *Deus dimittat vobis*; & aliqui dicunt: *Ego dimitto vobis peccata veſtra in terra, & Deus dimittat vobis in cælo*. Dicti autem ſacerdotes dicũt, quod niſi dictas pœnitentias compleuerint, non debent communicare in vita præſenti, nec ingredientur in regnum Dei; & erunt excluſi a gratia & benedictione Dei. Et apud Armenos nullam certam formam habent presbyteri, & ſacerdotes abſoluendi ſubiectos eorum a peccatis ſuis. Item quod dicti Armeni dicunt & tenent, quod dicta generalis confeſſio ſufficit ad remiſſionem peccatorum & abſolutionem; nec oportet, quod ſecrete & in ſingulari aliquis confiteatur peccata ſua ſacerdoti: dicta etiam abſolutio generalis valet ad peccatorum abſolutionem, etiam ſi contritio non preceſſerit.

Confeſſio generalis tantum ab ijs vſurpata.

Raro confitentur ſecrete & ſingillatim.

Formula abſolutionis apud eos incerta.

LXXXIII. Item Armeni infirmi grauiter, quando dicitur eis, quod morti appropinquant, ipſi vel eorum amici petunt communionem, & eam faciunt portari: & quandoque contingit, quod quando multum debiles ſunt, ſacerdotes ponunt in ore eorum communionem: & quando ſunt multum proximi morti, faciunt ſacerdotes de communione ſignum crucis ſuper os eorum, & ſic reportant communionem.

Tardius petiuntur ab ijs viatici

LXXXIV. Item Armeni dicunt & tenent, quod catholicon, epiſcopi, & presbyter Armenorum eandem & æqualem poteſtatem habent ligandi vel ſoluendi, quantam & qualem habuit Petrus Apoſtolus, cui a Domino dictum eſt: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*; nec quoad hoc minorem poteſtatem habent presbyteri Armenorum, quam eorum catholicon & epiſcopi.

De poteſtate ſoluendi & ligãdi male ſentiũt.

LXXXV. Item Armeni dicunt & tenent, quod vſque ad concilium Nicænum Romanus Pontifex non habuit poteſtatem maiorem, quam alij patriarchæ: ſed tunc de voluntate dicti concilij fuit ordinatum, quod dictus Romanus Pontifex haberet poteſtatem ſuper alios patriarchas. Quam poteſtatem habuerunt Romani Pontifices vſque ad concilium Chalcedonenſe: ſed quia in dicto concilio, ad inſtantiam B. Leonis Papæ congregato, fuit determinatum, quod in Chriſto erant duæ naturæ & vna perſona, Romani Pontifices perdiderunt dictam poteſtatem, & omnes illi, qui dicto concilio conſenſerunt: & ex tunc illa plena poteſtas ligandi vel ſoluendi, quam Chriſtus eccleſiæ in perſona B. Petri * apud ſolos Armenos remanſit: & hoc etiam Armeni determinauerunt in ſupradicto concilio Maneſguerdenſi, quod congregatum fuit ibi de mandato cuiuſdam Saraceni nepotis Machometi.

Pontificia auctoritatem petitã a conc. Nicæno fiunt.

Et valuiſſe tantum vſque ad Chalcedonenſe.

*contulerat, Id definitum in cõcilio a nepote Machom. congregato.

Item

Impiæ ad uersus Petri primatum voces.

LXXXVI. Item Armeni dicunt & tenent, quod post concilium Chalcedonense Romanus Pontifex non habet plus de potestate super subiectos suos, quam ille, qui præest Nestorianis super Nestorianos, vel ille qui præest Græcis super Græcos. Dicunt etiam vlterius, quod Papa scit quod potest, & Armeni sciunt quod possunt.

Rex Arm. de primatu bene sentit.

LXXXVII. Item quod Rex Armenorum interrogauit catholicon minoris Armeniæ, an si Papa excommunicaret eum, reputaret se excommunicatum: qui respondit quod non, quia Papa nihil habet facere de eo, nec ipse accepit aliquid a Papa. Rex tamen dixit ei, quod si Papa mandaret ei, quod dictum catholicon deponeret, ipse deponeret eum.

Ritus in eligendo catholico Armenorum.

LXXXVIII. Item catholicon Armenorum hoc modo eliguntur, instituuntur, & confirmantur, & potestatem pertinentem ad catholicon accipiunt, & deponuntur & aliter puniuntur: quia catholicon Columbarum & catholicon Dehactamar viuentes eligunt aliquem de gente ipsorum, quem volunt, & postea consecrant eum in catholicon; non tamen vtitur hac potestate, quo vsque mortuus fuit ille catholicon, qui eum elegit. Postquam autem mortuus est dictus catholicon primus, sequens catholicon vadit ad Imperatorem Tartarorum, qui est paganus, & ab ipso confirmatur in catholicon: & vt confirmetur per eum, exigitur ab eo pecunia, quantum soluere potest. Qui modus eligendi & confirmandi catholicon introductus fuit in ecclesia maioris Armeniæ per Saporem Regem Persarum paganum, qui colebat ignem, & durat vsque nunc. Qua confirmatione facta per dictum Regem, idem Rex dat literas suas, quod episcopi & subiecti ei obediant, quia est confirmatus per eum; & quod dent ei certas quantitates pecuniæ, & postea annuatim alias: & omnes presbyteri dant ei ad minus valorem vnius floreni annuatim, & de quolibet facto Christianorum & subiectorum habet annuatim valorem ad minus sex grossorum argenti: & dictus catholicon dicto Regi quolibet anno habet dare certam summam pecuniæ; quam si non daret vel aliud crimen committeret, dictus Rex deponit eum, & secundum quantitatem criminis, commissi per eum, punit eum etiam ad mortem. Catholicon vero Armeniæ minoris sic fit: quia mortuo catholicon, Rex Armeniæ conuocat episcopos, quos vult, & illi eligunt tres episcopos minoris Armeniæ in catholicon, & præsentant eos Regi; qui Rex coram quolibet electorum prædictorum flectit genua: & deinde ille de dictis electis, qui plus de pecunia dederit Regi, per Regem constituitur catholicon, & confirmatur per hoc, quod Rex imponit annulum in digito manus eius. Et iste catholicon, qui nunc est, dedit pro confirmatione sua dicto Regi quinquaginta millia grossorum vel valorem ipsorum, & quolibet anno dat ei viginti millia grossorum vel valorem. Dictus autem Rex potest deponere dictum catholicon & aliter punire, quando vult: & apud Armenos catholicon, episcopi, & presbyteri nullum ordinem alicui dant nisi interueniente pecunia, nec chrisma, nec aliquod aliud sacramentum; sed omnia talia sunt venalia apud eos.

Inductus mos a Sapore idolatra. Confirmatio ab Rege petitur.

Vestigal eidem pēditur.

Ab eod. Rege exactoratur.

Sacramenta venalia apud Armenos.

LXXXIX. Item Imperator maioris Armeniæ, quando confirmat dictos catholicon, dicit eis: *Eatis & faciatis officium secundum fidem vestram: & mandamus, quod possitis benedicere & maledicere, & ligare & soluere secundum fidem vestram, prout vobis videbitur: & volumus quod Christiani, qui sunt sub vobis, obediant vobis: & si obedire nollent, volumus quod illi, qui præsunt terræ, eos cogant vel puniant*; & de hoc dat ei priuilegium. Et eodem modo fit per Regem Armeniæ minoris de catholicon minoris Armeniæ, & Rex minoris Armeniæ eligit episcopos & presbyteros, accepta pecunia ab eis: & postea illos electos in episcopos mittit ad catholicon, vt consecrentur per eum, & presbyteros ad episcopos, vt ordinētur per eos: qui etiā episcopi & presbyteri ordinantur per catholicō & per episcopos pro pecunia. Eo autem ipso, quod sunt consecrati vel ordinati a Deo immediate post consecrationem accipiunt potestatē ligandi & soluendi consimilem illi, quam Christus dedit B. Petro Apostolo: & tantam habent potestatem presbyteri, sicut episcopi & catholicon.

Sacramentū ordinis ad regiū imperium confertur.

XC. Item Armeni dicunt et tenent, quod potestas illa, quam Christus dedit B. Petro, dicendo ei: *Quodcumque ligaueris super terram, &c.* Sunt solum data personæ Petri et pro ipso solo, ita quod hæc potestas non transiuit ad aliquem eius successorem.

Error circa primatum Pont.

XCI. Item quod Armeni dicunt et tenent, quod generalis potestas super totam ecclesiam Christi non fuit data B. Petro, nec successoribus eius a Christo: sed potestas fuit eis data per concilium Nicænum; quam tamen potestatem postea successores Petri perdiderunt.

Tres ordines tantum habent.

XCII. Item quod apud Armenos non sunt nisi tres ordines, scilicet acolytathus, diaconatus, et presbyteratus: quos ordines conferunt episcopi pro missa vel accepta pecunia. Et eodem modo dicti ordines presbyteratus et diaconatus confirmantur, scilicet per manus impositionem, dicendo quædam verba hoc solummodo mutato, quod in ordinatione diaconi exprimitur ordo diaconatus, et in ordinatione presbyteri ordo presbyteratus. Nullus autem episcopus apud eos potest ordinare alium episcopum nisi solus catholicon: qui catholicon tenet penes se pontificale, vbi continetur modus consecrandi episcopum. Dictus autem catholicon nullum in episcopum consecrat nisi data vel promissa pecunia, secundum facultates consecrandi in episcopum, vel valorem episcopatus. Et in maiori Armenia consecrantes episcopos, presbyteros, diaconos, vel acolythos in communibus vestibus stant, dum prędicta faciunt, et etiam ordinandi.

Episcopalis ordo a solo catholicon confertur.

Et in profana veste.

XCIII. Item quod quando aliquis est ordinatus in diaconum, episcopus, dat ei licentiam, quod contrahat matrimonium cum virgine: quo matrimonio contracto, ministrat in dicto ordine, & potest etiam stante matrimonio promoueri in sacerdotem: sed si existens diaconus accipiat secundam vxorem, postea non promouetur ad sacerdotium.

Coniugati apud eos promouentur ad sacerdotium.

XCIV. Item in Armenia maiori, quando aliquis ordinatur in diaconum, non datur ei liber euangeliorum, nec stola sub certa forma verborum: nec, quando aliquis ordinatur in presbyterum, datur ei calix cum vino & patena cum pane sub certa forma verborum, quibus vtitur Romana ecclesia, nec inunguntur ei manus: nec quando aliquis ordinatur in episcopum, ponitur liber euangeliorum in ceruice & in spatulis eius; nec caput nec manus ei inunguntur chrismate, vt fit in ecclesia Romana. Catholicon etiam maioris Armeniæ soli consecrant episcopos, non assistentibus eis alijs episcopis.

Deficiūt in ritibus conferendi ordinis.

XCV. Item quod catholicon minoris Armeniæ

niæ dedit potestatem cuidam presbytero, vt posset ordinare in diaconos quos vellet de subiectis; cum tamen apud Armenos maioris Armeniæ nullus possit ordinare aliquem diaconum vel presbyterum nisi solus episcopus.

Datum presbytere, vt ordinet diaconos.

XCVI. Item catholicon minoris Armeniæ, quando vult consecrare episcopos, induit se vestibus sacris; ipse tamen solus dictam consecrationem facit: & si aliqui episcopi sint ibi præsentes propter honorem eius, non tamen cum eo consecrant episcopum, sed solum assistunt in missa, quam celebrat catholicon, sicut Cardinales quando Papa celebrat: nec tenent librum pontificalem, nec orationes dicunt, quæ dicuntur per episcopos assistentes in consecratione episcoporum.

Catholicō creat vel deponit episcopos pro pecunia.

XCVII. Item quod catholicon Armenorum conueniunt cum episcopis eis subiectis, qui non per successionem veniunt, de certa quantitate pecuniæ annuatim ei danda; quam si non soluunt, deponit eos, & consecrat alium episcopum in loco eius, & cum suis literis scribit populo, quod ipse primum episcopum deposuit & alium constituit: ex quo contingit, quod frequenter propter talem causam in vno episcopatu sunt tres vel quatuor episcopi viuentes simul. Episcopos etiam depositos per eum iterum restituit suis episcopatibus, si bene soluant ei pecuniam, de qua cum ipsis conuenerunt. Illos vero episcopos, qui veniunt per successionem, quando non soluunt ei pecuniam, de qua cum eo conuenit dictus catholicon, eos excommunicat, nec dat eis chrisma, quousque soluerint ei dictam pecuniam.

Error circa modū conferendi ordinis episc.

XCVIII. Item catholicon minoris Armeniæ tenet apud se vlnam brachij & manum adhuc integram B. Gregorij, qui fuit catholicon, & fuit ordinatus episcopus more ecclesiæ Græcæ: quam vlnam & manum dictus catholicon ponit super caput & manus illorum, quos ordinat in episcopos; & dicit, quod si dictæ manus impositio & brachij non fieret super caput & manus illorum, qui per eum ordinantur in episcopos, non essent ordinati in episcopos, quia impositio dicti brachij & manus faciunt consecrationes episcoporum: & propter hoc ipse nullos episcopos vt episcopos recipit, qui ordinati fuerunt per alios catholicon Armeniæ maioris, quia nullus alius catholicon nisi ipse dictum brachium & manum Gregorij habet.

Armeni episc. ad Latinos venientes suspecti.

XCIX. Item quod episcopi Armeni venientes ad Italiam dicunt, se fuisse expulsos episcopatibus suis per Saracenos; cum tamen hoc verum non sit: & dicunt, se esse archiepiscopos, cum tamen in Armenia nullus sit archiepiscopus, ad hoc vt possint pro pecunia vendere religiosis mendicantibus episcopatus: & multi ex eis magnas pecunias sic exegerunt, & multos episcopos taliter fecerunt, & in curia Romana etiam ordinauerunt multos in presbyteros & diaconos sine licentia diœcesanorum, in quorum diœcesibus habitabant, & pro pecunia. Et persecuti sunt & persequuntur illos Armenos, qui secundum ritum Romanæ ecclesiæ baptizantur, & illos qui fidem Romanæ ecclesiæ tenent: & dicunt quod Romana ecclesia errat, sed ipsi Armeni bonam, & rectam fidem tenent.

Sine consensu partium celebrant matrimonia.

C. Item quod apud Armenos nulla est certa forma verborum, exprimēs consensum matrimonialem inter virum & vxorem: immo multi per parentes & amicos coguntur venire ad ecclesiam, vt matrimonium fiat inter eos: & quamuis vnus vel ambo dicant, quod nolunt inter se matrimonialiter copulari, tamen matrimonium fit inter eos in facie ecclesiæ.

CI. Item quod inter Armenos gradus consanguinitatis & affinitatis, quod apud eos pro eodem habetur, obseruantur vsque ad septimum gradum: si tamen aliqui, existentes in tertio gradu & infra, inter se matrimonium contrahant, permittuntur stare in tali matrimonio, & non inquietantur super hoc per episcopos.

Ea perpetram dissoluunt.

CII. Item quod apud Armenos, si post matrimonium contractum, etiam carnali copula subsecuta & prole suscepta, viro non placeat vxor, vel e conuerso, ille cui non placet alter coniunx, vel ambo si sibi mutuo non placent, vadit vel vadunt ad episcopum vel sacerdotem, & data pecunia, & secundum quod inter se conueniunt, episcopus seu sacerdos separat dictum matrimonium, & dat licentiam alteri nubendi, etiam tum altero coniuge inuito: & hoc fit multoties apud Armenos.

Plures habent mul. coniuges simul qui tenē.

CIII. Item quod apud Armenos multi sunt, qui habent multas vxores simul, quia viri habentes vxores in vno loco, cum propter mercantias vel alias transferuntur ad alia loca, accipiunt alias vxores in dictis locis, in quibus se transtulerunt. In locis etiam proprijs manentes multi sunt, qui duas vxores viuentes simul habent, quarum vnam accipiunt post aliam, etiam in facie ecclesiæ talia matrimonia facientes. Spurij etiam apud eos ita succedunt in hereditate, ac si legitimi essent; & promouentur sine alia dispensatione ad omnes ordines, & ad episcopatum, & etiam ad statum catholicon, sicut de facto est de nepote Zachariæ, qui erat filius concubinæ fratris dicti Zachariæ, qui promotus est in episcopum post patruum suum.

Affirmant naturam hum. in deitatem conuerti.

CIV. Item quod, quia Armeni dicunt, quod in ipsa vnione natura humana in Christo conuersa fuit in deitatem, dicti Armeni dicunt & credunt, quod Christus in iudicio in forma diuina apparebit & iudicabit, & non in forma humana.

Erant in caritatem dinem sforum.

CV. Item Armeni dicunt & tenent, quod post generale iudicium iusti & impij in æternum viuent, quia ex tunc non morientur: dicunt tamen, quod ex iustis hominibus aliqui ibunt in paradisum cælestem post iudicium, & alij in paradisum terrestrem, & alij in terram istam, vt supra dictum est: in quibus locis nullam pœnam sustinebunt. Dicunt tamen, quod vita æterna etiam in illis, qui ibunt ad paradisum cælestem, non consistit in Dei visione faciali & fruitione, quia Dei essentia a nulla creatura vnquam videbitur, sed solummodo claritas eius.

Resurturis poribus xum gant.

CVI. Item quidam catholicon Armenorum dixit & scripsit, quod in generali resurrectione omnes homines consurgent cum corporibus suis: sed tamen in corporibus eorum non erit sexuum discretio, quia si talis discretio sexuū esset inter eos, tunc viri ducerent vxores & mulieres nuberent, cuius contrarium Dominus dicit: sed resurgent viri & mulieres cum corporibus suis in alia forma, in qua non erit sexuum discretio.

Comefa terra perfica fa pro charis

CVII. Item Armeni tenent, quod si aliquis sit in periculo moriendi, & non habeat tempus recipiendi communionem, quod faciunt crucem cum manu in terra, & de quolibet brachio dictæ crucis accipiunt modicum de terra & comedunt: & hæc comestio terræ habetur per eos pro communione.

Item

Immortalitas animæ ab aliquibus negata.

CVIII. Item quod aliqui magni homines Armeni laici dixerunt, quod ſicut beſtiæ in morte expirant & ſic moriuntur, ita & homines: & ſicut beſtiæ, cum ſemel mortuæ fuerunt, nunquam reſurgent; ita nec homines, poſtquam mortui fuerint, nunquam reſurgent.

Hæreſum impunitas apud eos. Libri apud eos peſtiferi.

CIX. Item quod apud Armenos nullus punitur de quocumque errore, quem teneat.

CX. Item quod apud Armenos ſunt multi alij errores a prædictis, qui errores continentur in infraſcriptis libris Armenorum, quorum primus intitulatur, *Tenophacer*, id eſt contra feſtiuitates, quas celebrant eccleſiæ Romana & Græca. Secundus liber vocatur, *Anadoarmat*, id eſt, radix fidei. Tertius liber vocatur, *Ioannis Mandogonenſis*. Quartus liber vocatur, *Ioannis Oſſinenſis*. Quintus liber vocatur, *Myaſcoſutum*, id eſt, vnius locutionis. Sextus liber vocatur, *Michaelis patriarchæ Antiocheni*. Septimus liber vocatur, *Pauli Taronenſis*. Octauus liber intitulatur, *Octauenſis*. Nonus liber vocatur, *Matthæus*. Decimus liber vocatur, *Liber canonum Apoſtolorum*; in quo continentur omnes errores Armenorum. Vndecimus liber dicitur, *Sergniz*. Duodecimus liber dicitur, *Marocha*, a nomine magiſtri, qui ſic vocabatur: in quo libro exponuntur euangelia. Tertiusdecimus liber dicitur, *Nanam*, in quo exponitur euangelium Ioannis. Quartusdecimus dicitur, *Ignadius*, in quo exponitur euangelium Lucæ. Quintusdecimus vocatur *Ganazan*, id eſt, liber virgarum. Sextusdecimus vocatur, *Neguig pataracum*, in quo exponitur miſſa. Decimus ſeptimus vocatur, *Textorquire*, id eſt, liber epiſtolarum. Decimusoctauus dicitur, *Aiſmanorc*, id eſt, martyrologium. Et quod ſunt plures alij libri Armenorum, in quibus multi continentur errores.

CXI. Item Armeni dicunt, quod Chriſtus non depoſuit ſuperflua naturæ, & vt dicunt cauſa eſt, quia corruptio talium ſuperfluitatum eſt peccatorum generatio: et quia Chriſtus peccata non fecit, ideo non eſt dominata ſibi talis corruptio.

Circumcisionem negant in Chriſto.

CXII. Item dicunt, quod licet Chriſtus fuerit circumciſus ſecundum legem; non tamen fuit ei amputatum præputium, quia non licebat a deificato corpore aliquid amputari: & maxime quia ſic fuerat ordinatum, quod primogeniti circumciderentur findendo pellem præputij, & nihil amouendo, & Chriſtus fuit primogenitus.

Blaſphema diuini verbi interpretatio.

CXIII. Item dicunt, quod Deus propter amorem hominis victus fuit, quia in ſuis comminationibus non fuit inuentus verax, ſed ſemipartialis: quia dixerat homini, quod moreretur ſi manducaret fructum vetitum; & tamen non fuit totaliter mortuus poſt comeſtionem fructus, quia anima eius nunquam fuit mortua. Iterum etiam nec in corpore fuit mortuus vſque ad nongenteſimum trigeſimum annum. Item quia animalia omnia non rebellauerunt ſibi, ſed neceſſaria in eius ſeruitio remanſerunt.

CXIV. Item dicunt, quod ſignum poſuit Deus non occidendi Cain, & ita fuit ad literam, quia ſecundum eos nullus eum occidit: ſed ipſe de præcipitio ſe ſubmiſit. Ex quo innuunt, ſcripturam geneſis quoad hæc eſſe falſam, quæ videtur dicere quod Lamech interfecit Cain.

CXV. Item quod cum duo epiſcopi graues perſecutiones paterentur a catholicon minoris Armeniæ, de quorum perſecutione facta eſt mentio ſupra, ſcripſerunt ſupplicationem, quam miſerunt Regi, ſupplicando ei, vt faceret ceſſare dictum catholicon a perſecutione ſupradicta: idem autem Rex reſpondit eis, quod ipſi erant in poſſe eius, & non poterant exire de partibus eius nec per mare nec per terram, niſi irent ad dictum catholicon, & ei reuerentiam exhiberent, & reconciliarentur eidem, & ſubditi ei in omnibus eſſent, & de hoc darent publicam literam, quam peteret dictus catholicon ab eis: dicens quod ipſe Rex conſtitutus eſt per Armenos, & non per Latinos, & quamdiu viueret debebat pro fide eccleſiæ Armenorum laborare, & catholicon Armenorum honorare, quia caput eius erat. Litera autem, quam petebat ab eis dictus catholicon, hæc continere habebat, quod ſanctam eccleſiam Armenorum deberent honorare, & fidem eius prædicare, & ei vt catholicon Armenorum obedire, et ipſum recognoſcere ſolum caput eorum eſſe loco Dei: & quod nullum baptizarent, & chriſma Armenorum honorarent, quia illud ſolum eſt verum chriſma; & quod omnia, quæ ipſe doceret, de ſancta eccleſia Armenorum & de regulis, tanquam mandata Dei honorarent.

Rex Ethom ad Rom. eccl. Armenor. traduxit.

CXVI. Item quod cum Rex Armenorum vocatus Ethom, vt Armeni vnirentur eccleſiæ Romanæ, congregaſſet omnes epiſcopos Armeniæ & magiſtros, & catholicon, vt diſputarent cum legato miſſo eis per Romanam eccleſiam; & facta dicta diſputatione cognouiſſet dictus Rex, quod veritatem tenebat ſancta Romana eccleſia, & quod Armeni errantes erant a veritate; ex tunc Reges Armeniæ Minoris tenuerunt fidem ſanctæ Romanæ eccleſiæ: ſed epiſcopi, magiſtri, & principes Armenorum non fuerunt de hoc contenti. Et poſt receſſum dicti legati quidam magiſter, vocatus Vartan, de Nigromonte compoſuit vnum librum vocatum, *de Riſma*, id eſt verſus pedem, contra Papam & ſuum legatum, & contra eccleſiam Romanam: in quo vocauit Papam Romanum ſuperbum Pharaonem cum ſuis ſubditis in mare hæreſis ſubmerſos, & legatum eius ambaxatorem Pharaonis fuiſſe reuerſum cum maxima verecundia: & dixit, quod eccleſia Romana erat multum decepta, quia natiuitatem & aquam a maledicto Arthomono recepit, & multas alias blaſphemias ſcripſit in dicto libro, qui magnus eſt. Et multi miniſtri Armenorum, & epiſcopi ac presbyteri dictum librum honorant tamquam canones Apoſtolorum.

Vartan hæreſiarcha.

CXVII. Item quod Armeni non habent omnino veram fidem, quam tenet ſancta Romana eccleſia, nec ſacramenta; blaſphemantque ſanctam Romanam eccleſiam & Papam & Cardinales, dicentes eos eſſe hæreticos: & quod catholicon minoris Armeniæ dixit, quod Papa & omnes Cardinales qualibet die plures, quam ipſe haberet capillos in capite, faciunt homines occidere: Et licet prædicent, quod ſimonia non eſt committenda, ipſi tamen ſine labe ſimoniæ nullas gratias faciunt; & * puriſſimi ſinguli omnes in minori Armenia, præter Regem & aliquos nobiles, qui tenent fidem Romanæ eccleſiæ].

* puriſſimos fingunt

118 Cum ſuperiorum errorum catalogus peruenisſet in Regis Leonis manus, tulit ille graviter regnum ſuum ea fœditate inquinatum, & Armenos vt hæreticos apud ſedem Apoſtolicam traduci: quare illius iuſſu Daniel monachus ad excuſandos Armenos commẽtarium edidit, quem tranſmiſit ad Benedictum, in quo eos errores ab inuidis impoſitos conqueſtus eſt, repertuſque is liber eſt in archiuo Auinionenſi legato Octauio

Editus ad excuſandos ab obiectis Armenos commentarius.

uio Aquauiua Cardinale & Romam translatus. Cæterum non falso subornata erant hæc crimina in Armenos, nec temere credita a Benedicto: fassos enim Clementi VI. Armeniæ Regis oratores plures errores in Armenia pullulasse, & Clementem studia sua, vt abolerētur, applicuisse visuri sumus. Quin etiam commoti pontificijs monitis Armeni præsules, coacta solemni synodo, numeratos superius errores ecclesiastica execratione damnarunt; ac decreta insigni ad sedem Apostolicam legatione imperijs se pōtificijs adhæsuros professi sunt, vt e subiectis Clementis literis a patet: *Dudum venerabiles fratres nostri Consolator dictus catholicon Armenorum, nec non archiepiscopi & episcopi, ac dilecti filij abbates & cæteri clerici in Armenia constituti per nuntios & literas eorum nobis intimare curarunt, quod olim felicis recordationis Benedictus PP. XII. prædecessor noster, dum adhuc ageret in humanis, eos per literas suas apostolicas requisiuit & monuit, vt errores aliquos fidei catholicæ repugnantes, quos periculose nimium in partibus illis perceperat pullulasse, quosque prædecessor idem eis descripserat distincte, succiderent & congregata synodo condemnarent, illos de cordibus Armenorum aliorum, quos tanquam simpliciores malignus hostis facilius laqueo damnationis inuoluerat, extirpando: quodque ipsi, prædictis literis prædecessoris eiusdem filiali deuotione susceptis ac per eos synodo congregata, huiusmodi errores abiecerant et, prout decuit, condemnarant; vlterius offerentes, quod si in libris eorum, quibus communiter vtuntur, aliqua forsitan reperirentur erronea & fidei repugnantia supradictæ, parati erant illa de libris eisdem iuxta mandatum eiusdem ecclesiæ delere penitus, seque institutis apostolicis in omnibus conformare, &c.* Exhibuisse etiam se eundem catholicon & alios Armenorum præsules ad ius pontificium religiose colendum; ac decretales & decreta apostolicis legatis tradita, vt ea ad Armenos deferrēt, ex literis b ad catholicon eundē datis constat. Nunc ad Græcos schismaticos, qui fœdissimum Armenorum errorem numero centesimum quintum de ficta quadam claritate corporea, eaque diuina & increata, quæ beatorum obiectum esset, hauserant sermonem traducimus.

Fassi sunt demum Armeni, graues apud eos errores pullulasse.

a Clem. VI. l. 3. an. 5. epist. 3.

Coacta synodo damnati superiores errores.

b Ib. ep. 17 Error Armen. de visione Dei.

119 Diuulsi Græci a Romanæ ecclesiæ, extra quam vt nec doctrinę puritas, ita nec vera sanctitas constare potest, coniunctione in eam infelicitatis abyssum sunt collapsi, vt qui ab hominum segregati commercio rerum cælestium tractationi, ac sanctimoniæ vitæ comparandæ vacare præseferebant in monte Atho, in quo plurimi erant anachoretarum & monachorum greges ludibrijs hostis humani generis expositi, dum fundendis precibus erant intenti, dormiebantue, dæmone in angelum lucis se transformante, ingenti splendore circumfunderentur; ex quo se magna suauitate delibutos sentiebant: id enim omnibus hisce pseudoreligiosis schismaticis contigisse Massalianorum, quibus dæmon simili modo illudere erat solitus, exemplo ex vnius ipsorum, qui Barlaamum eiusmodi hominum explorantē instituta, instruentis verbis c apparet: *Docuit*, nempe montis Atho anachoreta, *tum quo pacto paulatim proficientes solitarij, & tranquille precationibus intenti exultatione animi, & diuina quadam inexplicabilique voluptate perfundantur, & oculis corporeis lumen se circumfulgens aspiciant.* Non imposita fuit hæc a Barlaamo ijs pseudomonachis calumnia, neque vt Cantacuzenus ad velandam suorum infamiam ait, vnius idiotæ is lapsus fuit; sed magica illa insania vulgo grassata est, vt constat ex Leone Allatio a viro Græco, & rerum Græcarum peritissimo, qui Omphalopsychos & hesycastas huiusmodi homines dictos ait; ac vel insanum vel diabolicum sectæ auctoris, nempe Simonis abbatis, præceptum Latinis verbis redditum adducit.

Monachi Græci fœda hæresi infecti.

c Apud Cantacu. l. 2. c. 39.

Omphalopsychi, inquit, *dicti sunt a modo, quo preces Deo effundebant, non tam recens nato, sed multo ante a Simone Xerocerci monasterij abbate inuento, & Hesychastis scripto etiam tradito. Is in opere, quod de sobrietate & attentione scripsit, hæc præcipit: Attende vt facias, quod tibi dico. Clausis foribus, sedeas in vno aliquo angulo seorsim, mentemque tuam abstrahas ob omni vanitate, re fragili, & caduca. Deinde mentum tuum pectori innexum inhæreat, moueasque sensibilem oculum cum tota mēte tua in medio ventris, in vmbilicum scilicet; quin etiam constringe attractionem spiritus narium, vt non facile spires: & inquire intus in visceribus, vt reperias locum cordis, vbi animi facultates morari solent. Et primum quidem inuenies tenebras, & crassitudinem minime cedentem. V bi vero perstiteris, ac dies noctesque in hoc opere consumpseris, o rem admirandam! percipies lætitiam, quæ nullo puncto temporis intermittit: quam primum enim mens locum cordis repererit, statim aspicit quæ nunquam sciebat; siquidem viso aere, qui inter spatium cordis extat, seipsa totam lucidam & discernendam præbet.* Haud dubie dæmon miscllo abbati illudebat. Cæterum impiæ superstitionis iudicio apud patriarcham et clerum Constantinopolitanum a Barlaamo appetiti, Hesycastæ Latine Quiescentes Grēgorium Palamam tū monachum illi opposuere: quos quidem dæmonū actos præstigijs, non cælesti aliqua luce dum dormiebant somniabantue, circumfulgere solitos, arguit. Adiecta falsitas, qua nempe lucem corpoream, increatam atque adeo ipsam diuinitatem esse affirmarunt. Ac ne falsa schismaticis videamur affingere, eorundem monachorum ex Cantacuzeno b, qui ipsorum doctrinam penitus falsam, ne quid grauius dicam, probat, verba referemus.

a Leo Allat. de orient. occid. consens. l. 2. c. 17.

Omphalopsychorum impia & profligata.

b Cantac. eod. cap.

Posse, inquit, *fieri vt oculis corporeis quispiam diuinum & increatum lumen contempletur, perspicue demonstrare licere: euangelistam enim scribere, Dominum ante mortem suam principes discipulos assumpsisse, & cum ascendisset in montem Thabor, transfiguratum esse ante eos, resplenduisseque faciem eius sicut solem; cuius fulgorem discipulos, non sustinentes intueri, in terram cecidisse. Si igitur illi & homines, & adhuc imperfecti circumfulgens ipsos diuinum & increatum lumen videre potuerunt, quid mirum, si & nunc sanctos superne a Deo collustratos dicamus lumen cernere?* Et infra: *Hæc Gregorius & socij Barlaamo per oratorem.* Quibus verbis ij pseudomonachi falsum dogma, nimirum diuinum et increatum lumen corporeis oculis cerni posse docuerunt. Tum id insigni alio errore confirmarunt, illam lucem, qua Christus in monte Thabor circumfusus coram Apostolis apparuit, quæ quidem creata erat, vtque Ioannis c Cyparissiotæ verbis vtar, *exemplum gloriæ & splendoris corporis post resurrectionem glorificati, symbolumque illius naturæ occultæ & inaspectabilis in eo latentis, & imago tenuis futuræ gloriæ, & simulachrum regni cælorum*; diuinam et increatam fuisse, atque adeo ipsam diuinitatem, cum quidquid diuinum et increatum est, ipsa sit diuinitas: vnde Barlaamo doctrinæ orthodoxę perito in subiectas voces erumpendi (quamuis

Hæreticorum impia & profligata argumenta.

c Apud Pontan. not. ad c. 39. l. 2. hist. Cantac. Quid fuerit Lux in monte Thabor visa.

uis Cantacuzenus ab hypocritis illis monachis circumuentus Barlaamum traducere nitatur) iusta occasio non defuit.

Barlaami argumentum.

Lucem in Thabor increatam audiens : O rem absurdam ! exclamat : fumum enim fugientes, in ignem incidimus. Audi cælum, & auribus percipe terra. Lux in Thabor increata ? quid ergo illa aliud nisi Deus secundum vos ? nihil enim increatum nisi Deus. Si autem lumen illud neque res condita neque Dei natura est, Deum enim nemo vidit vnquam, quid reliquum, nisi vos duobus diis seruire, vni quidem omnium fabricatori, quem & inaspectabilem omnes confitemur : alteri vero ex sententia vestra sub aspectum cadenti, & increato lumini ? Ego vero haud vnquam, quidquid tandem sit a diuina essentia diuersum ac discrepans, increatum arbitrabor. Ex his sermonibus velut a carceribus effusus, contra Gregorium aliosque monachos multa verbo & scripto blaterauit. Hoc verbo Barlaamum indigne carpit Cantacuzenus schismaticus, *præter cætera etiam diteiam, ideſt diuinitatem duplicatam ipsis crimini dans.* Verissima erat, & consentiens fidei diuinitus nobis propositæ Barlaami sententia, qui Thessalonica profectus Ioannem Græcorum patriarcham de monachorum montis Atho superstitione edocuit, vt refert Cantacuzenus : *Ioanni*, inquit, *per id tempus patriarchæ commentarios suos contra monachos tradit, & synodum aduersus eosdem congregari instat, vt cum rectis dogmatibus pugnantia illos sentire ac docere probaturus : in quos verbosius inuehens de geminata deitate eos accusabat. Patriarchæ res visa minime negligenda ; quare monachos Thessalonica per literas ad iudicium citat : illi causam dicturi adsunt.*

Synodus Constantinopolitana.

120 Congregata est in S. Sophiæ templo synodus, in qua non patriarcha, sed Imperator Andronicus ad ferendam de fidei controuersijs sententiam præfuit. Qua in re infelicem Græcorum ecclesiæ sub Imperatoribus schismaticis seruitutem lugeas, & Imperatorum vesanam arrogantiam, qui non agnito Christi in terris vicario Romano Pontifice, ecclesiæ capita se constituere non perhorrescerent ; atque ideo iusto diuini Numinis iudicio imperiali solio deturbati ad luendas impietatis pœnas in Mahometanorum diram seruitutem deciderunt. De ijs vero, quæ in ea synodo decreta sunt, discrepant auctores : Nicephorus enim Gregoras negat [a] agitata ea, quæ ad theologica mysteria spectabant : Ne, vt ait, *Barlaamo rationes reddente, Palamas etiam blasphemæ & importunæ theologiæ reus esse videretur.* Pressa etiam silentio ea, quæ contra diabolicas monachorum præstigias attulerat : *Quæ*, inquit, *ad Massalianam hæresim, & quæ alia contra Palamam afferebantur pertinebant, in paucos dies dilata* ; id est nullatenus discussa. In quo etiam schismaticorum improbitas sese prodit, qui non permisere Barlaamo viro catholico impietatis & hæreseos conuincere pseudomonachos. Nec dici iure potest a Gregora, compertum illũ maleuolentia & pertinacia & popularis gloriæ cupiditate, actum ; sed potius studio fidei, cuius splẽdore Græcos colluſtrare, eosq ; ad ecclesiæ catholicæ gremiũ, vt pollicitus erat Pontifici, adducere annitebatur : in quo labore annum iam tertium conterebat. Discussa porro in ijs cœtibus tradit Gregoras nonnulla crimina, quæ Barlaamus in cuiusdam precationis formulam vsurpatam a monachis obiecisse dicebatur, deque eadem precatione controuersa meminit patriarcha [b] Constantinopolitanus schismaticus, qui addit Barlaamum non tantum quasi male de ea, sed etiam praue de lumine Thaborio sensisset, damnatum : *Nostis*, inquit, *omnes neque ignoratis maximum illum in ecclesia congressum, in quo stellæ instar præfulgebat pietatis propugnator Imperator noster celebris ac beatæ memoriæ pater potentissimi & sancti mei Imperatoris, cum senatus principibus. Et primus quidem Barlaam, tanquam praua sentiens et eloquens tum de inaccessibili transfigurationis lumine, tum de oratione illa, Domine Iesu Christe Fili Dei miserere nostri, condemnatur : & sic secundum canones ad accusandum ineptus iudicatur.* Ne scilicet, si loquendi libertas data esset, schismaticorum errores in luce collocaret. Confirmat autem Cantacuzenus a, eam pseudosynodum sensisse, præside homine laico, lucem illam, qua Christus in monte Tabor coram Apostolis circumfusus effulserat, fuisse vt Gregorius Palamas perperam effutiebat, *gloriam Dei principio carentem, & maiestatem eius, & lumen diuinitatis, & deitatem, & naturale æternumque Dei lumen.* At contra erroneam huiusmodi sententiam perspicua sunt Barlaami argumenta b : *Illud*, inquit, *quod oculis corporeis visum est, non est increatum. Lumen Thaborium corporeis oculis a discipulis visum est. Ergo nõ increatum est.* 11. *Quidquid oculis corporeis visum est, creatum est. Lumen Thaborium oculis corporeis visum est. Ergo creatum est.*

a Cantac. l. 2. c. 40.

Confutatur Græcorum impietas.

b Pontan. in not. ad Cantacuz.

121 Cæterum Barlaamo impositam a Cantacuzeno calumniam putamus, dum illum assensisse pseudosynodo tradit c : cum ad Latinos se traduxerit, postquam triennio Constantinopoli contra schismaticos decertasset, ab eo nimirum tempore, quo legationem pro instauranda ecclesiarum coniunctione obierat. Ornatus d vero est episcopatu Gyracensi, pluresque ad Græcos fide orthodoxa informandos conscripsit commentarios. Insignis ille est, quo grauibus rationibus demonstrabat e, Romanum Pontificem summum esse totius ecclesiæ hierarchã, nec propter f dogma processionis Spiritus sancti a Patre & Filio tanquam ab vno principio, neque ob Eucharistiæ in azymo consecrationem, ab eo Græcos deficere debuisse ; tum etiam eiusdem primatum, petitis ex diuina prouidentia, quæ omnia in vnum principium redigit, argumentis astruebat his verbis.

c Eod. cap. 40.

d Id. ib.

Barlaam Græcos ad coniunctionem cum eccl. Rom. hortatur.

e Niceph. Greg. hist. l. 11

f Ext. in M.S. bibl. Vat. sig. n. 4068. pag. 2. &c. & apud Cam. antiq. lect. to. 6. pag. 4.

Ad amicos in Gracia constitutos de vnione sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, &c.

Quatuor signis veram ecclesiam notat.

Duabus existentibus partibus, vna quæ sub ecclesia Romana constituta est, altera vero, quæ ab illa diuisa est, quatuor maxima signa Dei beneplaciti in illis possunt videri, pene voce magna clamantia illi ecclesiæ Deum acquiescere : opposita vero illis æqualia numero diuinæ permissionis & indignationis, & quasi vltionis euidentissima signa existentia in reliqua parte videntur. Et vt a minimo quatuor exordiar. Primum vniuersa illa gens legibus, quibus etiam tenuissima accidentium hominum communitati diffincta sunt, regitur & administratur. Nihil indeterminatum apud eos est, nihil inordinatum : sed qualiter oportet se gerere & dominantes inter se & cum suo principio & cum his, qui tantummodo subditi sunt, atque commune principium cum omnibus inferioribus in quolibet accidentium, & ipsos subditos inter se, & cum maioribus, & quid a quolibet exigendum est : quomodo delicta punienda sunt & benefacta præmianda, & quis horum examinationis modus. Hæc omnia, & quæcumque alia hominum inter se societatem & communitatem in pace maxime conseruare valent, le-

Primum ex disciplinæ ecclesiasticæ in Latina splendore.

gi-

Barlaami argumentum.

Synodus Constantinopolitana.

Imperator in ea præsidere audet.

a Niceph. Greg. l. 11.

b Ext. eius dicret. apud Leon. Allat. de consens. orient. & occid. eccl. l. 2. c. 16.

gibus apud singulos membratim instituta & custodita sunt: ex qua legum æquitate secundum Deum velle viuere, & euangelica seruare mandata facilius a pluribus fit. Hic autem totum contrarium. Et ne singula dicam, lex est in singulis potentiorum licentia & voluntas: vt enim quilibet dominantium ad prudentiam se habet & bonitatem, ita & facta subditorum contingunt: ex quo quot aduersa subsequuntur, non tantum rempublicam subuertentia, & ciuilem vitam lædentia, verum etiam euangelicam. Quid opus est apud scientes recitare? Vnum quidem hoc tale est.

Secundū ex euangelij studio diligenti.

122 *Secundum vero, quod & maius, quod in illis quidem euangelica doctrina vbique viget, currit, & multiplicatur, & omnibus diuinus sermo prædicatur, non solum quod quamplurimi omnia secunda reputant erga sacræ scripturæ studium & meditationem & disciplinam; sed & quod vbique multitudinibus per ciuitates, villas, oppida, & in sacris templis, & vbicumque inueniuntur simul multi aggregati, & præsertim festiuis diebus, qui sciunt diuina eloquia, prædicant congruenter audientium habitui & loquelæ aperientes eis per totum annum & historiale & narratiuum & sententiale & morale diuinæ scripturæ, veteris pariter et nouæ: et quis erat ante incarnationem Domini hominum status, quæ vero huius sacramenta, et quid boni ex ea nobis effectum est, quæ præcepta, et quæ consilia: et cum his sanctorum vitas in natalitijs, et si quid alterum ad pietatem et virtutem spectat, et ad nostram salutem; ita quod illorum illiterati mares et fœminæ nihil minus ab his, qui in literis student, habent: certe in his, quæ in promptu sunt, et ad salutem necessaria nostræ religionis et fidei. Sed verbo studiosi in superfluis, non in necessarijs, a reliquis differunt. Ex quo contingit, vt gens illa moribus, vt plurimum, sit simplex et aperta, veritatis amica, fraudis inimica, constans in suis iudicijs, stabilis in conuentis inter se fidelis, non vertibilis et facile mutabilis; ad periurium tardissima, et fide, quæ in Christum est, firmissima et feruentissima; et pro hac etiam ipsam vitam, si hoc opus fuerit, perdere paratissima. Hic autem quid? studiosi quidem discendi nimis pauci sunt. Horum adhuc pauciores, qui sacram scripturam pluris faciunt, plurimis paganorum scientijs libentius operam dantibus: turba vero illiterata omnis in communi propositæ salutaris sermonis doctrinæ inexpers remanet: quare pro vno, qui sciat substantialiora secundum nos pietatis, multa millia reperiri possunt, qui penitus ignorant Christianismi virtutem; ex quo contingit, contrario more illis hanc gentem affectam esse.*

Tertium ex obseruantia in summum Pontif.

123 *Tertium autem post hæc nihilominus prædictis illud considero, quod cum diuina prouidentia nihil eorum, quæ secundum beneplacitum illius in vniuerso efficiuntur, inordinatum dimittat, omnisque multitudo ordine per se careat, nisi reducantur ad vnum principium: pluralitas enim principiorum, & carentia principij similis sunt inordinationis. Huius quidem gentis vniuersa multitudo sub vno est ordinata principio, ecclesia videlicet Romana & eius præsule, quem omnes honorant & metuunt, non tanquam armis & vi dominantem, nec tanquam humana lege vel generis successione, vel multitudinis rumore dominium sumentem; sed tanquam ab ipso domino Christo ordinatum, & in terris vices gerere ab eo constitutum. Itaque illius mandata cum omni reuerentia omnes non tamquam apostolica tantum, verum etiam dominica scripta recipiunt & adorant; & nihil ita durum ab eo iubetur, vt non quiete parati sint ad implendum: & omnes ab illo corrigi sua & retractari suscipiunt, omniumque sacerdotium ab eo dependet: & ipse cum circa se synodo cum grandi auctoritate & potestate, nullo prohibituro existente, corrigit omnia, retractat, confirmat, irritat, statuit, inhibet: mittit ad vniuersas partes doctores visitaturos singulas prouincias, & eos, qui in eis animabus præsunt; & examinaturos, quis modus illorum doctrinæ, quomodo sacra tractant mysteria, quomodo se gerunt cum grege Domini, quomodo secundum se viuunt, vt horum relatione facta, & quod deficit ab illa sede suppleatur, & quod peccatur corrigatur. Et horum quodlibet facillime fit, nemo enim est, qui non putet ecclesiæ illi aduersari periculum inferre animæ saluti. Ita quidem facta illorum,* nempe Latinorum, *ordinata sunt.*

Vt ipse Græcus nullus summus antistes

124 *In altera vero parte non singularitas principij, sed pluralitas principiorum, & carentia principij honorata est: quinque enim existentibus patriarchis Bulgarensi connumerato, & adhuc Triballensi archiepiscopo, sub quibus pene omnes huius partis sunt, nullus horum sex vel de iure vel de facto talis est, vt reliqui quinque ipsum vt suum caput habere velint, & ab ipso & eius synodo corrigi & retractari patiantur; & ad omnia eius iussa ita obedientes sint, vt tamquam diuinas voces illius recipiant, mandata, et periculum salutis credant illum, resistendo, offendere. Et quid dico de alijs? Sed neque quicumque sub quolibet sunt horum sex, ita deuote se habent ad suum caput, vt metu non corporalis damni, sed animæ perditionis, illius mandata velint implere. Pontificatus vero cuiuslibet quomodo Bulgarensis dependet a principe illius gentis, et Triballensis similiter a suo principe: Antiocheni vero patriarchæ Armeniorum Rex dominatur; Ieroſolymitani autem et Alexandrini Aegyptiorum impijssimus princeps. Nullus enim horum pontificatum recipit non probante et decernente et consentiente suo seculari principe; magis autem vt plurimum et omnibus, ad quos spectat electio, voluntate renuentibus, et cum principe discordantibus, necessarium est finaliter eum, quem vult princeps, pontificem effici. Itaque cum sit impossibile, longi temporis progressu praua consuetudine paulatim multa protrahente, non multa contingere, quæ desiderent generalem correctionem, generaliterque aliquid corrigi sine generali concilio difficillimum sit; hæc quidem pars posse communem aggregare synodum principalioribus eius partibus ad vnum conuenientibus, penitus amisit, cum non sit videlicet in ea caput tale, quod posset necessitate alios compellere conuenire: Latinis vero neque hoc difficile est. De tertio quidem hæc dicta sunt.*

De vanitate eorum auctoritate.

Et inimicissimus ecclesiæ.

Imperatia ad celebrand concilia

Quartum signum ræ ecclesiæ ampliatio.

125 *Venio autem ad quartum, quod et stupefio considerans: cum enim* Dominus noster Iesus Christus *prædixisset afflictionem habituros suos fideles, et odium ab omnibus, et persecutionem passuros; Christianorum genus ex tunc vsque ad imperium Constantini magni affligebatur quidem vt plurimum, et odio habebatur, et persecutionem patiebatur: sed, quod erat maximum miraculum, ipsi qui odio et persecutionibus affligebantur, de ipsis affligentibus et persequentibus et odientibus multiplicabantur, ipsis affligentibus continue sese ad afflictos conuertentibus: nam etsi aliqui metu tormentorum recedebant a fide, sed tamen e conuerso multo plures ad fidem omnibus sententijs conuertebantur. Præsentia vero quomodo? quam miserabilissime: vt enim antiquiora omittam, ex quo factæ vnioni sub primo Palæologorum acquiescere huius partis noluerunt, innumerabiles ex ea multitudines ad detestabilissimam Mahometicam sectam conuersæ sunt, non so-*

De lapsu continuo Græcorum in exitiosam pernicie

Defectione ad hostes

solum bis, qui teneræ ætatis erant, necessitate ad captiuantium et ementium superstitionem conuersis, verum etiam perfectioris ætatis per animi mollitiem fidem aspernatis: quamuis si affligeretur hæc gens, et non minueretur; vel si minueretur sed per mortem, et non ad impietatem se conuertendo, posset vtique hoc paternæ castigationis esse putari: tot vero multitudines permitti ita subito ad captiuantium impietatem mutari, hoc non paternæ disciplinæ, sed omnimodæ desertionis manifestissimum signum est.

De Latinę ecclesiæ incremento.

Facta vero Latinorum e contrario ex tunc non modicum creuerunt, non solum quod Armeni, relictis paternis erroribus, illis se addiderunt, et alij orientalium gentium, qui per horum prædicationem similiter his semper consentiunt: sed et copiosissimæ in occidente ciuitates Machometicæ sectæ per Regem Hispaniæ captæ sunt; ex quibus non paruæ multitudines, fide in Christum suscepta, Latinis additæ sunt: et Græcorum adhuc non pauca millia ad illos adducta illorum fidem sponte receperunt, vt etiam et hi, qui ad Persas conuersi sunt.

Amplificatione apud Armenos & Persas.

Hæc igitur ego in me ipso vertens animo, minime credere valeo, hos ab illis rationabili aliqua causa diuisos esse, tanquam illis in aliqua hæresi et mala fide existentibus: si enim pars illa Christianorum, quæ concorditer ad constitutum Dei decreto ab initio totius ecclesiæ principium ordinata est, quæ legibus regitur, et euangelico sermone et multitudine semper crescit, hæc quidem est in hæresi: quæ vero pars ab hac iuste diuisa est per omnia sana est, hæc neque legibus viuit, neque ad vnum ordinata est principium, et semper secundum multitudines ad alienissimam Dei gentem cõuertitur, & in ipsa prorsus, quantum ad illiteratos, euangelicus extinctus est sermo. Deseruit ergo Deus omnimode Christianismum? Sed nullo pacto hoc fieri potest: verax enim est promissio dicentis, nobiscum fore vsque ad consummationem seculi, et portas inferni minime prævalituras aduersus ecclesiam esse, et Petri fidem nunquam deficere: quod etiam de omnibus Petri successoribus in consequentibus temporibus intelligi dignum est dominica oratione; siquidem oportet credere magnum aliquid esse, quod ex ea effectum est. Ex his igitur et huiusmodi rationibus non possum æstimare, quod Latinis in hæresi non existentibus, rationabiliter hi illorum deuitant communionem, Si enim hoc esset, iusta vtique diuina prouidentia existente, oportet prædicta quatuor vel principaliora eorum e conuerso contingere: et cum caput totius ecclesiæ ab initio constitutum ceciderit, oporteret vtique Dominum alterum caput suscitare sanæ parti ecclesiæ, ne sine capite et inusitatum et deordinatum et deforme magnum et mysticum corpus Christi remaneret. Sed venio ad specialiora.

Diuinæ in eam prouidentiæ patrocinio.

Conclusio Barlaami.

126 *Hæc gens propter duo, vt ita dicatur, Latinos accusans, æstimat oportere ab eis se diuidi. Vnum et principalius quod aiunt Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Secundum quod per azymos panes sacratissimam celebrant hostiam. Ego autem, tempora examinans, video quod schisma quidem nondum quadringentorum est annorum: sub Basilio enim Macedone et * Photino patriarcha, vt aiunt, incœpit, a quibus nondum prædictorum annorum numerus est completus. Ecclesia vero Romana ante inchoatum schisma pluribus quam septingentis annis per azyma conficiebat sanctissimam teletam*, missam scilicet: *Alexander enim Romanus Pontifex, qui sub Adriano, glorioso martyrio vitam finiuit, hostiam de azymo ecclesiæ Romanæ statuit.* Non ita id accipiendum, tanquam id ipse primus statuerit, sed vt quę traditione apostolica seruabantur a catholicis, ne qua irreperet contraria cõsuetudo, fuerint decretis firmata. *Post quem nõ paucos Romanos Pontifices Deus virtute et martyrio et miraculis glorificauit, vt etiam vtræque partes in sanctis eos connumerarent. Similiter Spiritum sanctum ex Patre Filioque tanquam ex vno principio procedere, videtur ecclesia Romana tenere ante inchoatum schisma pluribus quam quadringentis annis: beati enim illi viri diuinus Augustinus, Ambrosius Mediolanensis, et Hieronymus, qui claruerunt circa tempora Theodosij magni, ex quo præterierunt vsque nunc plures quam octingenti anni, quos Latinorum ecclesia doctores et regulas pietatis duces habuit, hi diuinam aperientes scripturam multis locis suorum operum manifeste notant, quod Spiritus sanctus ex Patre Filioque tanquam ex vno principio procedit. At vero Romanus Pontifex B. Gregorius, qui dicitur fuisse sub Iustiniano ante schisma pluribus quam trecentis annis, superiores suos et ipse sequens, eandem de Spiritu sancto tradit sententiam: quare si rationabile esset propter has causas a Latinis diuidi, oportet vtique ab initio hoc facere, et neque sanctos hoc sapientes et azyma immolantes putare, neque communia concilia cum eis pati facere. Nunc autem post vna cum eis celebrata septem concilia generalia, et multos azyma sacrificantes, et prædictam de Spiritu sancto sententiam in suis scriptis manifeste prædicantes, sanctos et ab ipsis Græcis reputatos, propter eadem ipsa post multos annos velle ab eis diuidi, quomodo non caret omni ratione? Quamquam de Spiritu sancto, si soli illius linguæ patres hoc traderent, nolle credere, nondum tantum esset malum: nunc autem et Græcæ linguæ patribus id ipsum prædicantibus, scilicet magno Basilio in antireticis, S. Athanasio multis locis, S. Cyrillo, S. Gregorio * Nicæno, quomodo non absurdum est eos, qui eadem cum illis sapiunt, hæreticos reputare? Ego quippe, non habens huius rei demonstrationem, tamquam existentis super demonstrationem, & videns tantum exercitum patrum hoc sapientium, atque decreto Dei matrem ecclesiarum id ipsum determinantem; non tutum esse cognosco aliter sapere: quamquam si contrarij demonstratio haberetur, & res huiusmodi esset perceptiua neque sic oporteret piæ considerationi tantorum patrum ac sedis B. Petri sententiæ humanam demonstrationem anteponere.*

Si causæ ex schismatis iustæ sunt, debuerat longe antea schisma cœpisse.

Non Latini modo, sed sancti patres Græci processionem Spiritus sancti docuere.

* *Nysseno*

127 *At vero de azymis, cum manifestum sit, quod in sacra scriptura panis nominetur, siue fermentatus sit siue azymus; & quod sero illius sacræ cœnæ prima, vt aiunt tres euangelistæ, azymorum erat, in qua non tantum comedi panem fermentatum a quoquam Iudæo non licebat, sed neque omnino in domo Iudæi inueniri: et quod duo discipuli missi sunt ad præparandum in cœnaculo legale & assuetum pascha; & quod, vt aiunt euangeliorum expositores, omnibus quæ secundum legem erant consummatis, Saluator, pane accepto cœlestia tradidit sacramenta, qui panis intelligitur esse ex illo, qui tunc propter legale pascha præparatus erat in mensa; et diuino Chrysostomo dicente in octogesima homilia super Matthæum, nihil contrarium legi sero illo Saluatorem fecisse; et quod, si esset panis ille fermentatus, manifeste vtique hoc contrarium esset legi; ex his omnibus indubitanter concludi video, per panem azymum sua tradidisse Dominum mysteria. Quoniam rursus Apostoli, nobis tradentes mysteria, non distinxerunt siue fermentatum siue azymum; sed orientalis ecclesia continuo incœpit fermentatũ, occidentalis vero azymũ, eo quod gerit imaginẽ puritatis sinceritatis, et veritatis; vtraq; ego quidem similiter ado-*

Ostéditur azymum panẽ esse.

Schismatis Græcorum causæ discutiuntur.

Consecratio in azymo in primitiua ecclesia vsurpata.

* *Photio*

Christum eo vsum in conficienda Eucharistia.

Apostolos non distinxisse de azymo vel fermẽtato.

adoro et colo : Latinos vero in tantum prudentiores æstimo, quod illi quidem minime hostiam de fermentato vituperant, sed similiter venerantur : horum autem multi non timent in sancta blasphemare.

An verũ sit, conciliorum canones violari a Latinis.

Refellitur ea calumnia.

128 *Adhuc autem multi dicunt se scandalizari, quia multa contra Apostolorum canones et septem generalium conciliorum vident in Latinorum ecclesia fieri. Me autem neque hoc scandalizare valet : quare ? quia primum discurrens et ipse eosdem canones, et ad præsentia respiciens, multa inuenio et in hac gente contrario modo, quam vt iubent canones facta, et plura et maiora, quam illa quæ aiunt Latinos transgredi, vt non sint secundum hoc ipsi meliores illis. Deinde et hoc considero, quod omnium, quæ in canonibus comprehenduntur, alijs existentibus dogmaticis, et de quibus oportet credere, alijs vero in actione quæ agenda non distinguũt, et horum rursus alijs dependentibus a dominico et euangelico mandato, alijs vero non (quæ singula a studiosis notata sunt) canonum vero de fide, et quorum est dominicum mandatum, nullum vnquam ecclesia Romana mutauit, neque potest hoc ostendi ; quos vero mutauit vel reuocauit, hi sunt illorum canonum, qui neque de fide sunt, neque a dominico pendent mandato, hoc autem nullum est inconueniens, quæ enim ita se habent, etiam si sint per generale concilium determinata, sed rebus consequentibus temporibus cadentibus, et humanis dispositionibus mutatis, potest ecclesia ipsa gratia melioris mutare, vt multa talia reperiuntur etiam in, ipsis conciliis posterioribus multa priorum conciliorum decreta cum eodem spiritu vel omnino irritantibus, vel omnino ad melius conuertentibus ; sed quia illa, quæ huiusmodi sunt, propter velocem humanarum rerum mutationem frequentius contingunt, in quolibet vero non est possibile vel non est facile generale aggregare concilium sed neque est quodlibet tantæ difficultatis, vt generali deliberatione indigeat, non oportet turbari, si mater ecclesiarum cum sola circa se synodo, quæ huiusmodi sunt, suis temporibus apostolica auctoritate corrigit, & mutat, vel irritat : non enim & quod fit maioris auctoritatis, & magis possit generale concilium quam Apostolica sedes, generalia aggregãtur concilia ; sed quia incidentes quæstiones difficiliores sunt, & maiore indigeant discussione. Ex his igitur omnibus nouissima mea conclusio est illa, quod ecclesia Romana est summe orthodoxa, & nullam vnquam causam alicui dedit, vt rationabiliter ab ea diuidatur ; et quod qui ei sunt vniti et obedientes, et mandata Dei custodiunt, in statu salutis sine dubio sunt. Itaque et quicumque, spretis his, quibus placet in schismate perseuerare, ad ipsam toto animo accedunt, hoc salubriter de se deliberare et agere puto.*

Potest Põtifex sine generali concilio fidei controuersias dirimere.

Concluditur non dari a Rom. eccl. causam confiandi schismatis

Hæc Barlaamus ad Græcos ad obsequium Romanæ ecclesiæ pelliciendos scribebat, pluresque alias elucubrationes insignes edidit. Eius vero æmulus Gregorius Palamas exinde insolentius exultare cœpit, ac nouas cudere hæreses, matrimonia iusta rescindere, virosque inuitis vxoribus cultu religioso induere ; tum ritus sacros profanare adeo, vt postea a Græcis a damnandus fuerit.

a Ext. de eo Greg. patriarch. decretum synod. apud Leon. Allat. de consens. Eccl. l. 2. c. 16.

129 Blasphemi autẽ huius pseudomonachi fautor Andronicus Imp. iusta latæ impię sententiæ præmia, mortem scilicet in ea pseudosynodo sibi peperit, ex vehementiori enim cõtentione, qua dogma erroneum statuere moliebatur, morbum contraxit b, ex quo paucis post diebus, vt tradit Cantacuzenus, *ad vesperam die mercurij xviii. kal. quintiles anno quadragesimo nono supra octingentos & sex millia ab orbe condito indictione nona morbi sauitia confectus ex hac luce Imperator migrauit.* Oppressum caro, scribit Nicephorus Gregoras a : *Iunij die*, inquit, *xv. ante solis ortum defunctus est anno sexies millesimo octingentesimo quadragesimo nono : omne vero tempus ætatis eius ad annos circiter quadraginta quinque fuit, cum ante viginti vrbem imperatricem belli iure occupasset.* Reliquit Andronicus sceptra Ioanni Palæologo, quem tum nouennem extitisse, refert Cantacuzenus b. Cum vero Ioannes sustinendæ imperij maiestati impar esset, Cantacuzeno publicæ rei administratio, quam patriarcha sibi debitam contendebat, commendata est. Aspirabat c ad id honoris fastigium Apocaucus imperatorij cubiculi præfectus, atque ob affectatam tyrannidem Ioannis Palæologi inunctionem imperialem in tempus longius extraxit : a quo structarum sibi insidiarum occasione Cantacuzenus, quamuis anathema d a patriarcha rogatu Andronici ijs, qui in Ioannem Palæologum coniurarent, incussum esset, Didymothichi imperialia ornamenta corripuit e ; ita tamen, vt primum Annæ Augustæ, dein filio Imperatori, tertio, ipsi Cantacuzeno & vxori Irene Imperatrici acclamaretur. Vt vero post nonnulla bella, quibus imperiũ, vt citius præcipitaret, afflixit, illa imperialia insignia abijcere coactus sit, inferius dicetur. Interea accepto de correpta a Cantacuzeno tyrannide nuntio Constantinopoli, Io. Palæologus Augustæ iussu a patriarcha Ioanne imperiali diademate est redimitus f, ac proceres, qui celebritatem curauerant, aucti honoribus. De patriarcha, qui ad altiorem dignitatis apicem conscendere non poterat, hæc addit Cantacuzenus : *Patriarcha, quia gradum permutare non poterat, habitu se augustiorem fecit, & in subscriptionibus colore cæruleo est vsus, flammeumque seu tegmen capitis, quod antea patriarchas, si de monachis non essent, album ferre mos erat, ipse auro illustrauit, Seruatoris nostri & illibatæ eius genitricis Deiparæ, ac Ioannis Baptistæ depictis in eo iconibus.* Exercuisse simultates patriarcham Constantinopolitanum cum Lazaro patriarcha Ierosolymitano refert idem auctor g, cum in suspicionem procliuioris in Cantacuzenum studij adductus esset. Accesserat ille Constantinopolim viuo adhuc Andronico, vt ab illo confirmaretur. Qua in re tyrannidem ab Imperatoribus in patriarchas & præsules orientales exerceri solitam videas : & horum insignem vesaniam, qui Imperatoribus magis contra diuina iura, quam Romanis Pontificibus in rebus sacris obnoxij esse mallent.

a Cantac. l. 2. c. 40.

b Cantac. l. 3. c. 1.

c Eod. c. 40. & seq.

d Cap. 3.

e Cap. 2. Cantacuzenus tyrannidem arripit.

f Cap. 3.

Mitra patriarchæ Const.

g Lib. 4. c. 14. Græcorũ Impp. patriarcharum creationẽ sibi arrogant.

130 Defecisse paulo ante Latinos Peloponẽsiacos a suo principe ad Imperatorem, refert Cantacuzenus h, ea lege, vt in quibus præessent vrbibus, dominatum retinerent ; vectigalia vero publica principi pendi consueta, imperiali fisco inferrent : exceptos autem auide eorum legatos, atque auxilia ijs promissa, cum Græci in spem venirent i, adiuncta imperio Peloponneso, Catalanos, qui Atticam & Bœotiam incolebant, subactum iri. Catalanos porro, qui magnæ societatis nomine nuncupabantur, ad ecclesiæ, a qua censuris ob Gallici generis Latinos iniuste oppressos armis, cum ad illa in Turcas vertenda in orientem traiecissent, defixi erant, gratiam redire meditatos, atque Henrico patriarchæ Constantinopolitano catholico significasse, constat ex literis Benedicti, quibus eorum oratores ad redintegrandam cum ecclesia coniunctionem se auditurum, paternoque exceptutum sinu, patriarchæ re-

Peloponensus ad Græcos defectio.

h Cap. 10.

i Cap. 11.

Catalanæ societatis in eccl. gremium redire flagitat.

spondit a: *Te*, inquit, *pridē de Romana recedente curia, & ad tuam Nigropontensem ecclesiam accedente, cum per partes ducatus Athenarum tuum iter prosequendo transires, ex parte illorū, qui de magna societate se faciunt nominari, tibi expositum extitit reuerenter, quod ipsi reconciliationem & reductionem suam ad gremium sanctæ matris ecclesiæ, ac nostram & Apostolicæ sedis gratiam, deuotionem, & obedientiam summis desiderijs affectabant, quædam quæ pro defensione fidelium & fidei, ac ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum partium illarum vtilitate non modica statuque pacifico confouendo admodum vtilia esse possent offerentes nihilominus, teque rogantes instanter, vt super hoc nobis scribere procurares. Sane quia nos, quibus desuper cura gregis dominici est commissa, non solum illos, sed quos fuis oberrantes alios reduci cupimus ad ouile dominicum, extra quod non est alicui gratia neque salus, si procuratores suos mandatis munitos sufficientibus ad sedem Apostolicam duxerint super ys destinandos, eos libenter et fauorabiliter audiemus, etc. Dat. Auin. IV. id. februarij anno VII.*

a Tc. 7. ep. fer. 14.

Soluūtur censuris a Bened.

Ioann. Comnen. Basil. Trapez Imp.

131 Sub hæc tempora b antequam Andronicus moreretur, apud Trapezuntinos magna rerum conuersio contigit: Ioannes enim Comnenus Basilius Imperator ab vxore Irene, Andronici Imperatoris Constantinopolitani spuria filia, quā regia ob vesanos pellicis amores exegerat veneno necatus est, vt tulit rumor, summaque rerum mox Ireni delata: quæ cum a patre Imperatore virum sibi ad Trapezuntiorum moderanda sceptra mitti postularet, illeque Acarnanum expeditione districtus auxilia opportuna non submisisset, adducta in suspicionem prauæ cum magno Trapezuntiorum domestico consuetudinis, crimin s odio pulsa est. Hæc pluribus Gregoras.

b Nic. Greg l. 11. in fin

Veneno necatus, Irene a patre Andr. coniugem expetit.

132 Absoluimus hunc annum insigni Bonifacij VIII. diplomate, quod Benedictus ex prædecessoris regesto exscriptum hoc anno promulgauit c, vt in iudicijs vsui esset. Prætermittendum vero visum non est, cum toties a nobis eius mentio facta fuerit, dictaque sæpius aduersus Fraticellos, qui Liberato & Angelo Clareno auctoribus nouam condere religiosam familiam moliti sunt, confirmet & omnes fucos a nonnullis ad eorum gratiam compositos, penitus detergat: ex hoc siquidem constat Cælestinum V. a quo illi diploma apostolicum elicuerant, sanctissimis quidem moribus & cælestium rerum tractatione excelluisse; iurium vero peritia penitus destitutum, & ob purissimum vitæ candorem aulicas fraudes suspectas non habuisse: inde ob ingenij facilitatem postulata quæuis, nullo discrimine habito, reque indiscussa admisisse, ac præcipue illa, quæ pietatis colore fucata erant, fouisse; ac multa monachis præter fas permisisse: tum monitum ea de re, ac religione permotum, cum pontificatu cederet, rogasse successorem, vt male a se concessa reuocaret: Bonifacium vero primum eius indulta præter morem curiæ Romanæ edita rescidisse: tum vt maiori consilij maturitate discuterentur priuilegia, quæ ab illo concessa fuerant, edixisse vt omnes sine dignitatis respectu illa afferrent, quo vel cōfirmarentur rescinderenturue. Et quidē paruere, præsules principes: ac religiosi ordines, exceptis pseudominoritis, qui alieno vt exitus docuit spiritu ducti, obtinuisse contendebant a Cælestino, vt nouam conderent familiam, quam pauperum eremitarum sancti Cælestini, siue fratrum de paupere vita appellasse feruntur. Ex quo patet eos, licet pia fuissent eorum exordia, propter contumaciam tamen a vera pietate defecisse; maxime cum Bonifacij diploma vt iuste editum a successoribus Pontificibus Clemente V. Ioanne XXII. & Benedicto XII. fuerit confirmatum.

c An. 7. ep. com. 151. 152. Bonifacianum diploma instauratū

Benedictus, etc. ad perpetuam rei memoriam.

Tenorem quarumdam literarum felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri in ipsius regestis repertum de verbo ad verbum præsentibus annotari fecimus, qui talis est.

Bonifacius episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Olim Cælestinus Papa V. antecessor noster deuictus instantia & ambitione nimia plurimorum, ignarus eorum, quæ & iuris debitum, & grauitas pastoralis, cui præsidebat, officij requirebant; seductus insuper atque deceptus per captiosam astutiam, & deceptabilem aliquorum, fecit diuersa, & concessit varia minus digne inordinata & insolita, quorum aliqua subticemus ex causa, sub cuius bulla nonnulla, vt fertur, præter ipsius conscientiam tranfierunt, quæ non indigne, quinimmo necessario limam Apostolicæ correctionis expoſcunt. Quapropter antecessor ipse, suam insufficientiam ad portandum summi pontificij onera diligenter attendens, & defectum quinimmo periculum ex hoc pati vniuersalem ecclesiam recognoscens, vrgente conscientia coram collegio fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, papatui pure & absolute renunciauit, eiusque oneri & honori in ipsis sibi nihil omnino retinens vel reseruans: & humiliter postulauit & voluit, vt quæ per ipsum inprouide facta fuerunt, futurus eius successor prouide reuocaret: ac postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, nobis dum adhuc essemus Neapoli preces fudit, vt reuocare, quæ ipse male fecerat, curaremus. Vnde nos, attendentes pericula, scandala, & iacturas, quæ ex talibus antecessoris nostri prædicti actibus prouenerunt, vel possent in antea prouenire; ac animarum saluti prouidere volentes, omnes dispensationes super quauis pluralitate dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum, seu beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura obtentorum vel obtinendorum; prouisiones quoque & concessiones, ac commendas, de quibuscumque monasterijs, abbatijs, prioratibus, hospitalibus, ecclesijs regularibus vel secularibus, vel ordinibus; seu de redditibus & prouentibus ecclesiasticis quibuscumque, aut pecuniarum summis percipiendis beneficij seu pensionis, subuentionis, protectionis, oneris, debitorum, vel cuiuscumque alterius releuandi seu quouis alio titulo, causa, vel nomine S. R. E. Cardinalibus, postquam fuerint ad Cardinalatum assumpti, vel alijs, ac omnes pensiones & subuentiones de pecunijs qualitercumque Cardinalibus vel alijs; nec non exemptiones, incorporationes, vniones, subiectiones, suppositiones, concessiones quorumcumque ordinum, monasteriorum, hospitalium, ecclesiarum, regularium vel secularium, cum cura vel sine cura, personarum, iurium, seu bonorum ad ipsa vel ipsorum aliquid pertinentium; liberationes a submissionibus vel subiectionibus, seu censibus quibuscumque, & auctoritates, potestates seu facultates conferendi quæcumque personatus, dignitates, officia, præbendas, beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, & percipiendi prouentus proximi anni vel alterius tem-

De relatis Cælestini subreptitijs.

Vt virsanctus male gesta reuocari voluerit.

temporis quorumc imque perſonatuum, dignitatum, officiorum, præbendarum, beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura vel ſine cura certarum prouinciarum, ſeu regnorum, & eccleſiarum, ac reuocandi nonnullas literas gratioſas ab anteceſſore ipſo conceſſas, inquirendi vtrum literæ ab eodem conceſſæ forent de falſitate vel tacita veritate ſuſpectæ facultatē, *& infra*, ſub quibuſcumque tenoribus, formis, & modis factas, indultas, commiſſas, conceſſas, vel datas in fratrum noſtrorum præſentia VI. kal. ianuarij, dum adhuc eſſemus Neapoli, auctoritate apoſtolica & de poteſtatis plenitudine reuocauimus, caſſauimus, irritauimus, & euacuauimus omnino. *Et infra*.

Vt ciuſdē edicta ſue rint reſciſſa.

Verum quia prædicta per nos, vt præmittitur, facta Neapoli ante conſecrationis noſtræ ſolemnia ſub bulla noſtra poſita non fuerunt, conſecratione ipſa poſtmodum apud baſilicam principis Apoſtolorum de Vrbe ſolito more recepta, ea præſentibus fecimus annotari, quibus plenam fidem in iudicio vel extra iudicium volumus adhiberi, ipſaque de fratrum prædictorum conſilio ratificamus, confirmamus, facimus, approbamus, & etiam innouamus, & ea omnia a prædicto die, ſcilicet VI. kal. ianuarij, plenum effectum volumus obtinere: & quidquid ex tunc per quemcumque, ſeu quoſcumque quauis auctoritate ſecus fuerit attentatum vel factum ſcienter, vel ignoranter, prorſus viribus vacuamus. Concedimus quoque, vt religioſæ, quæ monaſticum nigrum vel canonicorum regularium habitum in ſuis monaſterijs regularibus, canonijs, ſeu prioratibus deferebant antequam ipſa incorporata, vnita, ſuppoſita, vel ſubmiſſa eſſent ordini, monaſterijs, ſiue locis regulæ vel obſeruantiæ præfati anteceſſoris ante eius aſſumptionem ad apicem apoſtolicæ dignitatis, priorem habitum libere reaſſumant, & in eo Domino famulentur.

Vt conceſſa religioſis priuilegia cō nulla.

Cæterum vt ſedes ipſa ſæpedicti anteceſſoris actus reliquos lucidius poſſit diſcutere, & in melius reformare, eiuſque errata corrigere, omiſſa ſupplere, ac in irritum reuocanda deducere; omnia priuilegia, literas gratioſas ſuper quibuſcumque gratijs, vel gratioſis conceſſionibus de quibuſcumque iuribus, rebus, vel bonis, quæ quomodolibet proceſſerunt, ſeu quæ obtenta fuerunt ab eo; necnon quæ ab anteceſſore ipſo verbo ſeu literis facta, conceſſa, data, vel indulta fuerunt quibuſcumque ordinibus, collegijs, vniuerſitatibus, conuentibus, locis, vel perſonis regularibus, ſecularibus, eccleſiaſticis, vel mundanis (cuiuſcumque fuerint ordinis, conditionis, eminentiæ, dignitatis, aut ſtatus) quæ tenore præſentium, vel per alias noſtras literas reuocata non ſunt, & penitus annullata; quantum ad omnem effectum eorum, de ipſorum fratrum conſilio & aſſenſu a data præſentium ſuſpendentes, volumus ac diſtricte præcipimus, vt ſequentes Romanam curiam infra vnius, Italici vero infra quatuor menſium, & extra Italiam conſtituti infra vnius anni ſpatium, a data computandum eadem (quod quidem tempus pro peremptorio termino aſſignamus) ipſa noſtro & præfatæ ſedis conſpectui repræſentent, & ad noſtram & ipſius ſedis notitiam deducant, apoſtolicæ diſcuſſionis examen iuſto iudicio, faciente Domino, ſubitura; ipſaque quantum ad omnem effectum manere ſuſpenſa, quouſque per ſedem ipſam ex certa ſcientia fuerint approbata.

Addita conditio, niſi prius expoſita & in examen adducta coram ſede Apoſt

Alioquin ex nunc de eorundem fratrum noſtrorum conſilio vel aſſenſu priuilegia, literas, gratias, & alia ſupradicta, quæ noſtro & præfatæ ſedis conſpectui præſentari, & ad noſtram & ſæpedictæ ſedis notitiam, vt præmittitur, deduci mandamus; & quidquid ex eis vel ob ea ſecutum extiterit, vel ſequetur, apoſtolica auctoritate & de poteſtatis plenitudine caſſamus, irritamus, euacuamus, caſſas, irritas, & vacuas nuntiamus, ipſa omnino carere viribus decernentes: non obſtante, ſi ab eodem anteceſſore vel alijs Romanis Pontificibus quibuſcumque ordinibus, collegijs, eccleſijs, vel perſonis cuiuſcumque conditionis, præeminentiæ, ſiue ſtatus aliquibus vel alicui eorum ſub quacumque forma vel expreſſione verborum ſit indultum quomodolibet vel conceſſum, quod prædicta forma conceſſa & commiſſa per anteceſſorem ipſum vel alios Romanos Pontifices, aut eius vel eorum auctoritate nequeant reuocari per literas apoſtolicas, quæ de indulto ſeu conceſſione huiuſmodi, aut de ipſorum toto tenore, ſeu de verbo ad verbum de ordinum, aut perſonarum nominibus plenam, determinatam, & expreſſam non fecerint mentionē; ſeu quacumque indulgentia, vel conceſſione alia dictæ ſedis generali vel ſpeciali, cuiuſcumque tenoris exiſtat, per quam effectus præſentium poſſet quomodolibet impediri. Si quid autem in præmiſſis, vel circa præmiſſa dubij vel ambiguitatis emerſerit, declarationi & interpretationi dictæ ſedis plenarie reſeruamus, ſemel & pluries, quoties opus fuerit, & prout expediens viderit, faciendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ratificationis, confirmationis, factionis, approbationis, innouationis, vacuationis, conceſſionis, ſuſpenſionis, præcepti, aſſignationis, mandati, caſſationis, irritationis, nunciationis, conſtitutionis, & reſeruationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. *Dat. Laterani VI. id. aprilis pontificatus noſtri anno* I. Decreuimus itaque tenorem eundem taliter annotatum illam fidem, illamque vim vbique tam in iudicio quam extra iudicium poſſe facere & habere, illiuſque firmitatis robur obtinere, quæ originales literæ eiuſdem prædeceſſoris noſtri exinde confectæ, ſi exhiberentur, facerent, haberent & etiam obtinerent. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. non. iulij anno* VII.

Antec rū in ta nul cura pe dio.

IESV CHRISTI

Annus 1342.

CLEMENTIS PP. VI. annus I. VAC. IMP. OCCID. 29. IO. PALAEOLOGI IMP. OR. 2.

INgenti bonorum omnium dolore e viuis ereptus eſt Benedictus XII. Seruatoris anno [a] milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo indictione decima; cum annos ſeptem, menſes quatuor, dies ſex ſumma cum pietatis laude pontificatum geſſiſſet: creatus enim eſt, vt vidimus XIII. kal. ianuarij, finem vero vitæ fecit VII. kal. maij, quemadmodum plerique ſcriptores teſtantur. De quo nonnulla digna memoria afferenda operę pretium arbitror, quæ extremo Pontificatu geſſit. Iiſdem igitur prorſus pijs ſtudijs reſtaurandæ in ordine eccleſiaſtico primæuæ morum ſanctitatis pontificatum abſoluit, quibus illum fuerat auſpicatus: cum enim in Caſtel-

[a] Geſt. Pont. XII. ap. Boſq. auct. nym bibl. Vat. ſæg. n. in Bon. XII.

Extre Bene geſta.

ſtella obſoletiores ſacerdotum mores luxuriæ ſordibus nondum terſi eſſent, quamuis iam ad id apoſtolicam operam contuliſſet, Toletanum, Bracharenſem, Compoſtellanum, & Hiſpalenſem archiepiſcopos, eorumque ſuffraganeos obnoxios ſibi clericos ex impudicitiæ cœno encyclicis hiſce literis a iuſſit excitare, diſciplinæ eccleſiaſticæ ſeueritate obiecta..

a An. 8. ep. cur. et poſt eund. ep.

Venerabilibus fratribus archiepiſcopo Hiſpalenſi eiuſque ſuffraganeis ſalutem, &c.

Decet prælatos quoslibet, qui ad regendum alios in partem ſolicitudinis ſunt aſſumpti, ſic per ſplendorem vitæ ac doctrinam bonorum operum relucere, vt eorum ſubditi exempla ſalubria imitantes, ipſorum non ſolum culpas & exceſſus proprios corrigant, verum etiam ad operanda ſimilia ſolertius animentur. Sane ad audientiam noſtram, quod non ſine graui mentis turbatione referimus, fide digna relatione peruenit, quod nonnulli ex vobis, fratres ſuffraganei, nec non presbyteri, clerici, ac perſonæ eccleſiaſticæ veſtrum omnium ſubditi, diuini timoris obliti pariter & amoris, ac famæ ſuæ prodigi, & honoris etiam inimici, vitam eorum maculare publice incontinentię vitio non verentur: ex quo fit, quod illi ex vobis, quos propria culpa damnat, presbyteros & clericos eorum ſubditos, huiuſmodi vitio laborantes, punire non audent; immo malefacta cõguntur in animarum ſuarũ periculum palliare: propter quæ prælatorum & ſubditorum præfatorum multiplicantur ſcelera & peccata, & ſubditis ipſis propter impunitatem huiuſmodi præbetur materia laxandi habenas licentius ad prædicta facinora, & alia illicita committenda: & præter hæc ipſi prælati, presbyteri, & clerici a principibus & baronibus ipſarum partium propter diuulgationem infamiæ dicti vitij vilipenduntur & contemnuntur, ac eccleſiæ, quibus præſunt, patiuntur in temporalibus non modica detrimenta.

Collapſos Caſtellani cleri mores redarguit.

Querieur ex eo obſoleſcere dignitatẽ ordinis ecclesiaſtici

2 Quia igitur huiuſmodi dehoneſtatis vitium, quod enormiter derogat honeſtati eccleſiæ ſponſæ Chriſti, in prælatis præſertim & alijs perſonis eccleſiaſticis, tanto eſt abominabilius deteſtandum, quanto in eorum & totius cleri & clericalis ſtatus maius opprobrium, infamiam, ac cunctorum fidelium grauius ſcandalum noſcitur redundare, ac ſuperiorum malefacta trahuntur ab inferioribus facilius damnabiliter in exemplum; & propterea cupientes, vt vos presbyteri & clerici veſtri ſubditi ab huiuſmodi ſordibus paternis monitis ſic effectualiter retrahamini, vt non expediat contra vos caſtigationis alterius medelam per ſedis Apoſtolicæ prouidentiam adhiberi; fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus tu, frater archiepiſcope, illos ex dictis ſuffraganeis auctoritate apoſtolica monere & inducere ſtudeas, vt illi ex eis, qui ſunt vitio prædicto reſperſi, per correctionem voluntariam illud cohibere ſtudeant in ſeipſis: & nihilominus veſtrum ſinguli in ſuis ciuitate & diœceſi veſtros ſubditos publicos concubinarios, & alios in talibus delinquentes ſic, prout iura volunt, procuretis ſolerter corrigere & punire, quod ipſi ſubditi retrahantur ab huiuſmodi vitio, & ad exercitium bonorum operum reducantur: voſque de inobedientia, negligentia, & defectu non poſſitis de cætero rationabiliter reprehendi; quinimmo vos de veſtra & veſtrorum ſubditorum correctione debita, & obedientiæ promptitudine in præmiſſis commendare dignis in Domino laudibus valeamus.

Præſules excindendis vitijs iubet incumbere.

Quod ſi forte vos ſuffraganei huiuſmodi monitionibus & inductionibus apoſtolicis noluerit is, vel contempſeritis obedire, volumus & tibi, frater archiepiſcope, præcipimus & mandamus, quatenus de culpa ipſorum ſuffraganeorum & inobedientia, ſi quas forſan in iſtis committere eos contiget, ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicij auctoritate prædicta diligentius te informes, & quæcumque ſuper ijs inueneris, fideliter in ſcriptis redacta, nobis per tuas literas, harum ſeriem continentes, fideliter referre procures; vt tua ſuper relatione inſtructi, aduerſus culpam & inobedientiam culpabilium in præmiſſis poſſimus congruum remedium adhibere, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtantibus, &c. *Dat. Auin. xii. kal. februarij anno viii.*

Si defuerint officio, apoſtolicam ſeueritatẽ intendit.

3 Religioſiſſimum in promouendis ad ſacerdotia & dignitates viris ſcientia virtutibuſque præſtantiſſimis fuiſſe Benedictum, in hæreticis inſectandis ardentiſſimum, in proquinquis ad eccleſiaſticos honores non euehendis modeſtiſſimum, contemptuſq; humanarum rerum inſignem vitæ eius anonymus auctor apud Boſquetum commendat hiſtoriæ his verbis a: *Hic ſummus Pontifex fuit maximus zelator fidei, ac in omni ſtatu ſuo feruidus hæreticorum & rigidus perſecutor. Fuit bonæ, immo & ſanctæ intentionis in omnibus factis ſuis: & in cæteris, quantum in ipſo fuit, dedit operam efficacem, vt in beneficijs, dignitatibus, & prælaturis, ſuo tempore vacantibus, ponerentur & præficerentur bonæ & honeſtæ perſonæ, prouidæque & diſcretæ, ac ſufficientes in literatura ac maturæ in moribus, eſſentque ætatis prouectæ iuxta ſtatum ac conditionem ac qualitatem beneficiorum, dignitatum, & prælaturarum, ad quæ vel quas eſſent aſſumendæ; & in hoc voluit, quod præferrentur meliores & ſufficientiores, aliter ad quaſcumque perſonas aſpectum ſpecialiter non habendo: & in hoc multoties ſe decipi formidauit. Et in hoc antequam prouideret de talibus ſuæ diſpoſitioni reſeruatis, inquirebat ſumma cum diligentia de meritis & ſufficientia illorum, qui ad hoc ſibi nominabantur: & cum eos non reperiebat iuxta guſtum ſuum bene idoneos & ſufficientes, potius volebat, quod vacarent & remanerent in manibus ſuis, quam ſi aliter prouideret: propter quod multa beneficia, dignitates, & prælaturæ quamplures diutius in vacatione permanſerunt; dicebat enim, quod melius & ſecurius erat, quod vacarent, quam ſi haberent malos vel minus idoneos præſidentes.*

In conferendis dignitatib⁹ integerrimus. a Geſta Ben. xii. apud Boſq.

4 *Ipſe enim de ſuis conſanguineis vel propinquis exaltandis, vel promouendis nullatenus curauit: non enim inuenitur, quod aliquem de ſuo genere ad quamcumque prælaturam promouerit, niſi vnum ſolum, quem præfecit eccleſiæ Arelatenſi; qui tamen ad hoc alias erat bene dignus & ſufficiens, & hoc etiam fecit quodammodo precibus & inſtantia Cardinalium deuictus. De laicis vero nullum exaltauit, immo nec voluit quod ſtatum ſuum, qui ſatis erat per prius infimus, propter ipſum immutarent: vnicam enim neptem, quam habebat per plures magnates pro coniugio petitam, eis dare expreſſe negauit, dicens in vulgari ſuo, quod non decebat talem equum hanc habere ſellam: ſed demum ipſam nuptui tradidit filio vnius mercatoris ſimplicis Toloſæ, dotem ſibi ſecundum ſtatum eiuſdem mercatoris conſtituendo.* Confirmat hæc Albertus Argentinenſis b qui tradit, illum aliquando porrectas ad conſanguineorum gratiam vt promouerentur preces repetito Dauidico oraculo refregiſſe: *Si mei non fuerint*

Mire ab humanis affectibus diuulſus.

Propinquos ſua ſorte contentos eſſe iubet.

b Alb. Arg. in chron. annal. te. 14.

rint dominati, tunc immaculatus ero. Hac in re, vt in pluribus alijs, non modo nominis, sed Christianarum etiam virtutum heredem se ostendit Benedicti XI. qui matrem magnifico cultu ad pompam ornatam non agnoscere dissimulauit [a]; humili & ignobili habitu redeuntem est amplexatus: vel etiam imitatorem Clementis IV. (vt antiquiorum Romanorum Pontificum exempla prætereamus) quem nullis opibus, quas ipse spernere profitebatur, suos auxisse vidimus. Diuulsum a nimio in parentes affectu consentit M. S. Vaticanum his verbis [b]: *Hic fuit homo durus & constans; magnus magister in legibus & diuinitate. Hic multum thesaurum ecclesiæ congregauit. Hic nihil dare voluit alicui de suo genere vel consanguineo. Iste vero non timebat quemquam, quin ius & iustitia obseruaretur vbique per vniuersum. Hic nimis bonos dilexit, & malos odio habuit.*

[a] *Annal. to. XIV. an Chr. 1304 n. 35.*

[b] *M.S. bibl Vat. sign. n. 3040. in Ben. XII.*

Non minus vero doctrina, quam integritate emicuit; plurimaque reliquit illustria monumenta ob quæ inter scriptores ecclesiasticos annumerandus est. Eius commentaria aduersus Fraticellos, quæ parum accurate delibasse Aymericum obseruat Pegna [c], nondum vidimus: grauissima autem fuisse ex aliorum operum præstantia & grauitate conijcimus. Ingens enim eius volumen M. S. [d] euoluimus, in quo plures extant illius homiliæ de præcipuis Christi, Deiparæ, & sanctorum festiuitatibus: tum commentarius complectens vndecim quæstiones in Durandum: præterea liber amplissimus in sex tractatus dispertitus de visione beatifica, & alijs controuersijs theologicis, de quibus iam ante meminimus. De structurarum vero operibus ab eo Auenione excitatis, hæc habet M. S. Vaticanum [e]: *Item dictus Papa fieri fecit totum magnum palatium, vbi ipse residentiam fecit Auiuione cum turribus circumcirca, atque viridario bene fabricatis.* An recte in eo de ecclesia meruerit, cum ita sedem Apostolicam constabilire velle Auinione alicui fortasse videri potuerit, non discepto. Certe ignorabat futurum nidum arcemque schismaticorum pseudopontificum. Insignia porro sunt memoratuque digna elogia, quæ in Benedictum ob pietatis in Deum studia anonymus vitæ ipsius auctor confert, & attexenda visa sunt.

Benedictus an numerandus scriptoribus eccles.

[c] *Direct. inquis. 2. p in quæst. 17 com. 42.*

[d] *M.S. bib Vat. sign. n. 4006. pag. 224.*

Insignia eius operæ

[e] *M.S. bibl Vat sign. n. 2040. in Ben. XII.*

5 *Ipse insuper mente, verbo, & opere totus intentus extitit ad ea, quæ Dei erant, posse tenus exequenda: non tamen propterea illa, quæ etiam mundiale regimen sibi commissum concernebant, neglexit; immo in ipsis bene & vtiliter agendis & gubernandis debitam adhibuit diligentiam, prouideque se gessit nihil de contingentibus omittendo. Mundanam pompam & vanam gloriam in se & in suis omnino contempsit; sicque fuit re & nomine Benedictus ineuam a Deo, & Benedictus hoc est bene nominatus & reputatus a mundo, cum fere omnes, saltem boni, qui in mundo erant, de ipso bene dicerent, & existimarent, & merito: nam, sine cuiusquam præiudicio loquendo, omnes alios sui nominis, qui ipsum in statu papali præcesserunt, non reperitur quod ipsum in meritis excesserint; immo nec per ea, quæ de ipsis scribuntur attigerint: & si fas sit scribere, post martyres & alios, quos ecclesia veneratur & colit vt sanctos, inter meliores ipse vnus fuit, & est merito reputandus. Qui plenus magnis meritis post multa virtuosa, ac laude digna spiritum reddidit Saluatori anno Domini* MCCCXLII. *die* XXV. *mensis aprilis pontificatus sui anno* VIII. *fuitque sepultus in ecclesia maiore Auinioni, in qua adhuc iacet in capella pro ipso specialiter fabricata, etiam miraculis coruscando.*

Constanter rem diuinam promouet. Humana prudenter curat.

Meritis claret.

In consignando mortis Benedicti & pontificatus tempore consentit M. S. Vaticanum a, cuius verba accuratissima adiungimus: *Tandem*, inquit, *anno Domini* MCCCXLII. *in die S. Marci euangelistæ in Auinione in palatio, quod construi fecerat, ad Christum migrauit: de cuius morte tota curia ac Christianitas condoluit. Et sic sedit ab electione annis septem, mensibus quatuor & diebus sex: a coronatione eius sedit annis* VII. *mensibus tribus, diebus* XVII. *ac vacauit diebus vndecim, sepultusque est in ecclesia cathedrali Auinione.*

[a] *M.S. Vat. n. 3040. Ben. XII.*

Eius mors.

6 Defuncto Benedicto XII. Cardinalium suffragijs suffectus est Petrus Rogerius tit. SS. Nerei & Achillei presbyter Cardinalis, qui Clementis VI. nomen sibi indidit, de quo Germanus auctor anonymus eius temporis in M. S. [b] de Romanis Pontificibus hæc habet: *Clemens VI. natione Lemouicensis de Malmonte Lemouicensis diœcesis, prius dictus Petrus Rogerij, monachus monasterij casæ Dei ordinis S. Benedicti Claromontensis diœcesis, deinde Parisijs factus magister in theologia, & post abbas Festanensis* * *dicti ordinis, postea episcopus Atrebatensis, deinde archiepiscopus Senonensis, & postbac archiepiscopus Rothomagensis.* Confirmant hoc Clementis literæ, quibus ad decorandam Rothomagensem ecclesiam vim auri plurimam contulit [c]. Addit auctor: *Demum per dominum Benedictum prædictum creatus presbyter Cardinalis tit. SS. Nerei & Achillei, & tandem, mortuo eodem domino Benedicto, electus in Papam* VII. *die maij anno Domini* MCCCXLII. *& die sancto pentecostes (quæ fuit duodecima) apud fratres Prædicatores Auinione coronatus est.* His consentanea Clementis vitæ scriptor apud Bosquetum, Hocsemius [d], Rebdorfius [e], S. Antoninus [f], & alij referunt; quibus M. S. Vaticanum [g] adiungimus, in quo affertur insigne hoc illius elogium: *Hic fuit vir magnæ diuinitatis scientiæ, atque fons sermocinationum. Hic largissimus fuit, atque in omnibus placidus & affabilis, nec non commensabilis. Hic sub* MCCCXLII. *fuit electus nonis maij Auinione ad locum Prædicatorum, coronatus* XIV. *kal. iunij, sedítque annis decem, mensibus sex, diebus viginti octo ab electione.* At de tempore sedis rursus suo loco.

Succedit illi Clemens VI.

[b] *M.S. Vat. sign. n. 3761. Clem. VI. Eius promotio.*

* *Episcopus fit.*

[c] *Tenet ep. secr.*

[d] *Hocs. to. 2. c. 5.*

[e] *Rebd. in anno.*

[f] *Ant. p. 3. tit. 21. c. 2. in princ.*

[g] *M.S. Vat. sign. n. 2040. Clem. VI.*

Prænuntiatum illi pontificatum fuisse, cum Lutetia ad monasterium suum rediret, atque a latronibus spoliatus fuisset, refert Massonus [h] ex Illidiani monasterij commentarijs his verbis: *Donatus Lutetiæ Parisiorum doctoris theologi nomine & laurea, qui honos non exiguus illa ætate habebatur, Casam Dei ad monasterium suum redire cupijt. In itinere, cum apud Aruernos iam esset non procul a Claromonte, vbi Aruernum municipium olim fuit, incidit in latrones, qui tunc in saltu Randanio (is cæduus est) viatores expectabant. Nudatus ab ijs exutusque viatico et veste, præter lineum indusium, et vitam incolumem nihil habebat: nihilominus iter suum prosecutus, Turetum citissime peruenit. Id a Claromonte distat decem passuum millibus, estque modici redditus beneficium ecclesiasticum ab Illidij templo apud Claromontem dependens. Qui illi loco præerat Stephanus Aldebrandus miseratus spoliati monachi casum, vestem ei & necessaria vitæ dedit, benigneque habitus, cum discederet: Ecquando, inquit, acceptum beneficium referre potero? Tum Aldebrandus: Cum eris Romanus Pontifex, inquit: tunc par pari referes. Igitur multo post Clemens pontificatum adeptus, memorque veteris officij erga se, Aldebrandum Auenionem ire iubet,*

Prænuntiatur illi pontificatus.

[h] *Masson. Clem. VI.*

Eius in benefactorem gratissimus animus.

bet, eumque cubicularium pontificium fecit, posteaque archiepiscopatu Tolosano exornauit, in quo munere is fuit vsque ad annum millesimum trecentesimum sexagesimum tertium.

7 Redimitus pontificia corona circumductus est [a] per Auinionenses vias a Ioanne Normaniæ principe sceptri Gallici herede, stratorem agente: perfectaque ea pompa, encyclicas literas de Benedicti XII. obitu susceptisque ecclesiæ gubernaculis dedit ad Reges ac Reginas Philippum [b], & Ioannam [c] Francorum, Eduardum [d], ac Philippam [e] & Isabellam [f] matrem, Reginas Anglorum, Robertum [g], & Sanciam [h] Siciliæ, Alfonsum [i] & Mariam [l] Castellæ ac Legionis, Philippum [m] Nauarræ, Vgonem [n] & Alexiam [o] Cypri, [p] Dauidem & Ioannam [q] Scotiæ, Casimirum Poloniæ [r], Ioannem [s] Boemiæ, Carolum [t] & Elisabetham [u] Vngariæ, Petrum [x] ac Mariam [y] Aragonum, Guidonem [z] & Constantiam [a] Armeniæ, Iacobum [b] & Constantiam [c] Balearium, Alfonsum [d] ac Beatricem [e] Lusitaniæ, aliosque plures principes [f], quos ad sceptra pie moderanda, & coniungenda pro religionis splendore augendo regia studia excitauit. Conceptæ sunt hæc verborum forma, quæ Francorum Regi inscriptæ.

Clemens, &c. Philippo Regi Franciæ illustri.

In præcelso throno diuini culminis sapientiæ altitudo, sublimitas potentiæ, ac prudentiæ plenitudo consistunt, & qualiter dispositione superna detur esse rebus, mutentur & varientur creaturarum conditiones & status, aliaque gratiarum munera ineffabili prouidentia dispensentur, humani non capiunt intellectus. Supernus namque conditor in omnipotentia sua mirabilis dixit, & facta sunt: & quæ ipse voluit, sunt creata. Habens tanquam ille, qui cuncta palmo concludit, ad singula potestatem, quandoque facit sortem ex debili, & nonnunquam ponit humiles in sublimi, ac sacrosanctam ecclesiam catholicam, quam sibi charitatis inseparabili dulcedine copulauit, salubriter dirigit & gubernat. Siquidem felicis recordationis Benedicto Papa XII. prædecessore nostro, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, venerabiles fratres nostri episcopi, presbyteri, diaconi S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione Romani Pontificis conuenientes in vnum, sancti Spiritus, vt moris est, gratia inuocata, quasi per inspirationem ipsius in nos, sicut diuinæ clementiæ placuit, vota sua concorditer direxerunt, nos ad conscendendam speculam apostolici culminis, & subeundum grauissimam totius orbis regiminis sarcinam eligentes. Verum cum ad tantæ dignitatis apicem obstuperemus assumi, eo quod impotentiæ nostræ humeri ad tantum onus non sufficerent supportandum; tandem sperantes in illo, qui reddit suaue iugum suum & onus leue illa portantibus, patienter ad ipsorum fratrum instantiam votis acquieuimus eorundem, & colla nostra submisimus humiliter iugo apostolicæ seruitutis: & subsequenter benedictionis & coronationis nostræ solemnia iuxta morem, in personis felicis memoriæ Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum hactenus obseruatum, suscepimus ad gratiarum fontem, de cuius accipiunt plenitudine vniuersi, Pastoris videlicet æterni clementia, in humilitatis spiritu recurrentes, vt ipse non iuxta nostrorum meritorum exigentiam, sed secundum suæ superabundantiam pietatis debilitati nostræ sic tribuat roboris fulcimentum, quod susceptum onus ad laudem sui nominis, ecclesiæ vniuersalis honorem & statum, salutem; & tranquillitatem fidelium, ipso cooperante deferre, ac in populis solicitudini nostræ creditis quarumlibet dissensionum exinde amputata materia, ministrare bonum pacis, ad quæ nostra summa adspirat intentio, valeamus. Adijcit quoque in hoc & alijs spei nostræ suffragium tui specialiter & aliorum catholicorum consideratio principum, quos speramus sic ab illo per quem Reges regnant, & potentes in suis regiminibus exercent iustitiam, dirigi quod ipsis per vias rectas nos iuuantibus, grex dominicus curæ nostræ commissus, committentis virtute præambula, ad æterna gaudia perducatur.

Vt ad diuinam opem per fugerit.

Diuinam forte hominum prouidentia.

De concordi Clementis electione.

8 Et quia, fili charissime, sicut nosti, inter alios Reges & principes, dum nos minor status haberet, ad personam & regnum tua semper gessimus præcipuæ dilectionis affectum, & erga te velut speciale ipsius ecclesiæ brachium paternæ dilectionis plenitudinem non solum continuare intendimus, sed augere, tibique & tuis subditis pacis & prosperitatis commoda indefessæ solicitudinis studio procurare; serenitatem regiam rogamus in Domino & hortamur, quatenus Deum timeris, in cuius manu cor tuum est, & in eius arbitrio vita tua, ipsius studeas custodire mandata, iustitiam colere ac diligere in omnibus æquitatem, sciens quod ad hoc te hominibus naturæ tuæ participibus prætulit dominus Deus tuus: & nihilominus in deuotione sanctæ ecclesiæ tuæ matris, ad cuius defensionem accepisti principaliter a Domino gladij potestatem, nec non exaltationem catholicæ fidei, ecclesiarum defensionem, ac conseruationem ecclesiasticæ libertatis tua sublimitas semper crescat, vt ex hoc tibi augeatur in præsenti gratia & gloria in futuro, illam de nobis spem certam & fiduciam habiturus, quod tuam & regni tui prosperitatem paterno zelantes affectu, regalem magnificentiam opportunis curabimus, quantum cum Deo potetimus, fulcire fauoribus, ac dignis gratijs & honoribus præuenire. *Dat. Auin. xii. kal. iunij pontificatus anno* 1. Conceptæ sunt magna ex parte eadem verborum formula ad præsules encyclicæ literæ, quos ad fundendas diuino Numini preces excitauit [a], vt bella intestina pacaret.

Pontificia ad Gallũ Regem adhortatio.

9 Correptis igitur vniuersæ ecclesiæ catholicæ gubernaculis Clemens, magnis animis pia reuocandæ in vniuerso orbe Christiano pacis consilia perducere aggressus est, cum cerneret ingentia mala, quæ ex Regum dissidijs rei Christianæ imminebant, eaque auertere exoptaret. Atque in primis cum fœuissima omnium dissensio Francos Anglosque allideret, sedandæ illi primos conatus addixit, legatione ad Philippũ & Eduardum Reges decreta, cuius obeundæ munus Petro Præneſtino & Anibaldo Tusculano episcopis S. R. E. Cardinalibus iniunxit, de quibus hæc Clemẽtis vitæ [b] auctor subijcit: *Hic summus Pontifex satis cito post creationem suam optans, quod guerra iam a diu orta inter Reges Franciæ & Angliæ sedaretur, misit ad ipsos suos nuntios, legationis officio fungentes dominos Petrum de Pratis Præneſtinum & Anibaldum Tusculanum episcopos Cardinales causa reformandæ pacis inter eos.* Optatior eo erat Francorum & Anglorum concordia, quo Babylonis, Syriæ, Ægyptique soldanus ex funesta eorum dissensione elatus superbia Armeniam concutiebat, atque Africę Reges superstitione Mahumetica impliciti vires omnes & conatus ad Hispanias

Quam esset necessaria rei Christianæ pax.

[a] Eod. an. 1. l. 6. ep. com. 17. et reg. post eand. ep. Missi a Clemente legati pro Gallis Anglisque conciliandis.

[b] Gesta Clem. VI. apud Besq. Qui eo munere perfuncti.

suæ tyrannidi subijciendas effundebãt, vt deplorat nouus Pontifex in literis ad vtrumque Cardinalem de commissa legatione datis a, quibus præcipit, vt Reges, propositis ob oculos impendentibus rei Christianæ cladibus, ad pacem adducere studeant; & omnes, qui impedimento essent, quo minus concordia conciliaretur, intentatis censurarum ecclesiasticarum pœnis reprimerent; præstita fidei sacramenta ac fœdera de vrgendo bello dissoluerent, irritaque pronuntiarent.

a An. l. 16 ep. cur. 1.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus Petro Penestrino S. R. E. vicecancellario, & Anibaldo Tusculano episcopis Apostolicæ sedis nuntijs salutem & apostolicam benedictionem.

Sane sicut euidentia facti notoriat, hostis humani generis, pacis æmulus, & dissensionum ac guerrarum non solum amator, sed etiam suscitator, inter charissimos in Christo filios nostros Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges illustres, & nonnullos alios principes & magnates, valitores, auxiliatores, & sequaces eorum ac adhærentes eisdem, grauis dissensionis materiam adeo bellicosis actibus, & hostilibus congressionibus terrestribus & maritimis dure commouit, quod ex huiusmodi periculosa discordia, diuersis vicibus & temporibus eorum conflatis viribus in vnum, hinc inde strages hominum, effusio sanguinis Christiani, qui de terra clamat in cælum, depopulationes & incendia locorum, ac ecclesiarum destructiones, rapinæ, spolia, sacrilegia, lapsus, subditorum exilia, & oppressiones innumeræ; &, quod deflendum est potius, animarum pericula, & infinita enormia scelera hinc inde, proh dolor! sicut est toti mundo notorium, sunt secuta: et, quod pungit durius mentem nostram, Reges, valitores, auxiliatores, sequaces, & adhærentes prædicti ad resumendos guerrarum congressus, & turbines grauiores iam se præparant & disponunt; quodque, nisi huiusmodi eorum proposito, ne deducatur in factum, celeriter occurratur, sperantur ex ijs multo grauiora mala, scandala, & pericula prouenire.

Propositę belli, clades.

10 Nos igitur, licet immeriti, Regis pacifici in terris vicarij constituti, ex iniuncti nobis officij necessitate constringimur pro vniuerso populo Christiano vias pacis assidue cogitare, instando supplicationibus, & orationibus insistendo, vt ei Dominus pacis tempora tranquilla concedat, & contra vndosas tempestates pelagi huius mundi, ne fidelium nauiculam obruant, discipulorum eius exemplo Iesum omnium saluatorem precibus assiduis excitare, vt imperet discordiarum fluctibus, cessentque procellæ fluctuantium odiorum & discrimina guerrarum, ad id operatrices manus solicite apponendo. Et licet cunctis Christicolis, ac Christicolarum singulis regionibus Deo & Apostolicæ sedi deuotis, in ijs nostræ diligentiæ studium debeatur, nosque ad ipsas libenter possibilitatis nostræ ministerium extendamus; tamen quanto præfatos Franciæ & Angliæ Reges, ac inclyta ipsorum regna apostolici pectoris in singularitate præcipuæ dilectionis habemus, & præcordialius gerimus in visceribus charitatis, circa prosperum statum eorum feruor vehementius nostræ mentis exuberat, & ad tranquillitatẽ eorum totis viribus procurandam cum affectionis plenitudine singularius cogitamus; propter guerras prædictas, quæ quotidie nimium inualescunt, animus noster dolet non immerito vehementer: & eo potius intima nostri cordis amaricant acerbius, & durioris punctionis aculeo affligunt, quo periculosas huiusmodi discordiarum, & guerrarum circumstantias nobis intentioris considerationis discussio efficacius repræsentat.

11 Attendimus etenim paternæ solicitudinis studio incommoda immensa, quæ ingerunt, & commoda piaque Dei negotia, quæ impediunt, & vtinam non extinguant. Quis enim dubitat, quod ex talibus discordijs atque guerris non solum Babylonicus hostis, sed & alij Reges & reguli Agareni de partibus Africæ ad occupandas terras Christianorum, & religionem Christiani nominis extinguendam sumpserunt, sicut facti experientia docuit, audaciam transfretandi, & quod continue acriores solito & perniciosiores molestias inferre Christianorum Regibus, atque regnis & populis machinantur? Quis etiam quantumlibet studiosus concipere poterit, quantum tantorum principum, tanta sanguinis propinquitate & affinitate coniunctorum pernicioſa &, proh dolor! inueterata dissensio, si inualescat vlterius, & hostilis congressio Christiani sanguinis hauriet, prout exhausit; quas hominum strages ingessit & ingeret, quæ animarum pericula, quot rerum damna produxit etiam & producet, quot profluuia sumptuum, & expensarum abyssos tantorum principum horribilis grauisque commotio, & eius prosecutio exegerunt hactenus & exigent incessanter?

Volentes igitur sic perniciosis obuiare periculis, eisque congruum, quantum nobis ex alto conceditur, remedium adhibere; cum ad nos, qui licet insufficientibus meritis potestatis plenitudine fungimur, desuper nobis concessæ, singulariter pertineat, in vniuersali ecclesia, cunctaue congregatione fidelium pacem quærere, ac ipsam facere diligentius obseruari; ad vos viros landandæ virtutis scientia, & innata prudentia præditos, cultores iustitiæ, sedulos pacis amicos, & concordiæ zelatores, licet vestra præsentia nobis & apud nos ecclesiæ vniuersali perutili careamus inuiti, nostræ conuertimus deliberationis intuitum; vosque pro vestrarum consideratione virtutum, vobis a Domino in abundantia concessarum, ad prædicta Franciæ & Angliæ regna, ipsorumque terras, tanquam pacis angelos de fratrum consilio pro huiusmodi tractanda & perficienda, concedente pacis actore, optata pace atque concordia inter eos prouidimus destinandos; firma tenentes fiducia, quod actus vestros, illo dirigente qui nouit praua in directa & aspera in vias planas conuertere, per vestræ circumspectionis industriam, præactis periculis & discriminibus laudabiliter & vtiliter poterit obuiari. Quocirca, fraternitati vestræ per apostolica scripta de fratrum prædictorum consilio committimus & mandamus, quatenus prudenter attento, quod ad negotium tam insigne tamque præmissis attentis periculis insidens cordi nostro vos confidenter duximus eligendos, vos ad regna & terras prædicta personaliter conferentes, Reges nec non valitores, auxiliatores, sequaces, & adhærentes prædictos, dictis periculis, discriminibus, atque damnis recitatis eisdem, ad pacem & concordiam iuxta datam vobis ex alto prudentiam solicitis monitis & efficacibus persuasionibus inducatis, vt faciente pacis Auctore, per ministerium vestrum iuxta desiderium nostrum inter Reges ac valitores, auxiliatores, sequaces, & adhærentes eosdem cesset discordia, regnetque concordia,

quies

quies veniat, & pax resurgat ad Dei honorem & gloriam, animarum profectum, robur fidei, & exaltationem populi Christiani &c. *Dat. Auin. 11. kal. iulij anno 1.*

Imperauit præterea Clemens Cardinalibus legatis, vt si ijdem Reges atque alij eo impliciti bello inducias inter se inire recusarent, ipsi apostolica auctoritate fulti eas indicerent, promulgarentque: *Vobis*, inquit, *& vestrum cuilibet indicendi treuguas ad certum tempus, vestro arbitrio moderandum, inter Reges eosdem ac fideles, adhærentes, & valitores eorum, & indictas eisdem Regibus & alijs, de quibus expediens fuerit, per vos vel alium seu alios notificandi, ac vbicumque vobis vtiliter visum fuerit, solemniter publicandi; & infringentes, aut quomodolibet non seruantes easdem excommunicationis, & in eorum terras interdicti sententias promulgandi, & alia faciendi, quæ circa id fuerint opportuna*, & infra, *concedimus potestatem*.

Data legatis imperandarũ induciarũ potestas.

Instruebant interea Reges ingentes apparatus bellicos, quos vt retardaret Pontifex, anathema interdictumque ecclesiasticum ijs [a] omnibus incussit, qui naues conducerent ornarentue ad Gallias inuadendas: ac vicissim ad frangendos Gallorum Scotorumue impetus easdem pœnas obiecit [b] alijs, qui Angliam terra vel mari adoriri auderent. Exulceratæ nimium res erant, vt concordia reuocari posset. Induciæ vero a Cardinalibus pacto firmatæ sunt, de quibus hæc auctor anonymus M. S. Vaticani [c]: *Mittuntur eadem æstate in Franciam Anibaldus Tusculanus & Petrus Prænestinus episcopi Cardinales pro guerra sedanda, inter Eduardum Angliæ & Philippum Franciæ Reges orta: qui tamen, nisi inductis treugis paucorum dierum, modicum profecerunt.*

[a] Ib. ep. 9.

[b] Ib. ep. 10. Intermissum pactione bellum.

[c] M. S. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Clem. VI.

12 Auxerat admodum Anglici belli molem Flandrorum defectio: cumque, his in gratiam cum Francorum Rege restitutis, spes ingens affulgeret fore, vt externum bellum conseneseeret; Clemens, quo facilius ipsos ad officium pelliceret Beltraminum electũ Bononiensem sua sponte in Belgium legauit, vt censuras, quibus se ob rebellionem irretierant, dissolueret si rite ab ijs se absolui postularent.

Incussæ [d] eæ olim fuerant magna consilij maturitate a Clemente V. ad vinciendam Belgarum fidem, ipsis id enixe a sede Apostolica flagitantibus, cum e fœderis inter eos & Philippum IV. initi legibus ad id se obstrinxissent: contraxerant vero ob manifestam perduellionem censuras huiusmodi. Quæ cum intolerandæ viderentur ijs iam perduellibus præterito cum Philippo VI. bello, ex nouis pacis legibus adegerant Gallum Regem, vt eas censuras ab Apostolica sede rescindendas curaret. Philippus itaque suas adhibuerat partes apud Benedictum XII. vt interdicti & anathematis obiectas, si rebellarent, Flandris pœnas remoueret: sed Pontifex ratus indignum apostolica constantia ob perduellium furorem magna consilij maturitate lata edicta facile conuellere, ac subditos populos ea ratione iugum principum facile excussuros; respondit, se vsurum clementia in Belgis a censuris liberandis, modo ad Regis Francorum obsequium redituros se pollicerentur. Sed cum longe ab eo consilio illi abhorrerent, Benedictus in suscepta priore sententia perstitit. Philippus autem Francorum Rex, vt fidem suam liberaret, cum in vltimo fœderis colloquio daturum se ad id operam spopondisset, Ioannem primogenitum suum Normanniæ ducem ad aulam Auenionensem misit, vt rem ad Flandrorum gratiam vrgeret, seque fraudum labe purum ostenderet. Clemens porro ita illius petitis assentiendum putauit, vt Belgarum saluti consuleret: qui cum iuste censuris ac periurio deuincti essent, Beltraminum episcopum Bononiensem internuntium, vt eos ad Christianam pœnitentiam excitaret, ac resipiscentes rite absolueret, legauit [a].

De Belgis Gallo Regi conciliandis actum.

[d] Ann. 1. p. 6 ep. cur. 5.

Beltraminus episc. Bononien internuntius ad eos missus

[a] Ead. ep. 5

Clemens, &c. venerabili fratri Beltramino episcopo Bononiensi literarum nostrarum contradictarum auditori.

13 Eodem prædecessore [nimirum Benedicto] naturæ debitum, prout Domino placuit, persoluente; nobisque deinde, licet immeritis, ad apicem apostolicæ dignitatis assumptis, dilectus filius nobilis vir Ioannes dicti Regis [nempe Francorum] primogenitus dux Normanniæ in nostra & fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium præsentia constitutus, præmissa omnia, quæ per dictum Regem genitorem suum, eiusque prædictos nuntios ac literas supplicata & petita fuerant, vt præfertur, per nos concedi, fieri, & compleri nomine dicti Regis supplicauit, & petijt humiliter & instanter. Nos igitur animarum Flammingorum prædictorum, paternis affectibus zelantes salutem, ipsosque ab inuio ad viam veritatis, & de tenebris ad lucem conuertere cupientes; ac mitius & fauorabilius, quam idem prædecessor noster, qui sæpius asseruit, se dictum absolutionis & relaxationis beneficium ab excommunicationis & interdicti sententijs supradictis nullatenus impensurum, nisi in forma ecclesiæ peteretur tantummodo coram ipso, cum eisdem agere; nec non exemplum illius, qui non expectato, quod ouis ab ouili dispersa rediret ad ipsum, exijt & iuit vt perquireret, & suis etiam humeris reportaret eandem, imitari volentes; te, de cuius prudentia, & fidelitate plenam in Domino gerimus fiduciam, ad partes illas, plena & matura deliberatione cum eisdem fratribus habita super ijs, prouidimus destinandum.

Vt Normanniæ dux pro Belgis interpretem egerit.

Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ad partes prædictas Flandriæ vel alias propinquas eisdem, te personaliter conferens, omnes & singulos clericos tam religiosos quam seculates, ac laicos, qui veniendo contra pacem, conuentiones, & pacta inter Reges Franciæ & Flammingos pro tempore inita, eaque infringendo, & contra Reges prædictos, vel eorum aliquem rebellando, seque ab ipsorum fidelitate, deuotione & obedientia subtrahendo, aut alia aduersus Reges eosdem, seu eorum aliquem contra formam pacis pactorum, & conuentionum huiusmodi committendo, excommunicationis sententias incurrerunt; quique a te absolutionis beneficium ab eisdem sententijs humiliter implorabunt (competenti, de qua expedire videris, per eos satisfactione præmissa) iuxta ecclesiæ formam per te vel alium, seu alios absoluere, ipsisque pœnitentiam iniungere salutarem; ac cum prædictis clericis super irregularitatibus, si quas sic excommunicati, seu in locis dictæ patriæ ecclesiastico propter præmissa vel ea tangentia interdicto suppositis, celebrando diuina, vel alias immiscendo se illis forsitan contraxerunt, dispensare, ac interdicta huiusmodi, quibus loca, villæ, & terræ, seu communitates, vel vniuersitates dictæ patriæ occasione præmissorum vel ea tangentium, subiacent relaxare & tollere auctoritate nostra

Promissa censurarũ absolutio, modo rite crimẽ expient.

procures. *Datum Auin. 11. id. iunij anno 1.*

Belgæ illud pure fateri detrectant.

14 Accedentead Belgium Beltramino, detrectarunt Flandri agnoscere se iuste censuris ecclesiasticis deuinctos teneri, ac tantum cautelæ gratia absolui flagitarunt, quasi anceps & ambiguum eorum perduellionis crimen esset. Consuluit itaq; Clementem Beltraminus internuntius, vti se cum Belgis in his difficultatibus gereret. Cui Pontifex respondit a, constare de illorum perfidia & defectione; ac ni rite absolui censuris poscerent, in gratiam cum ecclesia ipsos restituere vetuit.

a Rad p. 6. ep. cur 12.

Clemens, &c. venerabili fratri Beltramino episcopo Bononiensi.

Nuper, videlicet XIV. kal. nouembris proximo præteriti, præsentibus nonnullis ex fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, tuas recepimus literas, huiusmodi per te factam prosecutionem negotij recitantes: in quibus inter cætera per nos postulas declarari, an virtute commissionis prædictæ tibi sit attributa potestas vel non, dictos Flandrenses ad cautelam absoluendi ab eisdem sententijs; ac interdicta huiusmodi relaxandi rationes, quæ animum tuum mouerunt ad dubitationem huiusmodi hinc inde in eisdem literis inserendo. Nos itaque huiusmodi tuarum serie literarum, & eisdem rationibus diligenter inspectis, tuam in ijs, quæ per te in huiusmodi negotio facta sunt, circumspectionem & prudentiam commendantes; fraternitati tuæ tenore præsentium respondemus, & etiam declaramus, non fuisse intentionis nostræ nec esse, quod ipsis Flandrensibus, & terris suis, aut alicui vel aliquibus eorundem potueris vel possis ex forma dictæ commissionis, vel alias ab eisdem sententijs ad cautelam absolutionis beneficium impertiri: nec intelleximus nec intelligimus id tibi per literas nostras, super dicta commissione tibi facta confectas fuisse vel esse concessum cum absolutio ad cautelam non fit nisi in casibus dubijs impendenda; & propterea hoc concedere aliud non esset, nisi prædictas sententias & processus, super causis euidenter notorijs factos, & per quos huiusmodi sententiæ sint prolatæ, & eorum iustitiam in dubium reuocare: ac propter hoc, saluti animarum dictorum Flandrensium, ad quod principaliter nostra aspirat intentio, non prouideretur salubriter; quinimmo sententiarum ipsarum maiori contemptui materia forsitan pareretur.

Cõsultus a Beltramino Põtifex.

Eius responsum.

Belgas nõ ambiguo, sed explorato iure deuinctos

Licet autem piæ memoriæ Benedictus Papa XII. prædecessor noster, aliquem ad partes illas cum commissione ac potestate similibus recusauerit destinare; nos tamẽ fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus commissionẽ huiusmodi, in magnum fauorem & gratiam non modicam dictorum Flandrensum, qui ad nos & sedem eandem pro obtinenda absolutione huiusmodi venire ac mittere tenebantur, tibi factam, iuxta ipsius formam & declarationem præsentium exequaris diligenter, eisdem Flandrensibus & terris eorum a dictis sententijs, si ipsi ab eis deuote, humiliter, ac simpliciter petierint se absolui, iuxta ecclesiæ formam, & prædictæ commissionis continentiam, beneficium absolutionis impendas, ipsaque interdicta relaxes, & dispenses, vt præmittitur, cum eisdem, nullum eis super præmissis absolutionis ad cautelam beneficium impensurus.

Data' soluendarũ censurarũ auctoritas si crimen fateantur

Adiecta conditio, vt Belgæ ad officiũ redeant.

Quod si forte dicti Flandrenses nolint pure & simpliciter iuxta formam ecclesiæ a prædictis sententijs petere se absolui, in eorum obstinata pertinacia remanentes, volumus quod ad hoc, vt nostra clementia & misericordia, quas in hac parte ostendimus erga ipsos & eorum proteruiam, cunctis fidelibus notæ fiant, huiusmodi commissionem tibi factam, & missionem de te ad partes illas pro reductione illorum, motu proprio nostro factas, & omnia, quæ in negotio ipso per te sunt habita, & tuis studijs procurata, nec non dictorum Flandrensium responsiones in Tornacensi & Morinensi alijsque ciuitatibus, terris, & locis circumuicinis, de quibus tibi expedire videbitur, per tuas patentes literas procures publicari solemniter, & de publicatione huiusmodi confici publica instrumenta: ac deinde ad nos & sedem eandem studeas remeare. *Dat. Auin. XII. kal. nouembris anno 1.* Ex his refellas Meyerum a qui ex nimio in suos innato studio, Flandros vt nullis censuris irretitos excusat. Sane inane perfidiæ erat inuolucrum, obtendisse non violatam fidem, cum Eduardus regio Francorum nomine & insignibus vteretur: nullo enim modo colorari eorum perduellionem posse alijs literis ad Beltraminum nuntium datis Pontifex grauissime differit b.

a Meyer. refell. ad Meyr. Ann.

b Ann. ep. cu. Belgæ rebell. nullis cis cu fata.

Ad notionem, inquit, *iam dudum deuenit publicam, & adeo exiſtit notorium, quod nulla poteſt tergiuerſatione celari, eoſdem Flammingos ſæpius contra conuentiones & pacta veniſſe huiuſmodi; eaque, rebellando contra chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum nunc Regem Franciæ illuſtrem, ſeque ab eius obedientia & deuotione debitis ſubtrahendo, aliaque delinquendo multipliciter contra tenores conuentionum & pactorum huiuſmodi erga eum violaſſe; ac propterea ipſos Flammingos, eiſdem excommunicationis, ac vniuerſitates & communitates eorum, loca, & villas patriæ Flandriæ, interdicti ſententijs promulgatis, vt præfertur, ſubiacere dubium non extitit hactenus, nec exiſtit, &c.* Adiungit, nonnullis interiectis, imperia vt ſi ad Philippi Regis obſequium redire detrectant, pronuntiet anathemate deuinctos, ac Flandriam eccleſiaſtico interdicto percellat. Molliri non potuit Flandrorum ferocia: ipſos enim poſt hæc tempora ſenſiſſe cum Eduardo Anglorum Rege viſuri ſumus, atque arma in Gallos mouiſſe.

15 Cæterum eorum bellorum occaſione labefactata admodum eſt in Gallijs, ac multo magis in Anglia libertas eccleſiaſtica: ad quam in priſtinum ſtatum reſtituendam Benedictus Petrum tit. S. Praxedis & Bertrandum S. Mariæ in Aquiro diaconum Cardinales incumbere iuſſerat c, recenſitis omnibus iniurijs, quæ ordini eccleſiaſtico ab adminiſtris regijs inferebantur: cumque ob bellicos fragores nondum his malis idonea eſſent admota remedia, Clemens iterum Petro Peneſtrino & Anibaldo Tuſculano epiſcopis Cardinalibus partes impoſuit d, vt ea abolenda curarent, & magiſtratus Anglicos, qui atrociter ordinem ſacerdotalem opprimebant, cenſuris eccleſiaſticis percellerent.

Liberta eccleſ. beſtat in Ang.

c Bene an. 3. ep. cu.

d An. 1 ep. cu.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus Petro Peneſtrino S. R. E. Vicecancellario, & Anibaldo Tuſculano epiſcopis, Apoſtolicæ ſedis nuntijs.

Cum vos ad dictum Angliæ regnum pro magnis & arduis negotijs deſtinemus, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfato Regi [nimirum Eduardo] diligenter expoſito, quod ſingularis ad perſonam ſuam nos vrget affectio, ſpecialis afficit charitas, vt in præca-

cauendo ſibi non ſolum a noxijs, ſed etiam ab ijs, quæ ſaluti ſuæ derogant, & excellentiæ regalis honori non congruunt, nil perſuaſiſſe ſufficiat, ſed perſuaſis ſemper æſtimemus addendum; ſibique per ſalubris ſuggeſtionem conſilij ſolertius oſtendentes, quod quanto inclytum genus ſuum ab olim plenius fouit, & exaltauit eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, manutenere ac illibatam ſeruare ſtuduit eccleſiaſticam libertatem, tanto amplius in ipſo notatur, ſi eccleſias vel eccleſiaſticas perſonas opprimi, aut contra libertatem eccleſiaſticam violari permittit; quodque per hoc non leue pondus adijcitur præeminentiæ ſtatus ſui, cum exceſſus in ſublimioribus tanto damnabilior habeatur, quanto facilius, quantoque periculoſius deriuatur in alios per exemplum: & ideo minus ab eccleſia debet, minuſque poteſt, vrgente conſcientia tolerari; eundem Regem, quod officiales, miniſtros, familiares, ac nobiles, & gentes prædictos, a præmiſſis, per quæ Dominus offenditur vltionum, ſuæ ſaluti detrahitur, honoris gloria maculatur, grauis nobis, & dictæ ſedi paratur offenſa, pro diuina, & ipſius ſedis ac noſtra reuerentia ceſſare faciat, & penitus abſtinere, ac in ſtatum debitum reuocet; quodque contra integritatem libertatis eiuſdem in dictis regno, ac terris dignoſcitur attentatum ſolerter inducere, & efficaciter exhortari cum prouida perſuaſionis inſtantia ſtudeatis; eoſdem miniſtros, officiales, familiares, nobiles, ſubditos, ac gentes ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuras & alias pœnas & ſententias, de quibus expedire videritis (ſuper quibus, plenam vobis & vnicuique veſtrum & liberam poteſtatem præſentium tenore concedimus) per vos, vel alium, ſeu alios, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. *Dat. Auin. 11. kal. iunij anno* 1.

Data ab eodem monita Eduardo.

Hactenus de pontificio ſtudio pro reſtituenda Galliæ, Belgio, & Angliæ priſtina pace, tuendoque iure eccleſiaſtico. Nunc de illius apoſtolicis curis in ſedandis Italicis bellis, retundendis Ludouici Bauari conatibus, & comparanda pro Turcarum reprimendis excurſionibus expeditione dicamus.

Italia factionibus lacerata.

16 Laniabatur continuis factionibus ac bellis inter cæteras Italiæ prouincias Inſubria magnatum, qui nouos condiderant principatus, eorumque fines latius proferre annitebantur, ambitione atque interregni diuturnitate, cum nullius iuſti Regis metu ac potentia poſſent comprimi. Acceptos ij agnoſcebant beneficio ſedis Apoſtolicæ dignitatum titulos ad conſtabiliendas res ſuas, vel etiam pontificijs partibus contra Bauarum adhærebant. Ad eos itaque conciliandos facilius, alendamque pacem Clemens Cardinalem legatum miſit, de quo eiuſdē Clementis vitæ ſcriptor hæc hiſtoriæ mandauit a: *Dictus Papa, audiens guerras, diſſenſiones, & turbationes, quæ erant & vigebant quaſi communiter in partibus Italiæ, ex quarum occaſione ſubuerſio earum veriſimiliter poterat euenire; & etiam ex alijs rationabilibus cauſis, ad hoc animum ſuum mouentibus, per idem tempus miſit legatum ſuum de latere ad partes memoratas dominum Guillelmum Curte tit. ſanctorum quatuor Coronatorum presbyterum Cardinalem, qui aliquandiu ibidem permanſit.*

Guillelmus Card in eam legatus.

a *Clem. vita apud Baſq.*

Permouerant plures grauiſſimæ cauſæ Clementem, vt ſumma ſtudia ad bella Inſubriæ ſopienda conuerteret: eorum enim occaſione improbitati fræna impune nefarij quique laxabant, religionis obſoleſcebat ſplendor, afflabatur a multis hæreſeon virus. Præterea optabat Pontifex Italicos enſes, rubentes hactenus Chriſtiano ſanguine, in Turcas vertere: cum enim barbari in Thraciam, Achaiam, Peloponeſum, Ægæiq; maris inſulas excurſiones immanes facerent, ad horum coercendum furorem nullis viribus, quam Italicis cum Rhodijs Cyprijſque coniungendis opportunius vti poterat. Impendebat etiam Italiæ ingentis alterius belli terror e Germania: quippe Ludouicus Bauarus contubernij Margaritę comitiſſæ cum Ludouico iuniore ſpecie Tirolis comitatum inuaſerat a, atque ex alpium iugis ad totius Italiæ depopulationem cum Germanicis copijs decurrere iterum minitabatur, iungendaque erant principum arma ad illius conatus comprimendos, ne forte nouum iterum conflaret ſchiſma: decretæ enim huius legationis Guillelmi Cardinalis cauſæ hæ omnes expreſſæ in diplomate apoſtolico b, iniunctaque prouincia, vt in Inſubria, Liguria, Aquileienſi & Gradenſi patriarchatibus, Dalmatia, & Creta inſula, quæ ad tuendum religionis ſplendorem conducerent ſanciret, hæreſeon ſemina præfocaret, principes ac populos diſſentientes conciliaret, firmiſſimo fœdere ad repellendum Italia Bauarum copularet, atque vna cum Venetis, & alijs de conferendis contra Turcas auxilijs, ornandaque ſacra expeditione pro defendenda Europa agitaret.

Decretæ eius legationis cauſæ.

a *Cerruſ. hiſt. l. 8. c. 7.*

b *Aug. 1. p. 6 ep. cur. 1.*

Clemens, &c. dilecto filio Guillelmo tit. ſanctorum quatuor Coronatorum presbytero Cardinali A. S. L.

17 Licet nos, qui quanquam immeriti, vicibus huiuſmodi [Dei nimirum] fungimur, pro vniuerſo populo Chriſtiano, cuius curam gerimus, pacis & ſtatus proſperi cogitationes aſſidue meditati, & ad hoc, prout Altiſſimus nobis de ſua pietate conceſſerit, manus operatrices apponere teneamur; tamen dum ſtatus partium Lombardiæ, quas inueterata diſſenſio longis, proh dolor! retro continuatis temporibus plurimum laceſſiuit, & quas guerrarum turbines expoſuerunt animarum periculis, & perſonarum ac rerum diſpendijs infinitis; quodque propter hæc neglectus cultus dominicus eccleſiarum, & locorum eccleſiaſticorum iura violenta direptione in prædam poſita, libertas eccleſiaſtica conculcata fuerunt, & (quod deflendum eſt potius & dolendum) pullularunt ſchiſmata, & inſurrexerunt hæreſes contra catholicæ fidei puritatem; & quod, quamuis ſtatus huiuſmodi fuerit in nonnullis locis dictarum partium aliqualiter tranquillatus, nihilominus tamen inter multos magnates & nobiles, vniuerſitates ciuitatum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum partium earundem ſolitæ diſſenſionis fomes, & rancoris ſeminaria remanſerunt; ex quibus naſcuntur præmiſſa, & alia non facile numeranda pericula animarum & corporum, facultatum lapſus, & multa diſpendia prouenire noſtris præſentatur obtutibus; dumque commemoramus amare, quod gentes barbaræ nationis, videlicet infideles Turci hoſtes catholicæ fidei, & totius populi Chriſtiani, ex præmiſſa & alia diſcordia, quam incentor malorum omnium pacis æmulus inter fideles partium diuerſarum ab olim, peccatis exigentibus, ſeminauit, ſumentes audaciam, & fines eorum nationis egreſſi terraſque Chriſtianorum, præſertim partium Romaniæ ſicut, proh dolor! euidentia facti notoriat ingreſſi, ac partes illas Chriſtianorum, eis ſubiugare, collectis in vnum viribus ſatagentes, in eos inſæuierunt atrociter, ac non parcentes ſexui nec ætati, multos Chriſtianos, ſe-

Reſtituenda dignitas eccleſiaſtica.

Vertenda in Turcas arma Italica.

ferino more posuerunt in ore gladij, & infinitos secum duxere captiuos, ac in seruitutem perpetuam redegerunt, ipsasque partes alias vastarunt, & quasi totaliter destruxerunt, ipsas occupare ac eorum ditioni subijcere moliendo; dum tamen in mentem reuoluimus obstinatas nequitias, & rebellionem proteruam Ludouici de Bauaria hostis Dei & ecclesiæ manifesti, ac de hæresi condemnati, & quod ipse sub prætextu contubernij de filio suo cum comitissa Tirolis, contra Deum & bonum publicum suarumque animarum periculum per sui facti potentiam publice attentati, comitatum Tirolis, dictis partibus Lombardiæ contiguum seu vicinum, sua temeritate damnabili occupauit, vt per illum sibi ad partes Lombardiæ prædictas, quas sicut multi fidedigni referunt, se velle intrare asserit, liberior pateat transitus & accessus, & partes prædictas, sub nostra & sanctæ Romanæ ecclesiæ obedientia & deuotione manentes, in suum deuium trahere, & ab eisdem deuotione & obedientia reuocare, statumque turbare grauius partium earundem; anxiamur immense, cogitationibus profundis immergimur, ac zelus noster & ignis charitatis paternæ in nostris meditationibus exardescit pro dictarum partium Lombardiæ, quas plenitudine dilectionis paternæ prosequimur, statu dirigendo salubriter, & pace, concordia, & vnione in eis perfecte actore Domino reformandis, vt incolæ partium earundem effecti vnanimes & concordes, & bono pacis, quod omnia alia bona superat, in Domino exultantes, tam contra ipsius Ludouici obstinatam proteruiam, & rebellionem proteruam, quam contra dictos infideles Turcos in Christianos sic insæuientes atrociter, & Christianum populum prauis eorum conatibus persequentes, insurgant zelo fidei, & deuotionis feruore viriliter, & potenter. [Et nonnullis interiectis quibus se excusat ob transalpinarum rerum molem grauissimam Italiam nondum repetere posse, coactumque ob id vices in legatum, quem magnis ornat elogijs, transfundere, subijcit].

Obsistendum Bauaricæ irruptioni.

In quibus prouincijs demanda ta legatio

Te ad partes illas [videlicet Aquileiensem, & Gradensem patriarchatus] nec non Mediolanensem, Ianuensem, Iadrensem, Spalatensem, Ragusinensem, Cretensem, & Antibarensem prouincias; ac Papiensem, Ferrariensem, Placentinam, Parmensem, Mutinensem, & Reginensem ciuitates, et diœceses, tibi in eisdem patriarchatibus, prouincijs, ciuitatibus, et diœcesibus vices nostras, ac plenæ legationis officium committendo, vt in eis euellas et destruas et dissipes et disperdas, ædifices et plantes, ac statuas salubriter in nomine Domini, prout gratiæ cœlestis infusio tibi, et tua etiam prouidentia ministrabit, de dictorum fratrum nostrorum consilio destinamus; tibi vt in patriarchatibus, prouincijs, ciuitatibus, et diœcesibus prælibatis, inter ecclesiasticas mundanasue personas, duces, principes, marchiones, barones, et nobiles, communitates, vniuersitates, ac populos et alios vniuersos et singulos discordes bonum pacis studeas reformare, ac concordes in fraternæ dilectionis glutino confirmare; ac agere nihilominus et tractare quæcumq; ad cultum Dei, exaltationem catholicæ fidei, Apostolicæ sedis honorem, obseruantiam ecclesiasticæ sanctionis, et redintegrationem ecclesiasticæ libertatis, honestatis ac morum cultum, releuationem ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum et pauperum, animarum salutem, tranquillitatem corporum, ac robur status prosperi patriarchatuum, prouinciarum, ac ciuitatum et diœcesium prædictorum quomodolibet pertinebunt, conuocando ad tuam præsentiam Venetos et alios quoscumque, de quibus pro vtilitate dicti negotij expedire videris, ac cum eis tam de armata, quam de alijs opportunis remedijs contra ipsos Turcos adhibendis tractando, et ordinando quibus vijs et modis, dictum negotium, quod nos etiam realibus subsidijs ac indulgentijs et remissionibus iuuare intendimus contra dictos Turcos, possit actore Domino prosperari, & subueniri fidelibus dictarum Romaniæ, ac vicinarum partium in tanto discrimine constitutis, & quæ subsidia a dictis Venetis & alijs in huiusmodi prosecutione negotij offeruntur, nobis rescribendo particulariter, & distincte quidquid tractandum & ordinandum duxeris in præmissis: & nihilominus vniuersos & singulos partium præmissarum ex parte nostra salubribus persuasionibus inducas pariter & horteris, ipsosque vnias, confœderes, & coniungas, vt eidem Ludouico, qui sanctam Romanam ecclesiam, & eius honorem ex indurata sibi pertinacia offendere, ipsosque afficere nititur iniurijs, schismatibus, & sciissuris, ac statum ipsorum, & aliorum fidelium partium Italiæ perturbare, fideles ipsos subuertere, ac eos in profundum, in quo ipse demersus est, demergere malorum, ne partes Lombardiæ prædictas ingredi, aut aliquid contra honorem eiusdem Romanæ ecclesiæ atque nostrum in partibus illis quoquo modo attentare valeat, resistant & obuient remedijs opportunis; ac ad hoc se præparent totis viribus, & accingant, eorumque fidelitatis effectum deuotionis ostendant, prout tranquillitati & paci eorum, ac honori eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ nouerint expedire, aliaque circa ista tractes, ordines, & disponas, sicut temporis, & negotiorum ipsorum qualitas, eorumque circumstantię suadebunt, &c. *Dat. Auin. x iiii. kal. augusti anno* 1.

Coetus cum Venetis fit ris pars impo

Coniuratio gendi ho lorum a ma con tra Bau rum.

18 Instructus est auctoritate Guillelmus Cardinalis legatus, vt censuras rebellibus incuteret [a], religiososque viros ac præsules [b] sibi aduersantes, solutis contrarijs priuilegijs, coerceret. Tum Aquileiensis & Gradensis patriarchæ, Mediolanensis, Genuensis, Iadertinus, Spalathensis, Ragusinus, Cretensis, Antibarensis archiepiscopi, cæterique prouinciæ præsules [c] ac principes [d] ad explicandam pro sanciendo cum Venetis & alijs populis sacro in Turcas fœdere, arcendumque Ludouicum Bauarum, qui subactu. rum se Italiam gloriabatur, legato opem excitati. Denique collata [e] legato, vt sacra consilia promoueret, potestas apostolica ad iniustas coitiones rescindendas, dissoluenda contraria sacramenta, inducias inter dissentientes, cum necessitas poscceret, indicendas [f]. Perfunctus est strenue demandato sibi munere Guillelmus Cardinalis: neque enim, Italis principibus mutuo fœdere coniunctis, Ludouicus Bauarus Italiam ausus est ingredi, suam factionem potius cõfirmare in Germania coactus, quam nouam discriminum tempestatem adire: quin etiam fœderatæ Germanorum copiæ, quæ Æmiliam depascebant, Italia exactæ fuerunt, vt refert Cortusiorum historia [g]: promota pariter expeditionis in Turcas consilia, de quibus secuturis annis fusius agetur. Desedatis demum induciarum beneficio Italicis discordijs a Guillelmo, Clementis vitæ scriptor meminit [h] his verbis: *In multis compleuit sibi commissa: & quod ad dissensiones & guerras*

[a] Ead. ep. [b] Ib. ep. cur. 4. Præsules ad rem promouendam solicitari. [c] Ib. ep. [d] Ep. 3. [e] Ib. ep. 4. [f] Ead. ep. Deterrito abingressu Italiæ Bauarus. [g] Cortus. hist. l. 8. c. 10. [h] Clem. vit. script. apud Bos.

ras prædictas, ipsas per bonas treuguas sedauit.

19 His consentiunt, quæ de gestis a Guillelmo Cardinale tit. SS. quatuor Coronatorum A.S.L. narrat Clemens in literis quarto pontificatus sui anno datis. a

Clemens, &c. Qui Cardinalis tandem comperto ibidem inter alia, quod ex discordijs, quæ inter venerabilem fratrem nostrum Ioannē archiepisc. Mediolanensem & dilectos filios nobiles viros Ioannem & Luchinum de Vicecomitibus fratres in ciuitate Mediolanensi nostros & ecclesiæ Romanæ vicarios generales, ac Nicolaum de Ebulo comitem Triuenti pro charissima in Christo filia nostra Ioanna Regina Siciliæ illustri in partibus Lombardiæ & Pedemontium tunc senescallum & capitaneum generalem; ac Iacobum de Sabaudia principem Achaiæ, & Ioannem Montisferrati, & Thomam & alios Salutiarum marchiones; & dominos de Beccharia, ac populū & vniuersitatem ciuitatis Papiensis & eius districtus; nec non de Colmorino, de Ponzano, de Carreto, de Inciſia & de Ceua marchiones, ac S. Martini de Valperga & de Mazuro comites; nec non & de Castromonte, de Biſchis, de Barrio, de Riuulba, de Biandisio, & de Bonecito, ac Franciscum de Calamendrana, de Viſchisa, de Cothonaco dominos; ac omnes & singulos Astenses, Taurinenses, Alexandriæ, ac de Calus forinsecos & extrinsecos, cum omnibus & singulis eorundem prænominatorum & cuiuslibet ipsorum ciuitatibus, castris, villis, districtibus, & locis, ac vniuersitatibus & communitatibus eorundem, vassallisque, valitoribus, & subditis, sequacibus, & districtualibus eorundem, & cuiuslibet ipsorum, cæterisque forinsecis, extrinsecis, & intrinsecis ciuitatum, castrorum, villarum, districtuum, & locorum ipsorum hinc inde longo nutritis tempore, permittente Deo, & instigante diabolo satore discordiæ, pacis æmulo, Christianique nominis inimico, infinita scandala, depræ dationes, incendia, rapinæ, strages hominum, & animarum perditiones, nec non depopulationes ecclesiarum, locorum, & personarum ecclesiasticarum, hinc inde (ex quibus multi vtriusque sexus facultatibus suorum bonorum exuti, cogebantur in terris non suis miserabiliter mendicare, ad illicita se laxantes) in grandem diminutionem cultus diuini, & notabilem dissipationem earundem partium fuerant, proh dolor! subsecuta, & nisi illis occurreretur celeriter, sequi timebantur de propinquo peiora; & attento per eundem Cardinalem, quod tam ex potestate sibi per dictas literas attributa, quam ex debito legationis officij sibi impositi sua intererat de illo remedio prouidere, per quod status dictarum partium, & omnium in eis habitantium personarum subtraheretur a noxijs, & ad salubria dirigeretur; ad occurrendum illi morbo tam graui tamque pestifero, & ad infundendum vinum & oleum vulneribus totius patriæ tam lethaliter sauciatæ; nec nō ad obuiandum furori obstinatæ malitiæ infidelium omnium, & maxime Turcorum, ac damnati Bauari & aliorum hæreticorum & rebellium sanctæ matris ecclesiæ, qui contra ipsam insurrexerant, & fidei catholicæ aduersabantur, suæ considerationis intuitum dirigendo; ac viam, quæ amplius pacis & concordiæ repræsentat imaginem eligendo, treuguas firmas & validas, *& infra*, apostolica & suæ legationis, qua fungebatur auctoritate sub certis spiritualibus & temporalibus pœnis indixit vsque ad continuos tres annos, tunc sequentes, a vigesima prima die mensis maij pontificatus nostri anni 11. in antea computandos inclusiue, & vltra per vnum mensem continuum de contramandamento intelligendum secundum consuetudinem partium prædictarum continue duraturas, prout in quibusdam patentibus literis exinde confectis, ac eiusdem Cardinalis sigillo munitis plenius continetur, &c.] Ex vero inter Insubriæ principes induciæ Clementis iussu extractæ fuerunt: tum in alio eiusdem pontificis decreto a, suo loco adducendo, refertur memoratum legatum lapso ante bimestri, nempe sexta februarij die pontificatus anno primo, aliud bellum atrox, quod Ioannem & Luchinum Mediolanenses principes, eorumq; socios Ludouicum Mantuanum & Simonem Corrigianum inter, atque Albertum & Mastinum Scaligeros exarserat, Insubriamque stragibus & hostilibus grassationibus fœdauerat, imperatis armorum inducijs triennalibus, quæ a factionum aduersarum proceribus, ac Mediolanensibus, Mantuanis, Rhegiensibus, Parmensibus, Veronensibus, ac Vicentinis admissæ firmatæque sacramento fuerunt, sedasse. Occurret inferius crebra de inducijs ab eo promulgatis instaurandisque inter principes Italos mentio, dum nouæ discordiarum causæ, ac præcipue rapinarum studium, & cœca ambitio ipsos ad eas violandas impulerunt. Interea addendum, adhibita etiam apostolica studia pro conciliandis alijs Italiæ populis, qui mutuis dissensionibus se collidebant: atque in primis Romanos encyclicis literis, quibus de suscepto pontificatu fecit certiores, ad mutuam concordiam, ponendaque odia ac dissidia est adhortatus b.

20 Flagitabant continentibus votis Romani, vt sedes Apostolica Vrbi restitueretur, cum absentia Pontificum in extremas calamitates adductos se agnoscerent: vtque antea crebris oratoribus solicitarant Clementem V. Ioannem XXII. Benedictum XII. ita nunc Clementem VI. vt Romam se conferret, rogarunt. Perfunctum ea legatione Nicolaum Laurentium ob insignem ipsius eloquentiam, refert eiusdem gestorum scriptor c, sed male exceptum: qui postea restitutus in gratiam a Cardinale Columna, ac senatus populique Romani scriba institutus, magnas seditiones Romæ cōmouit, vti dicetur. Declamasse illum referunt d magno eloquentiæ apparatu, Romam in eam calamitatum abyssum lapsam, vt ne quidem vbi iaceret posset inspicere: amisisse enim primum imperium, ac postremo pontificatum, quæ clarissima Vrbis orbisque erant lumina. Functus est vna cum alijs legatione Frāciscus Petrarcha, qui egregium carmen Clementi ad ipsum alliciendum in Vrbem porrexit, qua eleganter asseruata in ea sanctitatis monumenta describit. e

21 ---- *quanquam tibi protinus vni*
Omnia subiaceant: dominum licet vltima norint
Regna suum, Herculeis qua consignata columnis
Helle spontiaco tellus distinguitur æstu.
Hæc tamē est tua prima domus, tua maxima sedes
Quam sacri tenuere patres, quam corpore Petrus
Innocuo, parili quam Clemens nomine præsit:
Tu Clemens, qui Petrus eras hanc cernere sedem
Nonne voles, cupiesque caput contingere mundi?
Nonne pedis iuuat in solido vestigia saxo
Fixa salutiferi, faciemque agnoscere Christi?
Vel quæ fœmineo seruatur condita panno,
Vel populo quæ visa olim sub vertice templi
Emicuit, perstatque minax horrore verendo?

Quid

a An. 4. l. 3 ep cur. 17.

Posita a Vicecomitibus & Scaligeris arma.

Romani ad mutuā concordiam inciti.

b An. 1. l. 6 ep com. 16

Rogant Clem. vt in Vrbem veniat.

Nicolaus Laurentius & Petrarcha oratores missi.

c Nic. Laur vita auct. & M.S. bibl. Vat. signat. n. 110. Nicolai oratio.

d Id. ib.

e Petrar. l. 2. ep. pag. 91. Petrarchę poema.

Vrbis cōmendatio

Reliquiæ in ea conditæ.

Imperare a legato Card. incertæ.

Quid referam noſtræ cunabula parua ſalutis,
Et ſacros poſtes, vbi rerum Conditor ingens
Conticuit, ſomnos blande ſuadente Maria?
Lac quoque vel puero optatum, vel Virginis almæ
Læue puerperium, puraque ex carne reciſam
Particulam infanti, precioſaque fragmina veſtis,
Et cuſtoditos in ſecula noſtra capillos?
Quid digitũ Agnetis, & nũc quoq; fulgidus ornet
Annulus impoſuit cupida quem mente miniſter
Prorſus inardeſcens, ſacroque aſſenſerit illa
Coniugio, ac tali placarit fœdere flammas?
Sacræ antiquitatis monumẽta. *Quid Petri trepidantis iter, Dominique monentis*
Occurſu poſuiſſe fugam, & redïſſe volentem
Compreſſo terrore ſenem, cunctiſque paratum
Exequar? Ipſe oculis ſpectacula pulchra videbis,
Extat opus, lateriſq; tremit domus arcta caduci,
Et teſtis pictura rei, cui maxima quamuis
Cauſa nocet, celerans impendet ſæpe viator.
Nec ſe vita quidem, ſed viuos cernere vultus,
Colloquiumque audire putans, & territus hæret.
Triſtis imago Dei Romana palatia verſus:
Tendit enim contra ille humilis, ſimiliſq; precanti,
Flectitur, & pauido gradientem ſuſcipit ore.
Si mortis ſecura igitur veſtigia flexit
Ille retro, nec pertimuit tormenta, crucemque
Mere petens: tu quid dubitas, cui dulcia mecum
Omnia, cui placidæ patet auguſtiſſima vitæ
Conditio, & ſummi tranquillum culmen honoris?
Quid capita heroum memorem, clāramq; Ioannis
Ore cicatricem rigido, duramque Leuitæ
Craticulam, & gemino fœcundum martyre buſtũ.
Collegæ ceſſiſſe locum, quo maximus boſpes
Traditur, immotis vbi nunc amplexibus ambo
Calliſti cœmeterium. *Felices ſine fine iacent? Quis cuncta Caliſti*
Funera dinumeret, cumulis ſurgentia miris?
Oſſeus eſt paries, illic vbi terra cruentis
Imbribus & ſacra diſtillant tabe cauerna:
Quisue Vaticano latitantia corpora clauſtro
Expediat? Quæ, ſumme parens, agnoſcere coram,
Quid niſi cæleſtis fuerit regionis imago?
Condita quin etiam ſupremo mœnia monte
Aeſtiuæ niuis indicio, delubraque partu
Obruta virgineo: & fontes torrentis oliui,
Tres fontes S. Pauli. *Ac Tybridos cõmixta vadis noua flumina cernes,*
Quaſque dedit ſcatebras Pauli ſanctiſſima ceruix
Dulcis aquæ: quo Silueſter latitarit in antro:
Quæ Conſtantino ſpecies oblata deorum
In ſomnis, niueo quas idem marmore cruſtas
Liquerit, infamem monſtrato gurgite morbum
Propellens, vt cœpta Deolis teſte quierit.
Quod magus infando macularit corpore ſaxum,
Fluxerit offenſo? Quisnam de Numine ſanguis,
Quiſque ſacer tellure cruor, quis vindice cælo
Sanctorum capitum per maxima mœnia fures
Nexibus implicuit, foribuſq; auertit apertis,
Ac trepidos meritã ad mortem circumtulit error?
Monumẽta veteris teſtamẽti. *Non ego nunc Arou virgam, nec fœderis arcam,*
Nec teſtamenti veteris mea pignora quot ſint,
Quotq; noui monimenta ſequar, prius aſtra ſerenæ
Noctis, & oceani numero ſtringentur arenæ, &c.

Clementis, ne in Vrbem venire excuſatio. *a An. 1. l. 6 ep. cur. 1.*

22 Obtendebat Clemens a reuerti ſe in Italiam non poſſe, cum ad atrociſſima Anglorum & Francorum bella componenda, & Hiſpaniarum pericula auertenda in Tranſalpinis oris diſtineretur: vtque aliquo Romanos leuaret ſolatio, iubileum anni centeſimi ad quinquageſimum redegit, de quo ſequenti anno agemus.

Ad cõtinendas vero in officio ditionis eccleſiaſticæ prouincias, quæ crebris diſſenſionibus fluctuabant (hoc ipſo anno Anconitanos plebeios, ſeditione mota, nobiles iuros in exilium pepuliſſe, refert Ioannes Villanus 2) Aymericum tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinalem legatum creauit b. Cui præterea in Etruria, Sardinia, & Corſica idem munus demandauit. Suberant autem aliæ illius mittendi cauſæ, quę in diplomate de commiſſo illi legationis munere continentur, atque eædem ex parte ſunt, quas in ſuperioribus ad Guillelmum Cardinalem legatum literis expreſſas vidimus: impendebat nimirum Bauaricæ irruptionis terror, cum obtento Tirolis comitatu Ludouicus belli facem iecturum Italiæ minitaretur, copulandique mutuo fœdere ad eum propulſandum erant populi. Pullulabant etiam hæreſes, ac religio in multis locis deflorerat, quæ ad priſtinum ſplendorem erat reuocanda.

Ardebat præcipue Etruria inteſtinis bellis, Piſanis inter ſe & Florentinis digladiantibus, quæ Ioannes Villanus c, Leonardus Aretinus d, atque ex eo S. Antoninus e accuratius deſcribunt. Luca bellorum præmium longa deuicta obſidione Piſanis ſexta iulij die deditionem fecit f: Florentini, qui inanes illius obtinendæ ſpes magno prẽtio a Maſtino Scaligero emerant, ob rem male geſtam conſternati reipublicæ præfecere g Gualterum Brennenſem Gallici generis ducem Athenarum, qui breui vocata concione, collectaque ob nonnullorum nobilium, qui in publicam rem erant graſſati, populari gratia ducem Florentiæ ad vitam renuntiari multis artibus obtinuit h. Coorta eſt etiam eodem tempore Aretij ſeditio i irruentibus in Guelfos Gibellinis, vrbemque ſibi ſubijcere molientibus: ſed eorum vis vi repulſa, & coniurati exilio mulctati. Laborabat eiuſdem factionis peſte reliqua prouincia: ad quam pacandam, redintegrandamque concordiam Clemens Aymericum Cardinalem paciferi munere ac dignitate exornauit l, quem etiam auctoritate muniuit m, vt coitiones publicæ paci aduerſantes diſſolueret, induciaſque imperaret: tum ad reſtituendum religionis ſplendorem, quem nonnulli obſcurabant hæretici, vt edictis Friderici II. in eos ageret n, pœnarumque incuſſarum ſeueritatem diſtringeret. Attributa etiam ſunt eidem legato o quadraginta aureorum in dies ſingulos ſtipendia, ac præſules ad comparandos corporis ſtipatores, quoties itinera periculis plena eſſent, iuſſi incumbere. Denique ad conciliandam maiorem legato gratiam auctoritatemque permiſit ipſi p, vt ſacerdotia, quæ in prouincia vacarent, certis legibus conferret.

Ire præterea in regnum Neapolitanum iuſſus eſt Aymericus q Cardinalis, vt Robertum Regem fidei ſacramento adigeret: ſed prius quam in Neapolitanum regnum accederet, Robertum vita functum viſuri ſumus.

23 Annitebatur Robertus diuulſas regni partes redintegrare, fauiſſeq; ipſi Petri Trinacrij mors, quæ ex labore caſtrenſi ad Mylas ſuſcepto accelerata ſexto idus auguſti obtigerat r, videbatur. Secuti enim mox grauiores tumultus, ac Palicij, apud Trinacrios opibus & auctoritate florentiſſimi Meſſanam ad Roberti Regis, de cuius iuribus certiſſime conſtabat, obſequium occupata arce S. Saluatoris, reuocarunt ſ: ſed dum tardius excita Mylis auxilia veniunt, Guillelmus Ludouici patruus, quadringentis equitibus ſuccinctus, Meſſanam ingreſſus arcem, depulſis Palicijs, recuperauit.

Inſigne pietatis ſpecimen t, a Roberto Rege ac Sancia Regina editum, prætermittere ſilentio

non

non possumus, cum amplissimis laudibus a Pontifice efferatur. Ægerrime ij ferebant, redacta in seruitutem Syria, Saracenorum loca sanctissima, religionis nostræ mysterijs consecrata, iusta veneratione destitui: atque adeo ad restituendum in illis diuinum cultum magnis sumptibus a soldano sepulchrum Domini, ac nonnulla alia sacra loca obtinuere, vt in ijs viri religiosi diuinam rem instaurarent: præterea Regina in monte Sion monasterium pro duodecim Minoritis condidit. De quibus certior factus Clemens, ad supremum Franciscanæ familiæ præfectum hæc scripsit a: *Gratias agimus gratiarum omnium Largitori, eique dignas laudes exoluimus, quod ipse charissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Regis & Sanciæ Reginæ Siciliæ illustrium erga redemptoris domini nostri Iesu Christi obsequia zelum deuotionis & fidei sic feruenter accendit, quod ipsi quæ ad Dei laudem & gloriam, ac sacratissimi sepulchri dominici & aliorum locorum vltramarinorum reuerentiam & honorem redundant, non cessant indefessis studijs operari. Nuper siquidem eorundem Regis & Reginæ grata insinuatio nostro apostolatui patefecit, quod ipsi non sine magnis sumptibus & laboribus grauibus a soldano Babyloniæ, qui sepulchrum Domini & alia sacra loca vltramarina, proprio ipsius Redemptoris sanguine dedicata, non sine cunctorum Christianorum graui opprobrio detinet occupata, obtinuerunt quod fratres vestri ordinis infra ecclesiam dicti sepulchri possint continue commorari, & ibidem missarum solemnia & alia diuina officia solemniter celebrare, & iam certi fratres dicti ordinis sunt ibidem: & quod nihilominus idem soldanus cœnaculum Domini & capellam, in qua Apostolis Spiritus sanctus apparuit, & aliam capellam, in qua Christus, B. Thoma præsente, post resurrectionem suam Apostolis se ostendit, Regi & Reginæ concessit eisdem: quodque ipsa Regina locum ædificauit in monte Sion, infra quem cœnaculum & dictæ capellæ sita fore noscuntur, pro dictis fratribus iam est diu, vbi duodecim fratres dicti ordinis sumptibus proprijs continue tenere intendit ad diuinum obsequium in sepulchro, & alijs prædictis locis sacratissimis impendendum; ac tres personas seculares etiam, quæ ipsis fratribus seruiant, & necessaria administrent, &c.*] Dat imperia, vt viros pietate conspicuos eo mittat. *Dat. Auin. pridie kal. decembris anno* 1. Flagitanti porro Reginæ Sanciæ, vt sibi designandorum trium illorum famulorum, qui Minoritarum obsequijs operam nauaturi erant, facultatem tribueret, assensit b: magnæ quippe felicitati dabatur in ijs sacris locis pietati vacare.

a Ib. ep. 1839.

Sacra Ierosolym. loca restituta Christianis.

b Super ep. 1516.

24 Vt desolatis Syriæ ecclesijs consuleret Clemens, Geraldum c Antiochiæ, Eliam d Ierosolymorum patriarchas creauit. Præfuerat antea Elias Nicosiensi ecclesiæ, cuius administrationem ipsi permisit e; de quo ad clerum Nicosiensem & Hugonem Regem Cypri extant datę commendatitiæ literæ f: quem ob spectatas virtutes purpuratorum patrum senatui aggregatum videbimus inferius. Cõuersę porro adeo in Syria Christianæ res erant, vt cũ olim fideles ex vniuerso orbe in eam confluere ac latius proferre religionem viderimus, nunc infideles occidentẽ adorirentur.

Elias patriarcha Ierosol.

c An. t. l. 6 ep. com. 139.

d Eod. an. l. 3. ep. com 21.

e Ib. ep. 20.

f Reg. post eand. ep.

Petebatur præcipue Africano bello Hispania, atque Marrocius Rex Granatensium fœderatus ingentem classem ad Septam instruebat. Sed Numen diuinum suis non defuit; partæ enim sunt plures de hoste maritimæ victoriæ: duodecim barbarorum triremes in Bullonio portu a decem Castellanis oppressæ, antequam alijs octoginta tribus, quæ ad Septam erant, se possent coniungere: deinde vniuersa classis Maurorum ad Guadamecili fluminis ostium victa: triremes viginti quinque qua captæ qua mersæ: Marrochitanus & Granatensis præfecti interfecti. Alfonsi Regis Castellæ consilium erat terra marique vno impetu Mauros adoriri: sed incertus casus rem discussit, cum nonnullæ naues, quæ in vado hæserant, ad certamen aduersas classes elicuissent. Non interfuisse illi prælio Aragoniam classem, refert Mariana: submissa autem postea a Petro Aragonio tredecim hostium triremes commeatu onustas intercepit. Retulisse etiam Genuenses gloriæ partem in atterendis maritimis Afrorum viribus, meminere historici a, & vndecim illorum triremes in nouem onerarias Regis Mauritaniæ, qui Hispanias terra marique diuexabat, incurrisse in loco, cui Bellenoce nomen inditum, ijsque profligatis, laude & præda onustas Genuam reuertisse.

Marrochitaniab Hispanis contusi.

Ligures Afros obterunt.

a Bizar. hist Gen. l. 6. & al.

25 Superatis mari Africanis & Granatensibus, Alfonsus Rex Castellæ 111. non. augusti Algeziram vrbem munitissimam obsidione cinxit b. Verum asperiores deinde res euasere: exhaustum erat ærarium ad tolerandos belli sumptus: stipendia a Pontifice & Rege Lusitano conquisita: Aegidius Toletanus archiepiscopus in Gallias missus a Philippo Rege quinquaginta aureorum millia obtinuit c. Adiutum etiam viginti aureorum millibus a Clemente Malabailæ Astensis opera, ostendunt Alfonsi literæ proximo anno datæ, quibus eam vim auri acceptam profitetur: *Pro euidentibus*, inquit, *necessitatibus prædicti domini Regis, & pro sustentatione guerræ, quam habet solito duriorem cum perfidis Benamarini & Granatæ Regibus; & specialiter pro prouisione & sustentatione obsessionis villæ de Algezira, quam diutius tenuit, & adhuc tenet obsessam.* Actum *in exercitu obsidionis villæ de Algezira* IV. *die mensis iulij anno* MCCCXLIII. Multum etiam momenti attulit enata inter Marrocium Regem & Abderramum filium dissensio, quæ ipsum, vt ad Septam se teneret, adegit. Obsessi interea Algezirani, Alfonsi Regis caput licitati pretio, subornatis sicarijs, insidias illius vitæ struxere: sed diuina prouidentia athletam suum texit. Cæterum tenuit plures annos hæc obsidio, de qua iterum inferius dicendum erit: multumque erexit barbarorum animos Petri Aragonij & Iacobi Balearis Regũ dissensio, qui cũ arma in Saracenos conuertere debuissent, illa in se mutuo strinxere, quamquam nullas partes prætermisit d Christi vicarius, vt ipsos inter sese conciliaret sub ipsis illius initijs. Leuior erat causa, querebatur e enim Aragonius cusam esse Iacobi auctoritate Perpiniani monetam contra conuenta, quibus Russinonis comitatus iure fiduciario traditus fuerat. Clemens itaque vt dissidentes Reges in concordiam adduceret, Armandum archiepiscopum Aquensem ad vtrumque misit f.

Algezira a Rege, Castellæ obsessa.

b Marian. l. 16. c. 10.

c Id. eod. c. 10.

Strucłæ illi insidiæ

Dissensio inter Balearem & Aragoniũ

d An. t. l. 6 ep cur 7. Sur. l. 7. c. 61.

e Clem. super ep. 7. Sur. l. 7. c. 60. Maria l. 16. c. 21.

Clemens, &c. Armando archiepiscopo Aquensi A. *S. N.*

Cum nuper ad audientiam nostram non sine turbatione peruenerit, quod inter charissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum & Iacobum Maioricarum Reges illustres, humani generis inimico superseminante zizaniam, grauis occasione cusionis & vsus certæ monetæ, quam sicut idem Rex Aragonum asserit, præfatus Rex Maioricarum contra conuentiones & pacta inter ipsos Reges habita in comitatu

Decreta ad eos cõciliandos legatio.

f An. t. l. 6. ep. cur. 7.

Ros-

Armand' Aquensis archiepiscopus perfunctus.

Rossilionis, & alijs terris suis fieri permittit, dissensionis materia est exorta; nos more pij patris, quem non prætereunt incommoda filiorum, ad huiusmodi sedandam discordiam, & turbatæ vnitatis fœdera reformanda vigilantibus studijs intendentes; ac de circumspectione tua gerentes fiduciam pleniorem, fraternitati tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ad dictorum Regum præsentiam te personaliter conferens, ipsos ad huiusmodi sedationem discordiæ, iuxta datam tibi a Deo prudentiam, opportunis monitis & efficacibus exhortationibus solerter inducas, vt auxiliante Domino, qui est pacis actor & humanæ salutis amator, tuaque cooperante solertia, dicta dissensio vlterius non procedat, sed totaliter extinguatur, ac prout proximitas sanguinis, quæ fore dignoscitur inter eos, expoſcit, vigeat inter ipsos fraterna dilectio, & sit identitas voluntatum; ac per eorum vnanimitatem, & concordiam ipsorum & subditorum suorum, status tranquillus, & pacificus de bono in melius augeatur, &c. *Dat. Auin. xiv. kal. iulij anno* 1.

Excitati sunt etiam vtriusque regni ecclesiastici, vt vna cum nuntio apostolico studia pro sedanda discordia coniungerent [a]: atque adeo strenue ab Armando desudatum est [b], vt concordiæ via muniri videretur, Iacobus Balearis iuri stare velle est professus, ac Petrus iudiciarium ordinem ad octauum diem augusti extraxit; cumque vniuersam controuersiam proximo colloquio sopitum iri speraretur, accesit ad Petrum Balearis, accepta liberi & tuti commeatus syngrapha. Verum inde atrox bellum enatum, vnde concordiæ spes arriserat: de structis colloquij specie insidijs suspicio fuit. Præcipua accusationis capita, quæ Petrus Rex in suis edictis Baleari obiecit, his verbis perstringit Mariana [c]: *Regis eum Aragonij imperium detrectare, neque vocatum ad comitia venire: insolenti forma & pondere monetam, quod nefas erat, Perpinianipercussam: in Aragonij Regis necem Barcinone, quo per fidem colloquij venerat, conspirasse: index Regina ipsa Constantia Balearis vxor de fratre solicita: demum cum Gallo, Italis principibus, ipso Marrocio Rege fecisse fœdus aduersus Aragonium. Hæc accusationis capita fuerunt siue vera, sine ficta, vt fama tulit, cui calamitosi Regis exitium fidem conciliauit, iniuria fuisse oppressum. Hæc fatalis dissidij initia, quæ Romanus Pontifex, Sanctia Regina Neapolitana vtriusque Regis propinqua, sopire conati, nihil profecerunt.*

[a] *Ib. ep. cur. 8.*
[b] *Sur. l. 7. c. 61.* Pactæ induciæ.

Maior coorta dissensio ex insidiarum suspicione

Imposita Baleari crimina.
[c] *Marian. l. 19. c. 12.*

26 Indoluit grauissime Clemens inopino euentu bellum inter cognatos Reges inflammatum, quo res Christiana admodum periclitabatur: Granatenses enim & Africani ad Hispanias inuadendas inde vires confirmaturi cumulaturique erant: vtque nascentem flammam restingueret, Andream tit. S. Susannæ presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis internuntium misit, & ad inducias promulgandas [d], rescindendas coitiones, ferenda censurarum obiecta religione imperia, ne quis ad Baleares insulas [e] vel Aragoniam [f] terra mariue inuadendam naues adornaret, vel operam ad id locaret, instruxit; cum inde Saraceni ad Christiana regna vastanda allicerentur. Similiter propositis imminentibus malis, Aragonum Regem a bello deterrere nisus est, vtque Andream Cardinalem honorifice exciperet, eiusque consilia admitteret, est adhortatus [g].

Card. S. Susannæ legatus missus.
[d] *An. 1. l. 6 ep. cur. 45.*
[e] *Ib. ep. 41*
[f] *Ep. 42.*
Pontificis pro conciliandis Regibus curæ.
[g] *Ep. 47. & 52.*

Petro Regi Aragonum illustri.

Fili bened ctionis & gratiæ, considerantes attentius quanta ex discordia, quam inter te & charissimum in Christo filium nostrum Iacobum Regem Maioricarum illustrem consanguineum & cognatum tuum pacis æmulus & zizaniæ seminator nouiter suscitauit, tibi ac ipsi vestrisque posteris imminere dispendia; quantaque hominum strages, facultatum lapsus, incendia, rapinæ, spolia, damna, incommoda plurima, oppressio iustitiæ, & ecclesiasticæ libertatis conculcatio, læsio rei publicæ, infiniti sumptus, & grauamina subditorum, nec non (quod amarius est deflendum) animarum infinita pericula possunt ex ipsa discordia, si (quod absit) inualescat vlterius, prouenire; ac diligentius attendentes, quam grandis ex vestra vnanimitate vtilitas sequeretur, intensis desideramus affectibus, vt radices zizaniarum inter vos extirpentur radicitus, fomes cuiuslibet odij extinguatur, & pacis integritas reformetur, vigeat fraternalis dilectio, & integra charitatis sinceritas præseruetur. Vt autem huiusmodi nostrum laudabile propositum, optatum & celerem, actore Domino, fortiatur effectum; & prædictis dissensionibus & scandalis, ne procedant vlterius & durius inualescant, salubriter obuietur, dilectum filium nostrum Andream tit. S. Susannæ presbyterum Cardinalem Apostolicæ sedis nuntium, virum vtique laudandæ virtutis scientia, & innata prudentia præditum, cultorem iustitiæ, sedulum amicum pacis, & concordiæ zelatorem, licet eius præsentia, nobis & ecclesiæ generali necessaria, nimium careamus inuiti, ad partes ipsas pro huiusmodi sedanda discordia, nec non pace & concordia inter te, & ipsum Maioricarum Regem, actore Domino, reformandis, prouidimus de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis Angelum destinandum.

Propositum bellicum mitare.

Ideoque serenitatem tuam requirimus, monemus, & hortamur attente, ipsam per Saluatoris nostri asperſionem pretiosi sanguinis obsecrantes, quatenus diligenter considerans prædicta & alia, non facile numeranda dispendia, quæ discordia ipsa pareret; nec non detrimentum, quod catholicæ fidei, eiusque cultoribus, & præsertim in frontaria blasphemorum Agarenorum partium Africæ constitutis & vicinis eisdem, ex dissensione huiusmodi prouenire; quantaque etiam audacia aggrediendi ipsos & terras eorum, & aduersus eos exercendi persecutiones hostiles atrocius solito præberetur; & prudenter commemorans tranquillitatem & infinita commoda, quæ tibi & tuis subditis ex sedatione huiusmodi discordiæ prouenirent, quantumque indecens est, nec minus periculosum, tam sublimes & tanta connunctas consanguinitate & affinitate personas, animarum contrarietate disiungi, seu adinuicem dissidere; animum tuum ad pacis solidæ vnitatem inter te & ipsum Regem Maioricarum, submotis impedimentis quibuslibet, actore Domino, reformandam sic habilites & coaptes, quod inter te & ipsum cuiuslibet odij & rancoris occasione sublata, concordia desiderata prouenire, communibus occurratur periculis, & communibus vtilitatibus consulatur: & nihilominus præfatum Cardinalem ob nostram & Apostolicæ sedis reuerentiam, & suorum excellentiam meritorum, immo nos in ipso potius, benigne recipiens, ac debita honorificentia prosequens & pertractans, eius in præmissis salubribus monitis, & paternis exhortationibus effe-

Saraceni inde insolescere.

Additæ preces pacem plectant.

effectualiter acquiescas; ac ea, quæ tibi super ijs ex nostra parte, viuæ vocis ministerio suggeret, credas indubie, illaque sic deuote suscipias, & effectualiter exequaris, quod nos tuæ bonæ intentionis propositum, & deuotionis sinceritatem erga nos & sedem eandem possimus per effectum operis dignis in Domino laudibus commendare: nobisque propterea præter pacis bonum & commodum, quod omne bonum superat, tibi & Regno ac terris tuis, actore Domino, ex huiusmodi nostris exhortationibus prouenturum, subministres materiam, te velut benedictionis filium in futurum opportunis gratijs & fauoribus prosequendi. *Datum Auin. III. kalend. ianuarij anno* I.

Conceptæ sunt eadem forma a, quæ Iacobo Regi Balearium ad ipsum ad pacis consilia adducendum transmissę. Nil vero pontificiæ preces apud Reges illos profecere; ac sequenti anno maiori virium mole repetitum bellum visuri sumus, quo maxime tempore in Africanos & Granatenses conuertendi omnes conatus fuissent.

27 In septentrione barbari discordiarum, quæ inter fideles ardebant, occasione vsi, grauiora damna rei Christianæ intulere b: cumque Lutherus cruciferorum equitum magister in nouam marchiam ad eam sibi subijciendam irrumperet, Lithuani valido cum exercitu Prussiam ingressi cædibus, spolijs, flamma eam fœdarunt, magnamque Christianorum multitudinem in seruitutem abduxere. Qua clade agnita Lutherus tanto dolore ac furore est correptus, vt potestate mentis deiectus sit: in cuius locū Henricus Dusemer est suffectus, vt refert Michouias. Qui addit insigne publicæ Christianæ pœnitentiæ a ciuibus Vvratislauiensibus editum c specimen, dum magistratus ob pulsum Nankerum episcopum ab eius successore Przeczlao e prætoria vrbis domo nudatis pedibus & capitibus sine pallio ac discincti veniam demisse postularunt: non rite tamen de necato fidei censore crimen expiatum, atque ideo diuinitus Vvratislauiam conflagrasse.

Eodem, inquit d, *anno Przeczlaus de Pogorzelecz successor Nankeri in episcopatu Vvratislauiensi per Benedictum Papam XII. confirmatus, & consecratus, ex curia Romana reuersus, in Nissam venit: vbi ad illum Carolo marchione Moraviæ filio Ioannis de Luczemburg Regis Boemiæ adueniente, reconciliationem cum eo æquis conditionibus super * indicto composuit: eoque ex Nissa in Vvratislauiam diuertente, & Carolo marchione cum concomitante, consules ac iurati Vvratislauienses pedibus nudati ac capitibus, pallijs quoque & cingulis amotis, ex prætorio vsque ad monasterium S. Adalberti venerunt: & prostrati, culpaque simpliciter recognita, veniam suppliciter deposcebant, per plures execrationes astringentes, se nunquam simili rebellione ecclesiam Vvratislauiensem molestaturos, vnde & interdictum sustulit. Verum digna plaga indignam expulsionem episcopi ac cleri, & eadem Ioannis inquisitoris Vvratislauiensis repente superuenit: casuali enim igne octaua die maij in octaua S. Stanislai in Vvratislauia exorta, tota ciuitas conflagrata est, visusque est tempore incendij a quadam religiosa fœmina, apud S. Mauritium extra muros Vvratislauiæ inclusa, angelus contra ciuitatem exertum gestans gladium, & ardentibus carbonibus ciuitatem feriens & incendens.* De senatus Vvratislauiensis demissione in episcopum, petitaque ab eo venia, nec non Vvratislauia incensa meminit Cromerus. a

Pene quoque consumpta eodem anno est incendio Mechlinia b adeo, vt quinque millia domorum perierint ignibus: idque stupendum accidit, vt cum quis ad cognati domum, vt opem ferret accurreret, suam mox ardere acciperet; ac flammarum globi vicos transuolare viderentur & intactis alijs domibus, alias remotiores corriperent: cumq; fœneratorum & insignium improbitate virorum domibus ignis pepercerit, ecclesias depastus sit, arte diabolica occulto Dei iudicio excitatum nonnulli coniecere.

28 Luxit eodem anno Vngaria Caroli Regis instauratoris sui atque amplificatoris mortem c, qui cum Bonifacij VIII. auctoritate creatus Rex fuisset ob hereditaria iura contra alios, qui electionis noua iura induxerant, laniatum regnum ita feliciter gessit, vt ex miserrimo statu ad florentissimum euexerit, lateque edomitis sæpius fidei hostibus illius fines protulerit; de quo hæc Bonfinius d: *Cum annos duos & quadraginta regnasset, ingrauescente febris æstu, in Visegrado non sine nominis sui perpetua gloria* XVII. *kal. augusti diem obijt; quem ita longe lateque dominatum esse ferunt, vt Dalmatiam, Croaciam, Ramam, Seruiam, Galatiam, Lodomeriam, Cumaniam, Bulgariam, Vngariam, & adiecto Gargano monte Salernum ei paruisse, & vectigalia quotannis stata pendisse prædicent.* Æquandus is fuit summis Regibus, ac posteris statuendus in exemplum: cuius plures clarissimas victorias ad fidem propagandam partas silent historici, de quibus nos ex pontificijs literis meminimus suis locis. Reliquit e tres filios Ludouicum, Andream, ac Stephanum, quibus Vngariæ, Siciliæ, & Poloniæ sceptra varijs iuribus destinabat: Vngaricum vero successionis iure Ludouicus natu maximus capessiuit, quem a Chanadino archiepiscopo Strigonienſi regia inunctione delibutum describit his verbis Michouias f: *Anno Domini* MCCCXLII. *decimoseptimo kal. augusti alias feria tertia post Margaretæ Carolo Rege Vngariæ in castro Visegrod rebus humanis exempto, & in Albaregali condito, Ludouicus filius eius, ætatis agens annum decimum septimum, in Regem Vngariæ dominico die ante festum S. Iacobi, alias duodecimo kal. augusti, per Chanadinum archiepiscopum Strigonienſem, assistentibus ei Vladislao Quinqueclesiensi, Nicolao Agriensi, Mieczlauo Vesprimensi, Colomanno Iauriensi, Petro Sirmiensi, Vito Nitriensi, & Laurentio Bosnensi episcopis, & baronum ac nobilium multitudine copiosa, coronatus est.*

29 Auctum est a Clemente hoc anno Cardinalium collegium, cum ob grauissimarum rerum molem difficillimum onus partiri cum pluribus voluisset. Recensetvitæ eius auctor g accurate singulorum nomina, ac gesta ab ijs munera his verbis designat: *Dictus Papa die vigesima mensis septembris, quæ fuit sexta feria quatuor temporum, anno prædicto quadragesimo secundo fecit creationem decem Cardinalium, videlicet octo presbyterorum & duorum diaconorum. Presbyteri autem fuerunt dominus frater Elias de Nabilano ordinis Minorum diœcesis Petagoricensis, tunc archiepiscopus Nicosiensis.* Patriarcham Ierosolymitanum paucis ante mensibus ipsum creatum diximus: *Dominus Guido de Bolonia frater comitis Bolonienſis, tunc archiepiscopus Lugdunensis: dominus Aymericus de Castroluci diœcesis Lemouicensis, tunc episcopus Carnotensis.* Demandatam illi amplissimam

a Crom. l. 12. in Casim.

Mechlinia exusta.

b Io. Vill. l. 11. c. 140. Hocsem. l. 2. c. 27. in Adolph. ep Leod. & alij.

Caroli Regis Vng. mors.

c Io. Vill. l. 12. c. 6.

d Bon. dec. 2. l. 9.

Vt Vngaria cum regnum ab eo amplificatū sit.

e Io Vill. l. 12. c. 6. Bonfin dec 2. l. 9. Summont hist. Neap l. 3.

Ludouicus filius sacratus Rex.

f Michou. l. 4. c. 23.

Cardinales creati a Clemente.

g Gesta Clem. VI. apud Bosq

mam in Italia legationem ſuperius vidimus : *Dominus Andreas de Florentia Italicus, tunc epiſcopus Tornacenſis.* Dictum Ghinum Melpillium ait Ioannes Villanus a nec diu vitæ fuiſſe ſuperſtitem dolet, *Dominus Stephanus Alberti diœceſis Lemouicenſis, tunc epiſcopus Claromõtenſis.* Is accepto Innocentij VI. nomine Clementi ſucceſſit. *Dominus Hugo Rogerij monachus ordinis S. Benedicti diœceſis Lemouicenſis, tunc electus Tutelenſis frater ipſius Papæ: dominus Ademarus Roberti diœceſis Lemouicenſis, tunc ſedis Apoſtolicæ notarius; & dominus frater Geraldus de Guardia diœceſis Lemouicenſis tunc generalis magiſter ordinis Prædicatorum conſanguineus eiuſdem Papæ. Diaconi vero fuerunt dominus Bernardus de Turre in Aluernia diœceſis Claromontenſis, tunc ſubdiaconus Papæ, & dominus Guillermus iudicis legum doctor diœceſis Lemouicenſis nepos ipſius Papæ ex ſorore.* De decem Cardinalibus hoc anno a Clemente creatis M. S. Vaticanum de Romanis Pontificibus b, Ioannes Villanus c ac Felix Cantelorus in elenchо, alijque meminere.

a Io. Vill. l. 12. c. 7.

b M. S. bibl. Vat. ſign. n. 1040. in Clem VI.

c Io. Vill. l. 12. c. 7.

IESV CHRISTI
annus 1343.

CLEMENTIS PP. VI. VAC. IMP. OCCID. 30.
2. IO. PALAEOLOGI IMP. OR. 3.

1 INdicta eſt a Clemente Papa ſacra in Turcas expeditio anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio, indictione vndecima, ac fera natio, in rei Chriſtianæ exitium nata, in ipſis primis ſuæ tyrannidis incrementis edomanda erat Chriſti vicarij ſolicitudine, ſi paribus Chriſtiani Reges ac principes ſtudijs concurriſſent. Permouerant ad pium illud bellum cruentæ orientalium lachrymæ, atque interciſæ ſuſpirijs voces Pontificem, cum miſerandas clades acciperent a Turcis, qui ingenti nauium claſſe ac militum numero magno impetu in Chriſtianorum fines irrupere, ac palantes vaſtarunt d agros: plura expugnarunt vel oppreſſerunt improuiſo aduentu oppida, omnia ferro flammaque miſcuere, fideles denique conſcidere, fudere, in ſeruitutem abduxere, & (quod multo magis flendum & pernicioſius erat) plures parum conſtantia præditos qua blanditijs & promiſſis, qua terrore & minis ad eiurandam Chriſtianam religionem adduxerunt. Deplorat hæc aliaque mala Pontifex in literis ad Mediolanenſem atchiepiſcopum ac ſuffraganeos epiſcopos datis e, quibus præcepit, vt populos ipſorum paſtorali curæ creditos ad dandum crucefignatæ militiæ nomen, & Chriſtianis in orientalibus oris laborantibus auxilia ferenda pro concione omni ſtudio, propoſitis indulgentiarum præmijs, cohortarentur.

Turcæ graſſantur in Chriſtianos.

d Calcond. l. 2. de reb. Turc.

Plures a Chriſto abducũt.

e An. 2. p. 1 ep. cur. 35

Clemens, &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopo Mediolanenſi, eiuſque ſuffraganeis.

2 Iamdudum & nuper etiam, prout euidentia facti, proh dolor! notum reddit, non ſine amaritudine mentis accepimus, quod gentes illorum infidelium paganorum, quæ vulgari lingua Turchi vocantur, ſitientes ſanguinem populi Chriſtiani, & ad extinctionem catholicæ fidei anhelantes, collectis ſuæ viribus nationis, a certis retro continuatis temporibus cum maxima quantitate lignorum naualium armatorum in partibus Romaniæ, & alijs locis fidelium conuicinis eiſdem Chriſtianorum fines per mare fuerunt ingreſſi, & in Chriſtianos & loca ac inſulas eorundem atrociter ſæuientes, per mare diſcurrerunt hactenus & non deſinunt diſcurrere inceſſanter, damnificantes & depopulantes loca & inſulas Chriſtianorum partium earundem, ipſaſque incendio miſerabili ſupponentes & (quod nefandius eſt) Chriſtianos eoſdem in prædam abducunt & ſubijciunt horribili & perpetuæ ſeruituti, vendentes eos vt animalia, ipſoſque ad abnegandum fidem catholicam compellentes; quodque inſulam Nigripontis diuerſis temporibus & vicibus cum eorum iniqua potentia & furore ſæuiſſimæ feritatis hoſtiliter inuaſerunt, & poſt depopulationes, incendia, cædes, & ſpolia per infideles ipſos in dicta & alijs inſulis ac terris dictarum partium immaniter perpetrata, innumerabiles perſonas fidelium eorundem cepiſſe, ipſaſque in ſeruitutem prædictam redegiſſe, proh dolor! aſſeruntur.

Illata ijs En… vaſtitas.

Cum autem de huiuſmodi prauis conatibus & oppreſsionibus, quos fera paganitas in eoſdem fideles ſic exercet atrociter, in intimis doleamus, & propterea vias & modos exquiſiuerimus, vt ſtatui dictorum Chriſtianorum ſic oppreſſo poſſemus viriliter prouidere; tandem diligenti tractatu ſuper his habito, duximus ordinandum, vt certa armata galearum per nos in iſto primo anno realibus ſubſidijs de noſtra camera, licet ſit multis expenſarum oneribus aggrauata, & deinde ſpiritualium & eccleſiaſticorum ſubſidijs adiuuanda, nec non chariſsimum in Chriſto filium noſtrum Hugonem Regem Cypri illuſtrem, ac dilectos filios magiſtrum & fratres hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani, & nobilem virum ducem Venetiarum, & quoſdam alios in inſtanti fiat pro ſuccurſu & defenſione fidelium prædictorum, vſque ad triennium duratura: & quod huiuſmodi galeæ bellatoribus, & alijs gentibus opportunis, & armis bene munita apud dictam inſulam Nigripontis in inſtanti feſto omnium ſanctorum debeant conuenire contra infideles eoſdem, auctore Domino, viriliter profecturæ.

Indicta in eod… expedi…

3 Licet igitur aſsidue cogitemus, quomodo & qualiter negotium ipſum ad Dei laudem & gloriam, & non ſolum ad defenſionem catholicæ fidei & profeſſorum eiuſdem, ſed etiam exaltationem ipſius feliciter proſperetur; & pro feliciori proſecutione ipſius decimas reddituum & prouentuum eccleſiaſticorum, in certis terris & prouincijs & partibus conſiſtentium, & aliqua alia ſubſidia duxerimus concedenda; quia tamen negotium ipſum, quod maxima expenſarum profluuia requirit, maioribus ſubſidijs noſcitur indigere ac ad illud coadiuuandum fidelium charitatiua ſubſidia exiſtunt plurimum opportuna, fideles eoſdem ad hoc quibuſdam ſpiritualibus munificentijs, indulgentijs videlicet & remiſsionibus, prouidimus inuitandos.

Impera… in bell… prus do… cumæ.

Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſtatum miſerabilem Chriſtianorum dictarum partium attendentes, tanquam præcones fideles & fortes athletæ fidei contra infideles eoſdem, ſinguli videlicet veſtrum in ſuis ciuitatibus & diœceſibus per vos & alias perſonas eccleſiaſticas ſeculares, & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas fore noueritis, Chriſti fidelibus iuxta datam vobis & eis a Deo prudentiam proponatis publice verbum crucis, & venerabile ſignum eius quibuſuis fidelibus illud ſuſcipere deuote volentibus concedatis, ipſorumque hu-

Propo… facram… militiam… profeſſo… ris indu… gentiæ.

humeris imponatis, fideles eosdem, quos ad audiendum propositionem ipsam, quoties expedierit, ad loca idonea conuocare possitis; solicitis exhortationibus & opportunis instantijs inducentes, vt ipsi suscipientes cum reuerentia signum crucis, illudque suis cordibus imprimentes, contra infidelium prædictorum perfidiam insurgant viriliter, & negotium ipsum feruenter assumant, & feruentius prosequantur, &c.] Addit Pontifex proposita indulgentiarum præmia piam militiam professuris, vel ijs qui suo sumptu milites submiserint: ac ne piorum eleemosynæ ab auaris diriperentur in ecclesijs, solidioris formæ capsam, in quam immitterentur, tribus seris diligenter munitam, quarum claues viris probitate conspicuis committerentur, proponi iussit, vt communi consensu ad sedem Apostolicam stipem fidelium numeratam iussi transmitterent. *Dat. apud Villamnouam Auin. diœcesis* 11. *kal. octobris anno* 11.

4 Conceptæ sunt eadem verborum forma plures literæ [a], quas alijs archiepiscopis & episcopis Italiæ, Sardiniæ, Dalmatiæ, Vngariæ, Poloniæ, Galliarum, Hispaniarum, Angliæ, Germaniæ, Boemiæ, Liuoniæ, Sueuiæ, Norvvegiæ, aliarumque Christiani orbis prouinciarum missæ, vt pari ardore pios inflammarent, vocarentque in laboris & gloriæ societatem.

[a] *Reg. post sanct. ep.*

Quamuis vero ad tantum tamque præclarum opus omnes Christianæ nationes inuitarentur, at nonnisi a paucis certa expectanda erant auxilia: Anglum enim ad Gallias inuadendas incitabat furor: Gallus sua rueri vix poterat: Castellanus & Lusitanus Granatenses glorioſe oppugnabant [b]: Aragonius ad Balearem opprimendũ incumbebat: Germania ciuili flagrabat bello: septentrionales barbari Vngaros, Boemos, Liuones, & alios finitimos exercuere: plena factionibus Italia: Sicilia & Trinacria ancipiti belli metu erant suspensæ. Coiri itaque tantum potuit sacrum aduersus Turcas fœdus inter Clementem, Bertutium Gradenicum ducem Venetorum, Hugonem Regem Cypri, atque Helionum e Villanoua Rhodiorum equitum magistrum, cum hos magis quam cæteros Turcica potentia infestaret: Cyprum enim, Rhodum, ac Venetæ ditionis orientales terras inuadere moliebantur barbari. Pontificem vero tuendæ religionis ardor accenderat. Et quidem quod ad Hospitalarios attinet; magna tum ij arsere inuidia, qui ad reprimendos barbaros amplissimis vectigalibus & possessionibus aucti, abiecta sacri belli cura, delitijs indulgerent. Horum vero principem Helionum Villanouanum Clemens militarem disciplinam restituere, & sex triremes omnibus ad bellum necessarijs egregie contra Turcas communibus ordinis sumptibus instruere iussit [c]: quamquam censebant aliqui, Hospitalariorum stipendijs vniuersam classem sustentandam.

[b] *Boschius l. 2.*

Bella eiusdia rei Christianæ exitia.

Qui principes fœdus coiuerint in Turcas.

Rhodior. equitum mores collapsi.

[c] *Raynal. ad an. 1343. sect. 233.*

Clemens, &c. Heliono de Villanoua magistro hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani.

5 Habet cleri & populi quasi communis & vulgaris opinio, quæ per multos magnos viros sæpius extitit in nostra præsentia recitata, quod tu, fili, & aliæ personæ hospitalis de bonis innumeris ipsius hospitalis in transmarinis & cismarinis partibus boni facitis quasi nihil: nisi quod personæ hospitalis eiusdem, administrationes gerentes, equos magnos & pulchros equitant, cibis vacant delectabilibus, pomposis vestibus, vasis aureis & argenteis, & pretiosis alijs ornamentis vtuntur, aues & canes tenent & nutriunt venaticos, pecunias congregant & conseruant innumeras, & raras vel modicas eleemosynas largiuntur: & cũ bona dicti hospitalis pro defensione ac dilatatione fidei catholicæ tuitioneq; Christicolarum, præsertim in eisdem transmarinis partibus morantium, deputata fore fidelium deuotione noscantur, de ijs solicitudinem aliquam personæ dicti hospitalis gerere non videntur. Propter quod quandoque tactum est, fore non parum vtile fidei & fidelibus antedictis, quod alia militaris religio crearetur per sedem Apostolicam, & dotaretur de parte bonorum hospitalis prædicti, suas rationes illi, qui suadebant huiusmodi nouam religionem creari, ex ijs, quæ præmissa sunt, fulcientes; & subiungentes nihilominus, quod virtuosius & vtilius duæ religiones militares in eisdem transmarinis partibus agerent mutuo zelo, quam vna, sicut olim hospitalarij ac templarij faciebant; & etiam, quod ad hoc abunde sufficerent bona hospitalis prædicti: quamuis nos assensum non præbuerimus, de tua prædicta reformatione & correctione vtili, sicut præmisimus, confidentes. [Addit, tristem famam multorum gemitibus ac suspirijs diffusam increbrescere, Turcas in Romaniæ fideles magno furore excurrere, ac desæuire: ad quorum frangendos impetus, ne religionem Christianam in ijs partibus penitus extinguant, vertenda sint arma: seque, adhibitis in consilium Cardinalibus & alijs viris rei militaris peritis, comparandam aduersus barbaros classem censuisse. Qua vero ratione conflanda esset subijcit].

De nouo ordine cõdendo agitatum.

Censuit Clemens instauranda potius disciplinam in veteri.

6 Duximus deliberatione prouida ordinandum, quod viginti galeæ armatæ ac munitæ in eisdem partibus pro huiusmodi subsidio modo, qui sequitur, habeantur: videlicet per charissimum in Christo filium nostrum Regem Cypri illustrem quatuor, & per dilectum filium ducem & commune Venetiarum quinque, ac hospitale sex heredes quoque quondam Nicolai Semita vna per triennium teneantur, & nos quatuor pro isto anno de speciali gratia nostris habeamus expensis: quamuis tam per aliquos ex fratribus nostris S. R. E. Cardinales, quam alios nobis sæpe dictum fuerit & suggestum, quod nedum expensæ dictarum quatuor galearum deberent fieri & ministrari per hospitale prædictum; quinpotius totalis armata posset commode ipsius hospitalis expensis teneri, cum a pluribus asseratur te plus de thesauro quam alia tota Dei ecclesia possidere: & præter hoc multi priores ipsius hospitalis & fratres habent, vt fertur, pecunias infinitas, &c.] Subdit plures conqueri, religiosos equites graues inimicitias inter se exercere, neque ijs, qui ordini suam operam addixere, sacerdotibusue merita stipendia præberi: proinde tot mala emendet, vt pristinus eiusdem ordinis splendor efflorescat. *Dat. apud Villamnouam Auinionenſis diœceſis* VI. *id. auguſti anno* 11.

Conferẽda a fœderatis in Turcas subsidia.

7 Obtulerat se vltro Venetorum dux sacræ expeditioni suscipiendæ socium, & naualis exercitus conficiendi quartam se partem comparaturum Clementi spoponderat: atque adeo, cum viginti triremes adornatum iri constitutum esset, Pontifex eum monuit, quinque apparandas ipsi incumbere, quibus sextam vt adiungeret his literis orauit [a].

Dux Venetus partem belli in Turcas suscipit.

[a] *An. 2. l. 5. ep. cur. 23.*

Clemens, &c. dilecto filio nobili viro Bertutio Gradenico duci Venetiarum Caſtellanæ diœceſis.

Cum olim per literas tuas responsiuas ad no-

Pontificię ad eum literæ.

noſtras, quas tibi ſuper ſuccurſu fidelium partium Romaniæ, a Turcis perfidis oppreſſarum multipliciter & deſolatarum, impendendo direximus, plene perceperimus, quod tu quartam partem armatæ, quæ fieret pro ſuccurſu dictorum fidelium, offerebas firmiter te facturum; ordinauimus nuper pro ſuccurſu celeri prædictorum, quod certa armata galearum per chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Hugonem Regem Cypri illuſtrem, ac dilectos filios magiſtrum & fratres hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani, & te vſque numerum viginti galearum ad minus (licet plures eſſe debere credamus, cum nos etiam certa temporalia de camera noſtra, licet ſit multis expenſarum oneribus prægrauata, & multa alia ſpiritualia ſubſidia pro ſuccurſu huiuſmodi faciamus) præſentialiter fiat; & quod omnes ipſæ galeæ in futuro proximo feſto omnium ſanctorum conuenire debeant apud inſulam Nigripontis, contra eoſdem Turcos viriliter, auctore Domino, profecturæ.

Triremes viginti inſtruendæ in Turcas.

Euboeæ belli arx conſtituta.

Verumtamen, quamuis iuxta oblationem tuam prædictam de viginti galeis huiuſmodi quinque te contingere dignoſcantur; nihilominus tamen, quia propter terras & inſulas, quas tu & Veneti in partibus illis habetis, commodum & incommodum huiuſmodi negotij te & ipſos Venetos principalius tangunt; quodque cum huiuſmodi armata facta fuerit, alias galeas ad defenſionem & cuſtodiam maris, terrarum, & inſularum earundem non expediet, ſicut hucvſque oportuit, te tenere; reputamus conuenire decentiæ, & conſonum æquitati, vt ſex galeas ad minus pro iſta vice, non computata in eis potentia dictæ inſulæ Nigripontis (cum intendamus, quod illi dedicta inſula in armata huiuſmodi vnam galeam armare debeant eorum ſumptibus, & tenere) armari & muniri facias ad præmiſſa.

8 Ideoque nobilitatem tuam rogamus, requirimus, & hortamur attente, in remiſſionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus præmiſſis omnibus in debitam conſiderationem adductis; & quod tua & dictorum Venetorum principaliter intereſt ex cauſa prædicta defendere dictas partes, & tum ob hoc, tum vt Venetis ipſis ad nauigandum, repreſsis dictorum paganorum auſibus, tempus quietum arrideat; huiuſmodi ſex galeas, ſublato impedimenti cuiuslibet & dilationis obſtaculo, bonis capitaneis ſeu rectoribus, nec non bellatoribus, qui ad negotium afficiantur huiuſmodi, & armis opportunis bene munitas ad dictam inſulam Nigropontis in eodem termino ſtudeas deſtinare: vt Deo, cuius cauſa agitur, in hac parte fauente, negotium ipſum ad Dei laudem & gloriam, quietem fidelium, & ipſorum infidelium confuſionem feliciter proſperetur. Nos etiam præfatis Regi & hoſpitalarijs noſtras dirigimus literas efficaces, vt galeas, quas pro huiuſmodi ſuccurſu armare debent, gentibus & armis optimis bene munitas ad dictam inſulam in feſto prædicto ſtudeant deſtinare: nam galeę, quę Ianuę & in iſtis partibus armabũtur, apud inſulam prędictam conuenient cum tuis & aliorum prędictorum in termino ſupradicto. *Dat. apud Villamnouam Auinionenſis diœceſis* VI. *id. auguſti anno* 11.

9 Quod ad Cypri Regem attinet; Pontifex in hortatorijs literis ad eum de inſtruendis quatuor vel pluribus triremibus datis, quaſi imminentis poſt longa annorum curricula Cypro diſcriminis prędſcius, grauiſsime Hugonem admonuit [a], ni Turcarum potentiam contunderet, ipſos Cyprum aliquando inuaſuros: *Celſitudinem*, inquit, *tuam requirimus, rogamus, & hortamur attente, ipſam per aſperſionem pretioſi ſanguinis Redemptoris noſtri in Domino obſecrantes, quatenus prudenter conſiderans quantum tibi, & ſubditis tuis, ſi dictorum paganorum feritas vlterius inualeſcat, poſſit periculum imminere; quantumque commodum prædictis & alijs fidelibus, ſi eorundem hoſtium refrænetur audacia, & temeritas compeſcatur, prouenire debeat, & honor ac exaltatio catholicæ fidei cuncto Chriſtiano populo reſultare; tu tanquam princeps Chriſtianiſſimus, & eiuſdem fidei athleta præcipuus, huiuſmodi quatuor galeas bonis rectoribus, bellatoribus, & armis, prout tanta neceſſitas exigit, & facti requirit qualitas, bene munitas, ſubmotis impedimentis quibuslibet, ſtudeas ſine defectu ad dictam inſulam in eodem termino, in quo aliæ galeæ prædictæ ibidem conuenient, deſtinare; vt Deo, cuius negotium agitur in hac parte, fauente negotium ipſum feliciter proſperetur, &c. Dat. apud Villamnouam Auinionenſis, diœceſis* VI. *id. auguſti anno* 11.

Cypriæ Rex admonitus vt Turcos contunderet.

Cæterum dictis quatuor triremibus, quas Pontifex inſtruendas ſuſceperat, Martinum Zachariam Genuenſem, ducem præſtantiſſimum, geſtis pluribus in Turcas prælijs clarum, præfecit [a]. Quibus conſtitutis, augendæ claſſis ſtudio cum alijs pluribus principibus, vt nauales vires coniungerent, egit. Atque in primis Sanciam Siciliæ Reginam ſolicitauit [b], vt Ioannam Reginam ad ſociorum claſſem aliquibus Siculis triremibus augendam impelleret: alijſque literis, vt eandem Ioannam ad id flecteret, impendens ex Turcarum progreſſibus regno diſcrimen ipſi expoſuit [c]: *Chariſſima*, inquit, *filia debes diligenter attendere, quod ſi paganorum prædictorum in partibus illis potentia creſceret, & audacia peramplius inſæuiret, dicti pagani poſſent tibi & regno Siciliæ, quod a nobis & eccleſia Romana tenes in feudum, & dictis Romaniæ partibus modico intermedio freto diſtat, ac ſubditis tuis ſubito multa inferre diſpendia & iacturas: & quod tum ob hoc, tum propter zelum fidei & defenſionem fidelium, claræ memoriæ progenitorum tuorum inhærendo veſtigijs, teneris & debes pro dictorum ſuccurſu fidelium & repreſſione moliminum infidelium eorundem ſubſidium deſtinare, &c.* Dat. Auin. VI. *id. auguſti anno* 11.

Præfectus pontificij triremibus Zacharias Genuēſis.

[a] To. 2. rer. 323.

[b] An. 2. l. 1. ep. cur. 20.

Siciliæ Regina, vt res iunctæ commonita.

[c] lib. ep. cur. 25.

Prædicti imminentis Siciliæ a Turcis discrimen.

10 Prouocatus etiam eſt [d] Robertus Achaiæ princeps, vt fœderatorum claſſi duas triremes adiungeret, cum ipſius maximi intereſſet, vt Turcæ, qui Achaiam excurſionibus ſuis fœdabant reprimerentur: atque illius matrem Catharinam Imperatricem Conſtantinopolitanam filium ad id hortari iuſſit [e], cum ipſa quo tempore filij principatum moderabatur, præſulum adducta precibus ſe paratam obtuliſſet ad nauales vires, ſi bellum iuſſu pontificio Turcis inferretur, coniungendas. Conuenit etiam vna cum alijs principibus Iamuillius Sanutus [f] dux Agriopelagi, triremem milite & commeatu inſtructam ad ſocios ſubmiſſurum; quem vt promiſſa impleret admonuit Pontifex. Tum Genuenſes [g], Perenſes [h] in Aſia ex Conſtantinopolis aduerſa parte agentes, quos pluribus a Turcis damnis affectos dolet, Piſanos, Anconitanos, Florentinos, Senenſes, Peruſinos, Ioannem archiepiſcopum ac Luchinum Mediolanenſes, Albertum & Maſtinum Scaligeros, Veronenſes, Thadæum e Pepulis Bononienſis fiſci præfectum, ſed principi ſupparem excitauit,

Achaiæ princeps in ſacri belli ſocietatem vocatus.

[d] Ep. cur. 22.

[e] lib. ep. 22.

[f] To. 2. rer. 337. Italiæ aliorum commendationem ſolicitauit.

[g] lib. ep. 338.

[h] Ep. 339.

[i] Ep. 339. ad 346.

vt

[a] An. 2. l. 1. ep. cur. 19.

vt vel nauibus vel milite comparandam in Turcas classem pro Christiano nomine defendendo, ac fidei propaganda gloria augerent. Vtque melius rebus orientalibus fluctuantibus consuleret, Henrico patriarchæ Constantinopolitano Latino amplissimum legationis munus in crucesignato exercitu & orientalibus prouincijs iniunxit a. Naualis vero exercitus ducibus data imperia b, vt ei parerent: quo argumento ad Hugonē c Regem Cypri & Venetorum ducem d scriptæ literæ, vt nimirum suarum triremium præfectos patriarchæ Constantinopolitano legato obsequentes esse iuberent.

Henricus patriarcha Constantinop. creatus in exercitu legatus.

a An. 2. p. 1 ep. 4. ar. 15. & 27.

b To. 2. ep. secr. 326.

c Ib. ep. 347.

d Ep. 328.

e Ep. 413

Demandatum præterea est eidem legato munus e, vt concordiam inter Gualterum ducem Athenarum & Catalanos redintegraret. Indiderant ij sibi societatis magnæ e Romania nomen, qui cum olim, vt supra dictum est, sedato bello Trinacrio missi in orientem fuissent, vt Turcarum nascens imperium obruerent, immani flagitio, a schismaticis solicitati, arma verterant in catholicos: dumque hi inter se bello certabant, Turcæ in vtrosque impetus conuertere, ac rem Christianam afflixerunt. Cum itaque Benedictus XII. ex illo inter Catalanos, qui plures ducatus Athenarum arces occuparant, & Gualterum bello infidelium vires in dies confirmari lugeret, edictis apostolicis grauiores pœnas belli auctoribus incussit, & vocato Gualtero, cum illum ad pacem pronum reperisset, Henrico patriarchæ prouinciam tractandi inter eos fœderis dederat: sed id consilium Benedicti mors oppresserat: Clemens vero illud perducendum aggressus est, de quo inferius sermo recurret. Nec modo ex ea Christianorum dissensione animatos Turcas ad vastandam Peloponesum & finitimas prouincias, verum Europæ amœnitate ac fœcunditate terrarum illectos, refert Calcondylas f.

Catalana societas, & dux Athenar. bello impliciti.

Imperatæ inter eos inducię.

f Calcond. l. 2. de reb. Turc. Indictæ ad sacri belli sumptus decima.

11 Suscepto sacro illo ac necessario bello Pontifex, cum fœderati, Cyprius nimirum, Rhodius, ac Venetus se ad stipendiorum & sumptuum bellicorum molem ferendam valere opibus negarent; æquumque esset, vt ecclesiastica vectigalia pro fide propaganda ac debellandis barbaris eo conuerterentur; neque etiam piorum eleemosynæ ad lucranda indulgentiarum præmia eroganda sufficerent, triēnalem decimam in omnibus Christianis regnis (exceptis Anglia, Gallia, & Hispanijs Angliam enim Eduardus attriuerat, ac sacras inique opes inuadebat, & ad Christianum sanguinem spargendum effundebat, contendebatque iustum se bellum gerere; exhausta Anglico bello erat Gallia, & Hispaniæ expugnandis Mauris sufficere non poterant) indixit g. Collocatas hasce decimas fuisse in bello aduersus Turcas sustendo, ex Ioanne Villano h colligitur, dum ait sumptibus pontificijs crucesignatos conductos fuisse; quam etiam ob causam, parta ab exercitu Christiano loca pontificiæ custodiæ sunt commendata.

g Ann. 2. p. 1. ep. 40. ad 114.

h Io. Vill. l. 12. c. 38.

Dum ita Christi vicarius bellum sacrum in Turcas apparabat, Constantinopolitanus Imperator Ioannes Palæologus vel potius, cum is ob imbellem ætatem tractando imperio par non esset, proceres ad quos consilia summa referebantur, Turcico flagello vexati, vt ad Romanæ ecclesiæ sinum redirent, Clementis opem flagitarunt, suumque erga sedem Apostolicam studium amplissimis verbis explicuere. Expetierant iam antea sæpius Græci Romanæ ecclesiæ gratiam, cum res suas in anceps discrimen adductas intuerentur ac viribus postea confirmati laruatam pietatem exuebant: atque etiam Andronicus Ioannis Palæologi pater, cum eam imperij partem, quam in Asia obtinebat, amisisset, spem missis oratoribus dederat, fore vt, si militē ac stipendijs ad amissa recuperanda fulciretur, ecclesiæ catholicæ se aggregaret: cui Romanus Pontifex certissima spoponderat auxilia in Turcas, modo id perfeciset ne quam armis orthodoxorum auxisset potentiam in catholicos verteret, schismaque confirmaret. In quo lugeat lector quanta Græcis exitia schisma attulerit, cum spretis eorum calamitatibus a catholicis, ipsos velut a dominico grege aberrantes oues, suumque fugientes pastorem, fera Turcica deuorarit. Non passa vero est diuina prouidentia vnica barbarorum eluuione ipsos mergi, sed crebris excursionibus vrgeri ac lancinari, vt exuerent errores, ac sæuissimorum carnificum minis ad amantissimum patrem omnium fidelium perfugerent.

Vrgentur ad id Turcarum grassationibus.

12 Fatigabant porro hoc tempore Græcos non solum Turcæ, sed etiam Tartari: ac licet in Turcas ij tantummodo opem poscerent, Pontifex vsurus occasione, vt Græcos ad coniunctionem reuocaret, non modo contra illos, verum contra Tartaros quoque apostolicum patrocinium certissimum est pollicitus a: proposuitque ob oculos ouilis dominici vnum esse pastorem, nec alium quam Romanum Pontificem; & Constantinopolitanum imperium, dum in huius clientela & veneratione stetit, scientiæ & armorum gloria effloruisse.

Pontifex ad eos excipiendos paratus.

a To. 2 ep. secr. 414. ext. etiam in M. S. arch. Vat. de rebus Græc. Tartaror. &c. pag. 44.

Magnifico viro Ioanni Imperatori Græcorum Palæologo gratiam in præsenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

Munificentiæ tuæ literas per dilectum filium nobilem virum Philippum de sancto Germano nuntium tuum, oriundum de partibus Sabaudiæ, nostro apostolatui præsentatas benigne recepimus, & tam ea, quæ continebantur in eis, quam quæ idem nuntius sub credentia sibi concessa per dictas literas explicare coram nobis pro parte tua curauit verbotenus, pleno collegimus intellectu: cumque tam per ipsas literas, quam ea quæ idem nuntius verbo, vt præmittitur, explicauit affectum magnæ deuotionis & reuerentiæ nobis & Apostolicæ sedi obtuleris; ac expressis diris oppressionibus, molestationibus, & afflictionibus, quas gens illa nationis Turcorum fœtidæ inimica fidei Christianæ, ad confusionem & exterminium Christianitatis aspirans, tibi & populo Græcorum intulit præsumptuosis & terribilibus ausibus hactenus, & inferre crudelius non desistit, præstari tibi & eisdem Græcis aduersus Turcorum prædictorum infidelium potentiam & malitiam galearum & vasorum nauigabilium armatorum, & munitorum Latinis hominibus, subsidium per nos & Rom. ecclesiam postulaueris; eidem magnificentiæ breuiter superijs respondemus, quod nos dudum, non sine compassione magna, & ingenti dolore cordis auditis diris & grauibus molestationibus & afflictionibus, quas prædicti Turchi, omni humanitate postposita, Christianis & fidelibus Romaniæ & aliarum transmarinarum partium intulerant & etiam inferebant, non valentes pietatis paternæ viscera claudere super his, nec volentes, pro defensione fidelium & Christianorum dictarum partium, ac repressione præfatorum Turcorum infidelium, certum galearum & vasorum huiusmodi sufficienter armatorum & munitorum ordinauimus subsi-

Legatio a Græcis missa ad Clementē

Postulatæ contra Turcas suppetiæ.

Graci de vsitatum ecclesiarum eō sunctione agitant.

dium exhibendum; volentes indubie te tenere, quod si tu ac Græcorum clerus & populus, reiecta infectione illius execrandi ac damnandi schismatis, quod eos damnabiliter a sacrosancta Romana ecclesia matre omnium fidelium & magistra diuisit, per vnionem salutarem Deo placibilem, mundo acceptabilem, & saluti animarum multipliciter fructuosam ad matrem redire-tis eandem; & diligenter attento, quod dominus noster Iesus Christus vnicum esse ouile ouium suarum & vnum pastorem esse voluit, sicut in euangelio continetur, & in Apostolorum symbolo fides profitetur catholica, vnam esse catholicam & apostolicam ecclesiam, quam ipse dominus Iesus Christus in seipso lapide angulari fundauit, & eius magisterium principi Apostolorum, B. Petro videlicet, cui licet insufficientibus meritis successimus in apostolatus dignitate commisit, vos sub eodem ouili, extra quod non est alicui gratia neque salus, reducere curaretis; nos & ipsa ecclesia, vobis gaudiosis amplexibus occurrentes, intra nostra reciperemus præcordia, & ad defensionem vestram non solum contra Turcas ipsos, sed Tartaros & alios vestros & fidei catholicæ inimicos & hostes, quantum possemus, defendere ac tractare tanquam prædilectos & chariſſimos filios amplis fauoribus & opportunis gratijs proculdubio studeremus.

Promissa Pont. si Græci schisma eiurent.

Non modo contra Turcas, sed etiam Tartaros.

Et vtinam tua & populi Græcorum perpenderet prudentia diligenter, quod ex reunione huiusmodi, præter commoda spiritualia, quæ vobis affluenter prouenirent, exinde multa bona temporalia resultarent: nam vt communis & vulgaris habet narratio, & antiqua gesta testantur, quandiu Græcia sub deuotione ac vnitate ipsius ecclesiæ Romanæ se tenuit tamquam matris, præ alijs mundi nationibus scientiarum præcellentia floruit, & militari potentia victorioſe præfulsit. *Dat. Auin. x11. kal. nouembris anno* 11.

Græci ob schisma deiecti.

13 Profecto frequentibus experimentis compertum est, verissimam esse sententiam postremis hisce verbis comprehensam: & quia Græci in veteri perfidia obfirmati in deteriora sunt lapsi, grauissimo Turcarum iugo premi meruerunt.

Scripsit eodem die Pontifex ad Alexium Megaducam [a], qui significarat, sacra se obtinendæ Romanæ ecclesiæ coniunctionis cupiditate teneri: cui Clemens spiritum gratiæ salutaris in præfixo literarum titulo fauste precatus, adiecit stimulos, vt suscepta pia consilia in opus perduceret, commendauitque Bartholomæum Romanum canonicum Negropontensem, siue quempiam alium Henricus patriarcha Constantinopolitanus Apostolicæ sedis legatus ad eum mitteret; tum est adhortatus, vt operam suam, atque industriam ad aggregandum Romanæ ecclesiæ Imperatorem collocaret: *Nobilitatem*, inquit, *tuam in Domino attentius exhortamur, quatenus intra tua præcordia diligenter reuoluens, & absque dubitatione considerans & attendens, quod extra vnicum ouile dominicum, cuius est vnus pastor successor B. Petri Apostolorum principis, Romanus videlicet Pontifex vicarius Iesu Christi, non est alicui gratia neque salus, vt Græcorum populus extra ouile damnabiliter errans huiusmodi, se vna cum magnifico principe Ioanne Græcorum ipsorum moderatore Palæologo illustri reducat ad illud, prout decenter & vtiliter poteris, sic studiosis solicitudinibus elabores, quod inde tibi meritorum acquiras cumulum apud Deum, ac nostram & Apostolicæ sedis abundanter gratiam merearis.*

Alexius Megaducas ad eccles. coniunctionē inclinat. a Ib. ep. 415 & in eod. M. S. pag. 43.

Solicitat⁹ vt ad id operam nauet.

14 Alij vero literis paucis post diebus exaratis certiorem illum fecit, quam peramanter illi paternum sinum explicaret, vtque maturaret gressus apostolicis beneficijs prouocauit [a]: *Nos*, inquit, *tibi ad instar illius patris euangelici, qui filio de regione dissimilitudinis redeunti iucundum parauit conuiuium occiso vitulo saginato, volentes tibi occurrere gaudiosis amplexibus, teque gratijs spiritualibus præuenire, vt cum ad eandem vnitatem veneris, deuio relicto schismatis huiusmodi & reiecto, confessor tuus catholicus, quem duxeris eligendum, plenam omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus & ore confessus fueris, remissionem impertiri auctoritate apostolica valeat; sic tamen quod de his, de quibus alteri fuerit per te satisfactio impendenda, illam tibi dictus confessor faciendam iniungat, quam tu, dum vixeris vel heredes tui, cum te de hac vita transire contigerit, facere teneamini, tenore præsentium indulgemus. Dat. Auin. v1. kal. nouembris anno* 11.

a Ib. n. 413.

Data facultas confessoris catholici eiurabilia soluendi.

Significarat etiam Clementi literis atque oratoris Conradi opera Demetrius Græciæ despota, se desiderio transuolandi in sinum Romanæ ecclesiæ ardere. Cui Pontifex in præfixo literarum quæ v11. kal. decembris sunt consignatæ, titulo fauste precatus: *Promereri gratiam in præsenti, quæ perduceret ad gloriam in futuro*; stimulos addidit [b], vt promissa mandaret operi, se paternum illi sinum aperire, meritisque officijs prosecuturum vt amantissimum filium: tum etiam magistratibus Peyræ, quæ ex aduerso Constantinopoleos litore in Asia iacet, scripsit [c], vt Demetrio, si ad Romanæ ecclesiæ coniunctionem rediret, opera & consilio non deesſent: quibus etiam iniunxit, vt Henrico patriarchæ Constantinopolitano A. S. L. vel alijs ab eadem sede vel patriarcha missis ad tractandam Græcorum cum Romana ecclesia coniunctionem, studium suum explicarent. Hortatus pariter est Ioannam Andronici Imperatoris viduam [d], vt faciles ijs aures accōmodaret, quæ legatus a filio Ioanne Palæologo missus ad Apostolicam sedem pontificio nomine illi relaturus esset: tum Isabellam e Rocheta, quæ ad eiurandum schisma se paratissimam ostenderat, monuit [e] ne conceptum pium ardorem deferuescere sineret.

Demetr. despota schisma exuere gitat.

b Ib. n. 492.

c Ep. 493.

d Ep. 494.

e Ep. 495.

15 Pellicere etiam grauissimis literis patritios, senatores, ac proceres Græci imperij ad Romanæ ecclesiæ obsequia studuit: & quantas vtilitates felix & optanda omnium Christianorum coniunctio vniuerso imperio afferret, quanta schisma inuexisset mala, exposuit [f]; eamque ob causam passam diuinam iustitiam, veterem illius dignitatem adeo defloreſcere.

Græci cerere monitis fici).

f Ep. ann. ep. sect. 418.

Clemens, &c. nobilibus viris vniuersis principibus, baronibus, ac populis imperij Græcorum gratiam in præsenti, qua perducat ad gloriam in futuro.

Si quot & quanta spiritualia & temporalia incommoda schisma illud, per quod, procurante hoste antiquo, qui saluti humanæ inuidens charitatem vnitatis lædere innata sibi malitia non desistit, Græcorum populus vnicum ouile dominicum, cuius est vnus pastor, & extra quod non est alicui gratia neque salus, exiens & aberrans a sacrosancta Romana matre sua ecclesia multum damnabiliter, proh dolor! se diuisit hactenus, attulerit in populo Christiano & afferat etiam incessanter, attenta meditatione pensaueritis, & intra vestra reuolueritis præcordia diligenter; profecto credimus, quod ab eodem damnando schismate, velut a deuio periculoso recedere cu-

curabitis, & ad vnitatem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matris omnium fidelium & magiſtræ, tanquam ad viam rectam, qua ſalutis æternæ panditur aditus, redire properabitis feſtinanter.

Vt floruerint Græci dum vixere catholici.

Habet ſiquidem vulgaris & communis opinio, & antiqua geſta teſtantur, quod cum Græcia in ſinu eiuſdem eccleſiæ vnite ac catholice foueretur, victorioſe ac glorioſe inimicos ſuos ſuppeditabat & hoſtes, præ alijs mundi nationibus militari potentia & ſtrenuitate armorum præfulgens, & florens nihilominus ſcientijs literarum, alijſque varijs decorata virtutum & donorum inſignijs lucidius coruſcabat. In quo ſtatu autem ipſa fuerit poſtmodum, & nunc exiſtat Græcia, magiſtra rerum docet experientia, & vos ipſi ex ijs quæ occurrerunt & occurrunt habere poteſtis, ſi diligenter perpenderitis, notitiam pleniorem. Nos igitur, quibus a ſummo paſtore domino noſtro Ieſu Chriſto eiuſdem ouilis ſui cura deſuper eſt commiſſa, cupientes vos vna cum alijs fidelibus infra illud includi, vt inde poſſitis gratiam, quæ perducat ad gloriam promereri, nobilitatem veſtram, &c.] Addit preces, vt ſtudium ad redintegrandam orientalis eccleſiæ cum occidentali coniunctionem conferant, ex quo ingens apud homines decus, atque apud æternum Numen præmia ſunt comparaturi. *Dat. Auin. xii. kal. nouembris anno* 11.

Emarcuit poſt ſchiſma eorũ gloria.

16 Conceptæ ſunt ſimili forma literæ ad populum Conſtantinopolitanum miſſæ a, quibus paternæ beneuolentiæ ſignis egregijs mulcere illum ſtuduit, vt ad ſupremi in terris Chriſti vicarij gremium reuerteretur. His paternis blanditijs laicos Græcos, vt ſchiſma eiurarent, alliciebat, ſeque promptum & alacrem ad infideles, qui cruentam de ipſis quotidie carnificinam exercebant, comprimendos exhibebat. Qui etiam vt clerum moneret officij, ne quid intentatum relinqueret, ac ne tot populorum ſanguis de eius manibus requireretur, patriarcham, archiepiſcopos, & epiſcopos Græcorum imperij ad reſtituendam eccleſiæ coniunctionem prouocauit b, grauiſsimiſque diuinæ ſcripturæ oraculis vnicam eſſe catholicam eccleſiam, cui vnus ſummus paſtor S. Petri ſucceſſor ex Chriſti domini decreto præeſſet; neque ex coniunctione orientalium ſuas venari vtilitates, ipſorumue dignitatem labefactandam, quorũ tueretur potius ſplendorem. Coniungerent itaq; ex paſtoralis officij religione ſolicitudinem diligentiamque omnem, vt ex omnibus Chriſtianis populis vna eccleſia ſub vno Chriſti in terris ſupremo vicario coaleſceret: ita enim, firmiſsimo fœdere coniunctis orientialibus & occidentalibus, Turcarum ferociam facile repreſſum iri.

Data populis monita. a Ib. ep. 419.

Et eorum præſulib⁹. b Eod. to. 2. ep. ſacr. 416. & M.S. de reb. Græc. &c. pag. 45.

Dilectis in Chriſto fratribus patriarchæ, & vniuerſis archiepiſcopis & epiſcopis Græcorum ſpiritum gratiæ ſalutaris.

17 Saluator noſter dominus Ieſus Chriſtus, pro redemptione humani generis ſub forma ſeruj veſtem noſtræ mortalitatis aſſumens, reprobata quondam propter ingratitudinem perfidia Iudæorum, & oblato ſynagogæ, quæ tempus viſitationis ſuæ non cognouit, libello repudij, ſacroſanctam eccleſiam non habentem maculam neque rugam, congregatam in vnum ex gentibus & Iudæis, qui oculos illuminatos habentes, viam veritatis & fidei cognouerunt, ipſe lapis angularis vtrumque coniungens parietem & vtraque vnum faciens, in ſponſam ſibi ſpecialiter præelegit; eamque ſanctificans, & mundans aquæ lauacro in verbo vitæ, glorioſam exhibuit ac ſanctam, & immaculatam effecit, iuxta quod in canticis canticorum legitur: *Vna eſt ſponſa mea, electa mea, immaculata mea.* Ipſe quoque dominus Ieſus Chriſtus vnum eſſe ouile ouium, & vnum paſtorem in euangelio proteſtatur: & in Apoſtolorum ſymbolo vnam eſſe catholicam eccleſiam fides catholica profitetur, quam ipſe Dominus in ſe ipſo lapide angulari probato, pretioſo, viuo, ab ædificantibus reprobato, a Deo tamen electo & honorificato fundauit, & eius magiſterium Apoſtolorum principi, B. Petro videlicet, cui licet inſufficientibus meritis in apoſtolatus ſucceſſimus dignitate, conceſsit inquiens: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*; & paulo poſt ſubdidit: *Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*; & nihilominus ouium ſuarum curam non ſolum alicuius gregis determinati, ſed omnium ad ouile ſuum dominicum pertinentium vniuerſaliter verbo tertio repetito commiſit, dicens: *Paſce oues meas*; & quod eius fides nunquam deficeret, ſe oraſſe fatetur, loquens ad eum in euangelio: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*; vt patenter oſtenderet, non ſolum ouium, ſed etiam paſtorum omnium ipſum vicarium deputare paſtorem. Quod etiam ſignificanter oſtendit cum, ipſo apparente poſt reſurrectionem diſcipulis, Petrus per mare, cæteri vero diſcipuli nauigio peruenerunt. Cui ſoli alibi dixiſſe ipſe Dominus legitur: *Duc in altum*: cum enim ſinguli determinatas habeant ſibi prouincias, ſoli Petro & eius ſucceſſoribus ipſa tota commiſſa eſt vniuerſalis eccleſia toto orbe diffuſa, nempe ſignum ſingularis pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique ſuam, ſed ſeculum ipſum gubernandum ſuſcepit: mare quidem ſeculum eſt, naues eccleſiæ deſignantur. Quæ quidem Græcorum populus prouide non attendens, aliam ſibi confinxit eccleſiam (cum ſit vnica tantummodo, vt eſt dictum) & ab Apoſtolicæ ſedis vnitate receſsit: nec conſtitutionem Domini, nec Petri magiſterium imitatur, et inconſutilem veſtem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum veſtium diuiſione pepercit, ſcindere vſque ad hæc tempora per fruſta conatur; non aduertens prudenter, quod vna Noe tantum extitit arca, intra quam ſub vno rectore quicumque fuerunt leguntur in cataclyſmo ſaluati: qui autem extra ipſam inuenti ſunt, omnes in diluuio perierunt.

Demonſtratur vnitas eccleſiæ.

Et primatus Petri.

18 Sane quia nos libenter ad inſtar illius paſtoris euangelici, qui ouem perditam et extra gregem errantem requirens ſolicite, et ipſam repertam imponens ſuper humeros reportauit, ne beſtiarum dentibus deuoraretur, ad gregem, pro Græcorum ipſorum ad eandem vnicam eccleſiam reunione Deo placida, mundo acceptabili, et animarum ſaluti non modicum profutura, ſi ad hoc, gratia præueniente diuina, diſponeretur materia, laboraremus ſtudijs operoſis; ſuper ijs tam magnifico viro Ioanni Imperatori Græcorum Palæologo illuſtri, quam principibus, baronibus, et nobilibus imperij Græcorum, ac populo ciuitatis Conſtantinopolitanæ per literas ſcribimus opportunas.

Neceſſitas redintegrandæ eccleſiaſtĩ coniunctionis.

Quocirca vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, et hortamur in domino Ieſu Chriſto, quatenus præmiſſa, et quod extra dictum ouile dominicum, cuius eſt, vt præmittitur, vnus paſtor

ſtor, non eſt alicui gratia neque ſalus, diligentius attendentes, vos qui eiuſdem Græcorum populi eminentiam præſulatus gerere videmini, ad reunionem prædictam veſtra ſtudia dirigentes, tam eundem Imperatorem, quam prædictos principes, barones, nobiles, et populos veſtris monitis et exhortationibus ſalubribus ad reunionem huiuſmodi, vt vobis et ipſis perennis vitæ patere valeat aditus, inducatis; ſcituri pro certo, quod ex ijs vel alijs veſtra vel ſua non quærimus, ſed tantum veſtrarum et ipſorum animarum ſalutem paterna ſolicitudine ſic zelamus, quod ſi ad vnitatem eccleſiæ prędictę redieritis, veſtra recipere non intendimus, ſed vobis potius dare noſtra, et etiam ſi oportuerit noſmetipſos: ac nos et ſedes Apoſtolica vos et ipſos recipiemus extenſis charitatis paternę brachijs in amplexus, priuilegijs, gratijs, et opportunis fauoribus, et alias ſicut alios fideles eiuſdem eccleſię nihilominus proſequendo; nec non aſsiſtendo vobis et ipſis, quantum fieri poterit, contrà Turcos et alios veſtros et ipſorum oppreſſores et hoſtes. *Dat. Auin.* XII. *kal. nouembris anno* II.

Non quæ rit aliud a Græcis Pont. lucrum, quã animarũ.

19 Eodem exemplo calogeris e monte ſancto (ita mons Atho ob innumeros monachorum greges, qui in eo agebant, vulgo vocitabatur) quorum ſtudium erat in rerum diuinarum contemplatione animum defigere, ſcripſit a adiecitque has preces: *Vniuerſitatem congregationis veſtræ monemus & hortamur in domino Ieſu Chriſto quatenus præmiſſa, & quod extra vnicum ouile dominicum, cuius eſt, vt præmittitur, Dominus paſtor, non eſt alicui gratia neque ſalus, diligentius attendentes, vos qui, ſicut audiuimus, zelum animarum habentes, in contemplationis altitudine iugiter perſiſtitis, ac auſteritate vitæ pro quiete cæleſtis patriæ acquirenda vos, vt intelleximus, afflictis ne lutum damnati ſchiſmatis iter veſtrum impeaiat, & labores veſtros huiuſmodi euacuet a mercede, vt Græcorum clerus & populus, inter quos principaliter numerari noſcimini, eiuſdem impedimento reiecto ſchiſmatis, ad vnitatem ſanctæ Romanæ matris eccleſiæ vna vobiſcum redeat, & in ouili dominico prædicto, vt mereatur ſalutem conſequi, ſe includat laborare operoſis ſolicitudinibus ſtudeatis.*

Monachi, vt redeãt ad eccleſ. prouocati *a To 2. ep. ſecr.* 417.

Promouendæ neceſſariæ adeo coniunctionis deſiderio Clemens prætorem Genuenſium Peræ agentium, magiſtratum Venetorum, Dominicanæ & Franciſcanæ familiæ religioſos viros ſumma opera ad Græcos ad catholicam eccleſiam traducendos incumbere iuſſit b. Sed eorum diligentiã ac ſtudia pontificia, tot inſignibus notis tantoque zelo explicita, Græcorum ſchiſmaticorum pertinacia eluſit: quamquam extremo etiam anno a Clemente repetitis literis c VII. kal. decembris cum Ioanne Palæologo, hoc ijs titulo præfixo: *Magnifico principi Ioanni Græcorum Imperatori, & moderatori Palæologo illuſtri gratiam in præſenti, quæ ducat ad gloriam in futuro*; deque concordia eccleſiarum inſtauranda iterum, cum a Cantacuzeno tyranno Turcarum auxilijs ſuccincto premeretur idẽ Palæologus, fuerit agitatum. Sed de his inferius ſuis locis dicetur: nunc Armenas res aggrediamur.

Miſſi religioſi viri pro vrgendo eccleſiarum ſœdere.

b Ib. ep. ſecr. 420. 421. 422. 517.

c Ep. 517.

20 Elatus arrogantia ſoldanus Babylonius ex Chriſtianorum Regum diſſenſione, eo ferocius inſoleſcebat, quo Eduardus Anglorum Rex, tanquam Saracenorum ſtipendijs conductus eſſet, Francorum Regem, qui Armeniam tuendam ac Babylonium petendum bello ſuſceperat, a ſacra expeditione diſtrahebat. Impar itaque Ægyptiæ, Syriacæ, ac Babyloniæ potentiæ Armeniæ Rex Guido ſupplices oratores ad ſummum Pontificem miſit a, qui multis lachrymis triſtes Chriſtianorum caſus ac Saracenorum ferociam expoſuere, rogauereq; vt Reges ad ferendam fratribus eodem cum ipſis Chriſti domini ſanguine redemptis opem impelleret. Hos vero Pontifex ad Philippum Francorum & Eduardum Anglorum Reges dimiſit, vt ipſos ad vertenda contra hoſtes fidei arma, ac feliciores triumphos de Machometi cultoribus referendos inflecterent, quos apoſtolicis literis ad tam pium opus prouehendum VII. id. iul. eſt adhortatus. b

Armenia a ſoldano inuaſa.

21 Exteros etiam Reges fide Chriſtiana nondum excultos deuincire amicitia ſtuduit Pontifex, vt ipſos facilius ad Chriſtum alliceret, tum conſtitutos in eorum imperijs Chriſtianos ab infidelium iniurijs vindicaret. Propagata apud Scythas Tartaros erat Chriſtiana fides religioſorum virorum præcipua opera: cumque Elias Vngarus ad ſedem Apoſtolicam ex Tartaria ſeptentrionali acceſſiſſet, expoſuiſſetque rei Chriſtianæ in ijs regionibus ſtatum, vt Ianibechus imperator Chriſtianis profitendæ religionis vſum permitteret, Clemens Ianibechum ipſũ orauit c, vt in defendẽdis Chriſtianis imperiale ſtudium explicare pergeret, atque ad alendam amicitiam oratores maiorum exemplo ad ſedem Apoſtolicam mitteret.

Poſtulãt a Guidone Rege ſubſidia *a To. 2. ſecr.* 13.

Porrectis Regibus eius pro ces. *b Ead.* 134. & 135.

Ampliſſ. cata apud Tartaros religio.

c Ead. ep. ſecr. 182.

Magnifico principi Ianibech Imperatori Tartarorum illuſtri Deum verum, qui omnia creauit de nihilo, deuote cognoſcere, diligere, & timere.

Tartarus Imp. ad fidẽ Chriſti prouocatus.

Ad ſedem Apoſtolicam ſæpius exiit multorum relatibus fidedignis perductum, quod progenitores tui Tartarorum Imperatores ex innata, & a Deo ſibi inſpirata clementia, Chriſtianos in tuo degentes imperio tractare præteritis temporibus fauorabiliter & humaniter curauerunt, eos tam diuinæ pietatis intuitu, quam reuerentia dictæ ſedis pie manutenendo, & confouendo in ſuis libertatibus, ac ab oppreſsionibus indebitis, violentijs, & iniurijs defendendo; permittendo quoque ſacerdotes catholicos diuina ibidem celebrare officia, miniſtrare ſacramenta eccleſiaſtica, & tam Chriſtianis populis, quam alijs audire volentibus prædicare libere verbum Dei. Propter quod ſedes ipſa & prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, ex his gaudij & exultationis rore perfuſi, nuncios Imperatorum ipſorum quandoque venientes ad ſedem eandem receperunt placabiliter, eoſque gratijs & fauoribus præuenerunt, regratiatorias, directiuas, & amicabiles literas plerumque præfatis Imperatoribus dirigendo. Et licet præmiſſa ſæpe læta mente audiuerimus, dum ſtatus inferior nos haberet; nunc tamen ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, diuina gratia fauente, eis tam per dilectum filium Eliam de Vngaria ordinis Minorum illis in partibus diutius conuerſatum, quam alios fide dignos in noſtra præſentia commendabiliter & laudabiliter recenſitis, exinde tanto amplius exultauimus, quanto curam Chriſtianorum omnium ex iniuncto nobis deſuper apoſtolicæ ſeruitutis officio magis conſpicimus imminere; ſperantes in eo, qui nunquam ceſſat a benedictionibus gratiarum, quod tu laudabilia progenitorum tuorum prędictorum veſtigia imitando, ſuper his erga Chriſtianos eoſdem exuberare fauores & gratias huiuſmodi non ceſſabis.

Elias Vngarus Chriſtum inter Tartaros prædicat.

22 Tuam ſiquidem credimus magnificentiam non latere, quod in terris & ditionibus nonnullorum chariſsimorum in Chriſto filiorum noſtro-

noſtrorum Regum Chriſtianorum innumera Saracenorum & aliorum, qui fidem Chriſtianam non colunt, millia commorantur, qui ab eiſdem Regibus tolerantur & confouentur, ac ab iniurijs & oppreſsionibus quorumlibet defenduntur, nec aliquis Saracenorum ipſorum & fidem eandem non colentium, vi, metu, vel violentia ritum ſuum abnegare, aut fidem Chriſtianam ſuſcipere cogitur; ſed ſi ad eam venire ſponte, & libere voluerit, fauorabiliter recipitur & benigne. Rogamus itaque celſitudinem tuam & hortamur quatenus præfatos Chriſtianos, in tuo prædicto commorantes imperio, ad inſtar eorundem progenitorum tuorum habeas commendatos, ipſos defendendo ab iniurijs & oppreſſionibus indebitis quibuſcumque, ſacerdoteſque permittendo prædictos diuina officia peragere, proponereque libere quibuſuis audire volentibus verbum Dei. Nos autem nuncios tuos & literas, ſi ad nos miſeris, recipiemus fauorabiliter & libenter, ac ea, quæ pro parte tua coram nobis exponere curauerint, audiemus, tibique viam charitatiuis & benignis monitis, ſi audire volueris, oſtendemus, per quam tibi gratia in præſenti vita dabitur abundanter a Domino, & tandem poſt decurſum vitæ ipſius æternæ felicitatis gaudia mereberis adipiſci. *Dat. apud Villamnouam Auinionenſis diœceſis* ix. *kal. auguſti anno* 11. Infecere Saraceni Ianibechum prauis in Chriſtianos ſuſpicionibus, atque hoc ipſo anno ad mercatorum Venetorum ac Genuenſium in vrbe Tana ampliſſimas opes diripiendas concitarunt [a]. Fluxit mali initium ex contentione inter Chriſtianos & Saracenos exorta, in qua cum ad arma ventum eſſet, ac vincerent Chriſtiani, Tartari in eos efferati eos partim morte, partim carceribus affecere, boniſque omnibus ac mercibus exuere: neq; cõmercium, niſi aliquot poſt annis, eſt repetitum. Quibus addit Folieta [b], Scytharum Tartarorum Imperatorem cinxiſſe obſidione Theodoſiam Genuenſium coloniam, vulgo Capham nuncupatam, Turcaſque ſe ijs coniunxiſſe: ſed de eo iterum inferius.

Chriſtiani Ianibecho commendati.

[a] Io. Vill. l. 12. c. 26. M. S. diar. Venet hoc an. Bizar. hiſt. Gen. l. 6 Folietal. 7 hiſt. Gen. è Foliet. ead. lib.

Caffa obſeſſa a Tartaris.

23 Lugendum quidem, infideles quamuis lingua diſſonos, ſuperſtitione, moribus, nationeque diſpares, mutua animorum conſenſione in Chriſtianorum exitium conſpiraſſe: Chriſtianos vero, cũ diuini Numinis augenda gloria ac tuenda religio eſſet, in ſe mutuo arma ſtriuxiſſe. Qui non ſuſcepti a Pontifice labores? quæ prætermiſſa ſtudia, vt non modo Græcos, de quibus actum eſt, cum Latinis; verum Genuenſes quoque cum Cyprijs, Gallos cum Anglis, Aragonios cum Balearibus, Siculos cum Trinacrijs, Italos inter ſe, Bauaros alioſque plures Germanos cum eccleſia conciliaret? Vtque a primis incipiamus; ardebant ira Genuenſes in Cyprios nonnulla damna in Cypri inſula accepiſſe: ad quorum animos leniendos Pontifex, ne ſacræ expeditioni, quæ aduerſus Turcas parabatur, impedimentum aliquod ex eorum diſcordijs inijceretur, Simonem e Buccanigra ducem (gubernatorem vocat Clemens) certiorem fecit [c], Hugonem Cypri Regem, ſi quæ Genuenſibus damna illata eſſent, farcienda curaturum. Et ſane Cyprius Rex, Pontificis contra Turcas fœderatus, ad redintegrandum fœdus oratores Genuam miſerat: ij vero, etſi a Genuenſibus perhonorifice excepti, pacem impetrare non potuerant; immo Genuenſes ad Cyprum inuadendam validam claſſem inſtruebant: quos vt a nefario conſilio abduceret Chriſti vicarius, grauiſſimis expoſuit literis [d], ea conſilia in religionis exitium vergere, pium in Turcas bellum diſſolutum iri: darent nomini Chriſtiano, darent Numini diuino, darent ſedi Apoſtolicæ iniuriam: quæ æquitatis legibus compenſanda foret: acceſſiſſe ad aulam pontificiam Hugonis oratores, atque Regis & Cypriorum nomine de controuerſia paratos ſubire iudicium; atque adeo oratores ipſi ſuos Auenionem auctoritate inſtructos legarent. Ita Clementis ſolicitudine Cyprium illud bellum diſcuſſum.

Nauata a Pont. opera pro cõciliandis diſcordijs

[c] To. 2. ep. ſecr. 269.

Genuenſes bellũ parant in Cyprios. [d] lib. ep. 163. Pontifex ſopire illud ſtudet

24 At grauiora bella, quæ Gallos inter & Anglos intercedebant, non ſuſtulit Pontifex, ſed retardauit. Incubuerat in Britanniam vis bellica, cum Eduardus comitis Montisfortis, ducis Britanniæ ſine liberis defuncti tertij natu fratris in Angliam profugi clientelam aduerſus Francorum Regem ſuſcepiſſet a: cumque periculum eſſet, ne aduerſæ acies prælio conſertæ plurimum ſanguinem Chriſtianum ſpargerent, Cardinales legati Petrus Preneſtinus & Annibaldus Tuſculanus epiſcopi a Pontifice miſſi b ad vtriuſque principis caſtra ſe contulere, atque inducias ad triennium ſunt pacti [c], vt excurrente eo tempore Pontifex vtrumque Regem conciliaret. De quibus hæc M. S. Vaticanum [d]: *Miſit*, nimirum Clemens Papa, *dominum Anibaldum Neapolitanum Cardinales & dominum Claromontenſem Cardinales ad tractandum pacem vel aliquam treguam, cum Regibus Franciæ & Angliæ, & ipſorum regnis: qui Cardinales in tantum operauerunt, quod treuguam inter dictos Reges & ipſorum regna ordinauerunt per tres annos: ſed modicum fuit obſeruatum, ſpecialiter in Vaſconia & Britannia.* Pactas inducias refert Hocſemius [e], vt Anglica Gallicaque arma, ſi non in Turcas, ſaltem in Granatenſes in Hiſpania ad Alfonſi Regis Caſtellæ, Algeziram obſidentis, confirmandas vires verterentur: *Circa principium*, inquit, *huius menſis*, nimirum ianuarij, *inter Reges Franciæ & Angliæ treugæ publicatæ ſunt a feſto Michaelis ad triennium duraturæ; & ex tunc multi magnates properant in adiutorium Regis * contra Granatæ Saracenos.*

Galli & Angli bello atroci impliciti.

De Britannia certatum.

[a] Froſſard hiſt. l. 1. Io. Vill. l. 11. c. 142. Paul. Æm. in Phil. VI & alij.

[b] To. 2. ep. ſecr. 1. & an. 2. l. 5. ep. com. 4.

[c] Froſſar. hiſt. l. 1. Clem. vit auctor. Vvalſing. in Eduar. III. Hect. Booth in Dauide.

[d] M. S. bib. Vat. ſign. n. 2040. in Clem. VI. pag. 52.

[e] Hocſem. in Alfonſ. LXXV. epiſc. Leod c. 28.

Initæ inter Reges indutiæ.

* Caſtellæ

Aſſenſit his inducijs Eduardus Anglorum Rex non pacis ſtudio, ſed cum ob tempus bello incommodum, hoſtiſque potentiam conſilia promouere non poſſet, bellum diſtulit, vt antea apud Cameracum & Tornacum egerat, quo illud maiore apparatu redintegraret: at Pontifex, cum inducię iam inter Francorum & Anglorum Reges eſſent pactæ, quibus Scoti erant comprehenſi, & omnes ambarum partium fœderati, ad quos ſedandos, ſi conſurgerent in arma, ac præcipue in Britannia, Reges ſe obſtrinxerant [f]; interceſſit literis apud vtrumque Regem, vt ſumma religione ad muniendam paci viam ſeruarentur. Conſtituta [g] erat ſacra Ioannis Baptiſtæ natalitijs dies, qua amborum Regum oratores apud ſedem Apoſtolicam de concilianda pace agerent: ſed illam Eduardus ad natalitia Deiparæ extrahi flagitauit; contenderatque, vt Philippus Rex comitem Montisfortis belli Britannici initio apud Nannetas captum reſtitueret libertati, ac Dauidem Regem Scotiæ moneret vt ſeruaret inducias. Redintegrando vero potius bello, quam paci componendæ intentus erat Eduardus: dumque tractatus diem extrahebat, plura quæ turbarunt concordiam, obtigere. Hactenus de pontificio pro Anglis Galliſque conciliandis ſtudio: quæ ſecuta ſint, anno proximo dicetur. Nunc quæ a Clemente ad Petrum Aragonum & Iacobum Ba-

[f] To. 2. ep. ſecr. 1. & 63.

[g] Super ep. 1.

Comes Montisfortis captus

Bellum inter Aragonium & Balearem

Balearium Reges in priſtinam amicitiam reuocandos geſta, aggrediamur.

25 Exorta iam inter ipſos, vt ſuperiori anno vidimus, diſſenſione bellum vtrinque ſumma vi parabatur. Ad quod repellendum Pontifex Andream primum tit. S. Suſannæ presbyterum Cardinalem legationis munere exornatum miſit a: ſed nihil illius opera, nihil Antonij epiſcopi Caietani, a Sancia Regina Siciliæ Balearis ſanguinis ac Regis Aragonum amitæ ad Petrum Regem legati profuere: is enim contendebat accepta a patribus iura regiæ Aragoniæ infringi! ad quæ tutanda Balearem, non comparentem in iudicio, Barcinone ſedens pro tribunali principum ac magnatum Aragoniorum corona cinctus, damnauit contumaciæ, ac Baleare regnum, Ceritanię & Ruſcinonis comitatus, vt regię Aragoniæ beneficiaria, ad ipſam reuocanda pronuntiauit b.

a To. 2. ep. ſecr. 24.

Aragoni⁹ Balearem inſectatur legibus.

b Eod. cap.

26 Inter cætera, quæ Baleari Regi impoſuit crimina, illud non prætermiſit c, ad Baleares in ſuum obſequium alliciendos Iacobum Regem intolerabili ſeruitutis iugo ſubditos attriuiſſe, inſonteſque morte affeciſſe. Et quidem Baleares Iacobo infenſi, miſſo oratore d precibus Petrum incitarunt, vt ipſos Aragoniæ aulæ reſtitueret: ſi appelleret ad inſulam cum valida claſſe, ſe illius obſequijs addicturos. Inſtructus itaque eſt florentiſſimus naualis exercitus a Petro: ac tum forte Andreas Cardinalis ad dirimenda Regum prælia ob aduerſam valetudinem in Maioricam nauigare non poterat, ac paulo poſt Perpiniani vita functus e: ingraueſcentiq; bello, ac maioribus periculis rei Chriſtianæ impendentibus, alij internuntij apoſtolici legandi fuerunt.

c Id. c. 65. Baleares conſpirãt cum Aragonio.

d Eod. cap. & Matth Vill. l. 1. c. 27.

Card. S. Suſannæ in Aragonia legationẽ obit

e Clem. an 3 l. 1. ſep. eur. 118. Bern. tit. S. Cyriac. in eius locum ſubrogatus.

27 Data ea prouincia eſt v. idus iunij Bernardo tit. S. Cyriaci in thermis presbytero Cardinali quem Clemens inter alia ampliſſima mandata b auctoritate inſtruxit f, vt ſi viſum ita foret, obiecto anathemate, eccleſiaſticos ac populos, terra vel mari Baleare regnum bello petere vetaret. Cõtulit pariter auctoritatem Cardinali internuntio g, vt illos, qui regnum Aragonum inuadere molirentur coerceret, ac pluribus tum in Aragonij tum Balearis regno ampliſſimis muneribus auxit h: & vtriuſque regni præſules, ac proceres ſuam operam ad pacem conciliandam impendere iuſſit i. Reges denique Aragonium l & Balearem m ad mutuam concordiam, propoſitis ingentibus ex eo bello periculis emerſuris, Africanorum Hiſpanijs imminentium furore, rei Chriſtianæ excidio, eſt adhortatus. Miſſarum vero ad Petrum Regem Aragonum literarum potiſſima pars his verbis eſt concepta n.

f Ib. ep. cur. 121. Inſtruct⁹ poteſtate ferendi anathematis in belli auctores.

g Ib. ep. cur. 122.

h Ib. ep. cur. 124. ad 142. Reges ad pacem ſolicitati.

i Ep. cur. 143. ad 146.

l Ep. cur. 120.

m Ep. cur. 123.

n Super ep 120.

28 *Serenitatem tuam requirimus, monemus, & hortamur attente, ipſam per Saluatoris noſtri reſperſionem pretioſi ſanguinis obſecrantes, quatenus diligenter conſiderans prædicta, & alia non facile numeranda diſpendia, quæ diſcordia ipſa parit; nec non detrimentum, quod catholicæ fidei eiuſque cultoribus, & præſertim in frontaria blaſphemorum Agarenorum partium Africæ conſtitutis & vicinis eiſdem, ex diſſenſione huiuſmodi prouenit; quantaque etiam audacia aggrediendi Chriſtianos ipſos & terras eorum, & aduerſus eos exercendi perſecutiones hoſtiles atrocius ſolito exhibetur; & prudenter commemorans tranquillitatem & infinita commoda, quæ tibi & tuis ſubditis ex ſedatione huiuſmodi diſcordiæ prouenirent; quantumque indecens eſt, nec minus periculoſum tam ſublimes, & tanta coniunctas conſanguinitate & affinitate perſonas, animorum contrarietate diſiungi, ſeu inuicem diſſidere; animum tuum ad pacis ſolidæ vnitatem inter te & ipſum Regem Maioricarum, ſummotis impedimentis quibuslibet, actore Domino, reformandam ſic habilites & coaptes, quod inter te & ipſum, cuiuslibet odij & rancoris occaſione ſublata, concordia deſiderata proueniat, communibus occurratur periculis, & communibus vtilitatibus conſulatur: & nihilominus præfatum Cardinalem*, nimirum Bernardum tit. S. Cyriaci in Thermis presbyterum Cardinalem A. S. L. *ob noſtram & Apoſtolicæ ſedis reuerentiam, & ſuorum excellentiam meritorum, immo nos in ipſo potius benigne recipiens, ac debita honorificentia proſequens & pertractans, eius in præmiſſis ſalubribus monitis & paternis exhortationibus effectualiter acquieſcas, &c. Dat. Auin. v. id. ianij anno* 11.

Propoſita mutua affinitas.

29 Expoſuerat iam ante Petro Regi imminentem Africanorum irruptionem Alfonſus Caſtellæ ac Legionis Rex, orauerat que ineunte aprili, vt maritima auxilia ad arcendos traiectu in Hiſpanias Saracenos communicaret. At Petrus, expeditionis Balearis ac proferendi imperij cupiditate ardens, ſuaque commoda religionis Chriſtianæ cauſæ præferens, iuſta illius petita repulerat: pontificiæ vero preces de non inuadendis Balearibus inſulis, & alia de illius conatibus diſſoluendis Cardinali internuntio data imperia, tardiora extitere: tanta enim diligentia naualem claſſem inſtruxit Aragonius, vt antequam Clemens ſuperiora decerneret, atque internuntius apoſtolicus cenſuras Maioricam oppugnaturis aut naues paraturis incutere poſſet, iam ille a rebellibus vocatus a rerum potitus eſſet.

Balea- inſula gi Ara- mo & ſubie-

a Ma- Vill. l. cap. b Sura lib. 7. 66.

30 Decimo octauo maij die, vt refert Surita b, vela explicuit, & inuectus florentiſſima claſſe in maiorem Balearem, fruſtra illum ab exponendis in terram copijs arcere moliente Rege Baleari, exſcenſionem fecit, ac prælio congreſſus Iacobum male inſtructis agminibus irruentem primo impetu fudit: qua clade conſternatus Balearis, ſuorumque defectione territus, ex inſula fuga ſe ſubduxit c.

Prona omnia ad victorem fuere, ac Pontiani, poſt nonnullas Regi Aragonum de illato immeritis bello expoſitas querelas, intellectis belli cauſis, Petrum Regem, pacti ampliſſima iura libertateſque, exceperunt ea lege, inquit Mathæus Villanus d, adiecta vt nunquam Iacobo eiuſue poſteris ſubijcerentur: quibus conſentientia tradit Ioannes Mariana e, ac Iacobi calamitatem nimię in populos acerbitati, & iniuſtis vectigalium exactionibus tribuit.

c Ma- Vill. l. 27. Sur. c. 67. Iacobus Rex in- la pul- d Ma- Vill. l. 27. Ma- Vat. ſp. n. 200 e Mar. l. 16. c. Tyran exercit in pop los ex fuit.

31 *Erant*, inquit, *vt in exiguis principatibus fit, Baleares cæterique minuto Regi ſubditi populi nouis ſubinde vectigalibus oppreſſi; quorum cum modum non ſperarent, imperium mutari haud aegre laturi erant. Ventum ad arma. Petrus Moncada maris præfectus ab Algezira obſidione reuocatur, vt paulo ante dictum eſt. Claſſe valida comparata, in qua centum & ſedecim maiora minoraque nauigia erant, ad Rubricati promontorium Aragonius ſoluens, maiorem Balearem tenuit. Inſulani trecenti equites, pedites ad quindecim millia congregantur: collectitius exercitus parumque roboris habiturus. Victus continuo Balearis Pontiam vrbem ſe recipit: deinde, rebus deſperatis, in continentem abijt; & erant inſulæ voluntates in Aragonium propenſæ, omniaque victori procliuia.* Liberam inſulæ poſſeſſionem adeptus Petrus Rex veteribus Aragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ & Corſicæ regijs titulis

Ba-

Balearis nomen adiecit : atque ita extinctum Baleare regnum est, & cum Aragonio coniunctum.

Balearicũ regnum adiunctũ Aragonio

32 Purgauit se de Balearica confecta expeditione apud Clementem a Petrus Rex Aragonum, ac rationes, quæ suæ fauebant causæ exposuit; redijtque victor Barcinonem b, vt narrat Surita c, vigesima nona iunij die. Transmisit etiam illi Maria Aragonia Regina ad tuenda mariti Regis gesta, adiunctum nimirum iustis de causis Aragonio imperio Baleare regnum, sententiarum formulas a Petro Rege, seruato iudiciorum ordine e tribunali aduersus Iacobum Balearem latas. Perpensis Petri Regis rationibus Pontifex, rescripsit kal. iulij d, licet pro tuenda sua causa plura afferret, non minoris tamen momenti argumenta a Iacobo Baleari contraria adduci : hortatusque est, vt in sanguine & affinitate coniunctissimũ clementia vteretur, neue nepotes ex regia ad priuatam fortunam redigeret; ac Mariam Reginam rogauit e, vt pro redintegranda concordia intercederet; sanguinis & affinitatis iura eo bello turpiter violari : susceptos e Constantia Petri Regis sorore filios : rem Christianam in discrimen adduci. Cumque illa precibus contendisset, ne Cardinalis legatus ad Iacobi Balearis gratiam mitteretur, respondit Clemens III. non. iulij iam tum Bernardum tit. S. Cyriaci in thermis presbyterum Cardinalem non legati, sed internuntij impositio munere instaurandi fœderis causa missum. Hunc vero curis ancipitem ob Regis Aragonum secundis elati successibus inexorabilem animum, vt ad pacem conciliandam summa ope incumberet f, VI. id. augusti excitauit.

Contendit Petrus Rex id iu se factum

a To. 2. ep. secr. 121.

b Ib. ep. secr. 126.

c Sur. c. 68

d To. 2. ep. secr. 121.

Allatæ cõtrariæ in Aragoniũ querelæ.

e Ib. ep. secr. 126.

Inexorabilis Aragonius.

f Ead. to. 2. ep. secr. 232.

33 Præterea significauit ei g optimum videri, vt Iacobus Balearium Rex, accepta tuti commeatus syngrapha, Petrum Regem Aragonum conueniret, vel cum Petro Ripacurtiæ comite concordię tractatum agitaret, seque ad eam Reges cohortaturum. Extant eo argumento literæ ad Petrum comitem Ripacurtiæ h, vt pacis interpretem ageret; tum ad illius nepotem Regem Aragonium i, vt ad clementiam eum flecteret : *Ad clementiam*, inquit, *te diuina inuitat sapientia, qua teste, firmatur clementia thronus Regis; & dicens alibi : Noli esse multum iustus, rigorosam videtur iustitiam prohibere.*

g Ib. ep. secr. 264.

h Ib. ep. secr. 266.

i Ib. ep. 265.

34 Vt victorem ad clementiam, ita victum ad frangendos altiores spiritus, captandamque Regis Aragonum beneuolentiam solicitauit l. Edocuit experta calamitas Balearem, vt se demitteret : refert enim Surita m, expetijsse iterum iterumque ab Rege Aragonum liberam ipsius adeundi facultatem, nec tamen impetrasse; atque vltro obtulisse assensurum se, vt Cardinalis, quem Aragonius controuersiæ arbitrum delegisset, de Baleari regno pronuntiaret, de Ceritaniæ & Ruscinonis comitatu modo possessione non abiret, ipse Aragonius ferret sententiam. Sed tardius Balearis Aragonij, ad eius perniciem aspirantis, ambiebat gratiam. Promouerat in Ceritaniam & Ruscinonem exercitum Petrus Rex, ac nonnulla oppida in suam potestatem redegerat n : cumque paulo post ab armis temperatum, pactis inducijs accepisset Pontifex, vrgendæ concordiæ solicitus, Armandum archiepiscopum Aquensem, quem primum ad componendam eam controuersiam superiori anno adhibuerat, Bernardo Cardinali ad promouendum pacis tractatum socium adiunxit o.

l Ep. 267.

m Surit. l. 7. c. 70. Balearis frustra gratiam expetit.

n Marian. l. 16. c. 12. Sur. l. 7. c. 72.

Armandº archiep. ad Aragonium inuf sus.

o Ann. 2 p. 2 ep. cur. 32.

35 Consumpti porro sunt frustra Bernardi Cardinalis & Armandi archiepiscopi labores, pugnantibus vtriusque Regis voluntatibus, atque altero amissa recuperare, altero tueri parta annitentibus. Suis vero iuribus exui Iacobus Balearis mereri potuit, quippe qui ecclesiarum sui principatus iura inuaserat a. Interceserat ipsum inter & Elnensem episcopum ea de causa grauis controuersia, quæ cum Pontificis arbitrio edito compromisso esset permissa, Iacobus nondum ea decisa, plura contra illius ecclesiæ, ad quam Elnensis vrbis imperium spectabat, iura pertentarat; deque immani sacrilegio ab eiusdem Regis militibus, operante diuinis sacerdote, patrato Pontifex questus est. Vt vero non Elnensi modo dominatu, sed totius Ruscinonis atque Ceritaniæ comitatibus Iacobus Rex sit exutus, inferius dicetur. Nunc ad Castellanum Regem, aduersus fidei hostes dimicantem, properat historia.

a To. 2. ep. secr. 431.

36 Impetrarat superiori anno a Pontifice Alfonsus Rex nonnullas vectigalium ecclesiasticorum decimas, ac duas tertias reficiendis templorum sartis tectis sacras, in belli aduersus Granatenses tolerandos sumptus deriuandas b : tum etiam stipem ab indulgentiarum præmia lucraturis erogandam, adiectis certis legibus ab Alfonso admittendis : quas cum ille habuisset ratas, licet condicto die id sedi Apostolicæ non significasset, oblatas tamen a Petro Sabaudo Cardinale confirmauit Clemens. Vrgebat Alfonsus obsidione Algeziram regiam Maurorum in Hispania imperij sedem, in qua nonnihil periclitatum est, cum Petrus Rex Aragonum classem, vt Baleares inuaderet, abduxisset; atque Albohacenus Rex florentissimas copias in Hispanias traducere pararet, adeo vt Alfonsus de concordia cum Granatensibus agitaret c, modo Afrorum amicitiæ renuntiarent : at ij, cum alienis potius, quam suis viribus starent, detrectarunt : ac tum Philippus Nauarræ Rex plurefque Angliæ & Galliarum principes, inducijs inter Reges initis vsi d, auxilia Alfonso attulere; de quibus Hispanicarum rerum scriptor hæc tradit e.

Castellanº Maurico bello implicitus.

b Ib. ep. secr. 435.

Traijcere in Hispanias parãt Afri.

c Marian. l. 16. c. 11.

Classis Maurica ad Septam erat numerosa, vniuersis Africæ viribus contractis, ad traijciendum primo quoque tempore parata. Recentes ij veniebant : nostri diuturnis laboribus & difficultatibus fracti. Rem Christianam periculo proximam diu tutelares Hispaniæ sustentarunt, perpetuaque Regis aduersus ingruentia mala animi constantia, atque felicitas : nam vno tempore ex Anglia, Gallia, & Vasconibus numero & virtute valida manus venit Eduardi Angli Regis permissu : comites Arbidi & Soluzberi, Fuxensis comes cum fratre Bernardo ad opem ferendam ex locis disiunctissimis excitati sunt spe veniæ, quam Romanus Pontifex Clemens VI. Lemouicensis, priori anno in Benedicti decessoris locum subrogatus, omnibus qui pia arma caperent pollicebatur. Philippus ipse Vasconum Rex sub iulij mensis finem, commeatu nauibus præmisso copijsque sequi iussis, magnis itineribus festinauit, ne prælio deesset, quod propediem fore fama ferebatur. Horum principum aduentus Regi Castellæ, vt oportuit, gratissimus fuit : nostris cum spe certa victoriæ pugnandi animus accessit. Sed diutius in castris maxime ob cæli grauitatem fœderati hærere non potuerunt, atque ex ijs Philippus Rex Nauarræ, cum Cæsarianum de Castellæ Regis voluntate digressus esset mense septembri, & Fuxẽsis comes Hispali morbo extincti sunt, atque vtriusque corpus in patriam relatum.

d Hoc sem. c. 28. in Adolph.

e Marian. l. 16. c. 12.

Auxilia ex copiæ ad Castellanum confluunt.

Philippi Regis Nauarræ mors.

Ac-

Accepta Regis Nauarræ morte Pontifex, Ioannam Reginam viduam erigere ad constantiam Christianam consolatorijs literis studuit, vtque ille in expeditione contra fidei hostes sacramentis rite munitus pie obijsset exposuit, atque apostolicum patrocinium est ipsi pollicitus.

Clemens, &c. charissimæ in Christo filiæ Ioannæ Reginæ Nauarræ illustri.

Condolet de ea Pontifex.

37 Non sine cordis anxietate mentisque amaritudine nuper audiuimus, claræ memoriæ Philippum Regem Nauarræ virum tuum fuisse, sicut Domino placuit, viam vniuersæ carnis ingressum. Et licet suarum virtutum magnitudine, deuotionisque altitudine, quibus in hoc mundo præfulgebat Rex ipse conspicuus, intenta consideratione pensatis, de tanti tamque deuoti ecclesiæ filij subtractione fuerimus iuxta possibilitatem conditionis humanæ doloris acerbitate respersi; dum tamen diligenter attendimus ipsius felicem transitum, qui tanquam deuotus ipsius ecclesiæ filius, & zelator fidei catholicæ feruidus, in Dei & eiusdem fidei prosecutione negotij, pro quo ad partes Hispaniarum contra perfidos Saracenos profectus fuerat, & in eiusdem confessione fidei, rebus suis prudenter, vt intelleximus, dispositis & sacramentis ecclesiasticis deuote receptis, euocatus de huius mundi calamitatibus & miserijs ad perpetuas & lucidas, vt creditur, mansiones sic clausit laudabiliter terminum vitæ suæ, multipliciter in Domino consolamur.

Solatur Reginam Ioannam.

Sane, filia charissima, quia te de subtractione dicti viri mœroris repletam mœstitudine, non sine compassione paterna, cordis oculis contemplamur; celsitudinem tuam regiam attentius in Domino exhortamur, quatenus consideranter attendens, quod ille supernus Conditor & creator omnium, qui dedit Regem ipsum, ad se absque tui & cuiusquam alterius iniuria potuit iuxta suæ voluntatis beneplacitum reuocare; quodque mortis iudicium, restitutionis beneficium non admittit, attentis ijs quæ præmisimus, absterfis lacrymis, subductis suspirijs, & doloribus mitigatis, te coapatare dispositioni & voluntati diuinæ in hac parte studeas, & in eo consolationem assumas, qui totius consolationis est pater, vt tua regalis magnanimitas non demissa, sed fortior & virtuosior, sicut statum decet regium, appareat in aduersis; de nobis fiduciam habitura, quod super tuis, ac tuorum & Regis prædicti liberorum opportunitatibus nos, quantum cum Deo poterimus, propitios reperies & benignos. *Dat. Auin. VII. kal. decembris anno* 11.

Collegere ex Philippi Regis Nauarræ morte animos Saraceni, cumque antea Albohaceno vniuersum certamen experiri suadenti repugnarent: probatam satis antea Christianorum virtutem, qui numero impares vicissent; nunc erecti congredi signis decreuere. Sed diuina ope in traijciendi Palmonis fluminis conatu deleti sunt, de quibus hæc scribit Mariana a: *Ea re Mauri incitati, mutato consilio, prælio decernere statuunt. Sexaginta triremes Mauricæ octobri mense ad Steponam appulsæ mox Heracleam tenuere eo terrestres copiæ posuerunt castra. Ad Palmonem amnem interfluentem vtraque copias. Cum semel, iterum, & tertio ex interuallis accessissent in transitu prælio pugnatum est. Non animo, non armis, non bellica disciplina, non corporis robore par Hispano Maurus fuit. Breui victi fusique hostes. In vrbe*, Algezira nimirum, *suprema annonæ penuria erat: triremes vna & altera commeatu onustæ a nostra classe intercepta.* Hæc apud Algeziram hoc anno gesta; sequenti in ea defixa triumphalia crucis signa, ac Mahometi superstitione polluta templa Christo consecrata sunt.

a Marian. de reb. Hisp. l. 16. c. 11.

Mauri deleti.

38 Pugnatum a est eodem tempore in septentrionalibus oris a pluribus Regibus ac principibus pro fide aduersus barbaros Lithuanos, qui grauiora damna Christianæ rei in Prussia ac Liuonia intulerant. Suscepere sacrum illud bellum Ioannes Boemiæ & Ludouicus Vngariæ Reges, quibus Vvillelmus Hollandiæ & Hannoniæ dux cum lectissimis copijs, debellato in itinere Vltraiecto, se coniunxit b. Penetrarunt Reges in Lithuaniam, in qua dum ferrum flammamque circumferrent, Boguslaus Lithuanorum dux in Liuoniam & Zambiensem tractum irrupit, ac prouinciam cladibus fœdauit. Adductus est in inuidiam cruciferorum magistet, atque illius inertiæ mali causa adscripta. De quo hæc Michouias c: *Anno Domini* MCCCXLIII. & infra, *Ludouicus Vngariæ, Ioannes Lucemburgensis Boemiæ Reges, Carolus filius eius marchio Morauiæ, item comes de Halles & alij quamplures illustres viri in Prussiam cum eorum potentijs aduenerunt, atque cum magistro Prussiæ in Lithuaniam descenderunt. Lituani autem interim, quo eorum terra vastabatur, cum omni potentia in terram Zambiensem & in Liuoniam perrexerunt, & eas grassabantur, magistro Liuoniæ absente & Samagitas oppugnante: quæ varietas adeo Reges afflixit, vt magistrum conuitiarentur tamquam huius pessimi euentus auctorem.*

Sacrum bellum Lithuanos.

a Mich. l. 4. c. 23. Crom. l. 12. in C. simir. l.

b Ia. a Leyd. C. mol. l. c. 9.

c Mich. sup. c. 23.

Liuonia vastata a Lithuan.

Confirmatæ erant infidelium vires ex Casimiri Regis Poloniæ veteribus cum religiosis equitibus S. Mariæ Theutonicorum hospitalis Ierosolymitani dissensionibus, cum Poloni Pomeraniam aliasque ampliſſimas terras vt iuris Polonici repeterent, illi vt iure partas tuerentur. Quæ controuersia vt interceſſerit, ita in literis pontificijs describitur d: *Super eo, quod dictus Rex asserebat, dictos magistrum, commendatores, & fratres, Culmensem* Pomeraniæ, *Cuiauiæ Dobrinensem & Michalonensem terras ad se pleno iure spectare, dictosque magistrum, commendatores, & fratres terras seu ducatus huiusmodi occupasse ac detinere contra iustitiam, & recepisse; fructus tempore occupationis huiusmodi, & adhuc recipere minus iuste, seque propterea multas expensas & damna varia subijsse; dictis magistro, commendatoribus, & fratribus asserentibus præfatas Culmensem, Pomeranensem, ac Michalonensem se iusto possidere titulo; Dobrinensem vero & Cuiauiensem terras, seu ducatus prædictos vigore priuilegiorum, eis a sede Apostolica & imperio concessorum iuste occupasse per bellum, & occupatos potuisse licite possidere, nec non eis damna grauia & innumera in personis & rebus eorum per dictum Casimirum ac claræ memoriæ Vvladislaum genitorem suum* Reges Poloniæ, *associatis sibi* Letuuinis *iusidelibus, contra Deum & iustitiam intulisse; non sine grauibus periculis suscitare studuerat hostis pacis.*

Poloni cruciferi dissentiu.

d To. 2. n. sect. 70.

Controuersiarum inter eos capita.

39 Cum grauiora inueheret exitia hæc inueterata dissensio, ac Lithuani Polonorum freti auxilijs aduersus cruciferos insolescerent, remque Christianam deprimerent; iam antea Benedictus componendæ discordiæ studio, Polonorum & cruciferorum auditis oratoribus, Cracouiensi, Culmensi, & Misnensi episcopis prouinciam dederat, vt si Casimirus Poloniæ Rex ac magister equitum Prussiæ consensissent, Cuiauiæ & Dobriniæ ducatus Polonicæ regiæ, refusis ob illata damna Polonis decem aureorum millibus, restituerentur;

Benedicti dein sententia.

ex

ex sententia enim a Ioanne Boemiæ & Carolo Vngariæ Regibus arbitris pronuntiata, eas prouincias Casimiro adiudicatas vidimus: ac si Polonus de Pomerania Culmensi & Michalouiensi terris litem cruciferis intenderet, pro ea qua valebant prudentia controuersiam ex amicitiæ legibus componerent. Inter hæc e viuis decesserat Benedictus, nec res operi mandata fuerat: quare Clemens, vt exitialem Christianæ religioni discordiam tolleret, iterum Cracouiensi, Culmensi, Misnensique episcopis munus iniunxit a, vt omnem diligentiam in Casimiro & magistro Prussiæ mutuo fœdere coniungendis collocarent: quibus literis apostolicis VI. id. iun. pontificatus anni II. dies adiecta est.

a *Super ep.*

Cæterum transegisse hoc anno Casimirum cum cruciferis ea lege, vt Cuiauiam & Dobriniam reciperet, suoque in alias prouincias adductas in controuersiam iure cederet, refert subiectis verbis Cromerus b: *Facile Casimirus concessit petentibus, vt iure omni, quodcumque * ipsi a maioribus suis haberet, in Pomerania, Culmensi, & Michalouiensi ditione sese posterosque suos, iureiurando interposito & literarum monumentis confignatis abdicaret; ac de sigillo etiam, quo diplomata regia signantur, Pomeraniæ nomen eraderet, quo Cuiauiam ac Dobrinensem ditionem ab eis reciperet. Itaque, constituto cum magistro cruciferorum congressu Inovvladislauiæ ad vigesimam secundam diem mensis iulij, comitia quoque suis indixit, vbi abdicatio illa scriptis facta: Casimiri vero non modo Regis, verumetiam Lemouiti Visnensium, Lemouiti Cirnensium, & Boleslai Plocensium Mazouiorum ducum procerum quorundam Polonorum & primariarum ciuitatum, nempe Craeouiensis, Posnaniensis, Sendomiriensis, Saudecensis, Calissiensis, Vvladislauiensis, & Brestensis diplomatibus confignata est: episcopi vero neque vt signarent, neque vt approbarent adduci vlla ratione potuere: quo robore animi vtinam Rex ac cæteri proceres fuissent. Annus autem, quo hæc acta sunt, fuit* MCCCXLIII. Hactenus Cromerus, quem parum periclitantis rei Christianæ in septentrione statum perpendisse colligitur, dum pacem adeo necessariam vituperat. Sed breui inueterata discordia magno religionis detrimento recruduit, elusitque episcoporum quibus conciliandæ concordiæ prouincia erat data, industriam controuersiæ magnitudo: querentem enim de Casimiro Pontificem, auxilia infidelibus præstitisse contra cruciferos audiemus; illumque culpam in cruciferos, qui ipsum ad id coegerant, conuertentem.

Conuenta Polonũ inter & Cruciferos inita. b *Crom. l. 11 in Casim. II.* * *ipse* * *haberet* Pomerania asserta cruciferis.

40 Memoratis porro Cracouiensi c & Culmensi d, ac Posnaniensi e, Plocensi f, Vvladislauiensi g episcopis, Gnesnensique h archiepiscopo partes impositit, vt censum appellatum denarium S. Petri colligendum in subditis prouincijs curarent, & quæstoribus designandis in eam rem a Galhardo Apostolicæ sedis internuntio studerent. Quod ad Vvladislauiensi episcopo obnoxios populos spectat; deuincti fuerant iamdiu censuris Vvladislauienses i, quod denarium S. Petri soluere detrectassent: deinde cum inter Ioannem Regem Boemiæ, cui Vvratislauia parebat, & Galhardum e Carceribus in Vngaria & Polonia A. S. N. concordia esset inita, vt in Silesia annis singulis quadragesima recurrente a Silesijs in singula capita denarium communis formæ & ponderis secuturis temporibus penderetur, negarant Vvladislauienses se persoluturos: iam vero mutata sententia in gratiam cum ecclesia redi-

c *Tom. 2. ep. secr. 157. 158.* d *Ib. ep. 161. 164.* e *Ep. 155. 156.* f *Ep. 160. 163.* g *Ep. 159. 162.* h *Ep. 153. 154.* i *Ep. secr. 216.* Denariũ S. Petri exactum in Silesia.

ri, cum censum pendere constituissent, Clemens Arnesto archiepiscopo Pragensi prouinciam dedit, vt Vvladislauiæ templorum & sacrorum vsum restitueret.

41 Regnabat per id tempus in Suecia ac finitimis prouincijs Magnus Rex, quem Pontifex hoc anno paternis monitis erudiuit a, vt pietatem sectaretur, iustitiam coleret, ecclesias virosque ecclesiasticos gratia & beneficijs prosequeretur, miseros susciperet, viduas, orphanos, pupillos tueretur, vt caduco regno immortale adiungeret.

Magnus Rex Sueciæ. a *To. 2. ep. secr. 206.*

Clemens, &c. Magno Regi Sueciæ illustri.

Quia te, fili dilectissime, regnumque tuum fauore dilectionis paternæ prosequimur, & per viam salutis & prosperitatis dirigi cupimus gressus tuos; tuam regiam excellentiam in Domino attentius exhortamur, quatenus ad Deum, per quem regnas & regeris, continue dirigens in humilitate spiritus studia mentis tuæ, te in omnibus actibus tuis diuinis beneplacitis coaptando, ea quæ in oculis diuinæ maiestatis accepta esse crederis, iugiter studeas operari; & attendens, dilectissime fili, & intra tui regij arcana pectoris sæpe reuoluens quod, sacra teste scriptura, veritas & iustitia Regem custodiunt, & firmatur clementia thronus eius, his inhærere procures iugiter in omnibus factis tuis, vt in regnis & terris tuis iustitiæ cultus Deo grate vtique vigeat continue, rapinis, violentijs, & iniurijs quorumlibet per tuæ virtutis & magnanimitatis potentiam inde relegatis penitus & repressis; sic quod commissi a Deo tibi populi sub tuo felici regimine in pacis pulchritudine sedeant, in tabernaculis fiduciæ habitent, & requie opulenta quiescant. Ecclesias insuper & personas ecclesiasticas pro diuina & apostolicæ sedis reuerentia habeas in honore, ipsas in suis iuribus & libertatibus confouendo, ac pupillis, orphanis, & viduis, alijsque pauperibus & personis miserabilibus te propitium misericordem, & defensorem exhibeas, eas ab oppressionibus & violentijs releuando: sicque in his & alijs pijs operibus te procures benevolis solicitudinibus exercere, tuamque circa talia, ex quibus placebis Altissimo, solides iuuentutem, quod velut assueta in dierum longitudinem, in quos pertrahi ex ijs mereberis, semper portes suauius, & inde celebris fama tui nominis per orbem felicia susciptat incrementa; tandemque consummato cursu vitæ præsentis instabilis, ex his & alijs iustis operibus tuis de regno temporali & corruptibili ad regni gloriam transeas sempiterni, &c. *Dat. apud Villamnouam Auin. diœcesis, IV. kal. augusti anno secundo.*

Monita illi a Pont data.

Vtinam Suecus Clementis monita demisisset in animum, atque iustitiæ laudem non obscurasset; feliciter enim regna propagare in posteros potuisset: verum quia postea Elisabetam Henrici Holsatorum comitis filiam, quam Aquino filio Norvvegiæ Regi desponderat, tradita illi Margareta Vvaldemari Regis Daniæ filia, per summã iniuriam reiecit, ratus splendidioribus ijs Aquini nuptijs res suas magis confirmatum iri, delusus vana spe & cogitatione iusto Dei iudicio ex regno depelli meruit; qua de re pluribus Albertus Crantzius b, additque regnum Alberto ducis Magnopolensis filio delatum.

Dum splẽdidas spes sectatur Suecus, res suas euertit.

b *Crantz. Suec. l. 5. c. 29.*

42 In Germania oborti noui motus de creando alio Cæsare: consulturus enim rei Christianæ Clemens, ne diutius catholico Imperatore careret ecclesia, cum Benedicti prædecessoris beni-

Tentata frustra in Ludouicũ Bauar. clementia.

gnitas Bauarum nunquam ad Christianam pœnitentiam flectere potuisset, quamuis iamdiu Ludouicus vi gubernacula imperij tractasset; non expectato illius obitu, electores principes ad creandum Regem Romanorum adigere, vel apostolica auctoritate, si ij recusarent, qua imperium ad occidentales traducere potuit, creare Imperatorem decreuit. Seueritatem tamen clementia temperaturus, vt Bauari sequaces schismaticos vel hæreticos ad ecclesiæ gremium reuocaret, eundem monuit officij, vtque cæsareos titulos, nonnisi pontificio assensu resumendos, abijceret: abstineret hæreticorum patrocinio, ac sacris profanandis: catholicos restitueret sacerdotijs, intrusos pelleret, atque ex Christiani viri officio demisse ad ecclesiæ sinum scelera sua rite expiaturus rediret. Sacro itaque cœnæ Domini noua in Bauarum edicta in frequentissimo hominum cœtu protulit. Qua de re hæc habet M. S. Vaticanum a: *Anno Domini* MCCCXLIII. II. *id. aprilis processus contra Ludouicum Bauarum innouauit*; nimirum Clemens Papa. Transmisi ij ad præsules fuere, vt promulgarentur, extantque de ea subiectæ literæ ad patriarcham Aquileiensem ac suffraganeos episcopos datæ. b

Promulgata in eũ a Clemẽte edicta.

a M.S. *bibl Vat. sign. n. 3765. et aliud sign. n 2040. in Clem. VI.*

b *An 1. l. 6 ep. cur. 24.*

Clemens, &c. venerabilibus fratribus .. patriarchæ Aquileiensi, eiusque suffraganeis.

Pridem, videlicet in die cœnæ Domini, contra Ludouicum de Bauaria, hostem Dei & ecclesiæ manifestum, ac de hæresi condemnatum, recensitis sub compendio culpis horrendis, & nefandis excessibus, ac contumacijs cumulatis, continuatis, & auctis contra Deum, & sacrosanctam Romanam commissis ecclesiam matrem cunctorum fidelium & magistram; nec non processibus per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum diuersis temporibus contra ipsum, ac dantes eidem in præmissis auxilium, consilium, vel fauorem habitis, ac pœnis & sententijs inflictis eisdem, & nonnullis alijs facinorosis & grauibus ac temerarijs excessibus, fermento non carentibus hæreticæ prauitatis, per ipsum postmodum damnabiliter & contemptibiliter attentatis, recitatis, explicitis; quendam monitionis processũ per literas nostras emisimus in hęc verba.

Clemens episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ludouici flagitia.

43 Prolixa retro series ipsiusque diffusa narratio, cui vix tempora longa sufficerent, tędio nimium audientes afficeret, si Ludouici olim ducis Bauariæ, & in Regem Romanorum discorditer, vt dicebatur, electi culpas horrendas, & nefandos excessus ac contumacias cumulatas, auctas, & continuatas contra Deum, & Romanam commissos ecclesiam cunctorum fidelium matrem atque magistram; nec non processus prouide per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum, diuersis temporibus habitos contra ipsum, ac dantes eidem in præmissis auxilium, consilium, vel fauorem, pœnasque ipsis inflictas, repetitio serioſa & distincta narraret. Ideoque pauca sumentes ex multis culpas, excessus, atque processus, & pœnas eosdem sermone succincto, prout tamen materia patitur, duximus referendos.

Dudum siquidem, cum per obitum Henrici Imperatoris, Romano imperio vacante, Romani principes ecclesiastici & seculares, ad quos futuri Romanorum Regis, in Imperatorem postmodum promouendum, electio pertinebat, votis eorum in diuersa diuisis, dictum Ludouicum Bauariæ, & quondam Fredericum Austriæ tunc duces, in Reges Romanorum, vt dicebatur, discorditer elegissent; idemque Ludouicus post aliqua temporum interualla, quibusdam de hæresi a suis competentibus iudicibus per diffinitiuam sententiam condemnatis, & ecclesiæ præfatæ rebellibus fautorem & defensorem eorum se exhibuisset & exhiberet, præfatus prædecessor noster dictum Ludouicum, quia monitus per ipsum per publicum edictum sub pœna excommunicationis (quam eum incurrere voluit ipso facto, si infra certum terminum ad hoc sibi præfixum, monitioni huiusmodi non pareret) ab ipsis fautoria et defectione iuxta monitionem eandem non destitit, in dictam excommunicationis sententiam incidisse declarauit, ipsumque eadem sententia innodatum & velut excommunicatum, præter casus exceptos a iure nunciauit ab omnibus euitandum; ac subsequenter, dicto Ludouico spretis per eum monitionibus & mandatis prædecessoris prædicti, fautoriam & defensionem prædictas & contumaciam circa eam continuante, & huius contumaciæ contumaciam ac peiora cumulante, dictus prædecessor de fratrum suorum consilio, (quia idem Ludouicus monitus per ipsum sub pœna priuationis omnis iuris, si quod sibi ex sua electione prædicta ad regnum & imperium Romanum quoquo modo competebat & posset competere, quod a prædictis fautoria & defensione desisteret ab eisdem, desistere contempsit) ipsum Ludouicum sententialiter priuauit iure prædicto: ac deinde ipsum monuit, districtius iniungendo eidem sub pœna excommunicationis & priuationis feudorum, quæ a Romana vel alijs ecclesijs seu imperio obtinebat; nec non priuilegiorum quorumcumque a sede Apostolica, vel Romanis Imperatoribus, eidem vel suis prædecessoribus, quatenus eius commodum tangerent, quomodolibet concessorum, vt a fautoria prædicta realiter desisteret: quas quidem pœnas & earum quamlibet dictus prędecessor prędictum Ludouicum voluit incurrere ipso facto, si prędicta contemneret adimplere.

Vtra ne dictus

Ob fidium retico exqui tus.

44 Et quoniã præfatus Ludouicus a prædictis noluit abstinere, sed ea contumacius prosequens, manifestiora solito exhibuit argumenta; necnon diuinis officijs audiendis, non absque contemptu clauium, se ingerebat, & in locis ecclesiastico interdicto suppositis ea celebrari faciebat, aliosque ad non seruandum interdictum huiusmodi inducebat, ac nonnunquam compellebat, cum præmissa adeo essent notoria, quod nequibant aliqua tergiuersatione celari; dictus prædecessor de fratrum prædictorum consilio procedens, declarauit & denunciauit eundem Ludouicum contumacem, & priuatum feudis omnibus, quæ a Romana vel alijs ecclesijs, seu ab Imperio obtinebat, & specialiter ducatu Bauariæ, & omni iure quod in eodem ducatu, seu eius occasione seu causa sibi competebat, aut competere poterat quoquo modo, exponendis seu concedendis catholicis, prout sedes Apostolica duceret ordinandum, principalis dominij iure semper saluo; nec non & omnibus priuilegijs apostolicis & imperialibus sibi seu eius prædecessoribus indultis, ipsumque priuauit omnibus & singulis supradictis. Vasallos quoque ipsius a quolibet vinculo & iuramento fidelitatis & homagio absoluit, & nuntiauit penitus absolutos. Et quia excommunicatus pro fautoria hæreticorum excommunicationis sententiam sustinuerat per

Cen plur reti

bien-

biennium, & vltra animo indurato; idcirco declarauit præfatum Ludouicum fore manifestum hæreticorum fautorem, ipsumque pœnas omnes a canonibus inflictas talibus incurrisse: & nihilominus eundem Ludouicum per edictum publicum monuit tam sub excommunicationis, quam alijs spiritualibus & temporalibus pœnis contra fautores & defensores hæreticorum per sacros canones impositis & inflictis (quas ipsum, si monitioni huiusmodi non pareret cum effectu, incurrere voluit & decreuit ipso facto) vt a fautoria & defensione dictorum hæreticorum, atque fautorum, sequacium, & valitorum ipsorum desisteret, penitus eis vel eorum aliquibus, quamdiu in sua perfidia vel extra gratiam prædictæ sedis & communionem fidelium persisterent, nullatenus adhæsurus, nec eos defensurus, vel eisdem præstiturus per se vel alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, consilium, vel fauorem.

Repetita, vt male cœptis absisteret, impetrit.

45 Rursus dictus prædecessor, cum ex fama publica, & multarum sublimium personarum relatione peruenisset ad eum, quod licet ipse dudum, deliberatione cum fratribus suis, & numerosa prælatorum & doctorum theologiæ, ac vtriusque iuris multitudine præhabita diligenti, declarasset quod assertio, qua pertinaciter asseritur, quod Christo & Apostolis in ijs, quæ ipsos habuisse scriptura sacra recolit, ius illis vtendi seu ea consumendi non competierit, nec illa vendendi seu donandi ius habuerint, erronea & hæretica est censenda; prædictus tamen Ludouicus contra declarationem prædictam præsumptione temeraria ausus fuerat, facta mentione expressa de ipsa declaratione, contrarium asserere publice, ac in eius præsentia per alios facere publicari: nec non libellum quendam, sigillo suo in eodem appenso, inter alia multa falsa & erronea prædictam hæresim continentem (videlicet quod immo Christo cum Apostolis in rebus, quæ habuerunt, nullum ius competijt, sed tantummodo vsus facti; adijciens quod dicere contrarium erat hæreticum censendum, & asserens expresse in eodem libello, se in multorum præsentia iurasse præmissa, & omnia alia in dicto libello contenta se credere esse vera) per certos nuntios ad diuersas ciuitates & principes transmiserat Alamanniæ & Italiæ & partium aliarum, libellum ipsum poni faciens in locis publicis, & exponi; & quod Marsilius de Padua & Ioannes de Ianduno librum quendam, quem composuerant erroribus & hæresibus varijs plenum, eidem Ludouico præsentarant, & contenta in eo, ipso præsente, docuerant & manifestauerant in partibus illis & quod licet nonnulli viri catholici sacris literis eruditi, eidem Ludouico exposuissent, doctrinam illam hæreticam, ipsosque velut hæreticos puniendos, periculosumque fore sibi tales ad suam familiaritatem admittere, aut in terris suæ iurisdictioni subditis sustinere, ipse tamen Ludouicus, velut credens illorum hæresibus, ipsos in familiares suos retinuerat, erroresque prædictos manifestos, & damnatos commiserat publicari [ex hoc prudens lector aduertat, an veritate nitantur, qui Ludouicum negant hæreseos labem contraxisse] et insuper quod idem Ludouicus, ligatus diuersis excommunicationis sententijs, in locis etiam interdictis faciebat celebrari diuina, contra rectorum & religiosorum voluntatem, illisque intereſſe non metuebat, & alios ad celebrandum in locis interdictis, excommunicatis & interdictis præsentibus, inducere ac compellere non omittebat; Ludouicum citauit prædictum per edictum publicum, presente multitudine fidelium, vt infra certum terminum personaliter compareret coram eo, super præmissis facturus quod esset rationis, & sententiam auditurus, ipsum terminum eidem pro peremptorio assignando.

Publice hæresim professus.

Librum hæreticū promulgauit.

Marsilio & Ianduno hæresiarchis fauerit.

Profanata a Lud. sacra.

46 Verum cum prædictus Ludouicus infra terminum prædictum sibi, vt præmittitur, assignatū comparere coram præfato prædecessore nostro per se vel per alium non curasset; idem prædecessor contumacem reputauit, & declarauit eundem. Et cum præmissa adeo forent notoria, quod nulla poterant tergiuersatione celari, ipsum Ludouicum de fratrum suorum consilio fore hæreticum declarauit; nec non assertiones prædictas per dictam constitutionem hæreticas declaratas, & scripturas quascunque continentes easdem, ac ipsum Ludouicum reprobauit & sententialiter condemnauit: & nihilominus ipsum Ludouicum bonis omnibus mobilibus & immobilibus, iuribus & iurisdictionibus, ac quibuscumque alijs, vbicumque consisterent, & quibuscumque nominibus censerentur; & specialiter comitatu Palatinatus Rheni & omni iure, ratione, vel occasione, illi vel alias quouis modo ad eundem Ludouicum pertinente, ac voce in electione Regis Romanorum & in Imperatorem promouendi, seu in electione huiusmodi aliquem ad prædicta regnum vel imperium eligendi, seu quomodolibet nominandi, priuatum fore decreuit, ac priuauit.

Damnat⁹ de hæresi Ludouic⁹.

Alia Ludouici facinora.

47 Vlterius quia Ludouicus prædictus in ciuitate Mediolanensi indignus & inhabilis & indigne coronam ferream, quam veri electi & in Reges Romanorum per sedem Apostolicam admissi recipere consueuerunt, assumere non expauit; ac etiam Castrutium de Interminellis, diuersarum excommunicationum sententijs innodatum, ac de fautoria hæreticorum per suos iudices condemnatum, ducem Lucanum publice ordinauit; & subsequenter in Vrbe Romana a certis ciuibus dictæ Vrbis deputatis, prout ferebatur, a populo Romano coronam imperialem, nec non inunctionem immo execrationem a quodam schismatico; & insuper contra constitutionem felicis recordationis Nicolai Papæ III. prædecessoris nostri, quæ incipit, *Fundamenta*, dominium, senatum, seu regimen Vrbis de facto recepit, cum præmissa adeo essent notoria, quod nulla poterant tergiuersatione celari; idem prædecessor declarauit, Ludouicum præfatum pœnas incurrisse contentas in processibus & constitutionibus prædictis; & nihilominus coronationes, & inunctionem seu potius execrationem easdem cassas, nullas, & irritas declarauit, ac ipsas, in quantum de facto processerant, cassauit & irritauit: & insuper quidquid penitus in contractibus, obligationibus, donationibus, priuilegiorum concessionibus, renouationibus, confirmationibus, vel cassationibus, aut alias qualitercumque tanquam dux, Rex, comes, vel Imperator, seu Vrbis senator dominus, rector, vel administrator, vbicunque egisset, seu ipsum contingeret agere in futurum, cassa, nulla, & irrita nuntiauit, illaque nihilominus, quatenus de facto processerant, cassauit & iritauit.

Eius gesta rescissa.

48 Deinde prædecessor præfatus, cum ad suam relationem tam verbali quam literali plurium sublimium personarum, nec non fama publica notoriante, audientiam peruenisset, quod Marsilius de Padua & Ioannes de Ianduno præ-

fati quendam librum compoſuerant, inter multa alia erronea continentem, quod ad Imperatorem ſpectat Papam inſtituere & deſtituere & punire, ipſum articulum & nonnullos alios articulos in eodem libello contentos fore hæreticales & erroneos; nec non & prædictos Marſilium & Ioannem hæreticos, immo hæreſiarchas manifeſtos & notorios, deliberatione cum fratribus ſuis S.R.E. Cardinalibus, ac multis eccleſiarum prælatis, nec non cum pluribus ſacræ theologiæ magiſtris, ac vtriuſque iuris profeſſoribus ſuper ijs habita diligenti; declarauit & ſententialiter condemnauit in conſiſtorio publico, præſente ibidem multitudine copioſa, in eadem ſententia hoc adiecto, quod ſi quis doctrinam prædictam defendere ſeu approbare præſumeret, cuiuſcumque dignitatis aut ſtatus exiſteret, deberet ab omnibus, tanquam hæreticus reputari. Sed licet proceſſus huiuſmodi in maioris eccleſiæ Auinionenſis oſtijs fuiſſet affixus, & in vrbe Romana & locis circumuicinis publicatus; tamen Ludouicus præfatus prædictos Marſilium & Ioannem, qui ſub eius vmbra errores præfatos & multos alios publicare & dogmatizare præſumpſerant, pertinaciter defenſare; ac in vrbe præfata poſt latam prædictam ſententiam prædicantes publice prædictos damnatos articulos veros eſſe, in ſui familiaritate recipere non expauit: & inſuper, conuocato publice clero dictæ vrbis & populo, idem Ludouicus hæreticus & ſchiſmaticus, ac pluribus excommunicationum ſententijs innodatus, aſſerens errorem prædictum, videlicet quod Imperatori licebat Papam deponere, contra ipſum prædeceſſorem depoſitionis ſententiam promulgare præſumpſit. Et ideo iamdictus prædeceſſor de ipſorum fratrum conſilio, præſente multitudine copioſa fidelium, dictum Ludouicum in prædictam incidiſſe damnatam hæreſim declarauit, ac ipſum vt hæreticum reprobauit, & etiam condemnauit: declarans nihilominus eundem in omnes pœnas inflictas ſchiſmaticis & hæreticis, & committentibus crimina alia prædicta, quæ idem Ludouicus commiſerat, per ſacros canones & leges catholicorum principum incidiſſe, eoſque omnes & ſingulos incurriſſe. Et quia in prolatione ſententiæ ſupradictæ Ludouici præfati idem Ludouicus hæreſim ſupradictam, ſcilicet quod Chriſto & Apoſtolis in ijs, quæ habuerunt, nullum ius competijt, ſed tantummodo vſus facti, expreſſe tenuit & approbauit, & conſtitutionem ſuper hoc editam per prædeceſſorem præfatum viſus extitit impugnare: idem prædeceſſor ipſum Ludouicum in prædictam hæreſim incidiſſe, & eum eſſe hæreticum ex eo capite declarauit.

Synodus aduerſus Marſiliū & Iandunum.

Hæreſis contra Romanæ eccl. primatum.

Conflatū ſchiſma.

Rurſus cum idem Ludouicus Petrum de Corbaria in antipapam aſſumpſiſſet, ac etiam procuraſſet, quod idem Petrus pſeudocardinales, notarios, ac officiales alios, ac ſi exiſteret verus Papa, conſtitueret aliaque nonnulla præſumeret cunctis catholicis deteſtanda, præfatus prædeceſſor omnia per eoſdem Ludouicum & Petrum attentata circa premiſſa vel occaſione præmiſſorum, nulla, caſſa, & irrita declarauit; & præfatum Ludouicum tam ex prædictis, quam alijs diuerſis capitulis nihilominus reperſum hæreſibus tanquam hæreticum & ſchiſmaticum manifeſtum de hæreſi & ſchiſmate condemnauit.

Alia act. iudiciaria in Lud.

49 Idem quoque prædeceſſor noſter Ludouico ſæpedicto de fautoria hæreticorum & hæreſi iā condemnato, & ſupradictis ducatu, iuribus, & bonis priuato, vt eſt præmiſſum, inhibuit pluries, & mandauit expreſſe per publicum edictum ſub pœnis excommunicationis & alijs diuerſis (quas eum incurrere voluit ipſo facto, ſi huiuſmodi inhibitioni & mandato non pareret) ne de adminiſtratione regni vel imperij Romani ſe intromitteret quoquo modo, nec Regem vel Imperatorem aut etiam ducem Bauariæ ſe nominaret, vel ab alijs ſe faceret nominari, nec aliquid tanquam Rex vel Imperator, ſiue etiam dux ageret quouis modo. Et inſuper omnes citationes, ordinationes, & conſtitutiones factas, & ſententias latas per ipſum, caſſas, nullas, & irritas declarauit, & nihilominus, quatenus de facto proceſſerunt, caſſauit & irritauit.

50 Vlterius ſæpedictus prædeceſſor noſter vniuerſis Chriſti fidelibus, cuiuſcunque conditionis, præeminentiæ, ſiue ſtatus exiſterent, etiamſi dignitate patriarchali, pontificali, vel alia ſuperiori ſiue inferiori, ſeu etiam regali fulgerent, nec non & alijs perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus, vel regularibus cuiuſcunque religionis aut ordinis; Regibus quoque, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, vniuerſitatibus, & communitatibus ciuitatum, caſtrorum, cæterorumque locorum, & ſpecialiter vniuerſis incolis & habitatoribus eorundem regni & Imperij Romani per diuerſos proceſſus habitos gradatim temporibus diuerſis inhibuit, & mandauit expreſſe, ne Ludouico præfato tanquam Regi vel Imperatori Romanorum electo ſuper illis, quæ ad adminiſtrationem regni vel imperij prædictorum pertinebant, nec etiam ei tanquam duci vel comiti quoquomodo aſſiſterent, parerent, ſeu intenderent, aut præſtarent eidem auxilium, conſilium, vel fauorem per ſe vel alium, directe vel indirecte, publice vel occulte, quacunque occaſione quæſita, vel prætextu fidelitatis, vel cuiuslibet alterius generis iuramenti, aut alicuius homagij, vel cuiuſcunque colligationis, confœderationis, ſocietatis, ſeu cuiuſuis conuentionis aut ligæ: quæ etiam omnia relaxauit ac diſſoluit ad cautelam, & contrahi prohibuit & præſtari. Specialiter autem incolis & habitatoribus eorundem regni & imperij inhibuit expreſſe, ne dicto Ludouico vel alij pro eo de redditibus vel obuentionibus, ſiue iuribus regalibus vel imperialibus, ſeu ratione * regni prædictorum, aut dominij cuiuſuis per eum vſurpati in illis, nec etiam de pertinentibus ad ducatum prædictum reſponderent, vel aliam ſub quocunque velamine ſatisfactionem impenderent; neue priuilegia, immunitates, feuda, vel iura quæcumque, aut dominium, vel terras, poteſtarias, rectorias, vicariatus, adminiſtrationem, ſeu alia officia quæcunque in ciuitate aliqua, vel quouis loco alio, maxime in vrbe Romana, ſeu in regno Siciliæ, vel in terris alijs eccleſiæ Romanæ ſubditis ab eodem Ludouico, vel ab alio ſeu alijs eius auctoritate vel mandato reciperent vel exercerent, & recepta deponerent: nec aliquam ſubiectionem eidem tanquam Regi vel electo, aut Imperatori recognoſcerent, neque complicibus, fautoribus, vicarijs, miniſtris, vel officialibus eiuſdem in aliquo intenderent vel parerent, nec eos reciperent vel admittrerent, aut de iuribus vel prouentibus quibuſcumque ad regnum vel imperium Romanum ſpectantibus reſpondit eiſdem.

Data ditis imperij

* impet. &c.

51 Præcepit etiam, quod omnes & ſinguli ab adhæſione, obedientia, conſilio, ſeu fauore dicti Ludouici deſiſterent omnino, ſuſpenſionis

Incurſa cenſura ſequacib Ludouici.

ab

ab officio & beneficio in personas ecclesiasticas, & tam in easdem quam in omnes & singulares personas prædictas excommunicationis, & in terras & loca eorum interdicti; nec non priuationis dignitatum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque ecclesiasticarum personarum prædictarum, & inhabilitatis ad ea & similia obtinenda (præterquam patriarcharum, archiepiscoporum, vel episcoporum) in venientes temere contra præmissa, vel eorum aliquod, & non parentes monitionibus, inhibitionibus, & præceptis suis in præmissis per prædictum prædecessorem sententijs promulgatis, auctoritate Apostolica decernendo, eosdem perinde ligati pœnis & sententijs supradictis, ac si proprijs nominibus eorum nominati essent specialiter & expresse: quarum quidem sententiarum absolutionem & relaxationem soli Romano Pontifici reseruauit specialiter & expresse.

52 Insuper Ludouico præfato de hæresi, vt prædicitur, condemnato prædecessor noster prædictus vniuersis & singulis prælatis, & personis ecclesiasticis secularibus & regularibus, cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, status, seu ordinis existerent, etiamsi in patriarchali, pontificali, aut maiori vel inferiori præfulgerent dignitate; nec non Regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, capitaneis, rectoribus, & alijs dominis temporalibus, & qui aliquo titulo præmissorum se intitularent, licet ius non haberent in eisdem; ac communitatibus, vniuersitatibus, ciuitatibus, castris, & villis, & alijs quibuscumque inhibuit expresse, ne prædicto Ludouico de hæresi, vt prædicitur, condemnato adhærere, communicare, participare, vel fauere quomodocumque directe vel indirecte, publice vel occulte præsumerent: nec eidem portarent, mitterent, portari vel mitti facerent, aut procurarent granum, vinum, aut quæcunque alia victualia, pannos, ligna, ferrum, arma, seu quæuis mercimonia, pecuniam, vel quidquid aliud, quod posset in ipsius vtilitatem vel commodum redundare: nec societates, confœderationes, colligationes, pactiones, aut ligas quascunque cũ eodem initas vel contractas, præsertim in eius fauorem, auxilium, vel vtilitatem, obseruarent. Alioquin personas quascunque singulares, excommunicationis, vniuersitates vero, communitates, & collegia, quæ postquam processus dicti prędecessoris nostri super huiusmodi inhibitione facti ad eorum peruenisset notitiam, vel peruenisse probabiliter potuisset, aut per ipsum stetisset quominus peruenisset ad eosdem, in hac parte offendissent quouis modo, nec non terras, & loca quorumcunque circa prædicta delinquentium interdicti sententijs, & generaliter pœnis & sententijs omnibus, quibus fautores hæreticorum & defensores & adhærentes eisdem subijciuntur a iure, vel quibusuis constitutionibus, decreuit & voluit subiacere; apertius prædicens eisdem, se ad earundem pœnarum declarationem, & executionem processurum contra delinquentes huiusmodi specialiter, si, & quando, & quotiens expediens videretur; non obstantibus si ijs, vel eorum aliquibus communiter vel diuisim a sede Apostolica esset indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possent per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet priuilegijs, indulgentijs, & literis apostolicis generalibus, vel specialibus, quibusuis personis, locis, vel ordinibus, sub quacumque verborum forma vel expressione concessis, etiamsi de illis fuisset specialis & expressa, ac de verbo ad verbum in dictis prædecessoris literis mentio facienda: per quæ nullum contra ipsa vel ipsorum aliquod voluit afferri suffragium vel obstaculum interponi, prout omnia supradicta & multa alia in processibus dicti prędecessoris super eis habitis latius & seriosius continentur.

Prohibitũ cum eo commercium.

53 Vt autem supradicti processus dicti Ludouici & aliorum, quorum intererat, ad communem deducerentur notitiam, prædictus prædecessor chartas, seu membranas processus continentes eosdem ostijs maioris ecclesiæ Auinionensis fecit appendi, vt idem Ludouicus & alij, quos ipsi processus contingebant, nullam de ipsis possent ignorantiam allegare: ac voluit, & auctoritate apostolica decreuit, quod dicti processus, præfatum Ludouicum & alios supradictos adeo apprehenderent & arctarent, ac si eisdem personaliter publicati & intimati solemniter extitissent; constitutione quacumque per Romanos Pontifices prędecessores eius in contrarium edita non obstante cum, vt dixit, pro eisdem publicandis & insinuandis processibus ad eiusdem Ludouici præsentiam securus non pateret accessus, nec possent commode singulorum auribus inculcari: & nihilominus dictus prædecessor processus eosdem mandauit & fecit in diuersis regionibus, & maxime in Italia, solemniter publicari. Papalis edicti pro mulgatio.

54 Deniq; prædecessor noster sæpedictus omnibus tam laicis quam clericis vere pœnitentibus & confessis, qui dictum Ludouicum eiusq; complices, fautores, & receptores, quamdiu extra Apost. sedis gratiam existerent, in personis & sumptibus proprijs, vel in personis proprijs & sumptibus alienis expugnarent, & super hoc per annum continuum vel interpolatum infra biennium complendum laborarent, ecclesiæ sequendo vexillum; & eis insuper, qui suis dumtaxat expensis, iuxta quantitates & facultates suas destinarent idoneos bellatores per dictum tempus moraturos & bellaturos ibidem, illam concessit veniam peccatorum, quæ concedi per sedem Apostolicam proficiscentibus in terræ sanctæ subsidium consueuit. Eos autem, qui non per annum integrum, sed pro ipsius anni parte in huiusmodi Dei seruitio laborarent, iuxta qualitatem laboris & deuotionis affectum participes esse voluit indulgentiæ supradictæ. Quod si forsan ipsorum aliquos post iter arreptum in prosecutione dicti negotij ex hac luce migrare contingeret, vel interim negotium ipsum congrua terminatione compleri, eos integre participes esse voluit indulgentiæ memoratæ. Ipsius etiam remissionis voluit esse participes iuxta quantitatem subsidij & deuotionis affectum omnes, qui ad expugnationem dicti Ludouici, ac sequacium & fautorum ipsius de bonis suis congrue ministrarent; mandans & faciens concessionem huiusmodi indulgentiæ in prædictis regionibus solemniter publicari, & fideles per verbum prædicationis & alias induci, vt suscipientes cum reuerentia signum crucis, ipsumque suis humeris & cordibus affigentes, se accingerent viriliter ad prosequendum huiusmodi causam Dei aduersus Ludouicum prædictum. Propositæ gesturis arma contra Ludouic. indulgentiæ.

55 Sane vltra præmissa ad apostolatus nostri, fama publica referente, seu potius infamia diuulgante, peruenit auditum, quod Ludouicus præ- Cumulata a Lud. vetera facinora.

fatus præmiſſis non contentus, ſed iniquitates iniquitatibus adijciens, & ſitim ſuam in confuſione reuerentiæ & auctoritatis Apoſtolicæ ſedis, & violatione eccleſiaſticæ libertatis, & oppreſſione eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum extinguere nequiens; quamplures epiſcopos, abbates, & alios eccleſiarum prælatos, ad eccleſias locorum, in quibus ſuam exercet tyrannidem, per ſedem eandem rite promotos, ac gratias in locis ipſis impetrantes ab ea, impediuit in aſſecutione poſſeſſionis prælationum & conſecutione effectus gratiarum prædictarum, eoſque multipliciter afflixit & oppreſſit, & alios ſuis iniquitatibus conſentientes & ſibi fauentes in eis intruſit, ſeu intrudi mandauit, & fecit in eccleſijs memoratis, diuerſa nihilominus inferens grauamina eccleſijs conſtitutis intra loca prædicta.

56 Adhuc etiam eadem diuulgat infamia, quod dictus Ludouicus, de ſedis Apoſtolicæ contemptu & perſecutione ſatiari, & eis modum ponere, quia non vult, neſciens conſpirationes quamplurimas cum pluribus illarum partium iniuit, & leges nonnullas iniquiſſimas, ſeu potius legum corruptiones edidit notorie contra ſedem & libertatem prædictas: quamquam etiam nulla eidem quaſuis leges competeret, prout nec competit, condendi poteſtas. Viros quoque eccleſiaſticos interdictum eccleſiaſticum, in loca prædicta canonice promulgatum, obſeruare volentes expellit ab ipſis, & per apoſtatas, & a ſuis ordinibus profugos, ac excommunicatos & irregulares diuina profanari fecit in locis eiſdem. Sed adhuc prædicta diuulgat infamia, & notorium fertur eſſe in partibus illis, quod Ludouicus prædictus, promouens quæ impia ſunt & ſceleſta, ac Deo & hominibus abominabilia, Margaritam tunc ducisſam Corinthiæ, quam ſua impudicitia non ſinit nos dilectam filiam appellare, dilecti filij Ioannis chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ioannis Regis Boemiæ illuſtris filij legitimam & notoriam coniugem, filio ſuo primogenito in gradibus conſanguinitatis & affinitatis prohibitis notorie, vt fertur, coniunctam matrimoniali, ſeu potius inceſtuoſa & adulterina copula, ſanguine, ac canonum & legum ſanctionibus, & bonis moribus, timoreque diuino contemptis, coniungi procurauit & fecit, carnali inter ipſos copula ſubſecuta; opem & operam præbens, & principalis promotor & actor exiſtens, ac male, vt videtur, ſentiens de matrimonij ſacramento, quod copula huiuſmodi contraheretur, & committeretur adulterium cum inceſtu per filium ſuum & Margaritam prædictos. Et inſuper prædicta diuulgat infamia, Ludouicum ſæpedictum, ſenſualitati per ipſum ratione ſubiecta, multa alia praua, quæ non licet, turpia quæ non decet, & varia quæ non expediunt, ad libitum operari, non breui ſtylo faciliter recitanda.

Edita ab eo in eccl. nefariæ leges.

Aliena uxor filio data nuptui.

Sæſit male de matrimonij ſacramento Lud.

57 Cum igitur idem Ludouicus, in profundum malorum deſcendens, Pharaonis imitatus duritiam, & obturans more aſpidis aures ſuas, proceſſus & ſententias huiuſmodi, contemptis eccleſiæ clauibus, in graue animæ ſuæ periculum, & totius Chriſtianitatis ſcandalum, elata obſtinatione & obſtinata elatione tanto tempore contempſerit, & adhuc in ſua nequitia & contumacia pertinaciter perſeuerans, contemnat ipſas ſententias, animo ſuſtinens indurato; nos non valentes abſque graui illius offenſa, cuius eccleſiam dictus Ludouicus offendiſſe tam grauiter dignoſcatur & læſiſſe, ipſius iniquitates continuatas & multiplicata ſcelera ſilentio tradere, & a pœnis, dictis iniquitatibus & culpis correſpondentibus, continere; & propterea contra prædictum Ludouicum ad exaggerationem, & aggrauationem pœnarum procedere, quantum patietur iuſtitia, intendentes vt eum, quem a malo timor Dei non reuocat, rigor debitæ coerceat diſciplinæ; de fratrum noſtrorum conſilio monemus eundem Ludouicum, vt infra trium menſium ſpatium, quod ei pro termino peremptorio aſſignamus, ab omni adminiſtratione regni & imperij Romani omnino deſiſtat; nomen & titulum Regis ſeu Imperatoris, ducis, & cuiuſcumque dignitatis deponat; adminiſtrationē, nomen, ſeu titulum huiuſmodi nullatenus abſque ſedis Apoſtolicæ licentia vlterius reſumpturus: ob omni fauore quorumcumque hæreticorum prorſus abſtineat, intruſos per dictum Ludouicum, ſeu mandato ipſius in quibuſcunque dignitatibus & beneficijs eccleſiaſticis ab ipſis beneficijs prorſus amoueri procuret; beneficia & dignitates illis, quos ipſis dignitatibus & beneficijs ſpoliauit, reſtituat; interdicta auctoritate apoſtolica, & a quibuſuis iudicibus competentibus oppoſita obſeruet inuiolabiliter, & non prohibeat directe, vel indirecte ab alijs obſeruari; & ad ſanctæ matris eccleſiæ, a qua multiplicatis hæreſibus & ſchiſmatibus eſt præciſus, corde contritus & vere pœnitens redeat vnitatem; nec non pro diuerſis maximis iniurijs & damnis Romanæ & alijs eccleſijs illatis ſatisfaciat; ac pro tot ſceleribus, blaſphemijs, contumacijs, & grauiſſimis culpis, per ipſum Ludouicum aduerſus Deum & eccleſiam ſuam commiſſis, noſtris & eccleſiæ prædictæ beneplacitis & mandatis perſonaliter veniat, humiliter pariturus, ac facturus & recepturus quod ſuadebit iuſtitia, & nobis videbitur expedire: aperte prædicentes eidem, quod ſi in obſtinata malitia & priſtina contumacia perſeuerans, prædicta non curauerit infra prædictum terminum realiter & fideliter adimplere, & noſtris & eccleſiæ prædictæ parere beneplacitis & mandatis, nos vltra ſupradictas pœnas inflictas eidem, cum creſcente contumacia pœna debeat adaugeri, ad pœnas grauiores tam ſpirituales quam temporales, exigente ipſius Ludouici contumaci pertinacia, & pertinaci contumacia, prout expedire viderimus, ac exceſſuum ſuorum ac contumaciarum, in præfati prædeceſſoris noſtri proceſſibus contentorum ſuadebit enormitas, procedemus, &c. [Interiectis nonnullis, quibus ſignificat anathematiſmos in eccleſiæ oſtijs affixos, vt in omnium cognitionem emanarent, ſubijcit Clemens].

Indicit illi inducias.

Intentat pœnas.

Inſignis illius contumacia.

58 Fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſinguli veſtrum in ſuis ciuitate & diœceſi huiuſmodi noſtras literas & contenta in eis, quæ ſeriatim vulgarizari & exponi populis congregatis ad hoc ſpecialitet faciatis, ſolemniter publicare curetis, reddituri nos de publicatione huiuſmodi per veſtras patentes literas, vel inſtrumenta publica, principium & finem continentia præſentium, certiores. Cæterum quia præſentes literæ nequirent forſan propter viarum pericula, vel alia impedimenta legitima veſtrum ſingulis præſentari; volumus, quod per te, frater patriarcha, huiuſmodi literarum tranſumptum, manu publica ſcriptum, tuoque communitum ſigillo, vobis prædictis ſuffraganeis tranſmittatur, cui adhiberi per vos volumus, velut originalibus, plenam fidem. *Dat. Auin. 11. id. aprilis anno 1.* Tranſmiſit Clemens

Iuſſit ſpeciales literas ſuas promulgare.

ad

ad archiepiſcopos eorumque ſuffraganeos Rhemenſem, Auxitanum a, Senonenſem, Lugdunenſem, Burdegalenſem in Gallijs; Cantuarienſem & Eboracenſem in Anglia, Piſanum & Mediolanenſem in Italia, Treuirenſem b, Colonienſem, Magdeburgenſem, Bremenſem eorumque ſuffraganeos in Germania, & alios plures præſules hæc edicta contra Ludouicum Bauarum, eaque in eccleſijs præſente populo a Minoritis c Prædicatoribus d, Ciſterici nſibus e e ſacro ſuggeſtu promulgari iuſſit, *vt ipſius horrenda*, ita loquitur Clemens in literis ad Treuirenſem archiepiſcopum miſſis f, *& toti Chriſtianitati abominanda ſcelera clarius eorundem fidelium notitiæ patefiant*. Quibus vero cauſis ad edenda ſuperiora edicta ſit impulſus, ita exponit: *Attendentes, quod idem Ludouicus de miſericordia & manſuetudine ſedis Apoſtolicæ diutius expectatus, ſi corde contrito ſinum eiuſdem eccleſiæ, a qua velut membrum putridum ſeparatus fore dignoſcitur repeteret, hæc facere non curabat; ſed potius tanquam in deſperationis laqueum & profundum malorum demerſus, deducens prædictas, pœnas & ſententias damnabiliter in contemptum, alios execrandos exceſſus prioribus culpis & exceſſibus damnabiliter ſuperaddere non ceſſabat*.

a An. 2. l. 5 ep. cur. 5. ad 14.
b Io. 2. epiſt. 350. 351. & ſeq. lib. ep. ſec 22
c Ep. 23.
d Ep. 24.
e To. 1. epiſt. 250.

Flagitia Lud. excu ſationibus ſuccurri nō poſſunt.

59 Ex his Hervvarti apologias mendacium dictis conſarcinatas abunde refutatas, ac Ludouicum non iniuſte a Romanis Pontificibus damnatum, quiuis prudens intelliget. Certe a ratione penitus abhorret ad illius geſta defendenda calamos acuere, quæ eiuſdem Ludouici frater Palatinus, nec non filij eiuſdem Ludouici Ludouicus marchio Brandeburgenſis & Albertus dux Bauariæ publicis monumentis, a nobis ſuo loco afferendis damnarunt. Denique Clemens non ſua modo edicta diuulgari a iuſſit præſulibus in eccleſijs coram circumfuſa populi multitudine, cum ad ſacra conueniſſet, verum etiam ſingulis diebus dominicis & feſtiuis ſolemni ritu Ludouicum & illius partium ſequaces anathemate defixos, eundemque omni iure in regnum & imperium Romanum exutum, & de hæreticorum patrocinio ac ſchiſmate damnatum, atque etiam hæreſi manifeſte deuinctum teneri, vt in eo Dauidicum oraculum: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*; ſi flecti ad Chriſtianam pœnitentiam non fucaram poſſet, impleretur. Cōceptę ſunt eo argumento encyclicæ ad Salisburgenſem g archiepiſcopum, ac plures aliorum regnorum archiepiſcopos h literæ.

Inepta Hervvarti defenſio pro Lud.

g An. 2. l. 1 ep. cur. 3.
h Reg. poſt eund. ep. ad ep. 18. & l. 5. ep. cur. 5. ad 14.

Incuſſis ijs Ludouico Bauaro cenſuris, de quibus Clemētis vitę ſcriptor agit i de creando nouo Rege Romanorū agitari cœptum eſt: ac Pontifex Balduinum archiepiſcopum Treuirenſem arcanis literis l kal. auguſti ſolicitauit, vt principem pium, eccleſiæ ſtudioſum, ac geſtando ſceptro virtutibus parem Romano imperio præficeret: *Cum tibi*, inquit, *frater, & electoribus imperij, gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis obtinentibus tam ſingulariter quam generaliter per literas noſtras monendo, exhortando, & mandando ſatis cito ſcribere intendamus, vt ad eligendum Regem Romanorum, poſtmodum in Imperatorem promouendum, competentes locum & terminum aſſignantes ad, illos conuenire vos propterea diſponatis*.

i Geſta Clem. VI apud Boſq. l. To. 2. ep. ſecr. 209.

De creando Rege Rom. agitatum.

60 His excitatus Ludouicus Bauarus redeundi ad eccleſiæ gremium deſiderium præ ſe tulit, miſſurum ad ſedem Apoſtolicam oratores pollicitus: acceſſitque ea etiam de cauſa ad aulam pontificiam Ioannes Rex Boemiæ, cum e Lithuanica vna cum filio Carolo & Ludouico Rege Vngariæ expeditione, de qua actum eſt, rediiſſet, atque in propinquis locis hæſit, vt cum oratoribus Ludouici ageret: pontificium enim erat conſilium, vt Ludouicus iniuriam illi illatam ſarciret; qua etiam de cauſa Clemens Carolum marchionem Moraniæ VIII. kal. decembris literis inuitauit a, vt excurrente ad proximum purificationis Virginis diem temporis ſpatio ad ſedem Apoſtolicam veniret; cum de ijs, quæ Ioannem Regem ipſius parentem ac Ioannem fratrem Tirolis comitem attingerent, huius enim vxorem duciſſam Charinthiæ Ludouicus perperam filio ſuo, vt dictum eſt, iunxerat agitare meditaretur. Suberat alia altior ipſius euocandi cauſa, vt de transfundendo imperio, niſi Ludouicus ad meliorem mentem rediret, paciſceretur: qua de re ſuo loco agetur. Functos oratorum munere Humbertum delfinum Ludouici auunculum, Auguſtenſis & Babenbergenſis eccleſiarum præpoſitos, atque Vlricum ſcrinij præfectum, refert Albertus Argentinenſis b. Sed quidquid ab his ſumma conſilij maturitate erat geſtum, Ludouicus more ſuo diſſoluit, quem demum ſuprema ſententia cenſuris defixum, atque omni honoris gradu deiectum a Pontifice viſuri ſumus.

a Ead. ep.

Miſſi a Lud. oratores.

b Alb. Arg in chron. Rebdorf. in annal. Naucl. gen 45. Bar. in not. M. S. ad hunc ann.

61 Poſtulauit etiam Clemens Papa iudicio Ludouici partium ſignifernm Henricum e Virnebur Moguntinum archiepiſcopum, qui ad principatus illius faſtigium ſummis laboribus a Romanis Pontificibus contra Balduini Treuirenſis archiepiſcopi potentiam, cui eiuſdem principatus adminiſtratio fuerat delata, euectus beneficij immemor ad eccleſiæ hoſtem deſciuerat, extiteratque omnium conſiliorum contra pontificiam dignitatem auctor præcipuus: neque ad Chriſtianam pœnitentiam prouocatus, vt crimina expiaret, flecti potuerat. Et licet iam ante a Benedicto XII. in ius vocatus, contumacem ſe præbuiſſet, manſuetudine tamen ſeueritatem lenire meditatus Clemens, cum archiepiſcopatu ob inſignem contra edicta Ioannis XXII. quibus exauctorandos præſules, qui Ludouico vt Regi Romanorum vel Imperatori ſtuderent, pronuntiatum erat, præuaricationem ſine nouo iudiciorum ordine deturbari poſſet; illum tamen monendum officij decreuit; ac Moguntinæ eccleſiæ, quam ſuis fœdabat ſceleribus, alium præſulem a ſe impoſitum iri, denuntiauit c publico edicto, in quo repoſitas ab eo pro beneficijs iniurias in luce collocat.

Henricus archiep. Mogunt. poſtulat⁹ iudicio.

c An. 2. l. 1 ep. cur. 46.

Clemens, &c. ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum.

62 Ipſe archiepiſcopus, ſicut notorium eſſe per facti euidentiam in illis partibus dicebatur, & eidem prædeceſſori dictorum nuntiorum relatio patefecit, prædictorum beneficiorum ab eadem Romana eccleſia receptorum oblitus, & ingratus acceptor, adhærere poteſtati tyrannicæ in ſuæ animæ ac ſtatus periculum magis eligens, quam diuinæ maieſtati placere, eidem eccleſiæ non gratias, ſed iniurias pariter & offenſas retribuere ſtuduerat; impudenter offendens Deum & dictam Maguntinam eccleſiam ſuo commiſſam regimini, ſeque pariter miſerabili ſubijciens ſeruituti, plus innitendo brachio arundineo fauoris tranſitorij & caduci, quam ſpei diuini auxilij & Romanæ eccleſiæ ſæpefatæ: quamuis præfato archiepiſcopo non eſſent incogniti proceſſus dudum habiti per ſupradictum Ioannem prædeceſſorem contra Ludouicum de Bauaria olim in

Ingratus eius animus.

Re-

Ludouic⁹ præſtitert ſe redire velle ad eccleſiam

Regem Romanorum in discordia, vt dicebatur, electum per quas exigentibus multis excessibus, contumacijs, inobedientijs, & alijs culpis eiusdem Ludouici omni iure, si quod sibi ex dicta electione ad regnum vel imperium Romanum esset quomodolibet acquisitum, priuatus fuerat; & subsequenter eodem prolabente in diuersos detestabiles errores & hæreses, de diuersis hæresum & schismatum extiterat criminibus condemnatus, &c.

Vt prolapsa in hæresim Ludouico adhęserit.

63 [Nonnullis interiectis, quibus incussum anathema omnibus, quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate conspicuis, refert qui vel studerent Bauaro, vel eius beneficio iura ecclesiarum vel ditionum accepta agnoscerent: intentatum etiam patriarchis & archiepiscopis, ipsos dignitatibus deturbatum iri, ac diuinis humanisque pœnis afficiendos: tum subdit].

64 Idem tamen Henricus archiepiscopus dictos processus velut famæ suæ prodigus & propriæ salutis oblitus contemnens, contra fidelitatis debitum, & iuramentum per eum præfato Ioanni prædecessori eiusque successoribus, & ecclesiæ Romanæ prædictæ præstitum, memorato Ludouico participare, ac ab eo tanquam Imperatore, licet non esset neque fuisset, temporalia eiusdem ecclesiæ recipere & recognoscere, sicut in illis partibus dicebatur, damnabili temeritate præsumpserat, faciendo sibi homagium, & præstando fidelitatis etiam iuramentum, & ex ijs reatum periurij, & excommunicationis sententias, ac pœnas alias tam contentas in dictis processibus, quam a sacris canonibus promulgatas, damnabiliter incurrendo. Rursus idem archiepiscopus nonnullas alienationes bonorum eiusdem ecclesiæ Maguntinæ contra iuramentum per eum præstitum dicebatur feciſſe in læsionem enormem eiusdem ecclesiæ Maguntinæ, &c.

Clientelarem illi sponsionē addixerit.

65 [Addit Henricum iniqua & impia pacta inijsse cum Moguntinorum canonicorum collegio edictis Ioannis XXII. defixo censuris, atque ad infringenda Romani Pontificis imperia coniurasse.] Intendens, *inquit*, vt ex prædictis euidenter colligitur, dictum Ludouicum non tantum Imperatoris nomine nuncupare, sed etiam talem eum ausu temerario reputare. [Subdit vt Benedictus XII. redigēdi ad officium Henrici studio legum acerbitatem in eum distrinxerit x. kal. martij pontificatus anno IV. propositoq; publico edicto sistere se apostolico solio ab excipiendam sententiam iusserit: illum vero non comparuisse, sed ipsius procuratorem inanes excusationes declinandi iudicij causa exposuisse, quæ a Benedicto repudiatæ fuere, tum subijcit.]

66 Sed idem Henricus archiepipiscopus, vt suæ ingratitudinis vitium erga sedem præfatam multiplicaret vlterius, & excessus excessibus, culpas culpis grauioribus damnabiliter aggregaret, ex tunc peiora & detestabiliora prioribus præsumptione temeraria & plectibili committere non cessauit: ipse namque, sicut fama seu potius infamia publica pertulit ad nostri appostolatus auditum, præfato Ludouico de Bauaria subsequenter adhæsit, ipsumque pro Imperatore, cum Imperator nec Rex sit, habendo, tenendo, vocando, & exhibendo eidem reuerentiam sicut tali, sibique vt in suis excessibus erroribus, schismatibus, culpis, inobedientijs, & contumacijs perduraret, consilia & fauores exhibendo; & ligas & confœderationes, immo potius coniurationes & conspirationes cum eodem damnabiliter

Coniunctiones plures cū Ludou. iniuerit aduersus ecclesiam

ineundo. In multis quoque parlamentis, seu potius damnatis conuenticulis, in quibus multa contra Deum & honorem eiusdem ecclesiæ Romanæ machinata fuerunt damnabiliter & inique interfuit cum Ludouico prædicto, adhærendo, fauendo, & consulendo eidem, quamuis multi prælati & principes illarum partium, qui per dictum Ludouicum vocati fuerant ad illas conuenticulas, venire contemnerent, sicut nec tenebantur venire: alioſque detestandos excessus, qui breui nequirent explicari sermone in diuinæ maiestatis contumeliam, grauem dictæ sedis offensam, & multorum perniciem committere damnabiliter & plectibiliter non expauit.

Affuerit eius conuenticulis damnatis.

67 Et licet nos aduersus Henricum archiepiscopum supradictum, attentis contumacia huiusmodi & alijs suis detestandis excessibus, iuste possemus procedere absque citatione alia de præsenti; tamen de solita mansuetudine dictæ sedis adhuc experiri volentes, si aliqua fidelitatis & deuotionis scintilla in eo remanserit, quæ in flammam deuotionis accensa illuminaret, vt viam veritatis cognosceret, mentem suam, vt ab inuio mortifero, quo graditur, reducere curaret ad vitæ semitam pedes suos, ad præsens prouidimus agere mitius cum eodem.

Post tot scelera veniæ spes proposita a Clem.

68 Ideoque deliberatione cum fratribus nostris præhabita diligenti, & de ipsorum consilio, præsente hac multitudine copiosa fidelium per publicæ citationis edictum, cum ad locum, vbi nunc morari dicitur idem archiepiscopus, tutus pro citatione huiusmodi facienda accessus minime pateat, eundem archiepiscopum citamus peremptorie, vt infra quatuor mensium computandorum spatium, quod eidem pro peremptorio termino assignamus, sub excommunicationis ac priuationis ab administratione ecclesię Maguntinæ ac dignitate archiepiscopali & pontificali pœnis apostolico conspectui personaliter se præsentet, super præmissis responsurus, ac voluntatem nostram & processus, quos faciendos duxerimus auditurus ac nostris & sedis prædictæ mandatis & beneplacitis humiliter pariturus, ac facturus & recepturus quod suadebit iustitia, & nobis videbitur expedire; nec non & apertius eidem archiepiscopo nihilominus prædicentes, quod si in eodem termino vel antea citationi huiusmodi non paruerit cum effectu, ad declarandum ipsum incurrisse pœnas, in processibus prædicti Ioannis prædecessoris nostri contentas, & alias, præsertim in præfati Ioannis prædecessoris contentas processibus infligendas, de quibus exigente iustitia expedire videbimus, contra eum procedemus coniunctim vel diuisim absque citatione alia, ipsius absentia non obstante; decernentes huiusmodi citationis edictum perinde valere, ac eundem Henricum archiepiscopum apprehendere & arctare, ac si eidem facta præsentialiter extitisset, &c.] subijcit id edictum Auinionensis ecclesiæ foribus affixum iri, ne Henricus ipsum latuisse possit obtendere. *Dat. Auin. XVI. kal. nouembris anno* 11. Contempsit [a] pontificias minas Henricus Ægypti baculo innixus, quare damnatum contumaciæ, atque in illius locum Gerlacum Nassouium suffectum visuri sumus.

Vocatur ab eodē in ius.

Obiecta contumacii iudicio rumseueritas.

[a] *Asserat. Mog. rer. in Henr.*

69 Longe prudentius se gessit Balduinus archiepiscopus Treuirensis, qui cum ab Apostolicæ sedis gratia antea excidisset, oratores idoneos misit, literas afferentes archiepiscopali sigillo & chirographo munitas [b], quibus ille ad omnia, quæ pro ipso in gratiam ecclesiæ reuocando constitu-

Treuirensis archiepiredit; ad Pont. obsequium.

[b] *To. 4. sect. pag.* 209.

ſtituta ac promiſſa fuerãt, implenda ſe obſtrinxit.

Nonnulli in Germ. bellici motus.

In Leodienſi ditione graues turbæ exortæ a, Adolpho comite Heinſpurgenſi Loſſenſem comitatum, ad eccleſiam Leodienſem deuolutum, principum finitimorum ſtudijs & armis fretuo inuadente, atque anathema quadriennio pertinaciter ſpernente. Implorarunt b ſedis Apoſtolicæ præſidium Adolpus epiſcopus & canonici Leodienſes contra ducis Brabantiæ & Hannoniæ comitis, ac Ioannis patrui Adolphi comitis ſtodioſorum potentiam & artes: quamquam enim de comitatu compromittere inconſulto Romano Pontifice ſe non poſſe erant profeſſi, adiudicato dolo Heinſpurgenſi comiti Loſſenſi comitatu Põtificem, vt rem confirmaret, ſolicitarunt: contra quos epiſcopus & clerus Clementem & Cardinales de ijs monuere ac rogarunt, ne ipſis non vocatis quidquam decernerent: ſuaque in ſedem Apoſtolicam ſtudia his verbis commemorarunt in literis ad Cardinales datis.

a Nauel. tom. 4. an. 45.

b Raynald. in Adolpho epiſc. Leod. c. 30.

De Loſſenſi comitatu contro uerſia.

Veſtrum igitur ſuffragium flexis poplitibus imploramus, vt veſtram ſaltem cauſam propitius defendatis: veſtram dicimus, & re vera: nam ſemper, dum Reges & Imperatores Theutonici Romanæ eccleſiæ rebellarent, illiſque ſemper aſſiſterent principes contiemi, pontifices noſtri cum ſuis ſubditis reſiſtebant, & partem Romanæ eccleſiæ receptabant: quod chronica Othonis vltimi Cæſaris rebellis eccleſiæ clare demonſtrat, ac alia poſtmodum Frederici, & nunc vltimo Bauari, cuius minas terribiles cum fautoribus ſuis Anglicis, ac quibuſdam terræ noſtræ principibus confœderatis eidem, cum corporum ac rerum noſtrarum periculis omnium ſpreuimus, vt noſtræ matri eccleſiæ Romanæ fidem ſolitam ſeruaremus. Et ne ficta vobis narraſſe aliqua videamur, literarum copias Bauari, minas huiuſmodi continentes, vobis duximus tranſmittendas. Data anno Domini MCCCXLIII. *dominica, xiv. die ſeptembris.* Hactenus de Germanicis rebus: nunc ad Italicas decurrimus, atque a Siculis citerioribus, quæ triſtes ac turbidæ admodum fuere, exordimur.

Leodienſium commendatio

Roberti Regis Sic. mors. Vill. l. 11. c. 9. M.S. bibl. Vat. ſign. 3765. d Collen. hiſt. Neap. l. 5. e Summ. l. 3. f Marian. l. 16. c. 11. g Petrarc. in præfat. Eius elogium. h Petrarc. de rerum memoran. l. 3. pag. 460.

70 Hoc ineunte anno Robertum Regem, annos circiter octoginta natum, decima nona ianuarij die Neapoli morbo correptum, ex hac vita migraſſe, ſcribit Ioannes Villanus c. Studioſum eccleſiæ principem fuiſſe, religionis, prudentiæ, ſcientiæ, omniumque virtutum laude præclarum cum Villano conſentiunt Collenutius d & Summontius e cuius dignam memoria hanc aliquando fuiſſe vocem refert Mariana f, *dulciores ſibi literas regno eſſe*. Laudatur etiam a Petrarcha g, fuiſſe & ſummum Regem & philoſophum, non regno, quam literis clariorem: *Quem vnicum*, inquit, *Regem & ſcientiæ amicum & virtutis noſtra ætas habuit*; a quo ſe triduo excuſſum cum ad poeticam lauream Romam vocaretur, atque dignum iudicatum ſignificat; deſcribitque eleganti ſtylo h extremum illius vitæ actum: *Decubuerat*, inquit, *corpore quidem languidus, ſed animo alacri & infracto: nullus dolor, nulla conſternatio, nullus egrediendi metus, nullum manendi deſiderium in illo præſertim habitaculo, vbi tanto cum honore permanſerat corporis ergaſtulum: artuſque ſatis fatiſcentes, velut totidem libertatis ſuæ vincula cernebat, arebat cutis, & vitalis calor infra ſenile pectus iam redactus aſſidue decreſcebat: ingeminabant morbi, rareſcebant ſpiritus, tranſibat dies vltimus, extremæ horæ tempus inſtabat: nullæ interim querelæ, nullæ ipſius lacrymæ fluebant, tum alienas abſtergeret. Sentio quid mihi argutus nunc lector obijciat. Fortitudinis hoc potius, quam ſapientiæ videri. Non inficior, non contendo, ſciens & virtutibus ineſſe cognationem quandam, & hunc ipſum, de quo loquimur, omnibus vſque in miraculum abundaſſe. Hoc ſane quod ſequitur ad hoc, quod per tot præambula tendebat ſtylus, ſapientis & vniuerſa circumſpicientis, atque in extremis ſolito iudicio fruentis animi ſignum eſt. Quid enim prohibet, quod in ſingulis vel Regibus, vel philoſophis miratur antiquitas, in hoc (dicendum eſt enim ſæpius) & Rege ſimul & philoſopho poſteritas admiraris?*

Sancia Regina ſanctimonialibus ſe aggregat.

Nouerat ſe ſuis eſſe chariſſimum, ſeque id meritum gaudebat, quibus grauiſſimum ſe mœrorem relinquere certus erat. Videbat adoleſcentulos regni ſucceſſores, & ætatem multis obiectam periculis verebatur. Nouerat ſacrum religioſæ coniugis arcanum, fugam e ſeculo illo adhuc ſuperſtite meditantis. Tuto quidem poterat illuſtri fœminæ regni pondus committere, poterat illi animo ſuperædificare, quantumlibet fundamenta non deerant, niſi ipſa, quod euentus docuit, quamuis miſerata caſum publicum, ſaluti propriæ ſuccurrere maluiſſet, ſeque poſt ſepulchrum tanti coniugis, mox intra ſacros parietes monaſterij ſepeliſſet ad altiora ſuſpirans. Hoc muliebre propoſitum, iampridem cognitum, multa volentis animum angebat, quis habenas rerum poſt ſe flecteret, quis regnum ſtatus acciperet: circumſpiciebat ſcopulos, meminerat procellarum & ab aquilone & ab auſtro; venturaſque præſagiens tempeſtates gubernator egregius, clauum commiſſurus inexpertis, quid mirum, ſi ſolicitudinum variarum fluctibus æſtuabat? Tot difficultatibus rerum, quæ vegetum licet ac validum fatigare debuiſſent, moriens indefeſſo animi vigore conſuluit. Primum omnium flentes, ac eius conditionem miſerantes, magnifice caſtigatos docuit, nil ſibi triſte, nil aſperum, nil miſerabile, nil moleſtum, denique nil niſi ſuaue prorſus & iucundum morte contingere. Satis ſe iuxta cæſaream ſententiam, vel naturæ vixiſſe vel gloriæ: optare ſe iam ex corporis ſtatione diſcedere: ſperare ab hoc mortali ſolio digreſſum, ad ſtabiliora regna proficiſci. Minime itaque lugendum, ſed omni gaudio proſequendum iter ſuum.

71 *Quid multa? ſic omnium gemitus oratione compeſcuit, ſic omnem miſeriarum mortis opinionem ex audientium pectoribus extirpauit, vt nunc vſque ſeſe felices arbitrentur, quibus illum ex ipſa morte concionantem contigit audire, nec * moriens cubiculo vllas philoſophorum ſcholas præferant. Demum aduerſus ſingula, quæ terribilia prouidebat, accommodata remedia, veluti præſtitura venenis antidota dictauit, regni gubernacula ſucceſſoribus, quos matrimonio iunxerat tradidit, identidem admonens: Hoc illud conſilio, hoc illud periculum declinate. Sic cum ſubiectis, ſic cum amicis, ſic cum hoſtibus viuite. Hac & alia ſimilia, cum ſolita & acuta magis maieſtate dixiſſet, tota mente in Deum verſus expirauit, & e corporis vinculis lætus exceſſit. O felicem perfectamque ſapientiam inter mortis anguſtias, cum cæteris hominibus, nedum rerum externarum, ſed ſui etiam ipſius vix vllæ ſupereſt memoria, ita ſecum omni ex parte conſiſtere; ita ſuperſtites conſolari tanquam non ipſe, ſed bi morituri ſint; ita res ſuas diſponere, cæu rus peteret, non ſepulchrum. Et regno quidem in longum conſuluit, modo voces abeuntis animis inhæſerint, nec (quod multum vereor) externis vitæ conſiliis euaneſcant, &c.* Hactenus Petrarcha. Sepultus a eſt in monaſterio S. Claræ, ab ipſo conſtru-

* *morientis* Data a Rob. in morte cõſilia.

a Io. Vill. et Summont. vbi ſup.

ſtructo, boniſque ampliſſimis locupletato. Non deſunt tamen, qui tot laudes Robertum obſcuraſſe auaritia referant, vt Ioannes Villanus a; qui addit, eos theſauros ad recuperandam Trinacriam illum coegiſſe. Sed miſere à ſucceſſoribus fuerunt diſſipati.

a Io. Vill. l. 12. c. 9.

Ioanna Roberto auo ſuccedit.

Quod ad regni ſucceſſores ſpectat; erant ij b Ioanna neptis a Carolo filio duce Calabriæ (quem iam ante in ipſo iuuentutis flore extinctum luximus) atque Andreas pronepos ex fratre Carolo maiore natu Caroli II. Regis Siciliæ filio, quos ad ſedanda bella impendentia nuptijs iunxerat vel, vt S. Antoninus c ſcribit: *Quaſi bona fide recognoſcens, vt ad eum rediret regnum ipſum, ad quem prius magis de iure ſpectabat.* Superioribus conſentientia geſtorum Clementis ſcriptor tradit. d

b Io. Vill. ſup. cap. Ant. 3. p tit. 21. c. 8. §. 4. Colle. Summont Marian. ſup. cap. Sur. l. 7. c. 64. Vita Clem. ſcriptor apud Boſq. & alij.

72 Sublato Roberto regnum fluctuare cœpit, & immanis quædam calamitas Siciliæ citeriori imminere viſa. Lugubrem & periculoſum rerum ſtatum ita deſcribit Petrarcha e: *Quis non iſta præuiderat? & præuidiſſe quid profuit? tam profunde enim totis regni præcordijs ſe nequitiæ dirum virus infuderat, vt iam niſi mortiferum eſſe non poſſet: tantum audaciæ, tantumque licentiæ reproborum, tanta piorum deſperatio, tantus mœror inceſſerat. Erant crebra vndique velut inſtantium procellarum ſigna, graues frontes turbida nubes obduxerat, & turbida pectora pugnaces vrgebant venti, fulgurabant oculi ardentes, flabant ora minacia tonabantque: prope erat, vt manus impiæ fulminarent, æquor aulicum iam tumebat, iamque æſtus borriſonus & reciproci fluctus & obſcœnæ aues & peregrina prodigia veſtris late litoribus recurſabant. Morte* Regis *mutata regni facies, & cum vnius viri anima omnium vigor & conſilium euanuiſſe videbantur. Spectabamus hæc omnes, futuriſque non ſecus ac præſentibus angebamur malis. Loqui autem quis auderet, vbi vix liberi cogitatus erant; & non tantum vocibus, ſed nutibus parata ſupplicia? Quamobrem in triuijs muti omnes, in thalamis murmur ambiguum, mœſta præſagia, & impendentium nuntij malorum taciti augures metus ac dolor. Denique ſic apertis oculis torpuerant animi, quaſi quos vicini fulminis lux horrenda perſtringeret. Nemo, ni fallor, vnus hominum me apertius timuit, doluitque liberius: nemo illa curia & introſpexit acutius, & contumacius aut lingua percuſſit aut calamo, &c.*

c Anton. ſuper cap. d Vit. Cle. aucl. vbi ſup. e Petrar. l. 9. ep. fam. 8

73 Iniecta eſt prima diſcordiæ fax inter regios principes: Carolus enim Dyrrachij dux dolo ad Mariæ ſororis Ioannæ Reginæ nuptias aſpirauit, quamquam illa ex Roberti & Caroli Regum pactis, decretoque pontificio alteri Andreæ fratri ad declinanda impendentia diſcrimina erat deſponſa f, vt ad Vngariæ Regis poſteros regnum deuolueretur. Exæſtuans igitur ambitione Dyrrachij dux, ignarus ſibi ea re ignominioſam mortem parare, a Pontifice auunculi Talayrandi tit. S. Petri ad vincula presbyteri Cardinalis Agnetis matris fratris opera diploma ſubripuit g, quo ſolutis legibus canonicis, coniunctam ſanguine vxorem ducere poſſet; ac Mariam ſororem Reginæ, ea inconſulta, matrimonio ſibi copulauit. Rem fraude geſtam, cum ex ea Andreæ Regis necis ac regni exitij cauſa poſtea fluxiſſet, querenti Ludouico Vngariæ Regi, reſpondit h Clemens.

f Annal. to xv. an. Chr. 1332 n 19. Dyrrachij ducis infauſtæ nuptiæ. g Clem. to 5. ep. ſecr. pag. 255.

74 Porro Ioannæ imbecillitas ac viri Andreæ ætas moderandæ ampliſſimæ ditioni impares erant: ad quam quidem ſuſtentandam Robertus auus Rex in extremis vitæ confinijs teſtamento ſanxerat, vt Philippus Cauallicenſis epiſcopus regij ſcrinij præfectus, Sancia Regina, Philippus de Sanguineto, Gaufridus de Marſano comites, & Carolus Artuſius regni procurationem ſuſciperent, donec Ioanna vigeſimum quintum ætatis annum attigiſſet; nec Ioanna quicquam in adminiſtranda publica re, niſi his aſſentientibus, gerere poſſet. At Ioanna iuuenili leuitate ab ipſis viris prudentibus regi ſe non patiebatur, neq; ad eos regni conſilia referebat; ſed regia ad ſe deriuata auctoritate, interdum nemine conſulto, interdum nonnullis aſſentientibus Siculi regni iura peſſumdabat. Ad Pontificem itaque, vt ſupremum Siculi regni dominum ſpectabat his malis mederi. Præterea cum regnum Carolo I. fiduciario iure tradidit Apoſtolica ſedes, conuentum fuerat, vt Romanus Pontifex Siciliæ adminiſtrationem, dum ſceptri heres annis minor eſſet, capeſſeret: neque Robertus pontificia iura extrema illa ſua voluntate labefactare potuerat. Re igitur in deliberationem adducta, Clemens vt regno conſuleret, ac Romanæ eccleſiæ iura tueretur, edicto pronuntiauit, regiæ Siculæ procurationem non ad Sanciam Reginam alioſque a Roberto Rege deſignatos, ſed ad ſedem Apoſtolicam ſpectare: omnia ab ijs geſta reſcidit; atque Aymericum Cardinalem tit. S. Martini in montibus adminiſtrando pontificio nomine, donec Ioanna Regina fortiorem ætatem attigiſſet, regno præfecit a.

Ioanna leuitas.

Regis minoris regni procuratio a Pont. fact.

a Ann. ep. cur. 44.

Ad perpetuam rei memoriam.

75 Ex ore ſedentis in apoſtolicæ ſolio dignitatis debet adinſtar illius, cuius vices gerit in terris, gladius procedere bis acutus, vt æquo libramine cuncta ad examen ipſius deducta prudenter appendens, ius ſuum cuique tribuat, & in iuſtitia nulli parcat: quem tunc bene agere nos cognoſcimus, cum tam noſtris quam ſubditorum, non declinando ad dexteram vel ſiniſtram, inuigilamus remedijs, futuris occurrimus periculis, ac iniuſte & improuide attentata, quæ partus forſitan ſe deteriores haberent, ſi ipſorum inefficacia in publicum præcone iuſtitia non prodiret, iuſti cenſura iudicij reformamus: tuncque, cum maiora timentur prouenire diſpendia, promptiori & vberiori cautela ſine perſonarum acceptione prouiſionis noſtræ remedio ſubuenimus. Sane ad apoſtolatus noſtri notitiam pridem deducto, quod claræ memoriæ Robertus Rex Siciliæ, in vltimo teſtamento ſuo inter cætera ordinauerat & mandauerat, quod venerabilis frater noſter Philippus epiſcopus Cauallicenſis, & chariſſima in Chriſto filia noſtra Sancia Regina Siciliæ illuſtris, ac dilecti filij nobiles viri Philippus de Sanguineto Altifluminis Gaufridus de Marſano Squilacij comites, ac Carolus Artus eſſent & eſſe deberent gubernatores, diſpenſatores, rectores, & adminiſtratores, vel quocumque alio modo & nomine melius poterant de iure cenſeri, chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Ioannæ Reginæ Siciliæ illuſtris neptis ſuæ ex vnico filio primogenita, eidem Regi in regno Siciliæ & terris citra pharum vſque ad confinia terrarum eccleſiæ (excepta ciuitate Beneuentana cum eius territorio, ad Romanam eccleſiam pertinente) iuxta conuentiones inter ipſam Romanam eccleſiam & claræ memoriæ Carolum primum Regem Siciliæ, ipſius Roberti auum initas, ſuccedentis; volens & mandans, quod præfata Ioanna, donec compleuiſſet viceſimum quintum annum, nihil deberet vel poſſet quo-

Qui ſe rint a Rob. cura regni ſtitue.

mo-

modocumque & qualitercunque agere, seu facere in iudicio vel extra iudicium, contrahendo, dando, vel alienando, seu alias quemcumque actum legitimum faciendo sine expressa conscientia & assensu principaliter dictæ Sanciæ & aliorum prædictorum, quos gubernatores, dispensatores, rectores, & administratores dictorum Reginæ & regni statuebat; et quod, si ante lapsum prædicti temporis dicta Ioanna secus forte faceret, quod non credebat, nec intendebat ipse Rex, vt dicebat, ipso iure esset nullum, & prosus vacuum & inane, quam ordinationem, & voluntatem dicta Ioanna se inuiolabiliter promiserat seruaturam; intellecto quoque, quod episcopus, Sancia, & alij supradicti, post mortem dicti Regis, virtute ordinationis prædictæ multa gesserant & administrauerant, gerebant & administrabant, & dictæ Ioannæ gubernanti & gerenti in contractibus, iudicijs, & alijs diuersis agendis, auctoritatem & consensum prestiterant & prestabant; ipsa enim Ioanna interdum cum prædictorum, vel aliquorum ex ipsis auctoritate & assensu, & interdum per se, ipsorum vel aliquorum ex eis non intercedente consensu gerebat, disponebat, & administrabat in regno, & terris prædictis donando, inuestiendo, feuda, dignitates, administrationes, & officia perpetua & temporalia concedendo, & aliter contrahendo, & alios actus iudicialiter & extraiudicialiter exercendo; nos considerantes quod dicta Ioanna Regina adhuc est talis ætatis, quod ipsa ad administrationem regni & terrarum prædictorum propter defectum ætatis huiusmodi minus idonea existit; & quod propterea ad nos, qui eiusdem Ioannę immediati superiores existimus, & totius regni & terrarum prædictorum directum & altum dominium obtinemus, cura, administratio, defensio, gubernatio, & bailia regni & terrarum prædictorum regenda per nos, vel alium, seu alios idoneos, quos ad hoc duxerimus deputandos, sic plene & in solidum de iure, & diuersorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum obseruantia pacifica istis dignoscitur temporibus pertinere, quod nec prædictus Rex gubernatores, rectores, & administratores huiusmodi pro tempore, quo gubernatio, administratio, & bailia huiusmodi ad nos, vt præmittitur, pertinet, dictis Ioannę & regno nullo modo poterat deputare; & propterea prædicti episcopus, Sancia, Philippus, Gaufridus, et Carolus, tanquam dati et deputati administratores et gubernatores ab illo, cui ius dandi saltem pro prædicto tempore minime competebat, administrare, gubernare, et regere, seu prædictę Ioannę in agendis auctoritatem, consensum, seu assensum prętextu vel virtute ordinationis prædicti Regis prestare nullatenus potuerunt, nec dicta Ioanna cum auctoritate seu consensu ipsorum, nec etiam per se ipsam sine illis huiusmodi tempore de dispositione et gubernatione regni et terrarum prædictorum, vendēdo, dando, feuda, dignitates, et officia perpetua vel temporalia concedendo, inuestituras faciendo, seu quosuis alios actus legitimos in iudicijs, vel extraiudicialibus exercendo, se poterant intromittere quoquo modo; sicque ex gestis per eam cum dictorum episcopi, Sancię, et aliorum, vel aliquorum ex eis auctoritate, seu consensu, vel per se ipsam, eorum non intercedente consensu, seu per ipsos episcopum, Sanciam, et alios supradictos, qui nullum habuerunt nec habent dispensationis, gubernationis huiusmodi potestatem, decipiuntur subditi et alij cum dicta Ioanna, seu cum episcopo, Sancia, et alijs sæpe satis, vel eorum auctoritate vel assensu contrahentes, seu quæuis alia negotia exercentes, et officia, dignitates, administrationes, inuestituras, et quęcumque alia ipsis intercedentibus obtinentes, cum ex administratione, gestione, et gubernatione talium, vmbra quędam solum ostendatur in opere, nulla autem subsit realis veritas in effectu; ac volentes, sicut tenemur, damnis et periculis, quibus regni et terrarum prædictorum incolæ, nostri quidem et ecclesię Romanę homines principaliter et vasalli, subijci propterea possint occurrere, ac indemnitati prędictæ Romanę ecclesię, cui ex prędictis magnum, nisi sic pręsumptis obuiaretur conatibus, pręiudicium pararetur; quantum cum Deo possumus, prouidere deliberauimus cū fratribus nostris tam periculoso errori, ne eum approbare tacite videamur, resistere, et male inchoatis occurrere, ne tractu temporis inualescant per tolerantiam, et eisdem vires dissimulatio subministret.

Vt Ioanna stare eorum ad ministrationi promiserit.

Ad quem regni administratio spectet

Ioannæ gesta inter non fulta.

76 Ideoque de eorundem fratrum consilio prędictis sanctionis oraculo decreuimus, et ex certa scientia declaramus, prędictum Regem non debuisse nec potuisse prenominatos episcopum, Sanciam, et alios gubernatores, dispensatores, rectores, et administratores dictorū Ioannę Reginę & regni pro istis saltem temporibus, quibus gubernatio, bailia, et administratio ad nos, vt prędictum est, pertinet, sicut nec quosuis alios dare, ordinare, vel quomodolibet deputare; nec ipsos, episcopum, Sanciam, et alios debuisse, nec potuisse ex ordinatione ipsius Regis administrationem et gubernationem ipsorum Ioannæ et regni recipere, vel ad ipsam administrationem et gubernationem siue per seipsos, siue dictę Ioannę auctoritatem, consensum, vel assensum in iudicio vel extra iudicium, seu alias qualitercumque prestando, se ingerere; vel ipsi administrationi directe vel indirecte virtute ordinationis prędictę quomodolibet immiscere, nec dictam Ioannam cum auctoritate seu consensu ipsorum: neque etiam per se ipsam, prędictorum non intercedente consensu, de gubernatione et administratione prędictorum regni et terrarum intromittere aliquo modo istis temporibus, vt prędictum est, potuisse nec posse.

Decretū Pont. circa regni Procurationem.

78 Declaramus insuper omnia gesta, acta, et administrata qualitercumque virtute ordinationis huiusmodi prenominatos episcopum, Sanciam, et alios communiter vel diuisim; et per præfatam Ioannam cum auctoritate et assensu ipsorum, vel aliquorum ex eis, seu sine ipsorum auctoritate vel consensu, siue sint venditiones, donationes, feudorum, officiorum, et dignitatum perpetuorum vel temporalium concessiones, inuestituræ, seu quæuis alia iudicialia, & extraiudicialia quocumque nomine appellentur, cassa omnino esse & irrita, nullumque debuisse, nec debere fortiri effectum, nec alicuius existere firmitatis.

Ioannæ gesta rescissa.

77 Et nihilominus huiusmodi acta, gesta, dispositа, & administrata, vt præmittitur, per prædictam Ioannam quoquo modo, seu per alios supradictos vel ipsorum aut aliquorum ex ipsis auctoritate, consensu, seu assensu, quatenus processerunt de facto, & quæ pro tempore, quo ad nos administratio, vt præmittitur, pertinebat, per ipsam Ioannam, vel prædictos, vel eorum auctoritate vel consensu, modo & forma præmissis

sis fieri, geri, & administrari contingeret in futurum, non obstante iuramento per sępefatam Ioannam prędstito, cassamus & irritamus, & cassa & irrita nunciamus.

Regni procuratores instituti a Roberto exauctorati a Pont.

79 Inhibemus quoque prædictis episcopo, Ioannæ, Sanciæ, Philippo, Gaufrido, & Carolo sub pœna excommunicationis, quam ipsos & eorum singulos non parentes huiusmodi nostris prohibitionibus & mandatis, non obstantibus quibuscumque priuilegijs, incurrere volumus ipso facto, ne post habitam præsentis decreti, declarationis, ordinationis, & inhibitionis notitiam, prædicta Ioanna durante dicto tempore de dispositione, administratione, & gubernatione dictorum regni & terrarum cum, seu sine auctoritate vel consensu prædictorum episcopi, Sanciæ, & aliorum; nec etiam ipsi episcopus, Sancia, & alij siue per se gerendo & administrando, siue ipsi Ioannæ auctoritatem seu consensum virtute prædictæ ordinationis ipsius Roberti Regis, vt præmittitur, præstando directe vel indirecte, se aliqualiter intromittant, nec se administratores seu gubernatores regni seu Reginæ, vel quouis alio nomine occasione ordinationis prædicti Regis nullatenus verbo vel scriptura nominent vel faciant ab alijs nominari.

80 Cæterum vt incolæ dicti regni, quos in visceribus gerimus charitatis, vel quiuis alij, qui cum dictis episcopo, Sancia, Philippo, Gaufrido, & Carolo tanquam cum administratoribus & gubernatoribus prædictorum regni seu Reginæ, vel cum dicta Ioanna de auctoritate, consensu, vel assensu ipsorum communiter vel diuisim, vel eorum non interueniente consensu quomodolibet contraxerunt, vel ab ipsa Ioanna feuda, inuestituras, dignitates, officia, seu administrationes aliquas receperunt; vel qui cum ea seu prædictis, vel iudicibus seu officialibus alijs deputatis ab ipsis in iudicio vel extra quouis modo aliqua gerere vel agere habuerunt, bonam fidem habentes, ex ignorantia se læsos non lugeãt seu deceptos; nos eisdẽ prouidere paterna pietate volentes, dilecto filio nostro Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinali apostolicæ sedis legato, per nos in dictis regno & terris administratore, gubernatore, & baiulo deputato committimus per præsentes, quod ea, quæ per sępefatos episcopum, Sanciam, & alios, vel per prædictam Ioannam, cum etiam vel sine auctoritate, consensu, vel assensu eorum, seu aliquorum ex ipsis gesta, & administrata reperierit vtiliter & alias rite, & non in Romanæ ecclesiæ, seu regni præiudicium processisse, de patientia toleret vel, prout sibi videbitur, auctoritate nostra approbet, & confirmet.

Aymerici Card. legatus.

Regno administrando præficitur.

Per prædicta autem non intendimus, quin ea, quæ præfati episcopus, Sancia, Philippus, Gaufridus, & Carolus ab ipso Roberto executores etiam deputati, tanquam executores & virtute executionis dumtaxat, ac prout & in quantum executorum potestas, & ministerium legitime se extendit, gesserunt & administrauerunt, seu eos gerere & administrare contigerit in futurum, plenam & perfectam ac per præsentem constitutionem & ordinationem in nullo diminutam obtineant roboris firmitatem. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin.* 1v. *kal. decembris anno secundo.*

81 Meminit de huiusmodi decreto, deque Aymerico ad Siculi regni habenas moderandas misso Clementis vitæ auctor a: extantque de ijs in regesto pontificio amplissima diplomata b: ac nedũ legati in Sicilia citeriore munere exornauit, verũ amplificauit etiam eius auctoritatẽ in pluribus Italię prouincijs. Tum proceres a regni, vrbiũ magistratus præsules b cęteriq; ecclesiastici, ac Ioãna Regina c legato parere iussi. Eadem d præterea ac Sancia e Regina vidua admonitæ, vt legato creato a sede Apostolica regiæ Siculæ procuratori, cum id publica vtilitas, atque ecclesiæ in Siciliam exigerent iura, obsecundarent. Sed Ioannæ leuitas temeritasq; consiliariorum decretis pontificijs se opposuit; quare noua edicta de regni procuratione legato tradenda condita sunt. Extractum f vero est ad Ioannæ gratiã addicendi Pontifici cliẽtelaris obsequij officium cum ad id præstandum vnius anni flexu obstricta teneretur. Soluit porro ipsa vectigal annuum octo millium vnciarum auri, *in quadraginta millibus florenorum auri, quinque florenis pro vncia qualibet computatis*; ita enim refert pontificia syngrapha. Vtque similia connectamus, numerata g sunt a Petro Aragone duo millia marcharum Sardinię & Corsicæ beneficentia apostolica acceptarum nomine.

a Ib. ep. cur. 38. b Epist. c Epist. d Ann. sect. 30. e Ib. ep. sect. 38.

f Ibid. sect. 31. Solutus ecclesiæ census quadraginta millium aureorum.

g Ib. ep.

82 Reliquerat Ioannæ Robertus auus ingentem bellicum apparatum ad Trinacriam ex Aragoniorum manibus vindicandam, cuius terrore Ludouicus Petri Trinacrij successor puer, Elisabeta mater, ac Ioannes dux patruus oratores ad pacem ebliandiendam ad Clementem misere. De quibus Pontifex Ioannam fecit certiorem, pollicitus non passurum se, vt Trinacria ab illius imperio diuelleretur, neq; vlla concordię colloquia, inconsulta ipsa, initurum: quare sua in ea re consilia quamprimum expediret. Priuata iam diu erat Trinacria templorum & sacrorum vsu ob Petri & Ludouici iniustum dominatum, Romanique Pontifices insulanos ad Gallici generis legitimorum Regum obsequium censuris redigere nitebantur: Fridericus enim, qui tyrannidem corripuerat, ea lege cum Carolo II. fœdus pactus erat, vt regnũ, dum superstes esset, retineret; in posteros vero non transfunderet, Gallique verbis fallacibus fidem adhibuerant. Quo porro facilius perduelles ad officium adduceret Pontifex, sacerdotiorum insignium, atque ecclesiasticarum dignitatum conferendorum ius collationem sedi Apostolicæ reseruauit h.

Cur Trinacriæ censuris deuincti.

h An. 1. l. 4 ep. cur. 16.

Ad futuram rei memoriam.

83 Dum statum miserabilem insulæ Siciliæ, quæ propter inobedientias & excessus nefandos varios, contra Romanam ecclesiam commissos ibidem, interdicto ecclesiastico subiacere, ac diu subiacuisse noscitur, mentis oculis intuemur; eidem more paterno compatimur, pijs desiderijs affectantes, quod per veram obedientiam & satisfactionem debitam a suis releuari periculosis opprobrijs, & ad statum dirigi prosperum mereretur. Cum autem propter hæc, & alia circa præmissa diligentius attendenda opportunum admodum existimetur, quod in ecclesijs, præsertim cathedralibus, & alijs locis ecclesiasticis eiusdem insulæ pręcipuis, prælati & rectores præficiantur idonei, per quorum fidelitatem & circumspectam industriam ecclesiarum & locorum prædictorum posse prouideri vtilitatibus, & salubriter consuli statui supradicto speretur; nos his & alijs causis honestis & rationabilibus animum nostrum ad id mouentibus, nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum in hac parte vestigijs inhærentes, prouisiones & dispositiones omnium & singularum archiepiscopalium, episcopalium, & collegiatarum

Sacerdotiorum collationes in Sicilia insula reseruat Clemens Apost. sedi.

a Clem. vitæ scriptor apud Bosq. b An. 2. l. 1 ep. cur. 38.

rum eccleſiarum, nec non abbatiarum, monaſteriorum, & prioratuum conuentualium, regularium, & ſecularium, exemptorum & non exemptorum, nunc vacantium & inantea vacaturorum infra dictam inſulam conſiſtentium, in quibus prælati, ſeu rectores conſueuerunt per electionem aſſumi, ſi, cum, & quotiens caſus vacationis emerſerit vſque ad biennum a prima die iunij proximo inſtantis, quo terminabitur tempus reſeruationis per felicis recordationis Benedictum Papam XII. prædeceſſorem noſtrum olim de illis factæ inantea computandum, nobis & ſedi Apoſtolicæ auctoritate apoſtolica reſeruamus; vniuerſis eccleſiarum, abbatiarum, monaſteriorum, & prioratuum prædictorum capitulis, collegijs, & conuentibus, ac perſonis diſtrictius inhibentes, ne in eis, huiuſmodi reſeruatione durante, ad electionem, poſtulationem, vel prouiſionem aliquam præſumant procedere quoquo modo; ac decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper ipſos per quoſuis alios quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit ſuper ijs attentari. Cæterum volumus, & noſtræ intentionis exiſtit, quod reſeruatio, inhibitio, & decretum huiuſmodi, ad monaſteria monialium & aliarum religioſarum mulierum, & ad eccleſias vel prioratus non conuentuales, ſeu quorum fructus, redditus, & prouentus annui ſummam quinquaginta florenorum auri ſecundum communem æſtimationem non excedunt, nullatenus extendantur. Nulli ergo, &c. Dat. *Auin.* III. *non. maij anno* I.

84 Neque in vlteriore modo Sicilia, verum in citeriore [a] quoque, ac ditione [b] pontificia ad alendam publicam pacem eccleſiaſticas dignitates a ſede Apoſtolica collatum iri, ſancitum eſt. Cæterum agitata fuiſſe a Ioannæ Reginæ ſenatu ſanctiore Trinacriæ armis expugnandæ conſilia, indicat Petrarcha [c] in tẽpeſtatis Neapolitanæ deſcriptione, dum ait in ea quadringentos latrones, qui erepti fuerant ſupplicio, vt in Sicula expeditione hoſtium gladijs obijcerentur, atque in naue incluſi erant, pereuntibus cæteris, omnium peſſimos euaſiſſe. Cuius tempeſtatis impetu Maſſilienſes triremes, & quotquot in portu erant naues hauſtæ ſunt fluctibus: ex qua clade videtur bellicus apparatus diſſolutus. Adeo vero procella ſæuijt, vt adiacentem litori Neapolis partem merſerit vel euerterit, reliquam adduxerit in diſcrimen.

Nox, inquit, *aderat, quam lux ſuſpecta ſequebatur. Trepidula fœminarum turba, periculi potius quam pudoris memor, per vicos plateaſque diſcurrere, atque ad vbera preſſis infantibus ſupplex & lacrymoſa templorum liminibus obuerſari. Trepidatione igitur publica permotus prima veſpera domum redij. Solito quidem tranquillius cælum erat.* Et infra: *Vix dum totus obdormieram, cum repente horribili fragore non tantum feneſtræ, ſed murus ipſe ſaxea teſtudine ſolidus ab imis fundamentis impulſus tremit, & nocturnum lumen ſopito mihi vigilare ſolitum extinguitur. Excutimur ſtratis, & in locum ſomni vicinæ metus mortis ingreditur. Ecce autem dum inter tenebras alter alterum quærit, & beneficio diræ lucis oſtenſos trepidis inuicem nos vocibus cohortamur, religioſi viri, quorum ædibus habitamus, & ſanctiſsimus eorum prior, quem honoris cauſa nomino, Dauid qui ex more ad nocturnas Chriſti laudes ſurgebant, repentino malo territi, crucibuſque ac ſanctorum reliquijs armati, & alta voce Dei miſericordiam implorantes, thalamum vbi ego eram prælatis facibus irrumpunt. Reuixi tantiſper: omnes inde ad eccleſiam pergimus, ibique effuſi multis cum gemitibus pernoctamus, cum iam iam affuturum finem, & ruitura circum omnia crederemus: longius eã, ſi omnem illius infernæ noctis horrorem verbis amplecti velim: & quamuis longe cætera verum ſiſtat, veri tamen fidem tranſcendet oratio: quis imber, qui venti, quæ fulmina, quis cæli fragor, quis terrarum tremor, qui mugitus pelagi, quis hominum vlulatus?*

Cum in hoc ſtatu quaſi magicis carminibus geminato noctis ſpatio ad auroram vix tandem veniſſemus, & diei vicinitas magis coniectura animi, quam lucis indicio appareret, amicti ſacerdotes ſacra altaribus inſtaurant, & nos cælum nudum intueri auſi in vda & nuda circum tellure proſternimur. Et infra.

85 *Regina interim iunior nuda pedes, & inculta comas, & cum ea fœmineum ingens agmen, expugnata periculis verecundia, regia egrediuntur, & ad Reginæ Virginis templa feſtinant, orantes veniam rebus extremis. Sed, iam tanti pauoris exitum pauide, niſi fallor, expectas. Ægre nos in terris euaſimus, in alto nauis nulla par fluctibus inuenta, ne in portu quidem res. Maſſilienſium longas naues, quas galeas vocant, quæ Cypro reduces, & tot maria emenſæ mane nauigaturæ in anchoris ſtabant, illachrymantibus vniuerſis, nemine autem ferre auxilium valente, fluctibus mergi, nautarum atque vectorum ne vno quidem ſaluo, vidimus. Aliæ quoque maiores & omnis generis naues, quæ in portum velut in arcem tutiſſimam confugerant, pari fine conſumptæ ſunt. In tam multis ſola ſuperfuit onerata latronibus,* quadringentos fuiſſe, ait paulo inferius, *quibus iuſtum ſupplicium remiſſum erat, vt in expeditionem Siculam mitterentur, & huic gladio erepti in illos inciderent.* Hactenus Petrarcha. Non illa modo Neapolitana tempeſtas, ſed totius ſuperi atque inferi maris fuit: ac Venetias quidem periclitatas referunt [a], procellamque a dæmonibus concitatam, vrbem vero ſanctorum tutelarium Marci, Nicolai, ac Georgij opera liberatam indicio fuit, piſcatori ipſos oſtendiſſe cymbam dæmonibus plenam inter fluctus in ipſis faucibus portus ſalientem oſtenſam, ac ſanctorum iuſſu euanuiſſe, redditamque mari ſerenitatem.

86 Gerebat [b] tum reipublicæ Florentinæ gubernacula Gualterus Brennenſis Athenarum dux (inanis erat is titulus, Catalani enim ipſi principatum iniuria eripuerant) cumque polleret viribus in Etruria, ad opprimendos Aemiliæ tyrannos idoneus viſus; vrgebatque etiam Gualterus Pontificem, vt illius prouinciæ ſibi principatum cum omnibus vectigalibus, annuo cenſu impoſito, nonnulliſque adiectis legibus, ad vitam vel certum annorum ſpatium permitteret. Quod cum in deliberationem adduceret Clemens, Aymericum tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinalem A. S. L. conſuluit [c] xiv. kal. iulij, an id eccleſiæ vtilitatibus conduceret. Dum vero hæc agitabantur, populares tumultus Florentiæ in Gualterum ſunt excitati: plurium enim inuidiam ſibi crearat, cum omnem in publica re adminiſtranda auctoritatem ad ſe deriuaſſet, ac plebem libertati aſſuetam, alioſque honoribus potiri ſolitos in ſeruitutem redigeret. Conflatæ ſunt in eum tres coniurationes: quę cum ipſi eſſent patefactę, ac facile vi aperta opprimere tracto in ſuas partes populo potuiſſet, coniuratorum nume-

Publica complorat. tio.

Concitata a dęmonibus in ſupero mari procella.

[a] *Petr. Iuſtin. hiſt. Ven. l. 4. Sabell. l. 2. dec. 2.*

[b] *Vill. l. 12. c. 15.*

[c] *To 2. ep. ſecr. 92.*

[d] *Io. Vill. l. 12. c. 15. et 16. Leonar Aret. hiſt. Flor. l. 7. Ant. 3. p. tit. 21. c. 7. §. 10. & 11. & alij*

Pulſus ſeditione Florentia Gualter' dux.

ro et potentia territus dolo in palatium vocatos trucidare decreuit: sed cum insidias parari persensissent, correptis armis, sumpta ex periculi metu audacia, populum ad seditionem velut in tyrannum concitarunt, atque armatis cinxere palatium: denique pacti illius et præsidiariorum salutem, dimisere iucolumem, ipsius tamen opibus direptis. Subitam eiusmodi Florentinorum conuersionem Pontifex grauissime tulit, ac Florentinos pacem reipublicę adeo fœde turbasse perstrinxit; hortatusq; est, vt damna duci illata sarcirent. Eo ejecto seditiones recruduere, cædibusque et flagitiis vrbs fœdata est: quibus vtcumque compositis, inter Pisanos et Florentinos pax reuocata a. Sed dum Pisani Florentinos sibi conciliant, a Luchino bello sunt petiti.

a Io. Vill. l. c. 24. Pisani a Luchino bello petiti.

87 Gerebat is vna cum fratre Ioanne archiepiscopo Mediolanensi in Insubriæ parte maxima vicariam imperij præfecturam pontificia ob interregnum auctoritate, ac decem millium aureorum censum in annos singulos ex Benedicti XII. fœdere ærario pontificio pendebat: de quo soluto hac forma verborum concepta est Clementis syngrapha b.

Census a Luchino solutus Pō tifici.

b To. 2. ep. secr. 305.

Clemens, &c. venerabili fratri Ioanni archiepiscopo Mediolanensi, & dilecto filio nobili viro Luchino de Vicecomitibus de Mediolano Placentiæ & Laudensis ciuitatum, ac Cremæ, Carauazij, Martinengi, & Castrinoui, Buceaduæ castrorum, eorumque comitatuum & districtuum, Mediolanensis, Pergamensis, & Cremonensis diœcesium nostris, & ecclesiæ Romanæ vicarijs.

Dudum felicis recordationis Benedictus Papa XII. prædecessor noster vos Placentinæ & Laudensis ciuitatum, ac Cremæ, Carauazij, Martinengi, & Castri noui Bucea duæ castrorum, eorumque comitatuum & districtuũ Mediolanensis, Pergamensis, & Cremonensis diœcesium vicarios suos & ecclesiæ Romanæ imperio Romano vacante, sicut tunc vacabat & adhuc vacare noscitur, sub certis modis & formis, pactis, iuramentis, connentionibus, adiectionibus, pœnis, & conditionibus in literis eiusdem prædecessoris inde confectis contentis plenius & expressis; ac sub annuo censu decem millium florenorum boni & puri auri recti & legitimi ponderis soluendo præfato prædecessori & successoribus suis canonice intrantibus, ac ecclesiæ Romanæ prædictæ annis singulis in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli, vbicumque Romana curia fuerit, duxit prouida deliberatione præhabita super hoc deputandos, sicut in eisdem literis plenius continetur. Cum autem vos, dictum censum decem millium florenorum auri pro termino festi eorundem Apostolorum proximo præterito per manus dilectorum filiorum Guidonis Malabaila ciuis & mercatoris Astensis, et Guillermi de Saliuertis alias dicti Nigri de Mediolano, videlicet per manus cuiuslibet ipsorum quinque millia duxeritis die datæ præsentium nostræ cameræ persoluendum; nos volentes, etc.] de accepta ea auri vi illi cauet. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis v. idus septembris anno secundo.*

Pontificię ea de re literæ.

Circumcursauit hoc tempore Insubriam, aliasque Italiæ prouincias insignis impostor Bertrandus e Cornelio Lemouicensis, qui nepotem pontificium agebat, ac modo militari, modo clericali cultu, magno equitum peditumque comitatu stipatus incedebat, ac rationibus exquisitissimis a plerisque magnam auri vim extorsit: quem Pontifex comprehendi iussit c.

Sublatus mos de proijciendis libellis

c Ib. ep. secr. 25.

Eodem anno edita constitutione cauit ne quis libellos supplices sedenti Pontifici in Cardinalium consistorio, vel per vrbem obequitanti inijceret, ni petiti essent; cum nonnullorum impudentia eo prorupisset, vt etiam lapides libellis conderent, de qua ita queritur Clemens a: *Sicut frequenter experimento didicimus, nonnulli grauitate morum & erga nos reuerentiæ debito procul pulsis, cum sumus in consistorio, & alias cum equitamus, coram nobis & quandoque super nos, in eis etiam lapides includendo, ausibus præsumptuosis supplices, non sine turbatione nostra, proÿcere temere præsumpserunt hactenus & præsumunt, &c.* Ad coercendam itaq; horum impudentiam et tuendam apostolicam maiestatem incussæ ecclesiasticæ pœnæ.

a Ann. pp.

88 Ostendit Deus hoc anno insigni prodigio b apud Ciuitatenses in Hispania, quanta episcopos in altera vita maneant supplicia, qui commissorum sibi populorum prætermissa cura, in delitias se effundunt, quantoque sit miseris peccatoribus apud Deum præsidio sanctorum patrocinium. Petrus Diaz episcopus Ciuitatensis voluptatum irretitus illecebris, cum morbo lethali esset implicitus, quamquam monitus a cubiculario ob spectra dæmonum, ipsius animæ insidiantiũ visa, vt sacra confessione crimina expiaret, consilia derisit. Demum vt conuinceretur non inania fuisse somnia, cum iuberetur a quodam Minorita per obiectam speciem cubicularius solicitare episcopum ad pœnitentiam, illeque signum posceret, iussus digitum in ardentis picis cacabum episcopo morituro paratum immittere, mox adustum extraxit, eoque impœnitentem conuicit, vrsitque vt sacerdotem vocaret: sed extorta confessio parum valebat. Excessit in eo statu e viuis, atque in templum delatus, quarto die sepulchro mãdandus e pheretro caput erigit, seque ob improbe actam vitam ad diuinum tribunal raptum defixis horrore spectatoribus enarrat, & cruciatibus æternis damnatum: ob suum tamen singulare in S. Franciscum studium, illius precibus flexam misericordiam, vt ad vitam reuocaretur, peracta diebus viginti scelerum pœnitentia iterum moriturus: cuius sepulchro affixum epitaphium etiamnum historiæ veritatem testatur.

b Mar. ad v. reu.

89] Contigisse eodem anno memorandum animæ Henrici episcopi Lincolnensis, quæ ob alienos agros ad exercendam venationem, atque feras in septo muris campo continendas iniuste ereptos torquebatur, visum refert Vvalsingamus his verbis c: *Circa præsens tempus Henricus Burghuuash, Lincolnensis episcopus in Flandria apud Gandauum diem clausit extremum*, nimirum pœnitens scelerum, vt e sequentibus colligitur, *cui successit Thomas le Beck clericus nobilis & excellens. Iste Henricus quondam Lincolnensis episcopus cupidus & auarus apud prædium suum de Tyngurst parcum fecerat, & suorum terras contiguas ipsis iunctis eidem parco adiecerat, & sæpibus ac fossatis incluserat: nõ sine diris illorum increpationibus, ademerat terras suas. Post mortem vero suam apparuit cuidam ex armigeris suis quondam cum pharetra & arcu, sagittis & cornu, indutus breui tunica & ipsa viridi, & ait ei: Nosti quod non sine Dei offensa & iniuria pauperum clauserim istum parcum: datus sum igitur non sine pœna ad custodiam huius parci, prout vides, quousque terræ istic inclusæ pristinis possessoribus restituantur. Vade ergo ad fratres meos Lincolnienses canonicos, &*

c Epist. vitæ pont. III.

roga eos ex parte mea, vt hæc omnia pauperibus possessoribus redonentur, a quibus cum iniuria ea tuli. Canonici vero hæc audientes & iniuriam prælibatam non ignorantes, miserunt vnum de canonicis Vuillelmum Bacheler appellatum ad restituendum sua singulis, et sæpes extirpandas, fossataque complananda: qui rediens, per abbatem de S. Albano Michaelem sibi narrauit hæc omnia seriatim.

90 Labefactata erat in Anglia ab Eduardo Rege, eiusque administris pluribus in rebus immunitas ordinis ecclesiastici, descriptaque antea iniurias ab eo illatas in literis ad legatos Cardinales tum a Benedicto, tum a Clemente vidimus, de quibus cum obiurgatus esset Eduardus, prætermissis cæteris, contendit a sacerdotiorum, quibus donati erant ij Cardinales, præsules, alijue qui in aula pontificia versabantur, vectigalia a se iure inuasa: & plures querelas effudit de exteris, præfectis ecclesijs & curæ animarum, qui sine vlla vtilitate publica sacras abligurirent opes, cum linguæ Anglicanæ imperiti essent, neque in regno moram traherent. Conquisiti sunt ab eo plures fuci ad colorandum facinus, quos afferre non piget, cum demum deterfi fuerint.

Sanctissimo b *patri & domino domino Clementi, digna Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo* Pontifici, *Eduardus Dei gratia Rex Franciæ & Angliæ, dominus Hiberniæ, deuota pedum oscula beatorum.*

Pensata sedis Apostolicæ clementia, quæ de fomento Christifidelium & animarum salute solet esse summe solicita, non quærens quæ sua sunt, sed potius quæ Iesu Christi, tenet probabiliter nostra fiducia, quod vestra maturitas in specula solicitudinis apostolicæ præ claritate meritorum & scientiæ diuinitus iam erecta, ea quæ decus ecclesiæ & deuotionem plebis attenuant, & animarum & rerum pericula comminantur, misericorditer reformabit. In publicam autem non ambigimus notitiam peruenisse, qualiter ab exordio nascentis ecclesiæ in regno nostro Angliæ progenitorum nostrorum Regum Angliæ, ac procerum & fidelium dicti regni recolenda prioritas propter diuini cultus augmentum construxit ecclesias, & ipsas amplis dotauit impendijs, & priuilegijs communiuit, ponens in eis ministros idoneos, qui fidem catholicam in subiectis sibi linguis & populis feliciter propagarunt, per quam curam & solicitudinem vinea Domini sabaoth in cultu & fructu ibidem mirifice fœcundauit. Sed, quod dolendum est, ipsius vineæ propagines degenerarunt in labruscas, & exterminant eam apri de silua, singulareseque ferę depascunt eam, dum per impositiones & prouisiones sedis Apostolicæ, quæ solito grauius inualescunt, ipsum peculium contra piam voluntatem & ordinationem donatorum manus occupant indignorum, & præsertim exterorum, & eius dignitates & beneficia personis conferuntur alienigenis, plerumque nobis suspectis, quæ non residunt in dictis beneficijs, & vultus eis commissorum pecorum non agnoscunt, linguam non intelligentes; sed, animarum cura neglecta, velut mercenarij solummodo temporalia lucra quærunt: & sic diminuitur Christi cultus, animarum cura negligitur, subtrahitur hospitalitas ecclesiarum, iura depereunt, ruunt ædificia clericorũ, attenuatur deuotio populi Christiani: dicti regni viri magnæ literaturæ & conuersationis honestæ, qui curam animarum possent salubriter peragere, & forent pro nostris publicis consilijs opportuni, studium deserunt propter promotionis ablatam spem, quæ diuinæ scimus non esse placita voluntati; quinimo in graue nostrum & fidelium nostrorum vertitur præiudicium, & graue & inæstimabile periculum. Nisi super hoc citius & consultius cauemus: nam ius patronatus, quod nos & fideles nostri in talibus habemus beneficijs, eneruatur: curia nostra, in qua dumtaxat causæ super iure patronatus dictorum beneficiorum tractari deberent, deluditur: & iura coronæ nostræ regiæ tam probrose tam damnose depereunt, & regni thesaurus ad extraneos, ne dicamus nostros maleuolos, asportatur subtili forsan coniectura, vt regni Angliæ depresso sacerdotio, & eius exhausto thesauro, regnum ipsum reddatur debilius in aduersis. Quæ omnia & singula, & alia quæ ex præmissis sequuntur incommoda, fuerunt nuper coram nobis in nostro parlamento generali per communitatem dicti regni palam expositа; vnanimi & feruenti petitione subiuncta, vt prædictis dispendijs, quæ dictæ communitati videntur intolerabilia, occurramus.

Ius patronatus imminutur.

Exhauriri regnum.

91 Nos autem Anglicanæ depressionem ecclesiæ, & exheredationem coronæ regiæ, ac mala prædicta, quæ sic dissimulata adijcerent verisimiliter grauiora, patulo cernentes intuitu, ad vos successorem A postolorum Principis (qui ad pascendum non ad tondendum oues dominicas, ad confirmandum non ad deprimendum fratres suos mandatum a Christo suscepit) deferimus votiuis affectibus supplicantes, quatenus de præmissis de iure ponderatis; ac considerando, quod creandi sunt de vico populi magistratus, et iuxta dictum prophetæ, sunt de eodem loco populi vinitores (quod per beatos Apostolos legitur esse factum, dum gentibus viros linguarum suarum notitiam habentes transmiserunt) pensata etiam deuotionis plenitudine, quam domus nostra regia et clerus et populus dicti regni præstiterunt hactenus in obedientia dictæ sedis (propter quod non haberet paternus affectus eius onera et grauamina cumulare) velitis vt pater filijs thesaurizans alleuiare dictarum impositionum et prouisionum ac onerum, iam per sedem Apostolicam inualescentium, grauitatem: permittentes vlterius, vt patroni patronatus sui solatium non amittant, ecclesiæque cathedrales et aliæ dicti regni liberas electiones et earum effectum habeant: quas quidem ecclesias dicti progenitores nostri in singulis vacationibus earundem personis idoneis iure regio conferebant, et postmodum ad rogatum et instantiam dictæ sedis sub certis modis et conditionibus concesserunt, quod electiones fierent in dictis ecclesijs per capitula earundem: quæ concessio fuit per sedem Apostolicam ex certa scientia confirmata. Sed quia contra formam concessionis, et confirmationis prædictarum dicta sedes per retentiones et prouisiones suas dictis capitulis electiones adimit supradictas, & nobis ius & prærogatiuam, quæ iuxta formam dictæ concessionis nobis competunt in hac parte: propter quod iuxta legem regni nostri, ex quo lex posita in concessione non seruatur, regni statutum reuertitur in primæuum.

Postulatũ vt indigenæ præficiantur ecclesijs.

Electiones præfũ lum celebrandæ in ecclesijs.

Super præmissis itaque dignetur, quæsumus, vestra benignitas ad honorem Dei & salutem animarum, nec non ad tollenda scandala & præiudicia prælibata festinum & salubre temperamentũ apponere, vt nos & nostri qui personam vestram sanctissimam, & sanctam Romanã ecclesiam reue-

Plura ab Anglo Regе contra ius eccle siastic. per tentata. a Ext. d. eo apud Vualsing. in Eduard. III.

b M. S arc. Vat. Nic. Card. de Aragon. C. pag. 137. et M. S Ang. lit. E. pag. 235. ext. ead. lit. apud Vualsing. in Edw.

Eiusdem aliæque queli.

Ab alienigenis sacerdotibꝰ cultum diuinum negligi.

reri cupimus vt debemus, ceſſantibus dictis malis intolerabilibus in paternæ veſtræ dilectionis dulcedine quieſcamus, requireſcatq; noſtra deuotio per oſtenſam nobis veſtræ moderationis clementiam recreata. Conſeruet vos Altiſſimus ad regimen eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora proſpera & longæua. *Datum apud Vaſcon* * *die* III. *ſeptemb. anno regni noſtri Franciæ* IV. *regni vero Angliæ* XVII. *anno Domini* MCCCXLIII. Cum aliquandiu politicorum ſuſurris delinitus Eduardus ſua & regiorum adminiſtrorum iniqua geſta propugnaſſet, demum intentato illi & adminiſtris a Clemente iudicio, conuictus eccleſiaſticum ius ab ipſo præter fas opprimi, ne feriretur anathemate, miſſis oratoribus, veniam petijt, ſeque pontificijs imperijs ad ſarciendas iniurias, quas intulerat clero, ſubiecit: qua de re inferius.

* al. Veſtimo naſterium

92 Interea abſoluimus hunc annum pontificio diplomate, quo S. Martialis memoria ab Aquitanis feſto duplici recoli iuſſa eſt a.

a An. 3. p. 5 ep. com. 19

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Nos attendentes præclara merita ſanctitatis, quibus beatus Martialis Aquitanorum apoſtolus ſpecialis in eccleſia Dei verbo reſplenduit & exemplo, nec non & inſignia miracula, quibus ipſe, dum adhuc in carne viueret, & etiam poſt carnis molem depoſitam claruit, & iugiter clarere dignoſcitur; & cupientes eum, quem Dominus glorificauit in cælis, in militanti eccleſia, præſertim partibus Aquitaniæ, cuius incolarum patronus & patrocinator apud Deum ſpecialis exiſtit tum ob hoc, tum quia ad ipſum ſanctum almificum ſpecialem deuotionem ſemper habuimus & habemus, deuotiſſime honorari; auctoritate apoſtolica præſentium tenore ſtatuimus, ipſius beati Martialis feſtum amodo fore duplex, & tanquam apoſtoli de cætero in tota Aquitania celebrandum; venerabilibus fratribus noſtris vniuerſis archiepiſcopis, epiſcopis, et dilectis filijs abbatibus, prioribus, præpoſitis, decanis, archidiaconis, et alijs eccleſiarum prælatis et rectoribus, ac perſonis eccleſiaſticis quibuſcunque, ſecularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per ipſam Aquitaniam conſtitutis; in virtute ſanctæ obedientiæ tenore præſentium diſtrictius iniũgentes, vt feſtum eiuſdem beati Martialis, de cætero ſingulis annis duplex, et tanquam apoſtoli debeat ſolemniter honorificentia debita celebrari, vt Altiſſimus ipſis ex huiuſmodi honore, dicto beatiſſimo ſancto in præſenti ſeculo exhibendo, ipſius pia interceſſione ac meritis æterna præmia, et ſempiterna gaudia largiatur. Nulli ergo, etc. *Dat. apud Villamnouam Auinionenſis diœceſ. non. iulij anno ſecundo.*

S. Martialis Aquitaniæ apoſtolus.

Feſtum duplex ipſius inſtitutum.

IESV CHRISTI

Annus 1344.

CLEMENTIS PP. VI. annus 3. VAC. IMP. OCCID. 31. IO. PALAEOLOGI IMP. OR. 4.

1 PArta eſt gemina de hoſtibus fidei in occidente, et oriente victoria anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto indictione duodecima, atque Smyrna in Aſia, in Hiſpania Algezira Chriſtianæ religioni, pulſa Mahumetica ſuperſtitione, reſtitutę. Ex quo patuit, quam glorioſos triumphos de Saracenis referre, atque ampliſſima recuperare regna diuino fulti præſidio potuiſſēt fideles, ſi mutuis ſopitis diſſenſionibus arma pro aſſerenda religione, nomine neque Chriſtiano amplificando coniunxiſſent. Excitarunt porro torpentes Chriſtianos ad circumferenda in Aſia triumphalia crucis ſigna crebræ et atroces Turcarum excurſiones, ad quas reprimendas transferendum in Aſiam bellum viſum eſt. Sacrum aduerſus infideles claſsicum cecinit Clemens a, propoſitiſque indulgentiarum, adipiſcendæque felicis æternitatis præmijs, Chriſtianam iuuentutem e ſacro ſuggeſtu a præconibus euangelicis ad piam militiam, accepto crucis ſymbolo profitendam accendi iuſsit.

Indic. relig. exped. in Turc. a Tom. ſacr.

Data inter cæteros Venturino Bergomenſi ordinis Prędicatorum, ſacra eloquentia ad commouendos ad pietatem populos, ac pietatis et virtutum laude conſpicuo, de quo ſuperius nobis ſermo fuit, ea prouincia in Inſubria: ac Ioannes archiepiſcopus Mediolanenſis et alij ſuffraganei admoniti, vt cum promptiſsima in Turcas auxilia contrahere opus eſſet, Venturino operā commendarent; deque antea indicta a ſe ſacra expeditione ac prędulibus ſuperiori anno impoſito munere, vt quos pius tuendi Chriſtiani nominis ardor accendiſſet, rite cruce inſignirent, hęc ſcripſit b: *Ad huiuſmodi ſubſidia fortius & virtuoſius ad Dei honorem, ipſorumque conſolationem fidelium augenda, ſicut expedit, & etiam fulcienda, Chriſti fideles tam Lombardiæ, quam diuerſarum aliarum partium, conceſſis eis donis ſpiritualibus, remiſſionibus videlicet & indulgentijs, per prædicationem verbi crucis viuificæ ac aſſumptionem ſigni eius prouidimus inuitandos; tibi, frater, tuiſque ſuffraganeis in veſtris ciuitatibus & diœceſibus per vos vel alios viros eccleſiaſticos idoneos miniſterium prædicationis & impoſitionis dicti ſigni ſuper humeros illud recipere deuote volentium per noſtras certi tenoris literas, ſicut in eis continetur plenius, committentes, &c. Dat. Auin. II. non. ianuarij anno* I.

b Ead. Propoſitam eam ſi ſcepere noxarę venia.

2 Ad comparandam vero claſſem Clemens Regem Cypri, Rhodios equites, Venetos, ac Genuenſes fœdere coniunxit c, vt triremes certo numero inſtruerent. Rhodijs equitibus adornandarum ſex onus demandatum, ad quos toleran-dos ſumptus Pontifex Hoſpitalariorum in Gallia, Anglia, Ibernia, Alamannia, Boemia, Luſitania, Caſtella, Catalonia, Inſubria, ditione eccleſiaſtica, et Piſana priores ad quartam vectigaliū partem eo deriuandam obſtrinxit d. Incubuere Rhodij cęterique aduerſus Turcas fœderati ad conflandam claſſem validiſsimam, in quam lectiſsima ex omnibus regnis iuuentus Chriſtiana cruce diſtincta concurrit, tum ad Turcas a Grecia propulſandos, tum ad Armenos aduerſus finitimos barbaros defendendos. Prędrat c illi pontificio nomine Henricus patriarcha Conſtantinopolitanus A. S. L. cui plura egregia facinora fortiter feliciterque confeciſſe VIII. kal auguſti eſt gratulatus Clemens; bellicā vero rem in claſſe pontificia Martinus Zacharias Genuenſis f locorum peritiſſimus, rebuſq; geſtis in Turcas clariſsimus, de quo ſuperius mentio eſt facta curabat. Venetis autem triremibus Petrus Zenus g imperabat. Eminebat h etiam in exercitu Eduardus dominus e Belloioco tum Hugonis Cypri caſtrorum prędectus, atque ab Heliono magiſtro Rhodiorum equitum dati duces prędari. Sed cum hęc ita ad augendam diuinam gloriam, obterendamque Mahumeticam ſuperſtitionem egregie comparata eſſent, Martinus Zacharias claſsis pontificię prędectus, priuati commodi ſpe delinitus, apparatum belli ſacri in ſuę rei amplificationem conuertere meditatus eſt, et Chium inſulam, quę ab Andronico

c In Tom. 12. c. 33.

d Tom. ep. ſacr. 789.

e Tom. ſacr. 12.

Prędicip. exercit. duces.

f Idem 12. c. 33.

g Idem.

h Tom. ſacr. 6.

eo iuniore ipsi proditione crepa fuerat a, sibi subijcere: sed cum ea res Græcos, qui de repetendo Rom. ecclesiæ gremio agitabant, exasperatura foret in Latinos, vt proximus immineret terror, ne ij se Turcis coniungerent; Pontifex factus certior legatum apostolicum monuit b, vt crucesignatos a Græcorum oppugnatione abduceret, & vniuersos impetus in Turcas effundendos curaret.

Martinus Zacharias Chium pontificijs armis recuperare molitur. a Nic. Greg. l. 9. & M. Sanc. Var. de reb. Græc. Græc. pag. 19.

Venerabili fratri Henrico patriarchæ Constantinopolitano in partibus transmarinis A. S. L.

Insinuatione percepimus diuersimodi & infesta, quod licet nos Christicolis Romaniæ aliarumque transmarinarum partium super afflictionibus, persecutionibus, & oppressionibus, quas a Turchis infidelibus, fidei catholicæ inimicis, passi sunt grauiter hactenus & sæpius patiuntur, paterno compatientes affectu, pro ipsorum defensione fidelium, ac repressione & expugnatione infidelium prædictorum, certum galearum subsidium per nos & ecclesiam Romanam & quosdam fideles alios ad partes illas procurauerimus, sicut tua nouit prudentia, destinari, te volentes circa præmissa superintendere, tibique pareri plenarie in hac parte; tamen dilectus filius nobilis vir Martinus Zachariæ miles, quem velut expertum in talibus & nobis multipliciter commendatum galearum nostrarum & ecclesiæ capitaneum prouidimus deputandum, non directe ad defensionem prædictorum fidelium, sed expugnationem potius insulæ Chio, quæ dicitur detineri per Græcos, vt eam dictus Martinus sibi posset subijcere, stolium galearum prædictarum direxit: & nihilominus tam ipse, quam venerabilis frater noster archiepiscopus Thebanus, tuus delegatus seu commissarius, dilectum filium magistrum hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani & Cyprenses etiam requisiuerunt instanter, vt ad hoc suas galeas destinarent, eosdem Cyprenses ad id præfatus archiepiscopus per excommunicationis sententias compellendo. Ex quibus sequitur, vt eadem insinuatio subiungebat, quod Græci, qui ex missione galearum prædictarum Turchos prædictos, suos vtique persecutores & hostes debilitari sperabant, & ad se reuniendos cum ecclesia sancta catholica disponebant, videntes contra se prædictarum dirigi stolium galearum; & quod ad vtilitatem publicam, defensionem videlicet fidelium & expugnationem Turchorum infidelium * ad commodum priuatum conuerti; a suo proposito reunionis huiusmodi tepescendo, tractant de confœderatione cum Turchis facienda prædictis: quod si verum esset, in detrimentum fidei eiusdem catholicæ ac dilatationem sectæ damnatæ Machometi perfidi, quod misericordiarum auertat Dominus, redundaret.

A legato hic ea de re certior Pont.

Quid ex eo immineat periculi.

*Destinatum erat.

Discuti id consilium iubet Pont.

Idcoque tu frater, de cuius circumspecta prudentia & fidelitate plenius in Domino confidimus, taliter super præmissis & ea tangentibus celeriter, vt expedit, studeas prouidere, quod cessantibus dictis periculis & incommodis, per aliqua cum eisdem galeis facienda nostræ intentioni principali (quæ pie fertur circa defensionem fidelium ac repressionem & expugnationem infidelium) nullatenus obuietur; &c. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* XIIII. *kal. octobris anno* III.

3 Discussa tum sunt legati pontificij, studio Martini Zachariæ consilia, quamuis postea Simon Vignosius Genuensi nomini Chium pepererit c, ex quo bellorum semina pullularunt. Vertere autem crucesignati in Asiam arma, ac Smyrnam vrbem munitissimam, ex qua erumpebat hostis in fideles, expugnandam susceperunt: tantoque impetu & ardore Christiana classis in portum inuecta est, vt illo breui sit potita a, victo Marbassano b infidelium principe, qui in eo cum validis copijs versabatur; & crebris impressionibus in arcem repetitis, die Apostolis Simoni & Iudæ sacra, Smyrna in crucesignatorum potestatē venerit. Edita est maxima barbarorum cædes, atque adeo sæuitum, vt nullo ætatis sexusue discrimine fœminæ infantesque ferro inhumane concisi sint. De relata porro victoria certior factus Pontifex ab Andrea Dandalo duce Venetorum fœderato, ad quem magna pars gloriæ ob nauatam in ornanda classe diligentiam spectabat, cum illo reportati triumphi lætitiam hisce literis communicauit c.

Versa in Turcas arma. Smyrna expugnata a cruce signatis. a Io. Vill. super c. 38 b To. 3. ep. secr. 631.

c Ibid. ep. secr. 605.

Dilecto filio nobili viro Andreæ Dandalo duci Venetiarum.

Auditis & intellectis per tuas literas, nuper nostro apostolatui præsentatas, felicibus & lætabundis rumoribus de illa gloriosa victoria, quam super ereptione de manibus Turcorum infidelium & hostium fidei Christianæ, ac captione triumphali & victoriosa illius castri de Smyrnis fortissimi & insignis cum portu maris & fortalitijs prostratioque gentis nationis eorundem Turcorum fœtidæ, quæ habitabat seu erat ibidem, sicut literæ ipsæ describunt plenius, in festo beatorum Apostolorum Simonis & Iudæ proximo præterito ille Rex excelsus & potens, qui omnia palmo concludens cœlestia simul & terrena sua omnipotentia moderatur, per ministerium venerabilis fratris nostri Henrici patriarchæ Constantinopolitani A. S. L. cum nostris ac tuis & dilectorum filiorum magistri & fratrum hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani galeis ad partes illas propterea dudum missis, & earum apparatibus, virorum videlicet strenuorum catholicorum in eis existentium, sua clementia contulit populo Christiano; cor nostrum exultauit in Domino, & ei pro tanto gratiarum munere non cessauimus nec cessamus vitulum exoluere labiorum; nobilitatem tuam super nuntiatis nobis celeriter eisdem gaudiosis rumoribus cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, & nihilominus attente rogantes eandem, quatenus quæ ad tuam vlterius de illis partibus deducta notitiam fuerint, nobis nunciare quantocius tuæ circumspectionis prudentia non omittat. *Dat. Auin. x. kal. ianuarij anno* III.

Quo die parta victoria.

Actæ Deo gratiæ.

4 De subacta Smyrna Pontifex Christianos Reges certiores fecit, vt ipsos in sacri belli societatem pelliceret, atque inter cæteros ad Philippum Regem Francorum d, Ioannam Reginam e, atque eorum maiorem natu filium Ioannem ducem Normanniæ f scripsit extremo anno. Sequenti vero ineunte, cū orator ex Asia ad Eduardum, vt illi victoriæ clarissimæ seriem exponeret, accessurus esset, Clemens de eodem sacro bello pluribus cum ipso literis disseruit, vt ob continuas Turcarum in Christianos excursiones ad coercendam illorum immanitatem sacrum fœdus cum nonnullis principibus pepigisset; vtque, post obtritos varijs tumultuarijs prælijs hostes, Smyrna vrbs munitissima comparata sit, ac magnis operibus firmetur, quo inde ad proferendas latius in Asiam victorias fideles excurrant: repurgata Mahometanorum templa, ritusque ecclesia-

d Ib. ep. secr. 606. e Ep. 607. f Ep. 608.

a Bzar. hist. Gen. l. 6.

Solicitat Eduardus vt arma in Turcas vertat.

ſtico conſecrata: ſe quidem ſolemnibus inſtructis ſupplicationibus grates diuino Numini egiſſe; denique vt Eduardum rei Chriſtianæ perturbatorem ad vertenda pro Chriſto in Turcas arma flecteret, ad pacis conſilia cum Rege Francorum, eaque bella gerenda, quibus immortalem coronam adipiſceretur, eſt adhortatus. a

a Eod. to. 3. op. ſecr. 718. ext. etiam in ſuper M. S arch. Vat. de reb. tranſmar. pag. 63.

Clemens, &c. chariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri.

Pontificię ad eum hac de re lit.

Dudum afflictionibus varijs, & diris oppreſſionibus, quibus illi hoſtes ferociſſimi, Turchi videlicet perſecutores & blaſphemi nominis Chriſtiani perſecuti fuerant immaniter, & perſequi continue non ceſſabant fideles Chriſti eius precioſo redemptos ſanguine, in Romaniæ ac partibus alijs tranſmarinis circumadiacentium regionum degentes, anxijs relatibus ſæpius repetitis, non ſine vehementi dolore cordis auditis, paternæ pietatis & compaſſionis viſcera nequiuimus continere, quo minus eiſdem Chriſticolis, qui ab eiſdem Turchis tam per terram quam per mare hoſtiliter aggrediebantur quaſi continue, ſpoliabantur, vulnerabantur, interficiebantur, & nonnulli vtriuſque ſexus ſub captiuitate Turcorum ipſorum miſerabili vendebantur vt pecudes, & ad abnegationem fidei catholicæ, proh dolor! cogebantur; prouidere de ſuccurſu aliquo & defenſione contra tam abominabilem & ignominioſam toti Chriſtianitati ſæuitiam curaremus. Quamobrem manus, ſub diuinæ miſerationis auxilio ponentes ad fortia tam per nos, quam chariſſimum in Chriſto filium noſtrum .. Regem Cypri illuſtrem, ac dilectos filios .. magiſtrum & fratres hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani .. ducem & commune Venetiarum, & quoſdam fideles alios, certum galearum, hominibus armigeris & alijs rebus neceſſarijs ſufficienter munitarum, numerum ad partes illas pro ſuccurſu & defenſione prædictorum fideliũ, & repreſſione hoſtiũ, ſub principali gubernatione ac regimine venerabilis fratris noſtri Henrici patriarchæ Conſtantinopolitani Apoſtolicæ ſedis in partibus illis legati ordinauimus deſtinandum.

Vt repreſſæ ſint excurſiones Turcarũ,

5 Etſi licet armata ſtolij huiuſmodi cum nonnullis fidelibus, in auxilium Chriſtianorum & conculcationem dictorum infidelium illuc feruore deuotionis fidei accedentibus, multum repreſſerit crudelitatem & ſæuitiam hoſtium eorundem; tamen his diebus præteritis diuina clementia, quæ nunquam ceſſat in ſuis fidelibus, & ſpem ſuam in ea figentibus a benedictionibus gratiarum, ſuæ dexteræ potentiam vberius extendente, præfatus patriarcha cum eodem ſtolio & multis viris fidelibus ſtrenuis, eiuſdem zelo fidei orthodoxæ accenſis, ad ciuitatem Smyrnæ, locum vtique fortiſſimum & portum maris habentem optimum, in quibus prædictorum Turcorum gens nationis fœtidæ ſpecialiter, ſicut intelleximus, ſpem ſuæ feritatis ponebat, & inde maiora damna intulerant, & inferre poterant fidelibus antedictis, acceſſit. Et quamquam ciuitas ipſa intra & extra cum portu prædicto munitaceſſet innumera multitudine paganorum, inter quos erat Marbaxanus dux & rector magnus ipſorum; felix tamen Chriſtianorum exercitus, in quo pauci erant reſpectu multitudinis infidelium prædictorum, in virtute illius, a quo eſt omnis virtus & victoria, intrepide contra paganorum exercitum ac fortiter & ſtrenue irruens, poſt conflictus aliquos, eiſdem deuictis glorioſæ fidei hoſtibus, ciuitatem eandem cum portu & fortalitijs ſuis poſuit diuina prouidentia, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, in manibus populi Chriſtiani: dictuſque patriarcha, eliminata exinde paganici erroris ſpurcitia, facit ibidem ad laudem & gloriam diuini nominis, exaltationem catholicæ fidei, & conſolationem eiuſdem populi Chriſtiani diuina officia celebrari, ac fortificari & muniri ciuitatem eandem, vt fideles, qui ad acquirendas terras paganorum partium earundem & ſub cultu orthodoxæ fidei reducendas, laborare pro ſuarum animarum ſalute voluerint, ad ipſam ciuitatem & portum ipſius applicandi, ſolidum & optimum valeant reclinatorium reperire.

Diuinum Chriſtianis auxilium affuerit.

6 Nos autem tam per literas eiuſdem patriarchæ, quam aliorum fide dignorum, nec non & quorundam exinde venientium relatibus, huiuſmodi victoria triumphali, quam de ſede ſuæ magnitudinis dedit Altiſſimus, cum ingenti lætitia plenius intellecta, tantorum collatori donorum, in humilitate ſpiritus exoluere curauimus vitulum labiorum, & tam per proceſſiones quam ſermones ad clerum & populum laudes fecimus ſolemniter Domino decantari.

Porro de huiuſmodi victoria dilectus filius nobilis vir Ioannes Bonde domicellus de partibus illis veniens, & ad tuæ regalis excellentiæ præſentiam ſe conferens, qui præſens in ea extitit & ſuper geſtis per eum inibi laudabilibus multipliciter commendatur, eandem excellentiam efficere viua voce poterit plenius certiorem.

Adhortatio Pont. ad Edoardum.

Rogamus itaque ſerenitatem regiam, & attentius in Domino exhortamur, quatenus quæ, quanta, & qualia principes catholici ad eiuſdem dilatationem fidei, ac ſuæ ſalutis & honoris augumentum poſſent agere his temporibus, ſi guerris & diſſenſionibus ſuis ceſſantibus, intendere circa talia procurarent, conſideranter attendens, tu fili chariſſime, quem ad talia & ſimilia inter cæteros principes catholicos orbis terræ aptum, conuenientem, & idoneum reputamus, ad vias pacificas ſuper guerris tuis animum regium dirigas, habilites effectualiter, et inclines, vt in ijs, quæ Dei ſunt, tuiſque honori et ſaluti congruunt, intendere, ſicut deſideranter affectamus, ſicque vires tuæ fortitudinis valeas exercere, quod poſt curſum vitæ præſentis de regno temporali, quod obtines, coronam regni merearis accipere ſempiterni. *Dat. Auin. kal. februarij anno* III.

Hæc inſequenti anno Pontifex ſcribebat. Sunt etiam de Smyrna expugnata gratulatoriæ a ad Henricum patriarcham Conſtantinopolitanum cuius virtus in hoc bello enituerat, literæ. Tum ad Humbertum delphinum Viennenſem b, tum ad Mariam c dominam de Belloioco, cuius virum Eduardum præclara explicuiſſe facinora ſcribit, atque ad ferendam illius abſentiam hortatur: in quibus literis traditur eundem patriarcham Clementis et eccleſiæ Romanæ nomine Smyrnam obtinere: atq; illi a Pōtificibus prefectos impoſitos viſuri ſumus: quod geſtum eſt, ne fideles ex inuidia mutuis diſſenſionibus, ſi vni addiceretur genti diſtraherentur.

a Tom. 3. ſecr. 718.
b Ep. 61.
c Ep. 62.

Armenos a Saracenis vexari d Ep. 63. e Ep. 64. Guidonis Rex.

7 Dum feritas Turcarum comprimebatur, Saraceni Syri ac finitimi Armenos afflixere d: implorantibuſque his auxilia, Clemens Patriarchæ imperia VI. id. ſeptemb. dedit e, vt Guidoni Regi Armeniæ nauali exercitu opem contra barbaros ferret. Guido enim adeptus Armenorum ſceptrum oratores ad Clementem miſerat, atque

plu-

plurimis verborum officijs eximium ſuum in ſedem Apoſtolicam ſtudium explicuerat, deque orthodoxa fide cum Romana eccleſia recte ſentire erat profeſſus. Cui Clemens, collaudata eius pietate, beneuolentiam apoſtolicam pollicitus, ipſum eſt adhortatus a, vt gliſcentes apud Armenos errores fœdiſſimos regia opera excinderet.

Mittit oratores ad Pont.

a To.3.ep. ſanct. 273.

Clemens, &c. chariſſimo in Chriſto filio Guidoni Regi Armeniæ illuſtri.

Quamuis, fili chariſſime, tam ex propoſitis per ambaſſiatores et nuncios, quam aliorum fidedignorum relatibus comperimus nimium diſplicenter, quod per nonnullos Armenos contra veritatem fidei catholicæ, quam ad ſalutem docet, tenet, et prædicat ſacroſancta Romana eccleſia mater omnium fidelium et magiſtra, fouentur, tenentur, et docentur in aliquibus articulis execrandi et deteſtandi errores in aliquibus partibus dicti regni; ſperamus tamen, quod tu, fili dilectiſſime, qui ſicut lætanter admodum intelleximus, velut princeps Chriſtianiſſimus et eiuſdem fidei ſplendore præfulgidus ad eam colendam et dilatandam ſtudijs deuotis et feruentibus te impendis, ad tollendos, et radicitus extirpandos huiuſmodi et quoſuis errores alios, obnubilantes claritatem eiuſdem fidei, de medio fidelium dicti regni, operoſis tibique apud Deum non parum meritorijs ſolicitudinibus effectualiter laborabis.

Monetur de abolendis hæreſibus, quæ apud Armenos inualeſcunt.

Ex quo quidem, ſi hoc vt deſideranter optamus, et efficaciter petimus feceris, proculdubio tuus et regni tui prædicti ſtatus continuis proſpetabitur ſucceſſibus: et eccleſia, quæ ſic cum fide ipſa communionem habet indiuiſibilem, quod vna in honore non habita nequit altera honorari, nec derogatur quomodolibet fidei, quo minus eccleſię detrahatur, tibi tanquam prędilectiſſimo filio intra ipſius eccleſiæ brachia dulciter recumbenti, aderit quantum poterit conſilijs, auxilijs, et fauoribus opportunis: et nihilominus ex his et alijs tuis meritorijs operibus, quibus aſſiſtente tibi gratia illius, qui dat regnare principibus, vt in Domino confidimus inſudabis, poſt coronam regni temporalis, quod obtines, coronam perennem et immarceſſibilem regni conſequeris ſempiterni. *Dat apud Villamnouam Auiuionenſis diœceſis* III. *id. ſeptembris anno* III.

b To.3.ep. ſanct. 52.

8 Inſuderant b ſimplicibus Chriſtianis in Armenia maiori, Perſide, ac vaſtiſſimo illo orientis tractu nonnulli hypocritę ex Fraticellorum, vt argumento eſt, ſecta quā Cœleſtini V. temporibus emerſiſſe vidimus, nequiſſimum illum inter cęteros errorem, ſanctitatem omnem in eccleſia Romana interijſſe, nec ſuperiorum temporum Pontifices, vt Clementem V. Ioannem, ac Benedictum nonnulloſque alios Clementis VI. anteceſſores inſtructos cœlitus auctoritate ad ſoluendum ligandumue fuiſſe: ſed omnem in ſacris ac diuinis poteſtatem in ipſos transfuſam. Quod cum accepiſſet Clemens, Armenos, Perſas, alioſque tranſmarinos orientales eccleſiaſticos, eccleſię Romanę coniunctos, hortatus eſt c, vt canonicis legibus in eos, ac ſentientes cum ipſis animaduerterent.

Fraticelli in oriente graſſati.

c Ead. ep. quæ ext. et à in ſup M. S. de reb. transmar. pag. 17.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopis & epiſcopis, ac dilectis filijs electis, abbatibus, prioribus, decanis, præpoſitis, archidiaconis, archipresbyteris, & alijs eccleſiarum prælatis & rectoribus, cæteriſque perſonis religioſis & ſecularibus in Armenia maiori imperij Perſidis, & alijs orientalibus, ac vltramarinis partibus conſtitutis, fidei catholicæ profeſſoribus.

Habet fidedigna multorum, licet diſplicibilis admodum & infeſta relatio, quod nonnulli pſeudoreligioſi, ſub pelle ouina voracitatem gerentes lupinam, in Armenia maiori imperij Perſidis, & alijs orientalibus & vltramarinis partibus (vbi populus, qui olim inueterati ſchiſmatis fermento infectus, & alijs erroribus inuolutus nunc gratia illius, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat faciente, per prædicationes religioſorum & aliorum catholicorum virorum, reiecto ſchiſmate huiuſmodi, & erroribus profugatis, viam veritatis agnoſcit, & in vnitate fidei catholicæ, ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ deuotione conſiſtit) fideles partium earundem, & maxime perſonas ſimplices, per falſas, erroneas, & hęreticales prædicationes, & perſuaſiones doloſas, a via veritatis huiuſmodi, quę ducit ad vitam æternam, deuiare & ſecum ad præcipitium damnationis perennis trahere ſatagentes, inter cæteros errores & hæreſes huiuſmodi, quibus fideles eoſdem ſubuertere, ſicut præmittitur, moliuntur, falſo & hęreticali modo aſſerere ac dogmatizare dicuntur, eandem Romanam eccleſiam nō eſſe ſanctam, nec felicis recordationis Clementem V. Ioannem XXII. & Benedictum XII. quoſdamque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros fuiſſe veros paſtores eccleſiæ, nec valere quæ facta fuerunt per ipſos; ſed quod principalis auctoritas in paucis religioſis remanſit. Quæ quidem hęreticales et falſę pręſumptiones horrorem in cordibus audientium generant, et exinde vniuerſa congregatio fidelium, quę ipſam Romanam eccleſiam, tanquam matrem omnium et magiſtram, catholicam, vnicam et ſanctam; pręfatoſque Romanos Pontifices veros paſtores Chriſti vicarios, et patres vniuerſalis eccleſię ac fidelium omnium extitiſſe, religione catholica profitetur, non modicum conturbatur.

Apoſtolicæ ea de re literæ.

Infandæ illorum impoſturę

Cum autem prędicti venenoſi et mortiferi errores, et hęreſes ſint a cunctis Chriſti fidelibus radicitus, ne in perniciosam poſsint creſcere ſegetem, extirpandi, et dogmatizatores eorum tanquam falſi hęretici, et inimici fidei orthodoxę perſequendi, et pœnis debitę vltionis plectendi; vniuerſitatem veſtram requirimus, et in Domino attentius exhortamur, vobis per apoſtolica ſcripta nihilominus diſtrictius iniūgendo mandantes, quatenus tanquam veri eiuſdem orthodoxę fidei zelatores, aduerſus falſos et proditores religioſos prędictos, aduerſarios ipſius fidei, et cunctorum profeſſorum eiuſdem perſecutores et hoſtes potenter et viriliter exurgentes, ipſos aut quoſuis fautores, defenſores, et adiutores eorum non recipiatis, nec miniſtretis eiſdem quęcumque neceſſaria, ſeu conſilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet impendatis, nec ab alijs, quantum in vobis fuerit, recipi, miniſtrari neceſſaria, ſeu auxilium, conſilium, vel fauorem pręſtari quomodolibet permittatis: ſed vos, fratres archiepiſcopi et epiſcopi, per vos et alios, quos ad hoc duxeritis deputandos, eos ſolerter, et fideliter perquirentes, vbicumque reperti fuerint, ſi, prout, et quando opportune fieri poterit capiatis, et carceribus mancipetis, ipſoſque ſecundum ſtatuta canonum corrigatis, et etiam puniatis, inuocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachij ſecularis, etc. *Dat. Auin. IV. kal. iunij anno* III.

Moniti Chriſtiani vt ab ijs caueant.

9 Seruandę incorruptę religionis zelo Pontifex

fex Aymerico tit. S. Martini presbytero Cardinali Apostolicę sedis in Sicilia citeriore legato partes imposuit a, vt quosdam hęreticos dictos Neophytos in ius vocatos meritis pœnis afficeret. Nec defuit censoribus fidei. Grassabantur a in Tolosana prouincia nonnulli Vvaldenses, in quos cum Ioannes e Molendino ordinis Prędicatorum fidei censor legibus agere constituisset, illi vt merito se supplicio subducerent, pars in Benearniam Fuxensi comiti obnoxiam b, pars in Aragoniam diffugere. Quo vero de fontibus pœnę sumerentur, neue latius spargerentur venena, Clemens Arnaldo episcopo Pampilonensi dedit imperia c, vt ad Vvaldensium lue resperſos comprehendendos operam inquisitori nauaret: tum Petrum Regem Aragonum excitauit d, vt regia potentia ad huiusmodi hęreticos vinculis mancipandos eundem causarum fidei cognitorem fulciret, ac pietatem maiorum æmularetur.

Neophyti hæretici in Sicilia.

a Eod.to.3. ep. secr. 221.

b Id.ib.ep. secr. 140.

c Ead.ep. 140. Vvaldenses quęsiti ad supplicium.

d Ib ep. secr. 538.

Similiter solicitati sunt e Aragonij archiepiscopi, inferioriſque dignitatis ecclesiastici, tum prouinciarum præfecti, magistratus vrbium, ac proceres potentia & auctoritate conspicui, vt fugitiuos hæreticos insectarentur. In Insubria nonnulli a fidei cęsoribus crimine hæreseos postulati, cum supplicio affecti essent, eorum bona fisco addicta, corporaq; adhuc iacerent insepulta; ac percrebuisset rumor iniusta nece affectos, & in extremo vitæ actu pœnitentiæ Christianæ signa dedisse, indeque concitati in prouincia ingentes motus fuissent; Luchinus, qui imperij Romanæ ecclesiæ auctoritate interregni tempore vicariam præfecturam gerebat, quidamque alij Clementem rogarunt, vt necatorum causam discuti iuberet. Pontifex itaq; Bertrādo tit. S. Marci & Guillelmo tit. S. Stephani in Cœlio monte presbyteris Cardinalibus munus iniunxit f, vt acta publica in eos edita, ac sententiæ latę equitatem ad examen reuocarent.

e Ep. 519.

Acerbe actum in Insubria contra suspectos de hæresi.

Concitati inde motus.

f Ep. 519.

Hoc anno agitatum a Clemente est de Ludouico Bauaro ab hæresi ad ecclesiæ obsequia reuocando, missusque g ea de causa VI. kal. martij Guido de Calma ad Philippum Regem Francorum, vt cum ipso rem tractaret ac Ioannam h Reginam & Ioannem ducem Normanniæ, vt eundem Guidonem commendatum haberent pro tractatu Ludouici promouendo, rogauit. Pollicitum enim Gallum Bauaro operam se nauaturum, in Benedicti extremo pontificatu vidimus. Cumque Bauaro dies constituta, ad quam supplex ad ecclesiæ gremium redire iubebatur, extracta esset i ad recurrentem natalem Deiparæ diem; Pontifex Carolum marchionem Morauiæ Ioannis Regis Boemiæ filium, de quo ad imperium euehendo agitabatur, certiorem XVI. kal. iulij fecit.

De concilianda Lud. Bau. agitur.

g To.2.ep. secr. 749. & ep. 752

h To.2.ep. secr. 572.

i To. 3. ep. secr. 55.

10 Lapsis autem ab ea sacra celebritate aliquot diebus, Ludouicus Bauarus, plenas officijs literas ad Clementem misit, ac paratum se professus est, vt ad ecclesiæ obsequium rediret: rogauitque Pontificem, vt ad felicem exitum tractatum perduceret, pollicitus oratores ad sedem Apostolicam mox decretum iri. Conceptæ sunt subiectis verbis eæ literæ, quas inter veteranea monumenta Vallicellanæ bibliothecæ reperi.

l Exst. in schedis bibl. Vall.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo domino Clementi, &c. Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, &c. recommendationem, & deuota pedum oscula beatorum.

Ludouici ad Pont. literæ.

Sanctitati vestræ quamplurimum reuerendæ notum fieri cupimus per præsentes, quod auditis ijs & intellectis, quæ Cal.. de Iadech de affectione & beneuolentia sanctitatis vestræ in negotio nostræ reconciliationis plene retulit viua voce, cui tanquam personæ fide dignæ credidimus in dicędis, etiam inter cætera corporis nostri viscera ad gaudium sunt commota. Sicut filius tenellus aspirat ad vbera matris, ita desiderat anima nostra redire ad gratiam vestræ sanctitatis, ac sacræ Romanæ ecclesię, quam recognoscimus matrem fidelium a Domino consecratam. Scimus enim, quod si mediante vestræ sanctitatis gratia negotium nostræ reconciliationis, vt speramus, ad finem laudabilem perducatur, leuiathan ille, qui nititur scindere vnionem & seminare discordias, confusus superabitur, cessabit omnis materia scandali, quæ heu in vniuerso mundo propter discordiam est suborta, nec est possibile linguis hominum loqui vel intellectu humano imaginari bona, quæ ex hoc euenirent verisimiliter in futurum.

Nouerit ergo sanctitas vestra, quod diuina gratia spirante, & etiam moti ex verbis & persuasionibus præpositi supradicti, tantam de sanctitate vestra concepimus confidentiam, quod non solum nobis per ipsum expressatis, sed etiam quibuscumque circa personam, statum, & libertates nostras agendis stare volumus ordinationi & dispositioni sanctitatis vestræ, & a vestra voluntate nullatenus resilire: & ab isto nostro proposito auerti non possumus, immo etiam omnia complere intendimus, & ad effectum perducere, Deo dante. Supplicamus etiam sanctitati vestræ, quatenus æmulorum nostrorum falsa suggestione remota, in bono & sancto proposito dignemini permanere, & negotium reconciliationis nostræ fine celeri & laudabiliter consummare: ad quod tractandum, & etiam finiendum, statim post latorem præsentium nuntios & procuratores nostros cum procuratorio sufficienti, secundum informationem præpositi antedicti, sanctitati vestræ transmittemus, de intentione cordis nostri plenius informatos. Insuper petimus, vt sanctitas vestra præposito præfato in dicendis nostrum ex parte fidem & credentiam dignemini adhibere. *Dat. in oppido nostro Landeshuc* XX. *die mensis septembris*.

Se suaque illi subicit.

11 Misit etiam alias ad collegium Cardinalium literas, quibus præfatus redundasse iam ante grauissima in ecclesiam mala, ex ipsius & Ioannis XXII. dissensione, verendumque ne alia oborirentur, addit decreuisse se suosque apices Pontificis voluntati omnino Christiana demissione committere.

Venerabilibus in Christo patribus & dominis Cardinalibus, totique collegio eorundem, Ludouicus Dei gratia, &c. voluntatem & beneuolentiam in omnibus complacendi.

Eiusdem ad Card. literæ.

Quanta præteritis temporibus ex discordia iamdudum inter felicis recordationis Ioannem Papam & nos, proh dolor! inchoata, scandala & pericula euenerint, & nisi apponatur remedium, maiora verisimiliter prouenient in futurum, vestræ reuerentiæ incognitum non existit. Sed quia ad officium nostrum tanquam illorum, qui post sanctissimum in Christo patrem dominum nostrum Clementem VI. ad curam & salutem omnium Christi fidelium dispositione diuina principalius sunt vocati, specialiter pertinet talibus periculis obuiare; ideo ad vos recurrimus confidenter, petentes humiliter & deuote, quatenus in isto salubri reconciliationis negotio velitis inter-

terpo..ere partes veſtras; pro certo ſcituri, quod in omnibus & per omnia cum integra humiliatione & deuotione ſanctæ Romanæ eccleſiæ nos intendimus conformare. In quibuſcumque circa perſonam & ſtatum noſtrum agendis ſtare volumus ordinationi & diſpoſitioni ſanctiſſimi patris & domini noſtri ſupradicti, & ſibi in omnibus humiliter obedire. *Dat. in oppido noſtro Landeshuc die ſabbati quatuor temporum.* Acceſſiſſe ad ſedem Apoſtolicam Ludouici oratores, atque illius nomine in Cardinalium conſiſtorio Pontifici ſe ſubmiſiſſe, ex literis Clementis Papæ ad Albertum ducem Auſtriæ datis a colligitur.

a Lib. ep. ſecr. 545.

12 Miſerat Albertus oratores Pontifici, vt ſuum in Apoſtolicam ſedem ſtudium explicaret, ac nonnulla de conciliando eccleſiæ Ludouico adiecerat. Cui Clemens, quanto illius ad fidelium communionem adducendi deſiderio teneretur, ſubiectis verbis ſignificauit b: *Tuam volumus prudentiam non latere, quod nos abhorrentes periculum innumerabilium animarum, cui propter factum eiuſdem Ludouici ſubÿciuntur, prob dolor! & earum ſalutem affectione paterna zelantes; & attendentes ſtatum ipſius Ludouici miſerabilem ſibi & poſteritati ſuæ, niſi ſibi feſtinet ſuper eo ſalubriter conſulere, diſpendioſum & opprobrioſum excidium comminantem, attente deſiderauimus, & adhuc deſideramus feruenter, quod ipſe apertis rationis oculis, relictis ſuis deuÿs, ad mortem æternam & perpetuam confuſionem ducentibus, reduceret ad viam veritatis, & iuſtitiæ greſſus ſuos: quia nos, quantum cum Deo & iuſtitia, ac honore ſanctæ matris eccleſiæ fieri poſſet & poterit, parati fuimus & adhuc ſumus eum benigne recipere paternis & charitatiuis amplexibus, ſi ad hoc, vt debet, ſe diſpoſuerit, ipſumque ad ouile reducere dominicum, extra quod non eſt alicui gratia neque ſalus. Porro te, fili, nolumus ignorare, quod poſt ſubmiſſionem per ſuos procuratores & nuncios dudum in conſiſtorio publico in nos factam, venerunt ad noſtram præſentiam ÿs diebus præteritis nuncÿ Ludouici prædicti, qui ſuper certis actis nobiſcum de noſtro beneplacito redeuntes ad ipſum, ad eandem noſtram præſentiam, ſicut credimus, ſunt venturi; ſperantes in eo, qui greſſus hominum dirigit, inchoari proceſſum proſperum ſuper negotio prælibato, &c.* Albertum hortatur, vt operam ſuam in re perficienda collocet. *Dat. Auin. III. id. decembris an. III.*

b Ead. ep.

Lud Bau. præſe fert reſipiſcentiæ ſpecie.

Reſilit a captis.

13 Solui non meruit cenſuris Ludouicus, quippe qui priora cum Pontifice & Cardinalibus geſta contrarijs factis mox, vti ſolitus erat, corrupit: quocirca ad Clemens Humbertū delphinū Viennenſem, reconciliationis illius cupidiſſimum XVIII. kal. februarias ineuntis ſequentis anni ſcripſit c, iam diu ſe conſueta manſuetudine Ludouicum linguis, vt ait, loquentem varijs, nimirum aſſidue ſecum pugnantem expectaſſe, vt fidelium communioni reſtitueret, atque etiam redituros oratores ipſius, recurrente ſacro purificatæ Deiparæ die operiri; eoque temporis ſpatio euoluto deliberaturum, an ad Bauarum ipſe delphinus ſe conferre debeat. Cæterum flagitaſſe Ludouicum, vt Pontifex illi ad expianda præterita ſcelera ſubeundarum pœnarum capita, atque alias ad reconciliationem neceſſarias leges præſcriberet, ferunt hiſtorici d: quæ etiam in ſuperioribus ad Albertum ducem Auſtriæ literis exhibitæ ſubmiſſionis & actorum nomine haud obſcure indicantur. Sed Ludouicum ijs non aſſenſiſſe, atque in priſtina animi duritia perſtitiſſe docuit exitus.

c Raynal. to. 3. an. ſecr. 632.

d Rebdorf. in annal. Arb. Arg. in chron. & alij, eius incō ſtantia.

14 Agit de his Albertus Argentinenſis a, narrationemque ad Ludouici Bauari commendationem, ſugillationem vero Romani Pontificis concinnat: *Miſſis*, inquit, *per principem literis & nuncÿs ad curiam & ad Francum ad ſciſcitandum cauſam impedimenti reformationis, cum ipſe paratus eſſet omnia facere, quæ ſibi iniungerentur a Papa; datoque reſponſo per Francum, quod diceretur per Papam, quod non peteret eo modo gratiam, quo deberet.* Non id abſque cauſa dictum, non enim ſuffecerat Ludouicum profiteri, ſe ſuaque Pontifici committere, vt rite culpas expiaret: ſed oportebat, vt damnaret potiſſimum promulgatas iam ante ipſius edictis hæreſes, de quibus ſuis locis memorauimus; tum quæ in arroganda ſibi renuntiandi exauctorandique Pontificis auctoritate, inuadendaque ſoluendarum legum canonicarum de coniugijs poteſtate attentauerat: atque ideo ad promerendam eccleſiæ gratiam formula, vt poſcebat rei neceſſitas, propoſita eſt, quam memoratus Albertus carpit veluti turpiſſimam & acerbiſſimam. Sed ipſe potius perpendere debuerat, illum eſſe Chriſtianæ demiſſionis triumphum, ſi ingenue recenſeat damnetque ſcelera, quæ abolere flagitarit; & quidquid in ea confeſſione acerbitatis fuerit, pietatis ſuauitate temperatam colliqueſcere in cæleſtes delitias. Pœnitenti tum Franciſco b Aſculano, quem viſa Michaelis Cæſenatis hæreſiarchæ in extremo vitæ actu conuerſione, reſipuiſſe ferunt c quique ad pſeudominoritarum confirmandam hæreſim doctrina & ingenio abuſus fuerat, hæc poſcendę veniæ formula porrecta eſt.

a Argent. in chron.

Franciſc⁹ Aſculan⁹ pœnitens. b To. 3. ep. ſecr. 58. c Luc. Wad. ad. annal. to. 3. an. 1344. n. 6.

Ego frater Franciſcus de Aeſculo ordinis Minorum, recognoſcens veram catholicam & apoſtolicam fidem, fateor me illam fidem firmiter credere & tenere, quam ſacroſancta Romana eccleſia, quæ mater eſt omnium fidelium & magiſtra, tenuit & docuit, tenet & docet; & quam ſanctiſſimus in Chriſto pater dominus Clemens Papa VI. cum ſacro collegio Cardinalium tenet & docet. Et præcipue credo & teneo, cum etiam ſcriptura ſacra in pleriſque locis hoc aſſerat, Redemptorem noſtrum & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eiuſque Apoſtolos nonnulla habuiſſe; & quod aſſerere pertinaciter, quod Chriſtus et Apoſtoli nihil habuerint in proprio vel communi, eſt erroneum & hæreticum: & quod Chriſtus ac eius Apoſtoli habuerunt in rebus, quibus vſi ſunt, ius vtendi, & faciendi ea, quæ ſcriptura ſacra teſtatur eos feciſſe: & quod vſus non poſſit eſſe iuſtus abſque omni iure vtendi: & quod in præmiſſis felicis recordationis Ioannes Papa XXII. recte & catholice definierit in conſtitutione ſua, quæ incipit: Cum inter nonnullos; quam reputo catholicam, & contrarium tenere poſt decretalem & eius publicationem pertinaciter ore & corde & profiteor, prout ipſe in dicta conſtitutione declarauit, erroneum & hæreticum fore. Et doleo & me pœnitet, quod vnquam aliquid ſcripſerim vel fecerim contra ipſam, & ſpecialiter de verbis exceſſiuis, quæ credens zelare pro ordine meo aduerſus præfatum dominum Ioannem ſcripſi, dixi, vel feci. Et peto veniam, gratiam, vel miſericordiam de præmiſſis. Et confiteor dictum dominum Ioannem toto tempore, quo regimini vniuerſalis eccleſiæ præfuit, verum & catholicum Papam fuiſſe, & ipſum catholice, & vt verum & fidelem Chriſtianum vixiſſe & obÿſſe. Et hanc meæ fidei breuem confeſſionem & annotationem iuro, & ſuppono correctioni & emendationi, ac ſuppletio-

Propoūta illiad poſcendam veniam formula.

Ioannem XXII. verum fuiſſe Pontificē profitetur

tioni eiusdem sanctissimi patris & domini nostri Papæ Clementis VI. Secutum etiam postea huius exemplum Ochamum, qui ad Ludouici gratiam plura scripsit, visuri sumus.

Italia ob interregnum a Pont. administrata.

15 Interea imperij iusto principe viduati administrationem gerebat in Italia Clemens, ac Ioannes episcopus Nouariensis & Luchinus Vicecomites acceptæ beneficio sedis Apostolicæ Mediolani, Placentiæ, Laudæ, Cremæ, & Carauacij, vicariæ præfecturæ nomine decem millium aureorum censum annuum pontificio ærario, sacro Petri & Pauli Apostolorum die intulere a. Mastinus vero & Albertus Scaligeri Veronæ & Vicentiæ vicarij ac vectigales erant constituti b: Opizo Atestinus marchio præfecturam Ferrariæ, quæ ecclesiasticæ ditionis erat, ad decennium impositio decem millium aureorum censu obtinebat c. Hi autem atque alij principes cum ambitione proferendorum finium, augendæque potentiæ efferrentur, Italiam turbarunt, cui pacandæ operam Clementem nauasse plures ostendunt literæ. d

a To. 3. ep. secr. 202.

b Ib. ep. 176.

c Ep. 191.

Ciuiles in ea motus.

d Ibid. ep. secr. 124.

16 Insigniuerat Andream Clemens ineunte anno Siculo fastigio, ac nomen inunctionemque regiam e Cardinalium consilio decreuerat. Rem promouerant apud Pontificem, missis amplissimis oratoribus, Ludouicus Vngariæ Rex ipsius frater, atque Elisabeta Regina illius mater, tum etiam Ioanna Regina Siciliæ Andreæ vxor, atque Sancia Ioannæ auia, denique regni Neapolitani ordines, vt maior Andreæ auctoritas conciliaretur, ac tum Reginæ dignitati publicæque rei consuleretur; de quo a Clemente hæ literæ Andreæ Regi missæ. e

Andreas regio nomine donatus.

e To. 2. ep. secr. 672.

Andreæ Regi Siciliæ illustri.

Multiplicatas deuotarum precum & supplicationum instantias, nobis per chariſſimos in Christo filios nostros Ludouicum Regem Vngariæ germanum tuum, ac Sanciam & Ioannam Siciliæ coniugem, & Elisabeth Vngariæ genitricem tuas Reginas illustres, nonnullosque venerabiles fratres nostros archiepiscopos & episcopos, ac dilectos filios nobiles viros barones regni Siciliæ literalibus porrectas scriptionibus; & subsequenter per solemnes nuntios ad nostram propterea destinatos præsentiam, tam in camera quam in consistorijs nostris propositionibus fultas elegantibus, solita benignitate suscepimus, inter cæterea continentes, quod cum tu, charissime fili, eiusdem Ioannæ Reginæ, ad quam regimen * prædictum ex successione claræ memoriæ Roberti Regis Siciliæ aui sui peruenisse noscitur, vir existas, vt conuenientius, decentius, vtilius, & honorabilius tuo & eiusdem Reginæ coniugis tuæ, quæ vna caro tecum est, prouideretur statui & tanti coniugij & numerosæ prolis exinde, sicut a Domino petimus, procreandæ consuleretur honori; nos, adhibitis cautelis opportunis & idoneis, te insignire denominatione regij tituli, nec non ordinare, quod cum eadem Regina velut vir suus coronari debeas & inungi, de benignitate apostolica dignaremur.

*regnum

Nos igitur eisdem precibus & supplicationibus plene ac patienter auditis, & etiam intellectis diligentius, attendentes quod tu, fili dilectissime, de prosapia descendisti domorum regalium, quæ in fide, reuerentia, & deuotione sanctæ Romanæ ecclesiæ absque deuiatione qualibet hactenus continue perstiterunt; & sperantes in Domino, quod tu progenitorum tuorum laudabilibus inhærendo vestigijs, in eisdem fide, reuerentia, & deuotione persistens, erga nos & eandem ecclesiam te clarum meritorum cumulis exhibebis & gratum; quodque dilecto filio nostro Aymerico tituli S. Martini in montibus presbytero Cardinali A. S. L. cui administrationem dicti regni pro tempore, quo ad nos & ecclesiam memoratam eadem spectat administratio, commisimus, parebis efficaciter & intendes; tandem super præmissis & alijs, negotium huiusmodi non parum arduum tangentibus deliberatione cum fratribus nostris eiusdem ecclesiæ Cardinalibus præhabita, prout tanti negotij exigebat qualitas prouida & matura, die decima nona mensis ianuarij [sunt eo argumento ad Andream XIV. kal. febr. datæ literæ a, eadem verborum forma conceptæ] proximo præteriti sub certis protestationibus ac cautelis opportunis & idoneis, in alijs literis nostris contentis plenius & expressis, in nostro consistorio te huiusmodi regij tituli denominatione insigniuimus, & ordinauimus (si protestationes & cautelas ipsas admiseris & compleueris; tuque ac dicta Regina vxor tua legato prædicto super eadem administratione pro eodem tempore, nostro & ecclesiæ prædictæ nomine gerenda & exercenda, parueritis vt indubie speramus & supponimus, cum effectu, & non aliter) tu cum eadem Regina tanquam vir eius coronari debeas & inungi.

Iubetur legatus gni procuratoris parere.

a Ep. 1111.

Cæterum cum nobis pro parte tua & eiusdem Reginæ fuerit humiliter supplicatum, vt alicui personæ idoneæ coronationem & inunctionem huiusmodi faciendas & impendendas in illis partibus committere dignaremur; nos quamuis hæc ardua quamplurimum reputamus, vt tamen multis laboribus viarum discriminibus & profluuijs expensarum parcatur, quibus tu & ipsa Regina subijceremini, si vos venire ad nostram præsentiam propter hoc oporteret; si prædictas protestationes & cautelas admiseris & compleueris, tuque ac eadem Regina legato super administratione prædicta parueritis effectualiter, vt præfertur, eidem legato, per quem coronatio & inunctio prædictæ honorabilius fieri poterunt, intendimus opportunam super ijs concedere potestatem, &c. *Dat. Auin. IV. non. februarij anno* II. Obiecti sunt ab inuidis obices Andreæ inunctioni, vnde ingentia mala fluxere.

Sancitur vt regia inunctione liniatur.

b Extra arce S. Angel. lib. pontif. Rom. eccl. ms. pag. 202. & inter coll. Vat. iussu Sixti IV. edit. l. 3. pag. 3. in M. S. Vall. sign. lit. B. n. 1. pag. 242. in M. S. sign. lit. B. n. 1. pag. 1. Baron. an. 11. an. 1097. 1. 699.

17 Professa est solemni ritu Neapoli die vigesima octaua augusti huius anni Regina Ioanna b coram Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinale Apostolicæ sedis legato, ac regni ob pupillarem Reginæ ætatem tutore atque administratore seu, vt vocant, baiulo, regni Siculi coronam liberalitate sedis Apostolicæ in se transfusam, clientisque fidissimæ obsequia Clementi VI. ac successoribus deuouit: ad cuius rei commendandam securitatem ætati memoriam subiectas tabulas edendas curauit.

Clementis ris sponsa a Ioanna præstita.

Ioanna Dei gratia Ierusalem & Siciliæ Regina, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Prouinciæ, & Forcalquerij ac Pedemontis comitissa.

Tenore præsentium notum facimus vniuersis earum seriem inspecturis, tam præsentibus quam futuris, quod de ligio, homagio, & fidelitatis debitæ iuramento, per nos de proximo præstitis in manibus reuerendi in Christo patris domini Aymerici tit. S. Martini in montibus presbyteri Cardinalis A. S. L. in regno Siciliæ pro parte sanctissimi in Christo patris & domini domini Clementis diuina prouidentia eiusdem sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summi

Pon-

Editum ea de re pontificiū decretum

pontificis, & ipſius eccleſiæ nomine, auctoritate ſupraſcriptarum eiuſdem domini ſummi Pontificis literarum præſentatum eſt nuper noſtris obtutibus quoddam confectum exinde publicum inſtrumentum ſubſtantiæ per omnia fieri.

Inſertum ijs publicum documentū.

18 *In Dei nomine. Amen. Anno a natiuitate eiuſdem* MCCCXLIIII. *die* XXVIII. *menſis auguſti duodecimæ indictionis pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini domini Clementis, diuina prouidentia Papæ VI. anno* III. *Nouerint vniuerſi præſens inſtrumentum publicum inſpecturi, quod nos infraſcripti notarij publici, & infraſcripti teſtes ad hoc vocati ſpecialiter & rogati ad inſtantiam & petitionem nobis factam pro parte inclytæ & excellentis dominæ dominæ Ioannæ, Dei gratia Ieruſalem & Siciliæ Reginæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Prouinciæ & Forcalquerij ac Pedemontis comitiſſæ, perſonaliter acceſſimus ad monaſterium S. Claræ de Neapoli: & dum eſſemus in eccleſia ipſius monaſterij in ipſius dominæ Reginæ præſentia, ac reuerendi in Chriſto patris & domini domini Aimerici tit. S. Martini in montibus presbyteri Cardinalis in dicto regno* A.S.L. *& nuntij ad infraſcripta per apoſtolicas literas ſpecialiter deputati; nec non prælatorum, comitum, baronum, iuriſperitorum, & aliorum quamplurium multitudinis copioſæ; dominus Aimericus nuntius & legatus in præſentia eiuſdem dominæ Reginæ & noſtrorum notariorum & teſtium, ac prælatorum, comitum, baronum, iuriſperitorum, & quamplurium aliorum multitudinis copioſæ, oſtendit & publice legi fecit prædictas literas apoſtolicas veras, nota, & conſueta bulla plumbea pendenti cum filis canapis communitas, quas nos etiam vidimus & inſpeximus diligenter, & erant per omnia continentiæ ſubſequentis* a.

a Cle. VI. an. 3. l. 3. tit. diuerſ. form. ep. 174. extat etiam in. ter collect Plat. to. 3. pag. 22.

Clemens epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Card. A.S.L. *ſalutem, &c.*

19 Inter ſolicitudines varias, quas nobis officium iniunctæ deſuper apoſtolicæ ſeruitutis indicit, ad hoc noſtra vigilat intentio, & libenter dirigimus ſtudia mentis noſtræ, vt per prouidentiam ſedis Apoſtolicæ circumſpectam negotia vndique ad eam confluentia ſic & ordinentur & diſponantur mature, quod honoribus & iuribus eccleſiæ Romanæ ſponſæ noſtræ ſuper eis prouideatur, vtiliter & ſpiritualium ipſius eccleſiæ filiorum commoditatibus conſulatur. Dum ſiquidem mœſtis relatibus ad audientiam noſtri apoſtolatus perducto, claræ memoriæ Robertum Regem Siciliæ auum chariſſimę in Chriſto filię noſtrę Ioannę Reginę Siciliæ illuſtris, ſicut illi qui apud omnes Reges terrę terribilis aufert ſpiritum principum placuit, ab hac luce ſubtractum ipſaque Ioanna nepte ipſius Roberti Regis ex vnico filio primogenita Regi eidem ſuccedente in regno Siciliæ & terris citra pharum vſque ad confinia terrarum eccleſiæ Romanę, excepta ciuitate Beneuentana cum eius toto territorio ac omnibus diſtrictibus & pertinentijs ſuis, per Romanum Pontificem diſtinctis, vel in poſterum diſtinguendis dumtaxat exceptis; quæ Ioanna in tali ætate, ſicut adhuc eſſe dignoſcitur conſtituta, quod ad gubernationem & adminiſtrationem regni & terrarum prędictorum propter defectum ætatis huiuſmodi, cuius quidem ætatis conſueuit eſſe conſilium fragile & infirmum multiſque captionibus expoſitum, minus idonea exiſtebat; nos qui ipſius Ioannæ Reginæ ſuperiores immediati exiſtimus, & totius regni ac terrarum prædictorum directum & altum dominium obtinemus, & ad quos cura, dominatio, adminiſtratio, & bailia regni & terrarum prædictorum regendæ per nos, vel alium, ſeu alios idoneos per ſedem Apoſtolicam deputandum, ſeu etiam deputandos plene & in ſolidum de iure, ac diuerſorum prædeceſſorum Romanorum Pontificum obſeruantia pacifica iſtis temporibus pertinebant, prædeceſſorum ipſorum veſtigijs inhærentes, vtque paterna beneuolentia conſilium capientes pro filijs in ſimilibus caſibus ſalubriter prouiderunt pro bono ſtatu regni & terrarum prædictorum, non parum turbinibus periculoſiſque fluctibus expoſitorum, & in multis iniquorum & pacis æmulorum inſidioſis perturbationibus conſtitutorum; ac pro cenſura recti iudicij & rectitudine iuſtitiæ ibidem ſub rectore debito confouendis, tam pro iure noſtro & eiuſdem Romanæ eccleſiæ conſeruando, quam pro ipſius Ioannæ Reginæ ac regni & terrarum prædictorum vtilitate ac indemnitate incolarum regni & terrarum ipſorum, qui noſtri & eiuſdem eccleſię ſunt homines principaliter & vaſſalli; & vt noſtro fulti prędidio ſublata malorum formidine a noxijs & ab oppreſſionibus indebitis præſeruet immunes, & deliberatione prahabita diligenti; decreuimus et ordinauimus gubernationem, adminiſtrationem, et bailiam dictorum regni et terrarum gubernari et regi debere, ac exercendas eſſe noſtro nomine his temporibus et gerendas; eaſque tibi, de cuius circumſpecta, matura, et fideli prouidentia plene confidimus, per noſtras certi tenoris literas prouidimus de fratrum noſtrorum conſilio committendas, certis adminiſtratoribus per præfatum Robertum Regem præfatis Ioannæ et regno de facto datis (cum de iure preſertim pro tempore, quo ad nos eadem adminiſtratio pertinet, minime potuiſſet) ne de gubernatione et adminiſtratione huiuſmodi pro dicto tempore ſe quomodolibet intromitterent, ſub diuerſis pœnis in proceſſibus per nos factis ſuper hoc contentis plenius, et expreſſis diſtrictius nihilominus prohibentes.

Regni ad miniſtratio legato commendata.

20 Sane cum tu, pro huiuſmodi adminiſtratione, gubernatione, et bailia gerendis et exercendis ad regnum et terras prędicta te perſonaliter conferens, ibidem prędictis literis noſtris et proceſſibus ſolemniter publicatis, eaſdem adminiſtrationem, gubernationem, et bailiam ſuſcipiens et gerens exerceas plene, ſicut intelligimus, pacifice et quiete, per eandem Reginam et ſuos tibi obedientia plenaria prędtita in hac parte; ac deinde ipſa Regina (cui ſuper prędtatione homagij ligij, plenique vaſſallagij, ac fidelitatis iuramenti, ad quę iuxta conuentiones et pacta, in conceſſione, per eandem eccleſiam de regno et terris prędictis inclytę memorię Carolo Regi Siciliæ auo prędicti Roberti Regis eiuſque heredibus facta inter eandem eccleſiam et ipſum Carolum Regem habita, nobis quilibet nouus ſucceſſor in regno et terris prædictis, et cuilibet nouo Romano Pontifici in aſſumptione ſua ad ſummi apoſtolatus apicem, et eidem eccleſię infra certum terminum pro regno et terris prędictis perſonaliter prędtare tenetur; ex certis rationabilibus cauſis, ad hoc nos mouentibus, ipſius Reginæ ſupplicationibus inclinati, quaſdam dilationes, quarum vltima debet in feſto B. Michaelis futuro proximo terminari, duximus per diuerſas literas noſtras inde confectas, ſicut in eis continetur, ple-

Roberto auo ſuccedit Ioanna.

Ob pupillarem ætatem Pontificis curæ obnoxia.

plenius concedendas) nobis instanter et humiliter fecerit supplicari, venerabilem fratrem nostrum Guillelmum archiepiscopum Brundusinum, ad nostram præsentiam propterea specialiter destinando, vt qualitate inordinati & impacati præsentis temporis, ætatisque ipsius Reginæ teneritudine, suisque alijs necessitatibus paterna & benigna consideratione pensatis, huiusmodi homagij plenique vassallagij & fidelitatis iuramenti receptionem tibi committere dignaremur; nos attendentes, quod secundum conuentiones & pacta prædicta in optione & beneplacito existit Romani Pontificis succedentem nouiter in regno & terris prædictis vocare ad præstandum personaliter iuramentum fidelitatis, & ligium homagium eidem Romano Pontifici & ecclesię prędictę, dummodo ad hoc securum locum statuat & assignet; vel aliquem Cardinalem ipsius ecclesię, aut alium, qui vice Romani Pontificis iuramentum iuxta formam denotatam in literis prędictis super concessione regni & terrarum prędictorum confectis, & homagium recipiat, destinare; ac nihilominus considerantes attente prędictam eiusdem Reginę obedientiam, nobis & eidem sedi vtique multum gratam, suæque conditionem & qualitatem personę, ac ętatis & sexus, nec non itinerum & viarum discriminosa per terram & mare pericula formidanda, si eam venire ad nostram præsentiam personaliter oporteret; & volentes eam super his fauoribus prosequi gratiosis, eiusdem Reginę supplicationibus benignius super his inclinati; te de cuius prouidentia fideli, & matura circumspectione, & agendorum experientia in multis arduis probata negotijs plene confidimus, ad recipiendum homagium, vassallagium, & iuramentum huiusmodi hac vice ab eadem Regina iuxta conuentiones & sua pacta prędicta nostro & eiusdem Romanę ecclesię nomine prouidimus de fratrum ipsorum consilio deputandum.

Soluta est Regina labore cō ueniendi Pontificē

Data legato prouincia ei⁹ adigendæ in Pontificis verba

21 Quocirca discretioni tuę per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus homagium, vassallagium, & iuramentum huiusmodi, quę iuxta formam præsentibus annotatam per Reges Sicilię primogenitores ipsius Reginę, quorum ipsa heres existit, qui fuerunt pro tempore, pro regno & terris prędictis citra pharum Romanis Pontificibus prędecessoribus nostris & ecclesię prędictę præstari sunt hactenus consueta, recipere iuxta formam huiusmodi cum omni diligentia studiosa procures: & nihilominus formam iuramenti, quod eadem Regina tibi nomine quo supra præstabit, de verbo ad verbum per ipsius Reginę patentes literas, & aurea bulla eiusdem Reginæ impressa typario communitas nobis e vestigio studeas fideliter destinare, in archiuo prędictę Romanę ecclesię in huiusmodi rei testimonium, perpetuamque memoriam conseruandas. Forma autem iuramenti prędicti, quod eadem Regina vt præmittitur præstabit, talis est.

Præscribitur forma sacramenti.

22 *In nomine Domini. Amen. Ego Ioanna Dei gratia Regina Siciliæ ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, beatorum quoque Apostolorum Petri, & Pauli & ecclesiæ Romanæ, in præsentia reuerendi in Christo patris domini Aymerici tit. S. Martini in montibus presbyteri Cardinalis A. S. L. ad homagium ligium & vassallagium & fidelitatis iuramentum, & alia omnia & singula infrascripta a me recipienda per sanctissimum in Christo Patrem dominum meum dominum Clementem, diuina prouidentia Papam VI. specialiter deputatum, illaque eiusdem domini mei Papæ & ecclesiæ Romanæ prædictorum nomine recipientis, ligium homagium facio dicto domino meo Papæ, eiusque successoribus canonice intrantibus, & ipsi ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra pharum vsque ad terrarum confinia eiusdem ecclesiæ: quæ vtique regnum & terram (excepta ciuitate Beuenentana cum toto territorio, ac omnibus districtibus & pertinentijs suis secundum antiquos fines territorij, pertinentiarum, & districtus ciuitatis eiusdem, per Romanos Pomtifices distinctos vel in posterum distinguendos) claræ memoriæ domino Carolo Regi Siciliæ & heredibus suis, illuo recolendæ memoriæ domini Roberti Regis Siciliæ aui mei, cui ego ex vnico suo filio primogenita in regno & terris succedo prædictis, prædicta ecclesia Romana concessit. Et recognosco & fateor, quod inter Romanam ecclesiam & prædictum dominum Carolum conditiones, conuentiones, modus & forma, & pacta infrascripta interuenerunt, & fuerunt apposita in concessione regni, sibi suisque heredibus per Romanam ecclesiam facta, seu auctoritate ipsius in prædicta concessione pertinentia seu spectantia ad personas eorum, qui successuri erant ipsi domino Carolo suisque heredibus in terra & regno prædictis & eorum, qui in eisdem successuri sunt, mihi meisque heredibus; nec non ad successionem vel formam seu modum succedendi ipsi domino Carolo suisque heredibus, & mihi meisque heredibus in regno & terra præfatis: quæ omnia & singula tam me, quam meos in dictis regno & terra heredes seruaturos promitto, & contra ea non venturos. Quæ talia sunt.*

Quas terras vesti. geles accipiat.

23 *Si in nostro vel heredum nostrorum obitu legitimum, prout sequitur, heredem nos aut ipsos, quod absit, non habere contigerit; regnum ipsum ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere reuertatur. Descendentes autem ex nobis & nostris heredibus Siciliæ Regibus mares & fœmina in eodem regno succedent: sic tamen, quod de liberis duobus maribus in eodem gradu similiter concurrentibus primogenitus, & de duabus fœminis primogenita, & de mari & fœmina in eodem gradu similiter concurrentibus masculus, omnibus alijs præferatur. Si vero nos, quod absit, sine liberis ex nobis legitime descendentibus mori contigerit, vel si aliquem de alijs successoribus nostris Regem vel Reginam Siciliæ sine legitima prole sui corporis mori contigerit in futurum, succedent eidem, seruatis gradibus, si superstites fuerint hæ personæ; videlicet Regi vel Reginæ sine prole legitima sui corporis decedentis frater vel soror, ac collaterales superiores mares & fœmina, vtpote patrui et auunculi, amitæ et materteræ, sursum vsque ad quartum gradum dumtaxat, illis collateralibus quos nos ad præsens habemus, et dum vixerimus habebimus, et qui post nostrum obitum ex eisdem forsitan orientur, exceptis. Collaterales et inferiores succedant similiter mares et fœmina, vtpote nepos vel neptis ex fratre vel sorore, et inferius vsque ad eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de fœminis rectæ lineæ et collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis quam etiam innuptis, dummodo nuptæ sint fidelibus et ecclesiæ Romanæ deuotis. Et sicut inter has personas gradus seruari volumus, vt scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur, sic in eodem gradu pluribus concurrentibus, priorem natu posteriori, et marem fœminæ in*

Instauratę veteris pactionis.

Quis succedentiū ordo.

huius-

huiusmodi successionibus volumus anteferri. Personarũ autem huiusmodi nulla superstite, regnum ipsum, sicut prædicitur, ad Romanam ecclesiam et eius dispositionem libere reuertatur.

Quod si forte, deficientibus masculis, contingeret fœminam innuptam in regno succedere, illa maritabitur persona, quæ ad ipsius regni regimen et defensionem existat idonea; Romani tamen Pontificis prius super hoc consilio requisito: nec nubet nisi viro catholico, et ecclesiæ Romanæ deuoto. Et si contra hoc fieret, licebit eidem Romano Pontifici contra ipsam ad priuationem prædictorum regni et terræ sine figura iudicij, et absque omni iuris solemnitate in quacumque ætate filia ipsa consistet, procedere si hoc ei videbitur expedire. In regnum vero & terram prædicta nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus. Ad hæc promitto quod tam ego, quam mei in regno & terra prædictis heredes, regnum & terram præfata nullatenus diuidemus: sed semper illa vnus tantum super ipsis conditionibus immediate & in capite ab ecclesia Romana tenebit.

24 Item ego Ioanna Dei gratia Regina Siciliæ, plenum & ligium vassallagium faciens dicto domino meo domino Clementi Papæ VI. & ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra pharum vsque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ (excepta ciuitate Beneuentana cũ toto territorio & omnibus districtibus & pertinentijs suis secundum antiquos fines territorij, pertinentiarum, & districtus ciuitatis eiusdem per Romanos Pontifices distinctos vel in posterum distinguendos) ab hac hora in antea fidelis & obediens ero B. Petro, & domino meo domino Clementi Papæ præfato, eiusque successoribus canonice intrantibus, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio aut consensu vel facto, vt vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi crediturj sunt per ipsos aut nuncios ipsorum, siue per literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam: & si sciuero fieri, vel procurari, siue tractari aliquid, quod sit in eorum damnum, illud pro posse impediam, & si impedire non possem, illud ipsis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri tam in regno Siciliæ & terra prædictis, quam alibi existentia, adiutrix eisdem ero ad retinendum & defendendam ac recipiendum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Vniuersas & singulas conditiones contentas in præsenti instrumento seu literis, ac omnia & singula, quæ continentur in instrumento seu literis bonæ memoriæ fratris Anibaldi basilicæ duodecim Apostolorum presbyteri, Ricardi S. Angeli, Nicolai S. Nicolai in carcere Tulliano, & Iacobi S. Mariæ in Cosmedin diaconorum Cardinalium super ipsorum regni & terræ concessione facta dicto domino Carolo confectis plenarie adimplebo, & inuiolabiliter obseruabo: nec vllo vnquam tempore veniam contra illa, exceptis duobus capitulis, quæ inferius describuntur. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia.

25 Promitto quoque, quod mei in dictis regno & terra heredes huiusmodi homagium & iuramentum fideliter præstabunt secundum præscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses; si vero eum extra Italiam esse contigerit, infra annum postquam regni dominium adepti fuerint, & singulis Romanis Pontificibus & eidem Romanæ ecclesiæ renouabimus tam ipsum homagium, quam huiusmodi iuramentum. Quod quidem homagium facere & iuramentum fidelitatis præstare dicti heredes mei, vt prædicitur, tenebuntur. In optione autem & beneplacito erit Romanæ ecclesiæ, me & heredes meos vocare ad præstandum personaliter iuramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici & eidem ecclesiæ, dummodo ad hoc mihi & eis tutum locum statuant & assignent, vel aliquem Cardinalium ipsius ecclesiæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis iuramentum iuxta eandem formam & homagium recipiat, destinare.

26 Item domino meo prædicto & Romanæ ecclesiæ iuro, ad præsens me ad hoc specialiter obligans, quod tam ego singulis eiusdem successoribus & ipsi ecclesiæ, quam mei in dicto regno heredes domino Papæ prædicto & eius successoribus, & prædictæ ecclesiæ, quando præstabimus huiusmodi iuramentum fidelitatis, iurabimus nos ad hoc specialiter obligantes, quod nunquam per nos vel alios, seu quocumque modo procurabimus vt eligamur vel nominemur in Regem vel Reginam, aut Imperatorem vel Imperatricem Romanorum, vel Regem aut Reginam Theutoniæ, seu dominum vel dominam Lombardiæ, aut Tusciæ seu maioris partis earundem, &c. [Additæ sunt plures in hoc argumento pactiones, quas olim a Carolo I. Ioannes XXI. exegit, ijsdem ferme conceptæ verbis & tomo XIV. allatæ a: Et si Rex non habens filium in Imperatorem electus ad imperium transire voluerit, & de personis, de quibus supradicitur liberis non extantibus, in regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio & filia præordinauimus obseruentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis illis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existent ratione patriæ potestatis. Quod si & mihi Reginæ Siciliæ, aut alicui meorum heredum in regno prædicto sine filio decedenti, superstes sit filia vel mulier, aliaque iuxta præfatam formam debeat ad huiusmodi successionem admitti, quæ Imperatori, dum ego Regina viuam, vel dum meus heres Rex Siciliæ viuet, fuerit desponsata vel nupta, non succedat in regno. Et si regno sibi delato Imperatori nupserit, cadat protinus ab eodem, nisi vir eius imperio prorsus renuncians regno solummodo contentus sit. In primo autem casu, repulsa filia & alijs prædictis, ad personas illas seruatis gradibus regnum perueniat, quæ prænotatæ sunt in regno posse succedere, si Regi præmortuo liberi non superstites. In secundo autem casu regnum ipsum ad Romanam ecclesiam deuoluatur.

Item promitto pro me & meis in regno heredibus, ad hoc tam me quam ipsos obligans, quod regnum Siciliæ & terra prædicta imperio nullo modo subdentur, seu sibi nullo vnquam tempore in eadem persona quomodolibet vnientur: & super hoc articulo tam per pœnas spirituales, quam per alias cautiones cauebimus tam ego quam mei in eodem regno heredes iuxta ecclesiæ voluntatem, quandocumque Romanus Pontifex hoc duxerit requirendum: cum prorsus intentionis sit Romanæ ecclesiæ, vt regnum & terra prædicta nullo vnquam tempore imperio vniantur, vt scilicet vnus Romanus Imperator et Siciliæ Rex existat. Quod autem circa vnionem ipsorum regni et terræ cum imperio dictum est, hoc ipsum circa vnionem regni et terræ cum regno Romano, aut regno Theutoniæ, seu dominio Lombardiæ vel Tusciæ intelligitur esse dictum.

Item promitto quod pro toto generali censu ipsorum regni et terræ octo millia vnciarum auri ad pondus ipsius regni in festo B. Petri, vbicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici et Romanæ ecclesiæ singulis annis persoluam, et ad illum

Sicilia cũ imperio non coniungenda.

a An. Chr. 1276. n. 40. ad n. 43.

Parto imperio ab eundum Siciliæ regno.

De censu pendendo

lum similiter persoluendum obligo omnes & singulos in dictis regno & terra heredes. Si vero ego vel mei in dicto regno heredes quocumque modo non soluerimus integre censum ipsum, & expectati per duos menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfecerimus, eo ipso erimus excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infra sequentes duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persoluerimus, totum regnum Siciliæ ac tota terra prædicta ecclesiastico erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem eiusdem census nobis duxerimus consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino & duobus proxime sequentibus mensibus non fit de octo millibus huiusmodi primi termini ipsi ecclesiæ integre satisfactum, ab eisdem regno & terra ipsorumq; iure cademus ex toto, & regnum ipsum & terra ad Romanam ecclesiam integre & libere reuertantur. Si autem de censu octo millium vnciarum huiusmodi primi termini infra dictos certum terminum & duos sequentes menses plenarie satisfecerimus, nihilominus semper pro singulis octo millibus vnciarum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessauerimus, vel illas non soluerimus, pœnas similes incurremus; saluis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de iure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu. Item promitto, quod in quolibet triennio dabimus ego & mei in dicto regno heredes Romano Pontifici vnum palafredum album pulchrum & bonum in recognitionem veri dominij eorundem regni et terræ. Promitto insuper, ad hoc tam me quam heredes meos in regno obligans, quod quandocumque Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, vel dixerit Romanam ecclesiam indigere, ita quod super indigentia huiusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, etc. Quæ sequuntur, iam a nobis ante insinuata sunt a in formula clientelaris sponsionis a Carolo II. præstitæ Nicolao IV. vsque ad dimidium §. primi numeri 10. vt iam ea repetere superuacaneum sit. Postremam itaq; documenti publici partem, quæ a Caroli II. literis discrepat, adiungemus.

Suscipiendæ non soluentibus pœnę

a Ta. XIV. annal. an. Chr. 1289 n. 4.

Soli pontificiæ liberalitati regnum acceptum referetur.

27 *Ego etiam do de hoc priuilegium seu literas præsentes domino Papæ et Romanæ ecclesiæ memoratis aurea bulla bullatum seu bullatas, in quo vel in quibus proprio iuramento fateor et recognosco expresse regnum Siciliæ et totam terram, quæ est citra pharum vsque ad confinia terrarum ecclesiæ Romanæ (excepta ciuitate Beneuentana cum territorio et pertinentijs eius, quæ vt dictum est, ecclesiæ remanebit eidem) ex sola gratia et mera liberalitate sedis Apostolicæ sæpedicto domino Carolo, mihi, meisque heredibus in feudum fore concessa, meque habere ac tenere regnum et terram huiusmodi a dicta Romana ecclesia in feudum pro me meisque heredibus in dictis regno et terra sub pactis et conditionibus, forma, modo, et conuentionibus prædictis, et sub alijs, quæ in literis felicis recordationis Clementis Papæ IV. plenius continetur, exceptis duobus capitulis infrascriptis.*

Cæterum vt præmissa omnia & singula, ac insuper vt conditiones & pacta, quæ inter sanctam Romanam ecclesiam & sæpedictum dominum Carolum interuenerunt seu fuerunt appolita tempore, quo sæpedicta terra & regnum dicto domino Carolo suisque heredibus concessa fuerunt in feudum, prout in literis felicis recordationis domini Clementis Papæ IV. plenius continentur, illibata perpetuo maneant, & inconcussa semper obtineant firmitatem; ipsa omnia & singula iuro (duobus exceptis indecapitulis, vno de quinquaginta millibus marcbis sterlingorum & illarum solutione, sanctæ Romanæ ecclesiæ debitis ex conuentionibus memoratis per iam dictos parentes meos, & me heredem ipsorum, remissis mihi meisque heredibus in perpetuum & donatis per ipsam ecclesiam, ac felicis recordationis dominum Clementem Papam V. cum consilio & assensu dominorum Cardinalium de mera liberalitate ipsorum ex speciali gratia relaxatis; & de eis sumus ego & mei heredes de nexu cuiuslibet obligationis aut pœnalis promissionis, quibus essemus astricti propterea in perpetuum absoluti, & exinde quietati: alioque capitulo de personalibus iam dicto domino Carolo impositis de habendis per eum mille militibus vltramontanis cum certo equitaturarum & balistariorum numero ad veniendum ad prosecutionem negotij dicti regni in stabilitis terminis & præfixis sub certarum intimatione pœnarum, quia hæc esse constat impleta) & per stipulationem solemniter promitto, quod plenarie adimplebo & inuiolabiliter obseruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia. In prædictorum autem testimonium perpetuamque memoriam præsens scriptum exinde confici iussi, & aurea bulla regiæ maiestatis impressa typario communiri. Datum Auin. VII. non. iulij pontificatus nostri anno III.

28 *Quibus apostolicis literis ostensis, visis, & sic publice, vt prædicitur, lectis & per nos vt præfertur inspectis, præfata domina Regina earundem literarum apostolicarum auctoritate præscripto die & in nostrum notariorum & testium præsentia (præsente eorundem, aliorum prælatorum, comitum, baronum, iurisperitorum, & aliorum quamplurium multitudine copiosa, præfato domino Aymerico legato, & in præmissis nuntio apostolico præsente, & secundum formam prædictarum literarum apostolicarum recipientes eiusdem domini summi Pontificis & ecclesiæ Romanæ nomine) præfata homagium, vasallagium, & iuramentum huiusmodi, quæ iuxta formam præscriptam in prædictis literis serioſe & particulariter continentur, pro regno Siciliæ & tota terra citra pharum præfatis Romanis Pontificibus & ecclesiæ præfatæ præstari sunt hactenus consueta, præstitit iuxta formam huiusmodi, & iuxta præscriptarum literarum continentiam & tenorem, omniaque alia in præscriptis contenta literis seruare iurauit atque promisit, prout astringebatur ad illa ex earumdem continentia literarum, prout in patentibus literis reginalibus aurea bulla reginalis excellentiæ impressa typario communitis, quas dicta domina Regina pro cautela sanctæ Romanæ matris ecclesiæ & eiusdem domini summi Pontificis prouide concessit, hæc & alia serioſius annotantur. Quas literas reginales in præscripta forma in dictis apostolicis contenta literis, dictus dominus Aymericus legatus & nuncius ab eadem domina Regina aurea bulla impressa typario recepit & habuit, ad dictum dominum summum Pontificem deferendas seu transmittendas, prout dicto domino Aymerico legato & nuncio per præscriptas apostolicas literas iniunctum extitit & commissum.*

29 *Quibus peractis, præfata domina Regina requisiuit, rogauit, atque mandauit, vobis dicto domino Aymerico legato et nuntio præsente, nostrum super hoc officium, quod est publicum, implorando vt de prædictis, et qualiter prædicta iurata, præstita, et acta sunt præscripto die in nostrum notariorum et testium præsentia, ac prædictorum aliorum prælato-*

latorum, comitum, baronum, iurisperitorum, et aliorum quamplurium multitudinis copiosæ pro eiusdem dominæ Reginæ testimonio et cautela confiteremus publicum instrumentum. Quorum nos mandato et requisitionibus annuentes, de prædictis, et qualiter prædicta in nostrum notariorum et testium præsentia, ac prædictorum aliorum prælatorum, comitum, baronum, iurisperitorum, et aliorum quamplurium multitudinis copiosæ præstita, iurata, et acta sunt, factum est pro cautela et testimonio eiusdem dominæ Ioannæ Reginæ per manus mei infrascripti notarij publicum instrumentum, signo meo solito et subscriptione signatum, sigillo et subscriptione dicti domini Aymerici legati et nuntij, ac signo et subscriptione infrascripti notarij munimine roboratum. Actum Neapoli in dicta ecclesia monasterij S. Claræ sub anno, mense, die, indictione, et pontificatu prædictis, præsentibus notario Mendino de Auersa habitatore Neapolis, in notarium ad prædicta assumpto, ac illustri principe domino Andrea Dei gratia Ierusalem et Siciliæ Rege eiusdem dominæ Reginæ consorte, et inclytis et excellentibus dominis, dominis Roberto Romaniæ despoto Achaiæ et Tarenti principe, Carolo principe Duratij, et Ludouico de Tarento, etc. [Interiectis plurium præsulum, procerum, ac notariorum testimonijs, de præstita a Ioanna clientelari sponsione Aymerico A. S. L. ex formula a Clemente concepta: tum subijcit Ioanna.]

30 Nos vero eodem instrumento viso & diligenter inspecto, examinatoque prudenter, & pro tanta gratia, ab eodem domino summo Pontifice nobis benigne collata, cum filiali reuerentia eidem domino nostro ad gratiarum actiones vberes consurgentes, omnia & singula in præfatis literis & instrumento contenta harum serie de nostra certa scientia ratificamus & acceptamus, & expresse emologamus, sicut validius possumus confirmamus, taliter nos auctore Domino ad omnia grata apostolicis affectibus habituræ, quod de collatis, a nobis gratitudo proueniet, & in conferendis affectus promptior excitatus exurgat; expressius declarantes, quod per hoc non intendimus neque volumus recedere quoquo modo a protestatione per nos facta coram eodem legato super modo & forma eiusdem præstationis, homagij, & iuramenti tempore præstationis huiusmodi: sed in ipsis protestationis finibus persistentes, non intendimus nec volumus illi propterea in aliquo derogare. In cuius rei testimonium præsens scriptum confirmationis & acceptationis nostræ exinde fieri fecimus, & aurea bulla maiestatis nostræ impressa rypario iussimus communiri. *Dat. Neapoli per manus Arnulphi Cumani de Neapoli iuris ciuilis professoris locumtenentis protonotarij regni Siciliæ, præsentibus reuerendo in Christo patre domino Philippo, Dei gratia Cauaillicensi episcopo, cancellario nostro; ac nobilibus viris Gottifrido Squillatij comite regni Siciliæ ammirato, Thonino de S. Seuerino comite Marsici, Carolo de Artus comite sanctæ Agathes,* & infra, *testibus sub anno Domini* MCCCXLIV. *die vltimo dicti mensis augusti dictæ* XII. *indictionis, regnorum nostrorum anno* II. Relictis paulo post ad importunas preces Ioannę liberis regni habenis Clemens legatũ quem ex regijs vectigalibus operæ nauatæ stipendia accipere iussit a, e Sicilia XIII. kal. decembris reuocauit b; additis hisce præceptis, quibus Ioannam a legato informari voluit.

Clemens, etc. Aymerico tit. S. Martini in montibus presbytero Card. A. S. L.

31 Adijcimus exhortationi prædictæ, quod eadem Regina tales præuia matura, & diligenti deliberatione in consiliarios suos, ac gubernationis & administrationis regni & terrarum prædictorum cooperatores assumat & retineat iam assumptos, qui Deum diligant, iustitiam ament & foueant, sui & regni honoris & commodi ac suæ salutis zelentur augmentum: auaritiam odiant, & lucra propria in suum & regni seu aliorum dispendium non venentur: & cum quorum sano consilio quæ agenda fuerint expediat vtiliter, & ea quæ non licebunt vel expedient, resuere non omittat; non obstante ordinatione aui sui prædicti, qua quoad hoc ipsam arctari nolumus, & iuramento super hoc præstito, super quo etiam secum, si oporteat, dispensamus. Nec aliquibus consiliarijs, quibus forsan afficeretur, tantum adhæreat, quod aliorum sapientum & fidelium prætermittat consilia vel contemnat; ita quod in suam ac regni & terrarum prædictorum gubernationis vtilis dispendium, personarum acceptio minime vendicet sibi locum ad aliqua, quæ magni ponderis extiterint, absque maturo consilio & prouida deliberatione præuia nullatenus processura: sed potius sic se prudenter & mature in omnibus suis actibus habitura, quod prædictorum regni & terrarum populus in pulchritudine pacis sedeat, fiduciæ tabernaculis habitet, & requie opulenta quiescat, cultu iustitiæ a se suisque officialibus & subditis obseruato.

Monita Ioannæ Reginæ a Card. legato tradenda.

Deum quoque in omnibus & per omnia semper habens præ oculis, sacrosanctam ecclesiam eiusque ministros reuerentia & honore debitis prosequatur, libertates ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum regni sui ac iura defendendo & manutenendo, eaque non violando quomodolibet, nec permittendo ab alijs violari. Insuper zelatricem iustitiæ, per quam thronus roboratur & firmatur regius, se reddat continue, subditos suos a potentum oppressionibus protegendo & defendendo & manutenendo, eaque non violando quomodolibet, nec permittendo ab alijs violari, insidiantibus & rapinis bonorum suorum peruersis, & damnatis inhiantibus conatibus * sic purgans & mundans, quod potentia virtuosa regali humana nocendi coerceatur audacia, & illæsa inter improbos innocentia perseueret; his nihilominus subiungendo, quod si se consulte, prudenter, & prouide nostris acquiescendo exhortationibus huiusmodi gesserit, vt optamus, eidem opportunis & benevolis fauoribus assistemus. Alias autem si contrarium de ipsa (quod auertat Dominus) super his audiremus, cum eam, regnum & terras prædicta specialis dilectionis & fauoris intuitu contemplemur, omittere non intendimus nec possemus, quominus de opportuno curaremus prouidere in hac parte remedio, sicut prædecessores nostros Romanos Pontifices fecisse in casu consimili legimus de regnis alijs, nequaquam eidem Romanæ ecclesiæ specialiter sic subiectis, &c. *Dat. Auin. XIV. kalend. decembris pontificatus nostri anno* III.

* regnum

32 Quanto Siculi regni exitio erepta fuerit apostolico legato publicæ rei administratio, sequentis anni lugebit historia: sed fugiunt humanam prudentiam futuri rerum exitus: non defuit tamen Clemens opera & consilio, vt secutura mala auerteret. Inflata erat fastu Ioannæ,

Quanto regni damno concessa publica administratio.

Ioanna viro inuidet.

ac virum contemptui habere cœperat, neque ad regiæ auctoritatis societatem admittere dignabatur: exorientibusque inter ipsos discordijs, quas regij gynæcei mulierculæ leues atque adolescentes magis accendebant, certior factus Pontifex Andream Regem ac Ioannam ad coniugalem amorem hortatus a est. Tum etiam illam docuit b, quam rationi ipsiusque dignitati consentaneum foret, vt regiæ potestatis, ac publicæ rei administrationis Andreas particeps fieret. Consuluit etiam vt inducias cum Ludouico Trinacrię occupatore paciscereturꝰ partis enim tuendis potius quam proferendo imperio incumbendum videri: tum æqui acciperet, si ad diuinum cultum instaurandum sacrorum vsum Trinacriæ ad tempus aliquod restitueret.

a To. 3. ep. secr. 236. 237.
b Ib. ep. 582

33 Petrum etiam Regem Aragonum, vt cum Iacobo Baleari concordiæ iniret colloquia solicitauit, inducias que ad recurrentem S. Michaeli sacrum diem iniret, & Armando Apost. sedis internuntio assentiretur. At frustratos sua expectatione & opera Pontificem & internuntium, indicat Surita c, qui eriam Armandi meminit; additque traductum a Petro Rege in Ruscinonis comitatum bellum, & regio edicto Balearis Regis ditionem Aragoniæ coronæ coniunctam fuisse; ac tum Cardinalem Ebredunensem a Clemente missum, vt pacem inter Reges reuocare tentaret. Is erat Bertrandus tit. S. Marci presbyter Cardinalis, ad quem de impositi ei munere subiectæ extant literæ d.

c Sur. l. 7. c. 76.

Bertrand. Card legatus missus in Aragoniam.
d An. 2. l. 5. pag. 6.

Clemens, etc. dilecto filio Bertrando tit. S. Marci presbytero Card. A. S. N.

Quiantea missi fuerint.

34 Quamuis immeriti, in terris a Domino vicarij constituti, cupientes vt huiusmodi perniciosa discordia ipsorum Regum, tanta sanguinis proquinquitate & affinitate iunctorum, auctore Domino sopiretur, bonæ memoriæ Andream tit. S. Susannæ primo, & deinde ipso huiusmodi negotium * prosequendo viam vniuersæ carnis ingresso, dilectum filium nostrum Bernardum tit. S. Cyriaci in thermis presbyteros Cardinales, & venerabilem fratrem nostrum Armandum archiepiscopum Aquensem diuersis vicibus & temporibus tractatores & reformatores pacis inter Reges eosdem ad regna & terras eorum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandos: dictusque Bernardus non valens huiusmodi discordiam totaliter amputare, sufferentias inter ipsos Reges, vsque ad certi temporis iam elapsi spatium duraturas, cum multis laboribus procurauit.

* prosequente

Gesta varia prælia.

35 Et quia, sicut displicenter audiuimus & displicentius referre cogimur, post lapsum sufferentiarum huiusmodi dictorum Regum animi, quos sperabamus promptos ad pacem & concordiam inuenire, adeo procurante satore discordiæ durius sunt commoti, quod eorum molimina congregantes, ad hostiles congressus tam maritimos quam terrestres, ac periculosos insultus etiam processerunt, & ad grauiora mala, damna, & pericula altrinsecus inferenda videntur continue se parare, quæ formidantur maiora discrimina productura; nos more pastoris vigilis volentes, sicut ex debito pastoralis officij nostris humeris incumbit, & non debemus nec expedit ab incœptis desistere (præsertim propter animarum pericula exinde prouentura, quæ potius sunt deflenda) nec cessare propter grauiorem commotionem prædictam, quin circa ista officij nostri debitum exequamur. *Et infra*.

Discretioni tuæ per apostolica scripta de fratrum eorundem consilio committimus & mandamus, quatenus prudenter attento, quod ad negotium tam insigne, tanque præmissis attentis periculis, insidens cordi nostro, te confidenter duximus eligendum, ad regna, partes & terras prædicta, de quibus expedire videris, te personaliter conferens, Reges nec non valitores, auxiliatores, sequaces, & adhærentes, periculis & discriminibus, scandalis atque damnis, quæ ex guerris & dissensionibus sunt solita prouenire, recitatis, eosdem ad pacem & concordiam iuxta datam tibi ex alto prudentiam solicitis monitis & efficacibus persuasionibus auctoritate apostolica inducas & horteris, vt faciente pacis Auctore per ministerium tuum, iuxta desiderium nostrum inter Reges ipsos & adhærentes eosdem cesset discordia, regnetque concordia, quies veniat, pax resurgat ad Dei honorem & gloriam, animarum profectum, robur fidei, & exaltationem populi Christiani, &c. *Datum Auin. 11. id. maij anno 11.* Legatum porro plurima ad munus obeundum auctoritate instruxit a ad coitiones dissoluendas b, ad inducias promulgandas c, ad discordiæ incentores censuris reprimendos d.

36 Et quidē Iacobus Balearis, impar viribus, ac maxima ditionis parte exutus, ad pacem ex iuris & legum æquitate constituendam paratus erat e. At Petrus Aragonum Rex secundis elatus successibus ad euertendum Balearem aspirabat, & circumferebat per Ruscinonis comitatum signa victricia, vt refert Surita f; cum Cardinalis Ebredunensis ipsum de pace sancienda cum Baleari, sed irrito conatu, conuenit. Elna enim, deinde Colliberis in Aragoniorum potestatem concessere demum Perpiniani obsesso Baleari Rege, legatus Cardinalis, cum victor bello absistere, victusque se subijcere respueret, irrito conatu abscessit. Compulsus est Iacobus Rex in graues angustias, Petro de Exerica principe sermonū interprete: & ostentata clementiæ spe delinitus, salute tantum & libertate, vt nec laxiore vel angustiore carcere includeretur, pactis, dedito Petro Regi Perpiniano, se suaque illi permisit, concepta falsa expectatione, ereptum armorum vi regnum Aragonij liberalitate & clementia restitutum iri. Sed inanes tantum illi voces datæ erant; venientem enim, precantemque clementiam regiam Petrus Aragonius simulata humanitate excepit: quem etiam Pontifex ad mansuetudinem in victum, qui se illius potestati commiserat, explicandam hisce literis est adhortatus g.

Petro Regi Aragonum illustri.

37 Sicut iustitiæ debitum exigit debitæ correctionis antidotum adhibere peruersis, sic misericordia suggerit conuersis & humilibus gratiam non negare. Glorioſa quidem illa merito reputatur in principe victoria, quam clementia, qua iuxta sapientis eloquium thronus firmatur regius comitatur. Hæc autem, fili chariſſime, pro tanto præmittimus, quia sicut audiuimus & fama celebris attestatur, Rex ille summus & æternus, qui solus est potens, & in cuius ditione cuncta sunt posita, sic in suis benedictionibus te præuenit, quod quæcumque aduersus chariſſimum in Christo filium nostrum Iacobum Maioricarum Regem illustrem tibi, vt asserebatur, rebellem & inobedientem concepisti facere, quasi succesſerunt pro voto, vt tandem regno Maioricarum & maiori parte terrarum Regis eiusdem viribus tuæ potentię subiugatis, Rex idem, certis per dilectum filium nobi-

nobilem virum Petrum de Cherica ſibi promiſſis, vt fertur, ad præſentiam tuam regiam veniens, humiliter & deuote terram illam in poſſe tuo poſuit, miſericordiam implorando; adeo quod aliud circa negotium huiuſmodi reſtare non videtur, niſi manſuetudo miſerationis & clementiæ regalis erga Regem ipſum miſerabiliter ſic proſtratum. Ad quam, nempe clementiam, exercendam exuberanter & liberaliter in hac parte non ſolum compaſſionis affectus, quem caſus tanti principis, ſicque tibi coniuncti nexu propinquo ſanguinis & affinitatis, indicit; ac honoris tui regij ſtimulus, nec non recolenda claræ memoriæ progenitorum tuorum geſta magnifica debent magnificentiam regiam inducere, ſed tuam non parum brutorum exempla monere: nam de leone rege animalium legitur, quod pecori humiliato & proſtrato miſeretur & parcit, &c. *Dat. Auin. IV. id. auguſti anno* III. Ingeminauit eaſdem preces nonis nouembris Pontifex. a

a To. 3. ep. ſecr 393.

38 Spreuit clementiæ laudem Petrus Rex Aragonum proferendi imperij cupidine: ac licet Iacobum Regem ad meliorum ſpem blandis verbis atque inani manſuetudinis oſtentatione erexiſſet, liberam tamen reliquæ illius ditionis ex voluntaria deditione poſſeſſionem nactus, ad priuatam fortunam miſerum Regem redigere decreuit b, illumque iuſſit Balearici regni, quod Aragoniæ coniunxerat, inſignia abijcere, attributo ad ſuſtentandam vitam tenui annuo vectigali. Expauit ad eiuſmodi ſententiam Balearis, leges multis verbis implorans, abſcedenſque a Rege bellum redintegrare ſtatuit, nonnullaque loca occupauit; ſed mox in Gallias eiectus eſt: ac de Baleari Rege hactenus.

b Marian. ſuper cap. Surit. l. 7. c. 81. Balearem ad priuatam fortunam redigit.

Cæterum de Aragonio non prætereundum, ipſum contraxiſſe c ob non illatum cenſum anathema, quo demum vbi nomen diſſoluit, liberatus eſt. Vtque ſimilia coniungamus; impoſitam addimus prouinciam Raimundo Pelegrino d, vt denarium S. Petri, in Anglia, Scotia, Vvallia, & Hibernia, Gneſnenſi archiepiſcopo e in Caminenſi & Lubicenſi ciuitatibus, Arnaldo canonico Titulenſi f in Polonia circumiectiſque prouincijs colligerent: *Cum*, inquit g, *cenſus annuus, qui denarius S. Petri vulgariter nuncupatur, in regno Poloniæ, partibuſque circumuicinis nobis & Romanæ eccleſiæ debeatur*.

c To. 3. ep. ſecr. 47. Denarius S. Petri collectus in plurib⁹ regnis. d To. 2. ep. ſecr. 664. e To. 3. ep. ſecr. 116. f Ib. ep. ſecr. 1037 g Ead. ep.

39 Acceſſit aliorum principum ſedis Apoſtolicæ vectigalium numero hoc anno Ludouicus inſularum Fortunatarum princeps, ad illius dignitatis apicem ex comite Claromontano euectus, cum inſulanos ad Chriſti cultum adducturum, ſuperſtitionemque Mahumeticam, quam nonnullos tantum infeciſſe videbitur inferius, ſe aboliturum polliceretur, eaque de cauſa ad ſedem Apoſtolicam acceſſiſſet; de quo Pontifex ad Petrum Regem Aragonum hæc ſcripſit h: *Eundem Ludouicum prædictarum inſularum principem cum conceſſione temporalis proprietatis et dominij earundem, ſibi pro ſe ſuiſque heredibus et ſucceſſoribus facta, ſub certis modis, formis, et conditionibus conſtituimus et deputauimus; eumque inſignys dignitatis principatus duximus decorandum, etc. Dat. Auin. III. id. decembris anno* III. Conceptum eſt hac de re diploma apoſtolicum, cuius exemplum infra ſcriptum eſt. i

Lud. Hiſpanus inſular. Fortunat. princeps.

h Ibid. ep. ſecr. 540.

i An. 3. d. 4 ep. cur. 9.

Clemens, &c. dilecto filio nobili viro Ludouico de Hiſpania principi Fortuniæ.

Sicut exhibitæ nobis tuæ petitionis ſeries continebat, in mari oceano inter meridiem & occidentem ſunt quædam inſulæ, quarum aliquæ habitatæ, aliquæ vero inhabitatæ fore noſcuntur, quæ in communi nominantur inſulæ Fortunatæ, quamquam earum quælibet proprio vocabulo, vt ſequitur inferius, ſint diſtinctæ: quarum aliquæ inſulæ eiſdem adiacent: quædam vero alia eſt in mari mediterraneo ſituata. Quarum omnium prima Canaria, alia Ningaria, tertia Pluuiaria, quarta Capraria, quinta Iunonia, ſexta Embronea, ſeptima Athlantia, octaua Heſperidum, nona Cernent, decima Gorgones, & illa quæ eſt in mari mediterraneo Galeta vulgariter nuncupantur: omneſque prædictæ inſulæ ſunt a Chriſti fide & Chriſtianorum dominio alienæ: ex quo tu pro exaltatione fidei ad honorem nominis Chriſtiani deſideras in huiuſmodi acquiſitione omnium prædictarum inſularum exponere te & tua; dum tamen a nobis in eiſdem titulus & auctoritas, pro quibus nobis humiliter ſupplicaſti, tibi tuiſque heredibus & ſucceſſoribus tam maſculis quam fœminis concedatur.

Pontificium hac de re diploma.

Nos igitur pium & laudabile propoſitum, quod te in his habere aſſeris, plurimum in Domino commendantes, & cupientes, vt in eiſdem inſulis orthodoxa fides propagetur & vigeat, cultuſque diuinus inibi obſeruetur, & quod per tuum miniſterium Chriſtianitatis termini dilatentur; tuis ſupplicationibus inclinati, ad honorem Dei tuæque ſalutis & ſtatus augumentum omnes prædictas inſulas & earum quamlibet, dummodo in eis non ſit alicui Chriſtiano ſpecialiter ius quæſitum, in omnibus iuribus & pertinentijs ſuis, ac merum & miſtum imperium & iuriſdictionem omnimodam temporalem in eiſdem auctoritate apoſtolica, ac nomine noſtro & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum & ipſius eccleſiæ Romanæ, tibi & heredibus tuis, & ſucceſſoribus catholicis ac legitimis, & in deuotione ipſius Romanæ eccleſię perſiſtentibus, tam maſculis quam fœminis in feudum perpetuum de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ac apoſtolicæ plenitudine poteſtatis ſub modo, forma, tenore, conditionibus, & conuentionibus contentis præſentibus, concedimus & donamus, teque prædicto feudo per ſceptrum aureum præſentialiter inueſtimus; dantes nihilominus tibi, heredibus, & ſucceſſoribus ſupradictis plenam & liberam poteſtatem, eaſdem inſulas, abſque tamen iuris alterius præiudicio, vt præmittitur, acquirendi ac perpetuo poſſidendi, monetam ſeu monetas fabricandi, & alia iura regalia, ſalua ſuperioritate Romani Pontificis in eiſdem inſulis, exercendi, ac licentiam in eis, & earum qualibet eccleſias & monaſteria conſtruendi, eiſque dotes congruas aſſignandi, ius patronatus tibi & heredibus ac ſucceſſoribus tuis, prout inſtituta concedunt canonica, reſeruando.

Vt traditum illi fuerit de Clem. ma nu ſceptrũ aureum.

Condendarum eccleſiarum ius datum

40 Poſtquam vero in eiſdem inſulis, Deo concedente, per te vel heredes aut ſucceſſores tuos prædictos eccleſiæ ac monaſteria conſtructa ſeu fundata fuerint, & in eiſdem de prælatis & perſonis eccleſiaſticis ſecularibus ſeu regularibus canonice ordinatum extiterit, prælati & perſonæ ac eccleſiæ, ſiue cathedrales ſiue collegiatæ, ſeculares aut regulares, & monaſteria ſupradicta cum locis & bonis ſuis in electionibus, prouiſionibus, & omnibus alijs plena liberalitate gaudebunt: quam libertatem tu & heredes ijdem & ſucceſſores ſemper manutenebitis & conſeruabitis, & manuteneri & conſeruari faci

ab omnibus ſubditis veſtris: dictaque eccleſiæ & monaſteria ac perſonæ vtentur libere omnibus bonis & iuribus eorundem.

41 Et vt per conceſſionem noſtram huiuſmodi potioris dignitatis titulo reddaris inſignis, te auctoritate prædicta de ipſorum fratrum conſilio & aſſenſu dictarum inſularum, quas de cætero fore decernimus principatum, ipſumque Fortuniæ nuncupari principem conſtituimus, coronam auream in ſignum adeptæ dignitatis dicti principatus tuique honoris augumentum tuo capiti noſtris manibus imponendo; volentes vt tu & illorum quilibet, qui tum erit in eodem principatu heres, atque ſucceſſor princeps Fortuniæ debeatis de cætero nominari, ita quod tu nobis per te, & ijdem heredes & ſucceſſores tui in dicto principatu nobis, ac tu & ipſi ſingulis ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus per vos vel procuratores veſtros ad hoc legitime conſtitutos recognitionem & homagium ligium facere, & plenum vaſſallagium & fidelitatis iuramentum præſtare tenebimini iuxta formam inferius annotatam. Cæterum ſi forte deficientibus maſculis contigerit fœminam innuptam in dicto principatu ſuccedere, illa maritabitur viro catholico & eccleſiæ Romanæ deuoto, Romani tamen Pontificis prius ſuper hoc conſilio requiſito.

Impoſita Ludouico corona aurea.

42 Et inſuper tam tu, quam heredum quilibet & ſucceſſorum tuorum in dicto principatu & pro ipſo cenſum quadringentorum florenorum boni & puri auri, ac conij & ponderis Florentini, vbicumque Romanus Pontifex fuerit, ipſi Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & eccleſiæ Romanæ vel ipſi eccleſiæ, vbi ipſa fuerit, ſede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, & pro portione collegium ipſius eccleſiæ contingente in feſto beatorum Petri & Pauli annis ſingulis integraliter perſoluetis: ad quem cenſum, vt præmittitur, perſoluendum tam tu, quam quilibet heredum & ſucceſſorum tuorum in dicto principatu tenebimini & ſitis aſtricti. Si vero tu vel quicumque heredum ſeu ſucceſſorum tuorum in dicto principatu ſtatuto termino non ſolueritis integre, vt præmittitur, cenſum ipſum, & expectati per quatuor menſes, terminum ipſum primum immediate ſequentes, de illo ad plenum non ſatisfeceritis, eo ipſo eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod ſi in ſecundo termino infra ſubſequentes quatuor alios menſes eundem cenſum ſine diminutione qualibet non perſolueritis, totus principatus prædictus erit eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto. Si vero nec in tertio termino, & infra alios quatuor menſes primos per plenam ſatisfactionem eiuſdem cenſus tu & heredes vel ſucceſſores tui vobis duxeritis conſulendum, ita quod tranſactis eodem tertio termino & ſubſequentibus menſibus non ſit de huiuſmodi cenſu primi termini ipſi eccleſiæ ſatisfactum, ab eodem principatu ipſo iure cadatis ex toto, & principatus ipſe ad Romanam eccleſiam eiuſque diſpoſitionem integre & libere reuertatur; nihilominus pro ſingulis quadringentis florenis ſingulorum terminorum, ſi, ſimili modo in eorum ſolutione ceſſaueritis, vel illam non ſolueritis, tu & quiuis heredum & ſucceſſorum tuorum in dicto principatu pœnas ſimiles incurratis, ſaluis alijs pœnis, proceſſibus, & ſententijs, quæ vel qui de iure inferri vel haberi ſeu proferri poterunt per Romanum Pontificem, vel ſedem Apoſtolicam ſpecialiter in hoc caſu: ſed ad cenſum ipſum ſoluendum eidem eccleſiæ tunc & non ante teneamini cum effectu, cum tui vel heredes aut ſucceſſores tui in dicto principatu, eiuſdē principatus vel maiorem partē ipſius fueritis poſſeſſionem adepti. Noſtræ nihilominus intentionis exiſtit quod Rom. eccleſia occaſione conceſſionis huiuſmodi ad impendendum tibi, vel eiſdem heredibus aut ſucceſſoribus aliquod ſubſidium in acquiſitione ſeu retentione dicti principatus ex debito nullatenus aſtringatur.

Imperat⁹ cēſus quadringentorum aureorum.

43 Et quia in quibuſdam articulis ſeu capitulis ſupradictis expreſſius continetur, quod in certis caſibus tu, et tui in eodem principatu heredes & ſucceſſores excommunicationis ſententiam incurratis, & dictus principatus ſit eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto; quodque tam tu, quam heredes & ſucceſſores ipſi cadatis a principatu, ſeu ſitis ipſo principatu priuati, nos ex nunc huiuſmodi ſententias, videlicet excommunicationis in te ac eoſdem heredes & ſucceſſores, interdicti in eundem principatum, & priuationis principatus eiuſdem, ſi tua vel ipſorum culpa huiuſmodi caſus emerſerit, de dictorum fratrum conſilio auctoritate apoſtolica promulgamus. Forma vero recognitionis, homagij ligij, vaſſallagij, & iuramenti fidelitatis, quam præſtari & fieri volumus a te, & heredibus & ſucceſſoribus tuis in eodem principatu iuxta tenorem, formam, & conditionem præſentis conceſſionis verbis competenter mutandis, talis eſt: *Ego Ludouicus de, Hiſpaniæ princeps Fortuniæ fateor & recognoſco, &c.* [Repetetur inferius in Ludouici literis huius ſacramenti formula ad eas vſque voces, *competitura in eo*. Tum ſubijcit Clemens].

Cōdi. ſi dictus principatus priuationis cleſ.

Præſcripta Ludouici ſacramenti formula.

44 Similem autem recognitionem, vaſſallagium, homagium ligium, & iuramentum renouabis, facies & præſtabis vnicuique Romano Pontifici, & dictæ eccleſiæ infra biennium a die, quo in Romanum Pontificem electus fuerit, computandum: & ſimilia præſtabit & faciet, & ſimiliter renouabit, & facere, præſtare, & renouare tenebitur vnuſquiſque heredum & ſucceſſorum tuorum in dicto principatu nobis infra biennium, ex quo ipſe heres tuus in huiuſmodi principatu fuerit, & vnicuique alij Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & ipſi Romanæ eccleſiæ ſecundum præſcriptam formam, nomen Romani Pontificis, qui tunc erit, & ſuum proprium exprimendo. Sed poſtquam tu per te nobis huiuſmodi recognitionem, homagium, & vaſſallagium feceris, ac fidelitatis iuramentum præſtiteris ſecundum formam prædictam, heredes & ſucceſſores tui in dicto principatu nobis, tuque & ipſi ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus illa facere vel præſtare perſonaliter non aſtringamini, dummodo infra dictum biennium ſecundum eandem formam per idoneum vel idoneos ſubditum vel ſubditos, ad hoc plenum mandatum habentes, recognitionem, homagium, vaſſallagium feceritis ac iuramentum præſtiteritis ſupradicta. Et ſi plus placuerit Romano Pontifici vel Romanæ eccleſiæ, recognitionem, homagium, vaſſallagium, & iuramentum prædicta facietis atque præſtabitis tu, & heredes vel ſucceſſores tui prædicti nomine ſummi Pontificis & Romanæ eccleſiæ illi vel illis, quem vel quos ad hoc ſpecialiter ipſe Romanus Pontifex vel ſedes eadem deputabit: quandocumque vero tu vel heredes tui in dicto principatu prædictam recognitionem, obligationem, homagium, vaſſallagium, ac fidelitatis iuramentum facietis atque præſtabitis per vos vel alium ſeu alios, vt ſuperius continen-

Repetit a ſucceſſoribus.

tur,

tur, dabitis infra mensem post Romano Pontifici & eidem ecclesiæ patentes literas vestro sigillo sigillatas, in quibus fatebimini & recognoscetis expresse dictum principatum a nobis & Romana ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, conuentionibus, modo, & forma, ac tenore quæ præsentibus nostris literis continetur.

Præterea tu vel heredes aut successores tui prædicti nullam confœderationem seu pactionem, societatem aut ligam scienter contra Romanam ecclesiam facietis: & si eam forte feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Romani Pontificis seu Romanæ ecclesiæ penitus reuocare. Omnium autem prædictorum, præsentibus literis nostris contentorum, declaratio & interpretatio, quoties opus fuerit faciendæ, ad Ro. manum Pontificem seu Romanam ecclesiam pertinebit, quoties super his, vel eorum aliquo, vel aliquibus ambiguitatis aliquid vel dubij oriri continget, cuius Romani Pontificis vel Romanæ ecclesiæ interpretationi & declarationi stabitur verbo seu literis, prout ipsi Romano Pontifici vel ecclesiæ placuerit faciendis. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. xvii. kal. decembris anno* iii. Meminit de creato Ludouico Fortunatarum insularum principe Vvalsingamus a, qui in eo errat, dum eas insulas in mediterraneo mari collocat, cum in Athlantico sitæ b sint, atque Africæ obiaceant: *Hoc*, inquit, *anno Papa Clemens in consistorio publico dominum Ludouicum de Hispania creauit principem insularum Fortunatarum, qui tunc fuit vnus de ambassiatoribus Regis Franciæ, & assumpsit Papa pro themate: Faciam principem super gentem magnam. Illæ autem insulæ sunt in mari mediterraneo * valde fertiles, quarum incolæ nec sunt Christiani, nec de secta Machometi.* Desudaturos in ea vinea Domini excolenda viros religiosos visuri sumus, qui eo facilius barbaros ad Christum traduxere, quo nulla propemodum superstitione erant imbuti. Ita pandi iter ad Indos paulatim cœptum est, eaque fusca ta maria a Lusitanis, vt ad extremas meridiei & orientis oras euangelium propagaretur.

a Walsin. in Edward. III.

b Ortel. in voce fortunata. Creatus Lud. princeps a Clem. VI in senatu sicto. * Athlanticè

Fit ecclesiæ vectigalis.

45 Professus est Ludouicus solemni ritu earum insularum principatus iure beneficio auctoritateque sedis Apostolicæ se accepisse, eiusq; vectigalem futurum: cuius sacramenti ab eo nuncupati formula his verbis concepta in eiusdem principis publicis literis c comprehensa est.

c Ext. in arce S. Angeli & inter collect. Bull. to. 3. pag. 6. ac in M.S. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12 pag. 262. & in M.S sign. lit. D. n. 1. pag. 90

Sanctissimo in Christo patri, & clementissimo domino suo domino Clementi, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici Ludouicus de Hispania princeps Fortunia obedientiam & reuerentiam debitam & deuotam, ac pedum oscula beatorum.

Vt recognitionis & homagij ligij, ac vassallagij, quæ nuper feciſſe, ac iuramenti, quod vobis, pater sanctissime, nomine vestro & successorum vestrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium ac Romanæ ecclesiæ in concessione infrascriptarum insularum & pro eis (quas ex tunc in antea principatum fore, ipsumque Fortuniæ nuncupatum auctoritate apostolica decreuistis) per vos nomine vestro ac successorum vestrorum & ecclesiæ prædictorum mihi & successoribus meis facta præstitisse, ac obligationis, quâ me & heredes ac successores meos in dicto principatu de seruando contenta in literis apostolicis, super huiusmodi concessione confectis obligasse me fateor, certitudo plenaria & indubitata in posterum habeatur eorundem recognitionis & homagij, ac vassallagij & iuramenti, ac obligationis formam de verbo ad verbum præsentibus inseri feci, quæ talis est.

Ipsius de ea relitæ.

46 Ego Ludouicus de Hispania princeps Fortuniæ fateor & recognosco, me infrascriptas insulas, videlicet Canariam, Ningariam, Pluuiariam, Caprariam, Iunoniam, Embroneam, Athlantiam, Hesperidum, Cernent, Gorgonidem, & Galetam cum omnibus iuribus & pertinentijs, a vobis domino meo domino Clemente, diuina prouidentia Papa VI. nomine vestro & successorum vestrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium & Romanæ ecclesiæ mihi meisque heredibus & successoribus catholicis atque legitimis, & in deuotione ipsius Romanæ ecclesiæ existentibus, tam masculis quam fœminis in feudum perpetuum fuisse concessas, ipsasque me recepisse & tenere sub annuo censu quadringentorum florenorum boni & puri auri ac ponderis & conij Florentini, vobis domino meo domino Clementi diuina prouidentia Papæ VI. vestrisque successoribus ac Romanæ ecclesiæ annis singulis in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli persoluendo. Pro quibus insulis faciens plenum vassallagium vobis vestrisque successoribus canonice intrantibus ac sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ prædictæ, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & vobis domino meo domino Clementi Papæ VI. vestrisque successoribus canonico intrantibus ac sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio, auxilio, aut consensu, vel facto vt vitam perdatis aut membrum, vel capiamini mala captione. Consilium quod mihi mandaturi estis per vos vel nuntios vestros, siue per literas, ad vestrum damnum scienter nemini pandam; & si sciuero fieri vel procurari siue tractari aliquid, quod sit in vestrum damnum, illud pro posse impediam, & si impedire non possem, illud vobis significare curabo.

Clientelaris sponsionis formula.

47 Papatum Romanum & regalia S. Petri, tam in prædictis insulis quam etiam alibi existentia, adiutor vobis ero ad retinendum & defendendum, ac recuperandum & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Insuper modum, formam, seu conditiones, & omnia & singula, quæ continentur in literis apostolicis super huiusmodi concessione confectis, plenarie adimplebo & inuiolabiliter obseruabo, nec vllo vnquam tempore veniam contra ea. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei euangelia. Me obligo & prædictos heredes & successores meos ac principatum prædictum, iura & bona nobis competentia, & competitura in eo. In quorum omnium testimonium perpetuamque memoriam præsentes literas exinde fieri iussi, & sigilli mei, tam meum quam eiusdem principatus nomina continentis, appensione muniri. *Actum Auin. in palatio apostolico anno a natiuitate Domini* MCCCXLIV. *indictione* XII. *die* XXVIII. *mensis nouembris, sanctissimi pontificatus vestri anno* III.

Ludouici clarum genus.

Traxerat Ludouicus ex Ferdinando principe filio maiori natu Alfonsi X. Castellæ & Legionis Regis atque ex filia S. Ludouici genus, cuius filios a patruo regno deiectos vidimus, ac magno animi ardore ad sarciendas auitas iacturas eas insulas armis eripere infidelibus cogitabat. Ad cuius iuuandos conatus Pontifex Philippum a Francorum, Andream b Ioannamque c Siciliæ, Petrum d Aragonum, Alfonsum e Castellæ, Alfonsum f Lusitaniæ Reges, delphinum Vien-

a To. 3. ep. sect. 599. b Ep. 602. c Ep. 603. d Ep. 641. e Ep. 542. f Ep. 543. Rogati principes ad eũ sub fidijs instruendũ.

nen-

nensem a, ac Genuensium gubernatorem b obsecrauit, vt milite, nauibus, commeatu, armis, Ludouicum pro conficienda sacra illa expeditione instruerent, cui denique & omnibus, qui eius signa sequerentur, indulgentiarum præmia Pontifex proposuit, addita hac in literis ad Ludouicum proximo ineunte anno datis c ratione: *Cum tu zelo deuotionis accensus ad Fortunias & quasdam alias insulas a Christi fide & Christianorum dominio alienas, & illarum partes nuper tibi per nos sub certa forma concessas, pro exaltatione fidei Christianæ cum nonnullis Christi fidelibus, tecum illuc ad catholicæ fidei ac tui honoris augmentum propterea proficisci volentibus, te transferre desideres, & in earum acquisitione exponere te & tua, &c. Dat. Auin. id. ianuarij anno* 111. Dum se ad id bellum Ludouicus accingebat, Cressiaca pugna ab Anglis deleti sunt Franci, de qua dicetur suo loco: atque ita ingentium auxiliorum e Gallijs eliciendorum spes euanuit: qua de re hæc in M. S. d bibliothecæ Vaticanæ traduntur in Clemente VI. *Hic dominum Louysium de Hispania fecerat atque coronauerat de regno insularum Fortunatarum: sed posse nunquam habuit, dum vixit.*

Quid vero Hispani Reges ad præbendam Ludouico opem solicitati responderint, ex eorum literis sequenti anno exaratis audiamus: & in primis Alfonsi Lusitani Regis producendæ visæ sunt e, quibus post collaudatum Clementis fidei proferendæ eximium inter infideles studiū ait Fortunatas insulas primum a Lusitanis repertas: agitatam a se iamdiu ad eas subijciendas Lusitanico imperio expeditionem, sed Castellano & Saracenico bello distractum: e Lusitania veluti regno Christiano proximo in eas insulas inuehendum videri, atque adeo ipsum ab Apostolica sede ad comparandas armis easdem insulas inuitari debuisse, vel moneri, antequam Ludouicus princeps crearetur: verum fidei propagandæ studio, atque ad Ludouici sibi consanguinitate coniuncti gratiam naues, milites, arma, commeatus iusto pretio ac stipendio præbiturum.

Sanctissimo patri ac domino domino Clementi, diuina prouidentia sacrosanctæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, humilis & deuotus filius vester Alfonsus *Rex Portugalliæ et Algarbij cum reuerentia debita et deuota pedum oscula beatorum.*

48 Ille, qui summo angulari lapide suam sanctam fundauit ecclesiam, sic eam voluit per successores suos in posterum gubernari, quod recta per omnia in pondere, numero, & mensura assidue salubrioribus proficeret incrementis, vt augmento fidelium quotidie dilatata, eneruata paganorum perfidia, per totum vigeat fides Christi. Et vos quidem dignissimus successor dominicus, cui omnimoda cura est Christicolæ gregis & solicitudo commissa, non solum eum custodire a luporum morsibus, verum etiam ampliare curatis: quod in literis a vestra sanctitate directis suscepimus, dum ad extirpandos infidelitatis palmites infelices, qui totam terram insularum Fortunæ inutiliter occupant, & plantandum vineam Dei dilectam, dominum Ludouicum consangineum nostrum principem elegistis. Ad quas quidem literas rescribentes, prout nobis visum extitit, per ordinem cum reuerentia respondemus, quod prædictarum insularum fuerunt prius nostri regnicolæ inuentores.

Nos vero attendentes, quod prædictæ insulæ nobis plus quam alicui principi propinquiores existant, quodque per nos possent commodius subiugari, ad hoc oculos direximus nostræ mentis, & cogitatum nostrum iam ad effectum perducere cupientes, gentes nostras & naues aliquas illuc misimus, ad illius patriæ conditionem explorandum: quæ ad dictas insulas accedentes, tam homines quam animalia & res alias per violentiam occuparunt, & ad nostra regna cum ingenti gaudio apportarunt. Verum cum ad præfatas insulas expugnandas armatam nostram mittere curaremus cum militum & peditum multitudine copiosa, guerra primo inter nos & Regem Castellæ, deinde inter nos & Reges Saracenos suborta nostrum propositum impediuit. Quæ omnia tanquam notoria sanctitatem vestram latere minime dubitamus; quæ insuper ambasciatores nostri, quos nuper vestræ destinauimus sanctitati, attendentes, sicut ex literali relatione prædicti domini Ludouici percepimus, de prouisione & assignatione dictarum insularum facta per vos eidem domino Ludouico existimauerunt nos fore, & non immerito, aggrauatos: & hoc vestris auribus intimarunt, considerantes quod tam propter vicinitatem, quæ nobis est cum insulis sæpedictis, quam propter commoditatem & opportunitatem, quam habemus præ cæteris insulas ipsas expugnandi; ac etiam propter negotium, quod iam per nos & gentes nostras feliciter fuerat inchoatum, ad ipsum laudabiliter finiendum debuissemus per sanctitatem vestram, priusquam aliquis inuitari, vel saltem id rationabiliter debuisset nobis vestra sanctitas intimare.

Nos vero, non obstantibus supradictis, prædecessorum nostrorum sequi vestigia cupientes, qui semper curauerunt mandatis apostolicis obedire, vestræ voluntati & dispositioni prædictis ob reuerentiam vestram & apostolicæ sanctitatis voluntatem nostram omnimodo conformamus; & maxime quia nobilem & prouidum virum dominum Ludouicum consanguineum nostrum ipsarum insularum principem elegistis, qui diuina sibi gratia * existente, ac clementia vestra & sedis Apostolicæ eidem adiutrices manus pro tanto & tam pio negotio porrigente, circa cultum vineæ domini sabaoth, videlicet ecclesiæ sanctæ Dei taliter se exhibebit operarium & cultorem, quod per eius ministerium Christianitatis decor & gloria augumentari valeat in futurum.

49 Super eo autem, de quo pietas vestra nos rogat, & attentius in domino exhortatur, videlicet quod pro diuina & Apostolicæ sedis reuerentia eiusdemque zelo fidei ipsum principem & negotium supradictum recommendata habere velimus, & ipsis, quantum commode possemus, impertiremur auxilium & fauorem; saltem quod dictus princeps possit de regnis & terris nostris nauigia, gentes armorum, victualia, & alia pro prædictis necessaria habere ac exttahere libere, suis tamen stipendijs & iustis pretijs pro negotio supradicto; vestram benignam clementiam certam reddere affectamus, quod tam principem, quam negotium recommēdatum habemus intuitu præmissorum, & eisdem, si commode possemus, impertiremur auxilium & fauorem, &c. [Excusat exhaustum continuis in Saracenos bellis ærarium; cumque sibi regiæ opes non sufficiant, oratorum opera a Clemente decimas ecclesiasticorum vectigalium expetijsse: non posse pariter naues militesue Ludouico submittere, cum maioribus etiam viribus ad edomandos finitimos Sara-

a Ep. 601.
b Ep. 694.
c An. 3. l. 3 lit. diuers. formar. ep. 296.
d M.S. bibl. Vat. sign. n. 2040 in Clem. VI.
e Ext. apud Clam. to. 3 post ep. sec. 545.
Queritur Rex Lusitanus, nō nihil iuri suo detractum.
Alfons. Lusit. Regis ad Pōt. literæ.
Lusitanos Fortunatarū primos inuentores ait.
Missos ipso exhortatore fuisse.
Ab expugnatione regijs dictum bellis fuisse.
Videri rum imperium ferri alium debuisse.
Cedit honori sedem Apostolicæ.
*assistente

racenos egeat, commeatus vero & alia neceſſaria, quantum regni facultas tulerit, lubenter ſuppeditaturum] ſanctitatem veſtram conſeruet Altiſſimus per tempora longiora. *Dat. in caſtro montis maioris nouæ* XII. *die menſis februarij*.

a Ext. cod. to. 3. poſt cand. op. ſecr. 545. Diſceptat ius Caſtellanus in eaſd. inſulas.

50 Hactenus Alfonſus Luſitaniæ Rex ad Clementem: cui etiam officij plenas literas a paulo poſt miſit Alfonſus Rex Caſtellæ, in quibus alia ratione expoſuit, Fortunatarum inſularum expugnationem ad ſe ſpectaſſe: egit tamen ob Ludouicum Caſtellanæ ſtirpis principem creatum Pontifici gratias, ſeque ad eius imperia pronum futurum ſpopondit.

Sanctiſſimo in Chriſto patri ac domino domino Clementi, digna Dei prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, eius deuotus filius Alfonſus Dei gratia Caſtellæ, Legionis, Toleti, Galleciæ, Sibilliæ, Cordubæ, Murciæ, Giennis, Algarbij, & Algeziræ Rex, ac comitatus Molinæ dominus, cum filiali recommendatione deuota pedum oſcula beatorum.

Ipſius ea de re literæ ad Pōt

Sanctitatis veſtræ literas recepimus, pater ſancte, continentes quod chariſſimum conſanguineum noſtrum Ludouicum de Hiſpania, dignitatis principatus inſignijs veſtri clementia decorantes, ſibi pro ſe ſuiſque heredibus & ſucceſſoribus Fortuniæ ac quaſdam alias inſulas, in partibus Africæ conſiſtentes, & eidem adiacentes, duxeratis concedendas: ac cum idem princeps inſtanti optimo tempore aggredi intendat negotium ſupradictum, nos requirebatis, quod eundem principem & negotium huiuſmodi haberemus pro diuina & Apoſtolicæ ſedis reuerentia, ac zelo fidei commendata, & ſuper ijs, quantum commode poſſet, impertiri auxilium & fauorem.

Et, pater ſanctiſſime, quanquam nulli dubium exiſtat, quod progenitores noſtri claræ memoriæ terram iſtam de manibus perfidorum ac potentia Regum Africæ Deo propitio acquirentes, eandem ab eorundem perfidorum ferocitate & ſæuis impugnationibus defenſarunt, varia perſonarum pericula & expenſarum profluuia in guerris, quibus propterea contra prædictos blaſphemos inſtiterunt, continue ſubeundo ac quod acquiſitio regni Africæ ad nos, noſtrumque ius regium, nullumque alium dignoſcitur pertinere; nihilominus ob veſtram & Apoſtolicæ ſedis reuerentiam ac vinculum ſanguinis, quo dictus princeps nobis adiungitur, grata nobis aduenit dictarum inſularum conceſſio ſibi facta & ex eo ſpecialiter ſanctitati veſtræ gratiarum referimus actiones, prompti in his & alijs, quæ veſtri & Apoſtolicæ ſedis beatitudo iniunxerit, obedire deuote. Sanctitatem veſtram conſeruare dignetur Altiſſimus per tempora longiora. *Dat. Alcalæ de Fenares* XIII. *die martij anno Domini* MCCCXLIV. ducto ſcilicet a Verbo incarnato annorum numero, atque adeo in ſequentem incidit: hic vero ob inſtitutam de Canarijs inſulis narrationem coniunximus.

Africæ im periū ſibi parādum armis con tendit.

Obſeruā. tiæ in Pont. ergo iurrenun tiat.

b To. 3. ep. ſecr. 155. vit. Clem. auct. apud Boſq. Mar. 16. c. 11. Sur. b. 7. c. 71. Vvalſi. in Eduard. III. & alij. Algezira parta de Mauris cf. M. S. bibl. Vat. ſign. n. 3040. in Clem. VI.

51 Algeziræ Regis nomen in ſuperioribus literis Caſtellanus Rex veteribus titulis adiecit, cum eam vrbem longa plurium annorum obſidione firmiſſimis præſidijs & molibus munitam Saracenis Granatenſibus eripuiſſet b poſt multa cum Africanis, qui repentinis incurſionibus ſubſidio veniebant, inita ſecunda prælia, in quibus inſigne ad Palmarum amnem fuit, quo Mauri a Caſtellanis cæſi, de quo hæc habet M. S. Vaticanum c: *Rex Hiſpaniæ viribus armorum debellauit Regem Bellamarinæ Saracenum: nec non cepit per obſidionem villam* * *Gecchye ſuper quam fuerat ſubtus tentoria Rex Hiſpaniæ cum ſuo poſſe per duos annos vel circa.* Deditionis Algezirenſium leges Hiſpanicarum rerum ſcriptor his verbis affert a: *Martij menſis* XXVI. *die deditio his conditionibus facta, vt Granatenſis, qua ante belli tempus lege Caſtellæ vectigalis eſſet: obſeſſis incolumitas, & eum rebus ſuis quo vellent diſcedendi data facultas: inducię decennales cum Mauris Regibus pactæ. Fœdere ſancito Mauri in Africam frequentes conceſſerunt. Caſtella Rex in vrbem ſolemni ſupplicatione ingreſſus* VI. *kal. aprilis. Proxima luce templo maximo, Mahometanæ ſuperſtitionis ſordibus expiato, D. Mariæ Palmæ nomen indidit, quod dominicus palmarum dies eſſet. In eo templo ingenti omnium lætitia & gratulatione ſacra ex ritu Chriſtiano peracta ſunt; agri militibus dati.* *Algezira

a Marian ſuper cap.

Mahomet templum in Chriſti cultum expiatum

Ad excitandum præclarum de victa in ea vrbe Mahumetica ſuperſtitione trophæum Alfonſus petijt a Clemente, vt ſedem epiſcopalem Algeziræ conſtitueret. Cuius precibus aſſenſiſſe Clementem vitæ illius auctor ſubiectis verbis refert b: *Erexit etiam ad inſtantiam Regis Caſtellæ villam Algeziræ nouiter acquiſitam, & de manibus infidelium ereptam in epiſcopalem eccleſiam, dictam villam ciuitatem conſtituendo.* Eadem confirmat Vvalſingamus, atque Hiſpalenſi archiepiſcopatui obnoxiā eſſe iuſſam addit. Rem vero ingenti pompa geſtam deſcribit Pontifex in literis ad Alfonſum Regem Caſtellæ datis c; ſe nimirum acceptis laureatis regijs literis, ſolemnes ſupplicationes, inſtructo agmine religioſo, cum Cardinalibus & præſulibus ad peragendas diuino Numini gratias celebraſſe; habitaque ſacra concione, Algeziram epiſcopali ſede inſigniuiſſe. Plurimis etiam egregijs elogijs ob amplificatum Chriſtianum imperium Alfonſum ornauit: quæ ad commendandam tanti Regis virtutem ſilentio diſſimulanda non videntur.

Epiſcopalis ſedes in ea vrbe cōſtituta. b Vita Clo ſcrip. apud Boſq. Vvalſin. in Eduar. III. c To. 3. ep. ſecr. 155.

Clemens, &c. chariſſimo in Chriſto filio Alfonſo Regi Caſtellæ illuſtri.

Gratulatur Pont. Caſtellano de relato trium pho.

52 Reſperſit rore gaudiorum ſpiritualium intima cordis noſtri, ac ingentis conſolationis & lætitiæ materiam Chriſtiano populo miniſtrauit, audita illa glorioſa victoria, quam tibi pridem de cælo exercituum Dominus contulit aduerſus Saracenos perfidos, blaſphemos Chriſti nominis, ac Chriſtianæ fidei crudeles perſecutores & hoſtes. Vox quidem exultationis & laudis in auribus fidelium inſonuit, & literarum regiarum nobis miſſarum ſeries, quas læta manu iucundoque animo recepimus, patefecit qualiter poſt longam & laboriosam obſidionem, quam contra villam tunc vocatam Algezira, nunc vero ciuitatem Inſulæ viridis, in manu forti & potenti virtute poſuiſti, & tanquam princeps Chriſtianiſſimus, potens, & magnanimus, inconcuſſa & intrepida conſtantia diutino tempore tenuiſti; tandem, tecum diuina cooperante virtute, ſub manu tuæ potentiæ, confuſis inimicis ipſis fidei & ſub iugo tuæ ditionis concluſis, ciuitatem eandem, locum vtique fortiſſimum, populoſum, & quaſi humano ingenio inexpugnabilem obtinens, die dominica ramiſpalmarum proximo præterita vna cum prælatis, baronibus, & aliorum catholicorum virorum multitudine copioſa, exultanter adlaudē & gloriā diuini nominis, exaltationem & dilatationem eiuſdem fidei catholicæ, tuique non modicum honoris augumentum, ciuitatem eandem cum triumphali gloria intrauiſti, & eliminata exinde

De abolita in ea vrbe Mahom. ſuperſtitione.

Sa-

Saracenicæ fœditatis ſpurcitia, eccleſias erigi catholicas, & in eis feciſti diuina officia celebrari; vt quia in Saracenorum meſquitis colebatur antea ille damnatiſſimus Machometus, deinceps in eccleſijs, fidelium domibus orationum effectis, perpetuis futuris temporibus laudetur diuina potentia, præcelſæ genitricis Dei Mariæ dominæ noſtræ ſemper virginis, & omnium ſanctorum habeatur memoria celebris, eorum imploretur deuotis interceſſionibus patrocinium, & immoletur pro peccatis populi hoſtia ſalutaris. Hæc quidem, fili chariſsime, geſta proculdubio ſunt inclyta, & opera laudabilia, principis catholici & ſpecialis filij ſanctæ matris eccleſiæ prædicti, quæ matrem ipſam reddunt non indigne de tali & tanto filio lætabundam.

Profecto, fili dilectiſsime, inter cæteros catholicos Reges & principes orbis terræ multum habes, vnde gratias Altiſſimo referas, qui te tot præuenit benedictionibus, & donis ditauit mirificis; ex quibus apud eum creſcis meritorum cumulis, & apud homines fama tui nominis & honoris celebrius per orbem diffunditur, & incrementis felicibus ampliatur. Nos itaque, qui tanquam ſpiritualis pater tibi ſuper bonis tuis congratulamur in Domino, ei qui ea tibi de ſuæ clementiæ pietate donauit, in humilitate ſpiritus labiorum vitulum exoluentes, magnificentiam tuam regiam rogamus, & in Domino attentius exhortamur, quatenus prædictam & alias glorioſas victorias, quas ipſe Rex Regum & dominus dominantium, qui ſolus eſt potens, & in cuius ditione cuncta ſunt poſita, de ſua ineffabili clementia tibi dedit, non tuæ vel tuorum humanæ, ſed potius ſuæ diuinæ potentiæ cum humilibus actionibus gratiarum aſcribas; ſibique ſeruire promptius totis viribus non omittas, operando iugiter quæ grata & accepta oculis ſuæ maieſtatis fuerint, & quæ ipſum offenderent quomodolibet cuitando, vt maiora de manu ſua merearis accipere; tandemque per ipſius miſericordiam, diebus tuis in longæuum cum votiuis & felicibus protractis ſucceſſibus, de regno temporali, quod obtines, ad gloriam tranſeas ſempiterni.

Hortatur eum, vt victoriæ gloriam Deo referat.

Porro nos tunc auditis de victoria prædictarumoribus, referendo gratias Altiſſimo, proceſſionem generalem in Romana curia cum clero & populo fieri fecimus, ac coram nobis & fratribus noſtris, præſente prælatorum & aliorum fidelium magna multitudine, diuina officia verbo Dei ſolemniter propoſito celebrari: ac ſubſequenter villam de Algezira prædictam in ciuitatem, quæ vocatur Inſulauiridis, vt præfertur, & eccleſiam maiorem ciuitatis eiuſdem, venerando beatæ Mariæ ſemper virginis genitricis Dei & domini noſtri Ieſu Chriſti vocabulo inſignitam, in cathedralem, vt cultus diuinus agatur ibidem perpetuis temporibus, ſolemnius duximus, ſicut a nobis pro parte tuæ celſitudinis petitum extitit, erigendas. *Dat. Auin.* XIV. *kal. auguſti anno* III.

Actæ pro ea gratiæ diuino Numini a curia Rom.

53 Pepigiſſe Mauritaniæ tyrannum cum Caſtellano & Aragonio Rege inducias ad decennium, ex libello etiam ſupplici a Rege Luſitano Pontifici porrecto conſtat: in eo ſiquidem Luſitanus expoſuit, Maurici belli molem in ſe vnum vergere, cum alij Reges inito decennali fœdere arma poſuiſſent, aurumque ſubſidiarium petijt: cui non defuit Clemens, vt ſubiectæ oſtendunt literæ ſequenti anno ineunte exaratæ, a

Caſtellanum inter & Maurū in tæ inducias.

a An. 3. l. 2 p. 2. ep. com 543.

Clemens, &c. Alfonſo Portugalliæ & Algarbij Regi illuſtri.

Nuper pro parte tua fuit expoſitum coram nobis, quod treugæ inter alios Hiſpaniarum Reges ex parte vna, & Regem de Bennamarin hoſtem crucis & blaſphemum nominis Chriſtiani ex altera per decennium ſunt initæ; quodque guerra inter te ſolum & dictum Regem de Bennamarin ex pluribus & diuerſis cauſis, pro parte tua nobis expreſſis, pro Dei ſeruitio & exaltatione eccleſiæ ſanctæ, nec non fidei Chriſtianæ extitit radicata; propter quam quidem guerram immenſas celſitudinem tuam oportet ſubire ſarcinas expenſarum: quare pro parte tua nobis extitit humiliter ſupplicatum, vt ad expenſarum huiuſmodi ſupportãda facilius onera prouidere tibi paterna benenolentia de ſpeciali gratia dignaremur.

Luſitanus petitus bello a Mauro.

Nos igitur attendentes, quod ſtatus pacificus tuus & regnorum Portugalliæ & Algarbij non ſolum populorum in dictis regnis degentium, ſed etiam eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum ipſorum regnorum incolumitatem reſpicit, ac in tranquillitatem & pacem ipſorum noſcitur redundare; ſperantes quoque, quod tu, qui velut princeps catholicus & deuotus eaſdem eccleſias & perſonas eccleſiaſticas opportunis fauoribus & auxilijs hactenus confouiſti, eas ab oppreſſionibus & iniurijs, alijſq; noxijs nouitatibus illeſas & immunes ſeruare ſtudebis, Deo propitio, in futurũ ac volẽtes propterea pro tua & dictorum regnorũ defenſione de benignitate ſedis Apoſt. tuis neceſſitatibus huiuſmodi ſubuenire, *& infra*, decimam omnium eccleſiaſticorum prouentuum & redditum per duos annos, *& infra*, duximus concedendam, &c. *Dat. Auin.* IV. *id. ianuarij anno* III.

Datæ ſub fidiariæ decumæ.

At quamquam Caſtellæ Rex inducias cum barbaro inijt, non tamen Maurici belli cura ſolutus erat, cum idem barbarus faciendæ alicuius inſignis irruptionis occaſioni inhiaret; quare ad eum retundendum parabat ſe Caſtellanus, atque a Pontifice anno proximo elicuit, vt omnes qui ipſũ ea ſacra expeditione ſtiparent, cirminum veniam promererentur: *Tuis*, inquit Clemens a, *ſupplicationibus inclinati, vt confeſſor idoneus, quem duxeris eligendum, vſque ad decennium ab eo tempore numerandum, quo ad terras Saracenorum inimicorum nominis Chriſtiani faciendo eis guerram perſonaliter accedere te continget, te inibi exiſtente, & guerram huiuſmodi proſequente, omnes Chriſti fideles ad dictam guerram ex cauſa deuotionis euntes, & ſingulos eorundem confeſsione ipſorum diligenter audita, ab omnibus peccatis, de quibus vere confeſsi fuerint & contriti in omnibus illis caſibus in quibus vnus de minoribus pœnitentiarijs noſtris poſsit eos abſoluere, ſi in Romana curia præſentes exiſterent, auctoritate noſtra licite poſsit abſoluere, ac eis pœnitentias iniungere ſalutares, & alia, quæ de iure fuerint iniungenda, ſerenitati tuæ tenore præſentium indulgemus. Dat. Auin. VI. kal. februarij anno* III.

Parat ſe in eundẽ Caſtellanus.

a Ib. ep. 557.

54 Tranſmiſerant nonnulli ad Alfonſum Regem Caſtellæ eorum exemplum, quæ Angliæ Rex aduerſus auctoritatem pontificiam in conferendis, reſeruandiſue ſacerdotijs nouarat: quo accepto Clemens, vt Alfonſum ipſum aduerſus improborum molimina muniret, ſignificauit ei debuiſſe illos b etiam ſcribere quam acerbe Eduardus a ſede Apoſtolica ob tentata obiurgatus fuiſſet, quæue illi pœnæ, niſi reſipiſceret, infligendæ eſſent; tum adiecit: *Sane, fili dilectiſsime, geſta recolenda claræ memoriæ progenitorum tuorum,*

Molũtur aliqui tus eccleſ. opprimere in Caſtella.

b To. 3. ep. ſecr. 154. Munitur Rex a Põ aduerſus horum ſuſurros.

rum, qui erga Deum & ſanctam Romanam eccl eſiam feruore fidei & ſinceritate deuotionis fulgentes, & ipſam eccleſiam honorantes tamquam principes catholici, ſicut matrem, ab offenſis ipſius abſtinere ſicut benedictionis filij puris & deuotis ſtudijs curauerunt, reuolueris; et nihilominus attenderis diligenter, quot et quantis benedictionibus tam in obtinendis glorioſis victorijs, quam alijs factis felicibus te progenitorum ipſorum inhærendo veſtigijs, et in eiuſdem eccleſiæ perſiſtendo gratijs et fauoribus, Dominus præuenerit ſponſus ſuus; et inſuper quod a noſtræ promotionis ad ſummum apoſtolatum auſpicijs te ſicut præchariſsimum et ſingularem filium geſtiimus et gerere intendimus in viſceribus charitatis, libenter ad ea, quæ tuæ commoditatis incrementa reſpicerent, paternis affectibus intendentes; pro firmo credimus, quod talia et ſimilia, per quæ Deum et ipſam eccleſiam prouocares contra te, ſuadentibus nullatenus tua regalis circumſpectio acquieſcet, etc. Hortatur ne ſe improbis conſilijs ſubornari, atque ad obſcurandam in infringenda libertate eccleſiaſtica nominis ſui gloriam adduci patiatur. *Dat. Auin. XIV. kal. auguſti pontificatus noſtri anno* III.

Quod porro ad Eduardum attinet; admonitus [a] anno ſuperiori, vt in illos animaduerteret, qui Ademari tit. S. Anaſtaſiæ & Geraldi tit. S. Sabinæ presbyterorum Cardinalium Aquitanorum procuratores ad colligenda ſacerdotiorum, ijs pro ſuſtentanda dignitate a Pontifice in Anglia attributorum vectigalia miſſos vel ceperant, vel pepulerant; non modo non obtemperarat, ſed etiam in regni comitijs de contrahenda pontificia auctoritate, ne ſacerdotia Angliæ ſine regia voluntate vel conferret exteris, vel quæ ab electorum aut patronorum ſuffragijs pendebant ſedis Apoſtolicæ liberalitati reſeruaret, conſilium agitarat. Eaque diſſenſione improbi quidam vſi, ad eam magis augendam nonnulla contra dignitatem Romanæ eccleſiæ, ad ſacerdotiorum conferendorum ius ſpectantia, iactare ac patrare præſumſerunt. Quibus permotus ſummus Pontifex grauiſſimas hasce literas ad Eduardum ſcripſit [b].

[a] lib. ep. ſecr. 110.

Nouat Anglus ad uerſus Pont. ius.

[b] An. 3. l. 4 ep. cur. 8. & to. 2. ep. ſecr. 110.

Chariſsimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri.

55 Nuper magnitudinis tuæ literas, per dilectum filium Andream de Offorde clericum tuum nobis exhibitas, benigne recepimus, ſubſtantialiter inter cætera continentes, quod ſuper prouiſione eccleſiæ Norvvicenſis de perſona venerabilis fratris noſtri Vvillelmi epiſcopi tunc electi Norvvicenſis apoſtolicæ ſedis nuntij, virtute reſeruationis apoſtolicæ dictæ eccleſiæ per nos factæ cogitabundus, vt tuis vtamur verbis, fuiſti plurimum & perplexus, pro eo quia, vt in tuis dictis literis aſſerebas, dicta prouiſio & concordia in parlamento tuo generali pro conſeruatione, vt aſſeris, iuris coronæ tuæ regiæ pridem facta, & nobis per tuas & nobilium ac popularium regni tui Angliæ literas intimata, tibi mutuo contradicunt: adijciens nihilominus in eiſdem, quod dum nobis complacere, dictoque epiſcopo tunc electo fauere cupiebas, præiudicium ex alio latere tibi imminens abhorrebat tua regia celſitudo; quodque cum quidam prælati & nobiles pro dicti epiſcopi tunc electi expeditione cum inſtantia te pulſarent, alijs quaſi omnibus diſſuadentibus ex aduerſo, tandem conſiderans ſincerum affectum in miſſione dicti nuntij ad te miſſi, & zelum quem habere nos aſſeris, ad faciendum bonum temperamentum ſuper tua & populari conqueſtione occaſione prouiſionum & reſeruationum huiuſmodi, vt dictæ tuæ continebant literæ, nobis facta, nec non magnum locum, quem idem epiſcopus tibi tenet & tenere poterit in futurum; & quod dicta prouiſio facta erat poſtquam ipſe ad te iter arripuerat veniendi; tam ob mittentis reuerentiam quam miſſi merita ſibi voluiſti gratiam facere ſpecialem, præmiſſis quibuſdam proteſtationibus pro conſeruatione, vt aſſeris, iuris tui regij & ordinationis factæ in parlamento tuo, vt prædicitur, generali, & quod hoc non trahatur ad conſequentiam in futurum, temporalia dicti epiſcopatus, non ſine periculoſo murmure communitatis dicti regni tui; eidem epiſcopo tunc electo gratioſe liberari feciſti, nobis per eaſdem literas finaliter ſupplicando, vt a reſeruationibus & prouiſionibus epiſcopatuum eiuſdem regni tui ſuperſedere velimus, & capitulis eccleſiarum dicti regni electiones libere dimittamus iuxta conceſſionem progenitorum tuorum inde factam, & per ſedem Apoſtolicam, vt aſſeris, ex certa ſcientia confirmatam.

De reſeruato Norvvicenſi epiſcopatu ius.

Indignatur Angl. illud per reſeruatū ius a Pont collatum.

56 Sane, fili chariſſime, dum verba literarum tuarum prædictarum diligenter diſcutimus, & ſubſequenter in noſtra memoria recenſemus illa, quæ tuæ celſitudini ſuper nouitatibus contra Deum & ſanctam Romanam eccleſiam matrem omnium fidelium & magiſtram in regno tuo ſingulariter attentatis, tam per literas pluries dulciter & charitatiue ſcripſimus, ac demum per dictum epiſcopum Norvvicenſem, quem velut illum, de quo confidebamus & confidimus, & tui honoris ac commodi ſemper reperimus zelatorem & promotorem fidelem & feruidum, per nos ad tuam præſentiam propterea ſpecialiter & fiducialiter deſtinatum, explicari viua voce fecimus, eandem celſitudinem tam per ſcriptiones noſtras huiuſmodi, quam per eundem epiſcopum paternis & ſalubribus monitis exhortando, vt ſuper eiſdem nouitatibus, quas de tua conſcientia, cum ſis princeps catholicus Deum timens & diligens, proceſſiſſe minime credebamus, tua regalis curaret prouidentia tale tamque ſalubre remedium (antequam per orbem in tuę famæ diuulgarentur diſpendium) adhibere, quod eis omnino ſublatis, talia vel ſimilia deinceps non audirentur in regno attentari tam Chriſtianiſſimo ſic horrenda; eiſdem exhortationibus nihilominus ſubiungentes, quod illis, qui talia, ex quibus ſaluti, ſtatui, famæ, ac honori tuis non parum detrahitur, ſuadere niterentur, de cætero aſſenſum non accommodaret quomodolibet; ſed eos potius, qui committentes præmiſſa in excommunicationis vel alias pœnas a canonibus aduerſus tales inflictas incidunt, repelleres tanquam tuos detractores & hoſtes; de tua regali magnificentia quamplurimum admiramur, quod nec per literas tuas, nec per eundem epiſcopum ad nos redeuntem & explicaſſe tibi pro parte noſtra præmiſſa, quod nos eidem impoſita referentem nihil nobis penitus reſpondiſti: ſed multa ſcripſiſti per prædictas tuas literas, quæ in magnum eiuſdem eccleſiæ Romanæ, ac poteſtatis & auctoritatis apoſtolicæ præiudicium & libertatis læſionem eccleſiaſticæ, proh dolor! cedere dignoſcuntur.

Reſponsū pontificiū

57 Videntur quidem innuere literæ ſupradictæ, quod ſuper reſeruationibus & prouiſionibus eccleſiarum in tuis tibi parlamentis liceat aliquid

Reseruationes pō ficio stāt arbitrio,

quid ordinare, quodque reseruationes & prouisiones apostolicæ a tua dependeant voluntate. Profecto, dilectissime fili, illa concordia, quam in tuo parlamento habitam tuæ prædictæ describunt literæ, nimis existeret temeraria, & diuinis constitutionibus inimica, per quam Apostolicæ sedis reseruationes & prouisiones dependerent ex tuæ voluntatis arbitrio, tuque per ipsas potestatem eiusdem sedis Apostolicæ, quod profanum est dicere, coarctares: quamquam nos, qui ecclesiarum omnium, tanquam pastor vniuersalis earum inuigilamus commodis, vti non intenderimus nec intendamus reseruationibus & prouisionibus huiusmodi, nisi quantum vtilitatibus & necessitatibus ecclesiarum ipsarum crediderimus expedire. Qualiter autem temporibus prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum circa

Propositū maiorum exemplū,

reseruationes & prouisiones huiusmodi de multis prælaturis et alijs beneficijs ecclesiasticis dicti regni, super quibus nunquam impedimentum extitit appositum, res gesta se habuit, magnitudinem tuam latere non credimus; nec a tua memoria excidisse, quod nobis pro reseruationibus inibi faciendis aliquibus feceris supplicari: neque, fili amantissime, ignorant tui consiliarij

Regij administri deuincti censuris.

pœnas diuinas et canonicas, quas statuentes, ordinantes, concedentes, et consentientes statui aliquid in præiudicium ecclesiasticæ libertatis incurrerunt.

Vlterius autem ad nostram et fratrū nostrorum sanctæ Rom. ecclesię Cardinalium audientiā pertulit rumor implacidus nimium et infestus, qui iam per orbem esse asseritur diuulgatus, quod in regno tuo prædicto edicta et breuia in derogationem et eneruationem prędictę libertatis ecclesiasticę, primatus eiusdem Romanę ecclesię, ac auctoritatis et potestatis ipsius sedis Apostolicę, ad diuersas partes missa fuerunt: vt de captione & incarceratione multarum personarum ecclesiasticarum sacrilega, et impedimentis literarum et gratiarum apostolicarum ibidem appositis taceatur ad presens. Immo ad tantę ferocitatis in regno eodem audaciam dicitur fuisse deuentum, quod vix aliquis audet ibidem literas apostolicas presentare. Et licet prędicta sic enormia vel similia de tua procedere conscientia existimare sit graue, tamen apud Deum et homines tibi multum poterit imputari, si postquam sic diuulgata sunt, eis opportunis et salubribus remedijs non obsistas; maxime quia sępe, vt premittitur, more pij patris et benenoli tam per diuersas literas, quam per tuos nuntios leniter et charitatiue tuam magnificentiam exhortandam prouidimus, sicut nosti. Vtinam, fili prærarissime, affectionem quam ad te benenolam intra paterna viscera gerimus, attenderes, et intra præcordia regia reuolueres diligenter, quam grauiter ex his, quæ circa præmissa in regno committuntur prædicto, diuina maiestas offenditur; et ne ipsius iram incurreres, præueniendo vltionis eius vindictam terribilem, operosis sic studijs euitares, profundisque meditationibus cogitares, quantum a Deo exaltati fuerint hactenus principes orthodoxi, qui sacrosanctam ecclesiam vnicam sponsam Christi deuotionis studijs honorarunt, eam in suis iuribus, honoribus, & libertatibus confouendo, & quam turpiter ceciderunt & abiecti sunt, qui contrarium attentarunt; & deliberatione prouida & matura pensares, si præmissa, quæ in regno tuo prædicto aduersus Deum & ipsam ecclesiam sic impudice aguntur (quæ vtique defendi posse non credimus, nisi fidei & sacrorū canonum fundamenta radicitus euellerentur, quod absit) possunt per nos sine Dei offensa & læsione conscientiæ præteriri sub dissimulationis neglectu, vel quomodolibet tolerari.

58 Audi ergo, fili, salubre consilium patris tui, & intende honori eiusdem Romanæ ecclesiæ matris tuæ, a qua tu & progenitores tui regnumque tuum prædictum magna beneficia, quibus vos obligauit ad gratitudinis debitum, recepistis. Attende quoque ipsam ecclesiam, cuius pastorali regimini licet meritis insufficientibus præsidemus non ab Apostolis sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum super omnes mundi ecclesias obtinere. Ipse quidem solus eandem fundauit ecclesiam, dicente Domino Petro: ***Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solueris super terram, erit solutum et in cælis***; & super petram fidei mox nascentis erexit, non enim quæuis terrena sententia, sed illud Verbum, per quod constitutum est cælum & terra; per quod denique constituta sunt omnia elementa, eandem Romanam fundauit ecclesiam: quæ quidem omnes patriarchales, metropolitanas, & cathedrales ecclesias, & ipsarum cuiuslibet ordinis dignitatem instituit: ad cuius pastorem & rectorem ecclesiæ, videlicet Romanum Pontificem, omnium ecclesiarum, dignitatum, personatuum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere. Cogita quæsumus insuper & recogita fili, quibus & qualibus credis consilijs, quibusque te inuoluis negotijs, & ad eorum ingressum contemplare finalem egressum; cum sit viri prudentis, vt rerum exitus metiatur.

Proposita dignitas primatus Romanæ eccles.

Ideoque regalem excellentiam intensis rogamus & hortamur affectibus, & per Dei misericordiam obsecramus, quatenus ad cor rediens, & dilectos tibi in paterna dulcedine huiusmodi piæ nostræ exhortationis, suauisque increpationis & salubris inductionis affatus tanquam catholicus princeps & prouidus, ac benedictionis & gratiæ filius deuote suscipiens, rationi & eiusdem ecclesiæ matris tuæ deuotioni subijce temetipsum: qua duce tibique propitia & placata proficere poteris: qua offensa non valebis, cum in eius offensa offendatur sponsus eius Iesus Christus dominus, prosperari; præmissa & alia vergentia in derogationem eiusdem Romanæ ecclesiæ & libertatis ecclesiasticæ in regno tuo prædicto cohibendo penitus & tollendo, nec illa vel similia inibi fieri de cætero permittendo, vt exinde tibi apud Deum cumulus meritorum proueniat, & regali nomini titulus humanæ laudis accrescat, ac nostram & Apostolicæ sedis benedictionem & gratiam vberius regiæ deuotionis sinceritas mereatur. Alioqui cum ex iunctæ nobis desuper apostolicæ seruitutis officio de anima tua illi, qui magnum iudicat sicut paruum, & apud quem personarum exceptio non existit, sumus rationem in extremo iudicio reddituri, ac iura & auctoritatem præfatæ sanctæ Romanæ ecclesiæ defendere teneamur; quominus in præmissis, in quibus tam patenter eiusdem Apostolicæ sedis auctoritas est contempta, & in suis iuribus & honoribus conculcata, limam correctionis sedis eiusdem, & pro mensura excessuum adhibere medelam salubrem procuremus, nec dissimulare possemus vlterius, nec salua conscientia præterire. *Dat. Auin. v. id. iulij anno* XII.

Monitus Eduardus ne pontifi cijs edictis se oppo nat.

Monitus, vt in eam obseruan. tia diuinā gratiam promeretur.

Ex

59 Ex ijs, quæ de Eduardo primatum Romanæ eccleſiæ labefactare annitente conquerentem Pontificem audiuimus, nullus hæreticus calumniarum occaſionem arripiat, quaſi male de primatu Romanæ eccleſiæ tum ſenſerint Angli: neque enim is in controuerſiam ab ipſis vertebatur, ſed agebatur tantum de ſacerdotijs cõferendis, quæ transfundi in exteros, ac frequentius contra patronorum iura ſedis Apoſtolicæ arbitrio reſeruari indignabantur: quæ etiam ex Eduardi literis vigeſimaſexta die ſeptembris anno regni, vt ipſe iactabat, Franciæ quarto, Angliæ vero decimoſeptimo conſignatis (quas affert Vvalſingamus a) perſpicue conſtabunt: in ijs enim queritur ſacerdotia conferri exteris, qui animarum ſalute neglecta cumulandis diuitijs, atque e regno auehendis inhient: crebris etiam apoſtolicis reſeruationibus præſulum liberas electiones diſturbari, iura patronatus regij in eccleſias, quæ a maioribus conditæ auctæque vectigalibus fuere, labefactari: rogatque Pontificem, vt ſecuturis inde malis, quæ verbis ampliſſimis, atque aculeatis percenſet, occurrat.

Quæ fuerint Eduardi querelæ de collatione ſacerdotiorum.

a Ext. apud Vvalſing. in Eduard III.

Modum porro ijs poſiturus Clemens, atque enatam controuerſiam compoſiturus, XVIII. kal. octobris Nicolaum archiepiſcopum Rauennatem & Petrum epiſcopum Aſtoricenſem Apoſtolicæ ſedis internuntios in Angliam miſit: quos etiam inſtruxit poteſtate b, vt ad ea, quæ aduerſus auctoritatem apoſtolicam nouata erant, tollenda, præſules Anglicanos ad ſynodum conuocarent: & Eduardum repetitis literis c hortatus eſt, vt quæ aduerſus libertatem eccleſiaſticam geſſerat, reuocaret. Excitauit d etiam Iſabellam matrem ac Philippam vxorem Reginas, Henricum Derbeyæ comitem e, tum proceres Anglos præcipuos, vt Eduardum ad rem priſtino ſtatui reſtituendam permouerent. Habitus eſt vniuerſæ huius controuerſiæ auctor Ioannes archiepiſcopus Cantuarienſis f, qui cum illius infamiæ labem detergere a ſe plurimis verborum ambagibus niteretur, Pontifex ineunte hoc anno ipſum probare ſe factis innocentem, ac Regem ad præterita reſcindenda adducere iuſſit g: Vvillelmus etiam archiepiſcopus Eboracenſis h, Richardus epiſcopus Dunelmenſis i, alijque præſules l rogati, vt ſtrenuam ea in re operam nauarent.

Mittit in Angliam internuntios.

b To. 3. ep. ſecr. 267.

c Ibid. ſecr. 468. & 554.

d Ib. ad ep. 469. ad 494.

e Ep. 333. & 549.

f To. 2. ep. ſecr. 622.

g Ead. ep. & to. 3. ep. ſecr. 324.

h Lib. 2. ep. ſecr. 624.

i Ib. ep. 623.

l Ib. poſt ep. 624.

60 Vicit obſeruantia in ſedem Apoſtolicam Eduardum Dauid Scotiæ Rex, qui cum regno poſt varias conuerſiones & caſus reſtitutus literas officiorum & amoris notis refertas ad Clementem miſiſſet, Pontifex collaudato eius egregio ſtudio, ipſum ad ſectandas regias virtutes hortatus eſt m, atque ad aſciſcendos ad ſanctiora conſilia viros probitate ac prudentia inſignes: denique preces adiecit, vt cum Philippus Francorum & Eduardus Anglorum Reges ad ſedem Apoſtolicam oratores pro tractanda pace miſſuri eſſent, ſuos etiam ad redintegrandum cum Eduardo fœdus legaret.

Dauid Rex Scotiæ.

m Ib. ep. ſecr. 635.

Clemens, &c. Dauid Regi Scotiæ illuſtri.

Excellentiæ regalis literas, deuotionis & reuerentiæ erga Deum ac nos & ſanctam Romanam eccleſiam plenitudinem ſub pulchris & decenter ornatis verborum ſermonibus deſcribentes, læti recepimus. *Et infra*: Magnificentiam tuam exhortamur, quatenus ad illum, qui eſt via, veritas, & vita, & per quem regnas & regeris, dirigens iugiter ſtudia mentis tuæ, prælatorum regni tui & aliorum ſapientum virorum, qui auaritiam odiant iuſtitiam, pacem, & veritatem diligant, tuæque ſalutis & famæ feruidi zelatores exiſtant, nec tuam contra Deum & iuſtitiam vereantur faciem, vtaris in tuis actibus conſilijs, & eis in timore & amore diuinis te tenendo, continue acquieſcas. *Et infra*: Porro cum chariſſimi in Chriſto filij noſtri Philippus Franciæ & Eduardus Angliæ Reges illuſtres ſuper tractanda coram nobis mutua ipſorum concordia debeant, vt pro firmo credimus, infra vigiliam inſtantis dominicæ ramiſpalmarum ad præſentiam noſtram ſuos ſolemnes nuntios deſtinare; ſi tui, fili dilectiſſime, nuncij, viri vtique prudentes & pacifici, ſufficienter inſtructi & idoneo mandato ſuffulti, tunc ad eãdem, prout tibi & regno tuo prædicto expedire omnino credimus, venerint præſentiam, eos admittemus gratanter, & ſuper pace tuique ſtatus tranquillitate, quantum cum Deo & honeſtate poterimus, interponere curabimus partes noſtras. *Dat. Auin. XVI. kal. februarij anno ſecundo.* Adiecit alias ad Ioannam Reginam Scotiæ preces a, vt virum ad pacis conſilia opportunis monitis adduceret.

Pontifex præcquitur officijs

Monetur, vt mittat oratores acturos de pace.

a Ep. ſecr. 636.

61 Significauit b Clementi Eduardus, ſi Rex Francus male geſta ex iuris ratione reſcinderet, atque iniurias inflictas expiaret, ſe ſtatuto termino miſſurum oratores ad ſedem Apoſtolicam, ac paci ſanciẽdæ accommodaturum. Quibus auditis Pontifex c, vbi primum expoſuit Eduardo, quantis periculis vniuerſus Chriſtianus orbis fluctuaret, ac bellum illud funeſtum Anglos inter & Francos accenſum eccleſiam grauiſſime concuteret; reſcripſit liberi commeatus ſyngrapham a Philippo ex ſententia oratorum Anglicorum conceptam fuiſſe.

Queritur Eduardus inducias a Philippo violatas.

b An. 2. ep. ſecr. 1079

c Ep. ſecr. 1080.

Quod ad armigerorum ſupplicium pertineret; reſpondiſſe Philippum, ipſos ob immania flagitia, patratas cædes, exercita latrocinia non ad infringendas inducias, ſed ab ijs violandis metu pœnæ alios ſubmouendos meritæ neci addictos fuiſſe: tum adieciſſe multa contra inducias rum religionem ab Anglorum Regis præſidiarijs militibus tentata. Iterumque Eduardum belli auctorem orauit d Clemens, vt quę intimo pectore premeret deſideria, ſibi ex arcano aperiret, neque enim ſe cuiquam ea patefacturum, ſummoque ſtudio ad pacem conciliandam incubiturum, cum ad cœptam in Turcas expeditionem vrgendam maximi intereſſet. Certiorem vero fecit, canonicas leges ad maiorẽ ipſius natu filiam ducisq; Brabantiæ filiam matrimonij vinculo coniugandos ſoluere diſtuliſſe e, cum in ſpem efferretur, ex affinitatibus cum Rege Francorum contrahendis pacem confirmarum iri. Ad eam autem a diuino Numine impetrandam viros religioſos atque inter cæteros Ciſtercienſes ad ſolemnia ordinis comitia vocatos hortabatur f, vt ſummis precibus illam depoſcerent. At votorum compos eſſe non potuit, cum Angli ipſum Regi Francorum addictiſſimum quererentur. Verum illos iniqua poſtulaſſe, ex alibi dictis haud obſcure colligitur: immo Eduardum fraude vſum videbimus, dũ oſtentata pacis ſpe contra promiſſa bello Philippum vt incautum opprimeret, appetijſſe ex literis pontificijs dicemus.

Contendit Philippus ab Eduardo temeratas

d Ep. 555.

e Ep. 556.

f Ep. 204.

Eduardus dolo pacẽ affectat.

62 Dum porro Eduardus Philippo Regi, Francorum regnum aut prouinciam aliquam ampliſſimam eripere nitebatur, Humbertus delphinus Viennenſis principatum maximum ſua ſponte in Philippi poſteros transfudit. Carebat Hum-

Humbertus delphinus Viennẽſis

bertus prole, ac delphinatium, quos pluribus bellis a Sabaudis attritos vidimus, saluti publicæque paci consulere meditabatur; ac primum quidem Philippum Regis Francorum filium ad delphinatus successionem vocauerat, deinde vero, vt Francorum Regum potentia secuturis temporibus prouincia magis ab hostium iniurijs vindicaretur, in Ioannem ducem Normanniæ ac maiores natu Francorum Regum nascituros filios ea lege, vt delphini nomen inditum ijs foret, transfundendum statuit: auctumque ea ratione est in Gallia Lugdunensi regnum Francorum. Quam donationem translationemque Pontifex diplomate apostolico ad Ioannis ducis Normanniæ gratiam confirmauit a. Cæterum ornauit eundem Normanniæ ducem singulari ea prærogatiua b, vt sacra, excepto corpore dominico, attrectare; ac dominicum corpus sub vtraque specie sumere posset.

Principatum Gallici regni heredi transmittit.

a Ead. to. 3. ep. secr. 216.

b To. 3. ep. secr. 66.

Ioanni primogenito Philippi Regis Franciæ illustri duci Normanniæ.

Tuis deuotis supplicationibus inclinati, vt quæ sacra sunt, præterquam corpus dominicum, quod per alios quam sacerdotes tractari non conuenit, tangere quoties opportunum fuerit, & ad hoc te induçet piæ deuotionis affectus, cum honestate tamen & reuerentia quibus decet, valeas; & cum per confessorem tuum, vel sacerdotem alium sacra communio corporis domini nostri Iesu Christi tibi ministrabitur, possit etiam poculum sanguinis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, & obseruantijs quibuscumque contrarijs nequaquam obstantibus, ministrari tibi, quandiu vixeris, & in quocumque statu, etiam si regali dignitate fulgeres, fueris tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Volumus autem, quod idem confessor vel sacerdos, qui tibi communionem huiusmodi ministrabit, circa hoc sic secrete se gerat & caute, quod in ministratione tibi facienda de sanguine nihil extra vasa sacra effundi de illo valeat, nec scandalum quomodolibet generari. *Dat. Auin. xi. kal. iulij anno iii.*

Cõcessus calicis vsus duci Normanniæ.

Aucti etiam eodem sacro beneficio Philippus Rex Francorum c, ac Regina vxor d & Bona e nurus Normanniæ duciſſa fuerunt.

Et Philippo Regi ac Reginę

c Ib. ep. 68. d Ep. 69. e Ep. 67.

63 Interea ad consecrandam editi olim in hoc sanctissimo Eucharistiæ sacramento insignis in agro Vrbeuetano miraculi memoriam, de quo a nobis in Vrbano IV. dictum est f, cum vini species in corporalia lapsa sanguinis colorem hostiæque formam illis impressit, Clemens augendæ pietatis studio indulgentiarum præmia, ab eodem Vrbano templum, in quo sacra corporalia diuino illo cruore tincta cernebantur, adituris concessa, auxit g.

f Annal. to xiv. an Chr. 1264 n. 26.

g To 2. ep. secr. 703.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis.

Et si deuota populi fidelis sinceritas ad veneranda sanctorum, quorum suffragijs indigere noscitur, solemnia quandoque donis spiritualibus, videlicet remissionibus & indulgentijs inuitetur; ad illius tamen venerationem celeberrimam, qui sanctorum omnium Conditor se pro redemptione generis humani dedit in pretium, & fidelibus suis speratur in præmium se daturum, est fideliũ ipsorum deuotio ampliori huiusmodi largitione munerum excitanda. Olim siquidem felicis recordationis Vrbanus Papa IV. prædecessor noster, pia consideratione premeditans & attendens fidelium ipsorum deuotioni congruere, & expedire saluti, quod illud salutiferum & dulcissimum sacramentum corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi, quo quotidie in ecclesia pro salute nostra pascimur & potamur, præter illam venerandam memoriam, quam quotidie facit ipsa ecclesia, celebritate solemnitatis specialis fulgeret, ad hoc certum annuum festum, videlicet quintam feriam post octauas pentecostes, prouidit perpetuis temporibus statuendum. Et vt clerus & populus ad colendum festum ipsum inducerentur deuotius, & ad ecclesiam, in qua eiusdem festi celebraretur officium, frequentius conuenirent, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi eiusdem in ecclesia, in qua huiusmodi ageretur officium, centum; qui vero missæ, totidem; qui autem in primis eiusdem festi vesperis interessent, similiter centum; qui vero in secundis totidem; eis vero, qui primæ, tertiæ, sextę, nonę, ac completorij officijs adessent, pro qualibet hac ipsarum quadraginta; illis autem, qui per octauas illius festi matutinalibus, vespertinis, missæ, ac prædictarum horarum officijs interessent, centum dies singulis octauarum ipsarum diebus de iniunctis pœnitentijs relaxauit.

Festum corporis Christi in stitutum ab Vrbano.

Prop. celebris indulgentia.

Sane pro parte dilectorum filiorum cleri & populi ciuitatis Vrbeuetanæ, nobis & ecclesiæ Romanæ immediate subiectæ, nuper humiliter supplicato, quod cum in ecclesia Vrbeuetana post institutionem dicti festi de ipso primum oratorium constructum fuerit, & propter quoddam miraculum, quod ad consolationem fidelium, & fidei exaltationem catholicæ ibidem extitit diuina clementia mirabiliter operata, tam de ciuitate ipsa, quam vicinis partibus cum ingenti deuotione fidelium multitudo innumerabilis annis singulis in festiuitate huiusmodi ad ecclesiam conueniat supradictam, ad augendam deuotionem conuenientium huiusmodi, ampliare dictas indulgentias de benignitate apostolica dignaremur; nos, qui deuotionem, & merita crescere populi Christiani paternis desiderijs affectamus, supplicationi huiusmodi benignius inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui singulis annis in eodem festo & per octauas ipsius ad ecclesiam prædictam causa deuotionis conuenerint, diuina officia, sicut superius per horas distincta sunt audituri, præter indulgentias per eundem prædecessorem generaliter, vt præfertur, concessas totidem de gratia concedimus speciali. *Datum Auinion. id. februarij anno secundo.*

Auct. Clem. te.

Pragen. eccles. archiep. scopali ce infign. ta.

64 Hoc anno decorata est a Clemente insignibus prærogatiuis Pragensis ecclesia in Boemia: cum enim hactenus Moguntinæ obnoxia fuisset, ab illius auctoritate libera pronuntiata est, ac sede archiepiscopali insignita, de qua vitæ Clementis a auctor, scriptoresq; Boemi, Germani, ac Polonici. E quibus Michouiæ b verba adducenda visa sunt: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCXLIV. *hactenus ecclesiam Pragensem episcopalem & suffraganeã Maguntinensi archiepiscopo in archiepiscopalem & metropoliticam, Lythomislien sem vero, qua abbatialis seu conuentualis S. Benedicti fuerat, exclusis monachis, in cathedralem Ioannes cœcus Boemiæ Rex Philippo Franciæ Rege enixius factum adiuuante, per Clementem Papam VI. vltima die aprilis in Auinione permutari procurauit, & Arnestum Pragensem tunc episcopum archiepiscopali & pallij honore insigniri; Olomucensemque in suffraga-*

a Vita Clem. apud Bal. b Mich. l. 4. c. 23. Cran. Cuspin. Dubrau. hist. boem. l. 22. Sur. l. 5. Mag. ver. in Hier. Id datum gratiarum Boemiæ.

neam

neam adiici obtinuit : sed Vvratislauiensem, quam successu temporis Carolus Romanorum & Boemiæ Rex Pragensi archiepiscopo subiici depascebat, impediente vero Cazimiro Rege Poloniæ, tanquam a Regibus Poloniæ fundatam & dotatam, obtinere non potuit. Extat hac de re in regesto pontificio diploma a, quod ob Pragensis ecclesię, ac regni Boemici dignitatem inserendum historiæ visum est, cum in eo etiam dies disignentur, quibus nouus archiepiscopus pallio vsurus sit.

a An. 3. l. 3 ep. diuersar. form. 94.

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Attendentes Pragensem ecclesiam magnæ titulo dignitatis inter alias partium ecclesias præfulgere dignitate, rationabile fore conspicimus, vt ipsam Pragensem ecclesiam & archiepiscopos, qui pro tempore inibi præfuerint, spiritualibus gratiarum largitionibus, in ijs potissime, quę ad suum decus & decorem ex ipsius ecclesiæ excellentia dignitatis pertineret, honoremus. Nuper siquidem, suadentibus rationabilibus causis, eandem Pragensem ecclesiam olim suffraganeam ecclesiæ Moguntinensis, ac tunc de prouincia Moguntina existentis, & venerabili fratre nostro Arnesto episcopo olim Pragensi in archiepiscopum Pragensem electo regimini eiusdem Pragensis ecclesiæ præsidente, de fratrum nostrorũ consilio & apostolicæ plenitudine potestatis in archiepiscopalem & metropolitanam ereximus, & honoribus ac insignijs sedis metropoliticæ duximus decorandam. Et attendentes quod ipse Arnestus in eiusdem ecclesiæ regimine, dum episcopalis existebat, hactenus se gessit fideliter & prudenter; & quod illud in posterum attentius gereret, præfatum Arnestum ipsi ecclesiæ Pragensi in archiepiscopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem ipsius eidem Arnesto in spiritualibus & temporalibus committendo, sibique deinde pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis, a nobis ex parte sua humiliter postulatum, duximus concedendum.

Pontif. de ea re diploma.

Transmissum Arnesto archiepisc. pallio

Vt autem idem Arnestus & eius successores archiepiscopi Pragenses, qui erunt pro tempore, eo licentius pallio vti possint, quo specialiori Apostolicæ sedis super hoc fuerint priuilegio communiti, ipsius Arnesti supplicationibus inclinati, eidem Arnesto & successoribus suis præfatis, vt in ipsa Pragensi & alijs suæ Pragensis prouinciæ ecclesijs, videlicet in natiuitate Domini, & Ioannis euangelistæ, S. Stephani, & circumcisionis ac epiphaniæ Domini, ramispalmarumque, & cœnæ Domini, sabbato sancto, tribus diebus resurrectionis, nec non in ascensionis Domini, pentecostes, natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, & omnium Apostolorum, & quatuor B. Mariæ virginis, in commemoratione omnium sanctorum, et S. Michaelis archangeli, et ecclesiarum dedicationibus, ac in principalibus ipsius Pragensis ecclesiæ festiuitatibus, et die anniuersarij consecrationis ipsius Arnesti, et ecclesiarum prouinciæ Pragensis prædictæ, vbi ipsum Arnestum vel successores eius prædictos interesse et missarum solemnia celebrare contigerit, principalibus festis; ac etiam in consecrationibus episcoporum, et ordinationibus clericorum, in abbatum et abbatissarum ac monialium benedictionibus pallio, alias eis rite concesso et etiam assignato, vti licite valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo, etc. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* VIII. *kal. septembris anno* III.

Quibus diebus eo vsurus sit.

65 Insignia Henrici archiepiscopi, et cleri Moguntini in sedem Apostolicam demerita nonleuem occasionem ad Boemiam illius auctoritati subducendam, quod antea tentatum ab Othocharo sub Innocentio III. vidimus a, porrexere: tum etiam aculeatę Nankeri episcopi Vvratislauiensis verborum voces temere in Ioannem Regem Boemię iactę, Boemum excitarunt, vt Pontificem magnis precibus ad erigendam nouã metropolim solicitaret: cũ enim Nãkerus episc. Vvratislauiensis oppidum Mielitz a Boemo sibi ereptum reposceret, non modo negantẽ anathemate constrinxit, sed etiam insolenti perculerat voce dum non Regem, sed regulum appellauerat. Quo perstrictus verbo Ioannes, cum rationem ardentis dicterij reposceret, huiusmodi respo sum a Nankero retulit b: *Qui in suo regno metropolitano caret, & in coronatione sua prece & pretio aliarum nationum archiepiscopos conducit, regulus est, & inter omnes catholicos Reges minimus.* His addit Michouias: *Sugillatio huiusmodi Ioannem Regem Boemiæ adeo mouit, irritauitque, vt ex Pragensi ecclesia metropoliticam creari temporis processu procurauerit.* Exornata quidem archiepiscopali sede Pragensis ecclesia a Pontifice mox eo est priuilegio aucta c, vt Pragensi archiepiscopo sacrandi Boemię Regis auctoritas ad secutura tempora collata sit, cum antea is honos ad Moguntinum archiepiscopum spectaret; qua de re apostolicum diploma III. nonas maias a Clemente editum est, quod Serarius d in Francofurdiana bibliotheca asseruari ait. Sed de Pragensi ecclesia hactenus.

a To. XIII an. Christ. 1204. n. 53.

Nankerus episc. contumelioso verbo rei occasionẽ dedit.

b Michou. l. 4. c. 22.

c To. 2. ep. secr. 1085

Pragens. archiep. sacrandi Regis Boemiæ ius et insignitus.

d Serar. l. 5 Mog. rer. in Henr. III.

66 Per idem tempus ad asserendam suo splendori Vngaricam ecclesiam Pontifex barbarum morem tolli iussit, quo viri ecclesiastici in litibus certamen singulare probationum loco subire cogebantur. Damnatum alias reprobum hoc probationis genus, in quo innocentia & æquitas furori ac sceleri sępius succumberent, ab alijs Pontificibus vidimus e. Cum igitur infanda consuetudo recrudesceret, Clemens Lud ouicum Pannoniæ Regem illi fauisse increpuit f, atque Elisabetham Reginam g matrem solicitauit, vt filium regij in ea re officij admoneret: tum etiam Strigonienſis & Colocensis archiepiscopi & Quinqueclesienſis atque Agrienſis episcopi apostolica imperia de abolendo iniusto & crudeli more continentes literas porrigere iussi h, Regemque ad id suis cohortationibus impellere. Onerabat præterea clerum Vngaricum Ludouicus Rex grauioribus vectigalibus, quæ vt amoueret rogatus est i. Datæ etiam sunt ad eundem Vngariæ, ac Poloniæ & Boemiæ Reges, præsules, procereſque commendatiæ literæ l, cum Galhardus electus Senadienſis & Arnaldus canonicus Titulenſis pro recuperandis Romanæ ecclesię iuribus in ea regna legati essent.

e An. Chr. 1252. n. 31.

Singulares pugnę vetitæ in Vngaria.

f To. 3. ep. secr. 452.

g lib. ep. 453

h Ep. 454.

i Super ep. 452.

l To. 2. ep. secr. 1046 ad 1051. & to. 3. ep secr. 410. ad 421.

Neque illud hoc loco prætereundem est, querente m apud sedem Apostolicam Ioanne episcopo Cracouienſi, Casimirum Poloniæ Regem, plurium officiorum sibi exhibitorum oblitum, cum etiam sedente Benedicto XII. diutius in aula pontificia pro expediendis regijs negotijs eiusque vtilitatibus promouendis strenue operam nauasset, ecclesiam Cracouienſem oppressisse; Pontifex Regem grauissime monuit, quantum dedecus ea in re susciperet, ac diuinas iras lacesseret; nullam ampliorem gloriam, quam in ecclesijs tuendis ac numinis ministris venerandis principem colligere posse: *Tu tamen*, inquit, *fili dile-*

m To. 3. ep secr. 344. Monitus Rex, ne ius ecclesiasticum labefactet

ctissime, tanquam præmissorum & aliorum multorum obsequiorum vtilium tibi per eundem episcopum, sicut asseritur, impensorum oblitus, instigantibus forsan aliquibus suis æmulis qui, prout creditur, plus lucra sua propria, quam tuum honorem venantur; ad eiusdem episcopi & ecclesiæ suæ prædictæ, ac subditorum suorum offensas grauiores & iniurias te conuertens, eisdem intolerabilia imponi onera, & varias oppressiones irrogari fecisti: & (quod est durius & horrendum auditui) quia præfatus episcopus & nonnulli de clero suarum ciuitatis & diœcesis interdictum ecclesiasticum, ex certis causis tam apostolica quam ipsius episcopi auctoritate ordinaria ibidem appositum, vt tenebantur, inuiolabiliter obseruantes, illud ad mandatum tuum violare quomodolibet recusarunt; aduersus eos commotus plurimum, & ad iracundiam prouocatus, multiplicari fecisti huiusmodi grauamina contra ipsos, aliquos ex eis relegando a ciuitate Cracouiensi prædicta de facto, castris, bonis, ac rebus eorum occupatis, ac dispersis nequiter & vastatis. Et vlterius contra ius diuinum & humanum prohibuisse tuis subditis partium illarum diceris, ne de fructibus prædiorum suorum decimas præsumant episcopo & ecclesiæ soluere supradictis, &c. Præcipit, vt episcopo aliisque bona restituat. *Dat. Auin. ix. kal. nouembris anno* III.

Tartarorũ irruptio in Russiam.

67 Incubuit hoc ipso anno Casimiro Regi grauis belli moles ex repentina Tartarorum irruptione: cum enim aliquot ante annis Russiam in prouinciæ formã, capta Leopoli vrbe principe, vti vidimus, redegisset; Russi nonnulli schismatici catholicę religionis in Russia efflorescentis ac Polonorum odio Tartaros exciuerunt, dum Casimirus Elisabethę filię ex priori coniuge susceptę nuptijs pactis cum Boguslao Stetinensi duce celebrandis implicitus esset: quam excursionem barbaricam effusa paulo ante ingentia locustarum agmina visa sunt præsagire. Vt vero Casimirus contractis raptim copijs Tartaros Vistulæ transitu arcuerit, ex Cromero [a] accipiamus.

[a] Crom. l. 12. in Casim.

Magna vis locustarum ex Vngaria coorta: & mox ingentes Tartarorum copiæ in Russiam & Poloniam inundare a Dascone, quem Rex Præmisliæ præfecerat, & Daniele Ostrogio, & nonnullis alijs Russis res nouas molientibus euocatæ. Nam ij nacti tempus, quo Rex Casimirus longissime aberat, cruciferorum colloquijs, Silesico bello, & filiæ nuptijs occupatus, missis clam legatis admonuere Tartarorum principem siue Cæsarem, ne tributariam sibi Russiam *a* Polonis *occupari pateretur: non defuturam ipsi fidem suam, operamque polliciti. Habebant autem ij inuisum* Polonorum *imperium, cum quod non libenter fere externis parent homines, tum quod sectæ ritibusque suis, ne callide sensim abolerentur metuebant: videbant enim multos de suis nostros ritus, & ad Romanam siue adeo catholicam ecclesiam se transferre, pluresque in dies honoribus & alijs præmijs a* Rege *ostentatis inuitari. Ab his igitur excitis* Tartari *& adiuti, obiter transcursa Russia, in Poloniam magna vi contendunt. De quorum aduentu cum tempore Casimirus a suis e Russia certior factus esset, coacto celeriter exercitu, in Sendomirienſem tractum obuiam eis profectus, positis in ripa Vistulæ statiuis, transitu fluminis arcere eos satis habuit, non ausus cum longe maioribus copijs manus conserere. Eminus modo hinc ballistis, illinc arcubus velitatum est: in qua velitatione Albertus Palatinus* Sendomirienſis *gente Abdancus sagitta ictus cecidit. Tartari frustra tentato multis in locis transitu Vistulæ, magno cum tumultu popu-*

Excitisũt a schismaticis barbari.

labundi, & ferro atque igni obuia quæque vastantes, per Lublinensem tractum retro abiere, nec arcem Lublinensem aliquot diebus oppugnatam expugnare potuere. Hactenus Cromerus.

68 Hoc anno auctum est a Clemente collegium nouorum Cardinalium creatione, de qua eius vitæ scriptor hæc monumentis mandauit [a]: *Anno Domini* MCCCXLIV. *die vigesima sexta mensis februarij, in qua fuerunt quatuor tempora, dictus Papa creauit duos nouos Cardinales, videlicet dominum* Petrum *Bertrandi iuniorem de Columbarijs diœcesis Viennensis, tunc episcopum* Atrebatensem, *& hic fuit in presbyterum assumptus, eratque nepos alterius domini Bertrandi senioris, qui adhuc in collegio superextabat: secundum vero fecit diaconum, videlicet dominum Nicolaum de Bessia, tunc electum* Lemouicensem, *de cuius diœcesi oriundus erat, nepos suus ex sorore.* Hæc auctor, cui pontificiæ literæ consentiunt, quæ ad Bertrandum episcopum Atrebatensem scriptæ sunt [b].

[a] Vit. Clem. VI. apud Baluz.

Cardinales creati a Clemente.

[b] Tom. 1. Spicil. fol. 81.

Dilecto filio Petro sanctæ Romanæ ecclesiæ presbytero Cardinali, *olim episcopo Atrebatensi.*

Moysi legislatoris, qui Ietro cognati sui vtili adhærendo consilio, viros prudentes, & Deum timentes circa regendam plebem Israeliticam elegisse testatur, exemplo ducti laudabili, ad onus spiritualis regiminis, quod ex iniunctæ desuper apostolicæ seruitutis officio noscitur incumbere, auxiliatores & coadiutores nobis viros vtique potentes in opere, & sermone, qui veritatem & iustitiam diligant, & auaritiam odiant, nos profundis meditationibus perquirentes, pridem ad personam tuam, quam largitor bonorum omnium multis virtutibus insigniuit, direximus intuitum nostræ mentis: & tandem matura deliberatione cum fratribus nostris præhabita, te pridem a vinculo, quo Atrebatensi tenebaris astrictus, per nos de potestatis plenitudine absolutum, ad cardinalatus honorem de dictorum fratrum consilio duximus assumendum. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus huiusmodi suscipiens reuerenter, ad nostram & apostolicæ sedis præsentiam, absque cunctatione morosa studeas, diuina præuia gratia, te conferre, vna nobiscum & eisdē fratribus diuinijs obsequijs & ecclesiæ Romanæ seruitijs vacaturus. *Datum apud Villamnouam* Auinionensis *diœcesis id. martij anno secundo.* Insignitum hunc fuisse presbyterali titulo S. Susannæ, Nicolaum S. Mariæ in via lata diaconum creatum, tradunt [c].

Data Atrebat. de collat. sacræ pur. litera.

[c] Contin. in eius Card. creat. Clem. & alij. Christian. apud Ad. teradon. capti a Sarac.

69 Prætermittendum non visum est, misertum Pontificem Christianorum, qui apud Anteradon insulam Syriæ obiacentem, ex qua veluti ex arce irrumpere in Palæstinam poterant Europæi fideles ni funesta dissensio eos in mutua funera cōcitasset a Saracenis in seruitutem fuerant abducti, carcerisque, squalore, ac fame & siti contabescebant, fideles propositis indulgentiarum præmijs excitasse, vt eos collata stipe redimerent.

Clemens, &c. vniuersis Christi fidelibus.

Cum, sicut vniuersorum pauperum Christianorum, in carceribus soldani Babyloniæ inimici orthodoxæ fidei existentium, lacrymabili insinuatione percepimus, ipsi qui iam multis annis de vniuersis Christianitatis partibus in insula de Tourtose & pluribus alijs partibus Syriæ capti fuerint a perfidis Agarenis, & adhuc sunt in Castro Cadri fame & siti pereuntes, & alias pertractati nequiter, eiusdem soldani carceribus mancipati, vniuersitatem vestram rogamus & hortamur

Venit spes eos red. mentis stipe gatum propo.

in

in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pro ipsorum redemptione captiuorum pias ad hoc eleemosynas, & grata eis charitatis subsidia erogetis, vt per subuentionem vestram dictorum captiuorum necessitatibus consuli, & eorum liberatio valeat de ipsorum perfidorum Agarenorum manibus prouenire, &c. *Dat. apud Villamuouam Auin. diœcesis* VIII. *id. maij anno* III. Turgidi porro superbia Saraceni Christianos sacerdotes, qui Saluatoris mundi vestigijs consecrata loca incolebant, nec non Minoritas, qui diuinam rem in sepulchro dominico & Monte Sion curabant, varijs iniurijs afficere: quibus permotus Aragonum Rex proximo anno a Clemente expetijt, vt sibi ad soldanum muneribus demulcendum oratores mittendi facultas daretur: cuius consilium Pontifex laudauit a, permisitque vt necessariæ ad id merces Syriæ inuecherentur.

Sacerdotes Christiani lero solymis vexati.

Soldanũ illis conciliat munere bus Aragonius. a Rain. 4 l. 4. p. 1. ep. 655 de indulti.

IESV CHRISTI

Annus 1345.

CLEMENTIS PP. VI. annus 4. VAC. IMP. OCCID. 32. IO. PALÆOLOGI IMP. OR. 5.

1 INgentes luctus, funesta in Asia clade Christianis illata, necato a suis infanda proditione Andrea Siciliæ Rege, Gallis & Anglis in mutuas strages irruentibus, innexit annus a virgineo partu millesimus trecentesimus quadragesimus quintus indictione decimatertia. Vincere b vi aperta Marbasanus barbarorum princeps non poterat, quamuis collectis ingentibus copijs Smyrnam obsidione cinxisset, ne fideles interiores oras penetrarent; multisque prælijs ac repentinis eruptionibus haud leues clades acceperat. Conuersus itaque ad dolos, relictis in castris aliquot turmis, se subduxit, & florentissimo alio exercitu succinctus in montibus delituit, rei euentum præstolaturus, nostrosque incautos opprimere furus. Respondit consilijs funestis exitus, quem describit Cortusiorum historia c de Turcis prælocuta: *Cum maxima, inquit, multitudine armatorum se posuerunt iuxta Smiras, & cum trabuchis intrinsecos infestabant in opprobrium sanctæ crucis. Christiani, vexillo crucis præmisso, exierunt subito pugnaturi, & de Turcis habuerunt victoriam, & eorum machinas combusserunt. Dum vero Christiani vagarentur, colligentes eorum spolia & dominus legatus missam solemniter celebraret, Morbassan (qui se scribit dominum Achaiæ & Imperatoris Orchani collateralem & pugilem) cum multitudine equitum superuenit: contra quem nobiles caporales pugnauerunt egregie, quasi ab vniuerso vagante populo destituti.* Pauciscque interfectis, vt sub multitudine succubuerint, subdit: *Sic eo die capita dominorum legati, Petri Zeni, Marini Zachariæ de Ianua, capitanei etiam Rhodi, & aliorum viginti nobilium Morbassano Turcorum domino præsentantur. Isti nobiles Christi pugiles & martyres per gloriam viuunt in æternum. Fuit hoc* MCCCXLV. *die* XVII. *ianuarij.*

b Vill. l. 12. c. 38. Marbassanus Iouiæ princeps Smyrnam obsidet.

c Cortus. hist. l. 8. c. 16. Christianos in insidias allicit.

Iterum Smyrnam oppugnat & repellitur.

Elatus hac victoria Marbassanus Smyrnam magno furore iterum oppugnauit. At Christi fideles cladi superstites, quique celeri fuga ad Smyrnam sibi consuluerant, non in desperationem acti, sed robore induti, strenue barbaricos impetus propulsarunt, aliosque fideles in auxilium exciuerunt. Proficiscebatur ad ipsos, non-

dum audita ea clade Petrus a e Palude cum egregio militum crucesignatorum delectu, quem Pontifex Ioannæ Græcorum Imperatrici, Cypri, Armeniæ, Siciliæ Regibus pridie Venetis, alijsque principibus non martias commendauit. Petrus Pa lud. adducit auxilia a To. 3. ep. secr. 849. & ab 837 ab 850.

2 Perlato vero tristi & acerbo tot cesorũ ducũ casu, Clemens Bertrãdum e Baucio pontificiarum triremium Martini Zachariæ loco præfectum, ac Raimundum episcopum Morinensem Apostolicæ sedis legatum creauit b, de quo Philippum Regem Francorum c, tum etiam Anglorum subiectis literis fecit certiorem d. Raimundus episc. Morinen. creatus in Asia legatus. b Ib. ep. 897. c Ibid. ep. secr. 922. 973. d Ib. ep. 909.

Clemens, &c. Eduardo Regi Angliæ.

Licet casus bonæ memoriæ patriarchæ Constantinopolitani Apostolicæ sedis legati & aliorum strenuorum virorum, de quibus in ipsis literis fit mentio, sit grauis, & mentes fidelium ibidem in prosecutione negotij Redemptoris nostri existentium terrore aliquo concusserit, vt probabiliter existimamus, nosque dictis auditis rumoribus dolore nimio fuerimus conturbati; quia tamen audiuimus, quod fideles ipsi, qui terram acquisitam & ereptam ex manibus paganorum custodiunt, & alij, circa dictum negotium in eisdem partibus laborantes, tanquam viri prudentes & strenui non demissis sed eleuatis cordibus loco illorum, qui (nescitur quo Dei occulto iudicio) ceciderant, quantum potuerunt & in eis fuit, alijs ordinatis, se aduersus hostes fortiter muniuerunt; quodque multi fideles de diuersis partibus zelo accensi fidei catholicæ ad iuuandum huiusmodi Dei negotium celeriter se disponunt; nos, exinde non modicum in Domino consolati, speramus in eo, cuius res in hac parte principaliter agitur, quod ipse post turbines procellosos serenum ad consolationem fidelium operabitur & tranquillum. Nos quoque, qui eius vices, licet insufficientibus meritis, in terris gerimus, ad consolationem fidelium, & fulciendum solidius & fortius negotium supradictum, venerabili fratri nostro Raimundo Morinensi episcopo, viro vtique circumspectione prouido, legationis in illis partibus, & dilecto filio nobili viro Bertrando de Baucio militi domino de Cortedono Auinionensis diœcesis, experto in rebus bellicis, capitaneatus galearum officia, magna & matura deliberatione consilij præuia, de fratrum nostrorum consilio duximus committenda; intendentes quod ipsi, quauis morosa dilatione submota, profecturi ad partes illas arripiant iter suum, &c. *Dat. Auin. xv. kal. aprilis anno* III. De clade ad Smyr. accepta pontificia literæ. Commendata eorũ qui ceciderunt virtus. Suffecti in cæsorum locum alij

De imposita Raimundo episcopo Morinensi prouincia, & collata ei auctoritate extant literæ e, traditaque illi potestas f, vt ad tractandam inter Gualterum ducem Athenarum & Catalanos (quos magnæ societatis de Romania nomine designat) concordiam incumberet g, quo viribus coniunctis Turcarum conatus eliderentur. e To. 3. ep. secr. 963. f Ib. ep. 962. 965. 966. De pace ineer Catalanos & ducem Athen agitatum. g Ib ep. 969.

3 Accingebant se Asiatico itineri Raimundus legatus ac Bertrandus e Baucio, cum Philippus Francorum Rex pontificium illud consilium discussit h, questusque est præclaros viros, qui sibi vel consilio vel opera ad propulsandos imminentes Anglos necessarij essent, ad alia bella auerti: tum etiam superiorem in Turcas expeditionem damnauit, vt qui metueret ne Gallica iuuentus arma potius in barbaros quam Anglos corriperet, causatus eo bello efferatos magis infideles ad Christianum nomen delendum quam repressos. Cui summus Christi vicarius scripsit, Francorum gloriæ tribuendum, si Gallici generis legatus apo- Gallus Rex grauate ferr suos profi cisci in Turcas. h Ibid. ep. 1048.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

ſtolicus crucesignato exercitui præesset, neque Gallos ad transferenda in Turcas arma incitari: falsam vero opinionem, non suscipiendum fuisse aduersus eosdem fidei hostes sacrum bellum, confutauit.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Sicut pridem, magnificentiæ regiæ scripsisse recolimus, nos audita morte bonæ memoriæ Henrici patriarchæ Constantinopolitani apostolicæ sedis in partibus transmarinis legati, & quondam Martini Zachariæ galearum nostrarum capitanei, vt Dei negocium feliciter contra hostes fidei Christianę in partibus illis incœptum destitutum nullatenus remaneret, & ad consolationem fidelium laborantium in eodem; venerabilem fratrem nostrum Raimundum episcopum Morinensem legatum eiusdem sedis in partibus prædictis, & dilectum filium nobilem virum Bertrandum de Bautio galearum prędictarum capitaneum duximus deputandos. Et licet ipsi parati essent ad partes easdem arripere iter suum, nosque super his multis magnatibus & alijs earundem partium scripsissemus; intellecto tamen per literas regias nobis missas, quod tibi eosdem episcopum & militem ad partes prædictas remotas accedere non placebat, mox permisimus, vt ipsi se tuis in hac parte beneplacitis coaptarent: scitu-

Respõdet Pontifex, Gallos ab eius tuitione non auerti.

rus, fili charissime, quod indulgentias, quas ad partes prędictas in subsidium fidelium ibidem degentium accedentibus concessimus, ad illos de regno tuo expresse voluimus non extendi: nec nobis placet, nec placuit, quod aliqui de dicto regno his temporibus, quibus de commotionibus guerrarum timetur, illuc venerunt siue vadant.

4 Cum autẽ intellexerimus per literas regias nobis missas, quod aliqui visi sunt auribus regijs instillare, armatam quam mittendam in subsidium fidelium, & ad represſionem Turcorum infidelium prædictorum ordinauimus, magis in damnum Christianitatis, quam commodum, quia propter eam erant infideles prædicti commoti amplius solito aduersus Christicolas, redundabat; excellentiam regiam volumus pro certo tenere, quod talia veritate minime fulciuntur. Certum quidem est, quod Turchi blasphemi & persecutores crudeles nominis Christiani adeo dure fideles populos, in Romaniæ alijsque circumuicinis transmarinis partibus commorantes, veniendo etiam vsque ad terras dilecti filij nobilis viri Roberti principis Achaiæ nepotis tui, molestare cœperant ac etiam deuastare, quod Christianis in vastitate hostili positis, & per ignis incendia & rapinas atroces bonis suis spoliatis, alij per eosdem Turcos ducebantur captiui & vt pecudes vendebantur, & ad abnegandam fidem catholicam in nostri Saluatoris contumeliam, proh dolor! cogebantur; aliqui vero subijciebantur tributariæ seruituti: sicque dicti hostes se in tantæ præsumptionis audaciam erexerant & audacius erigebant, quod nisi habuissent resistentiam, quam eis fecit armata prædicta fidelium illuc missa, non solum nomen Christianitatis, vt habet fidedignorum opinio, de illis extinxissent partibus; sed forsan vsque ad ignominiosam Christianitatis confusionem, vsque Neapolim processissent, & vltra. Propter quod nos audito literali & verbali clamore populi Christiani, tam in Romania quam in Cypro & Rhodo, alijsque circumuicinis partibus commorantis, & tactis ex tanta ipsius populi miseria dolore cordis intrinsecus, paterna nos coegit pietas, & debitum officij pastoralis induxit, vt super tot & tantis eiusdem populi afflictionibus eis prouidere de aliquali defensionis & consolationis remedio curaremus.

Ideoque regalis circumspectio ponderet & discutiat diligenter, si nos decuit, immo necessarium fuerit, armatam ordinare prædictam: talibus suggestionibus veritatis fundamento carentibus, non accommodet de cætero regia sublimitas credulas quęsumus aures suas. De his autem, venerabilis frater noster Petrus episcopus Claromontensis, & dilecti filij nobilis vir Ludouicus de Pictauia, ac magistri Firminus de Coquerello decanus ecclesiæ Parisiensis, & Petrus de Verberia clericus consiliarij regij, veraciter informati, efficere poterunt celsitudinem regiam viuæ vocis oraculo certiorem. Verum quia a nonnullis reputabatur honoribus conueniens regijs, si tale tamque pium negotium dirigeretur, & duceretur per episcopum regni sui, & de suo consilio existentem; videat regalis prouidentia, si decentius existeret, quod præfatus episcopus, qui proficiscendi ad partes transmarinas prædictas licentiam a te alias obtinuisse asseruit, & nunc ad tuæ celsitudinis redit præsentiam, ad partes supradictas accederet; maxime quia super hoc zelum feruentis deuotionis ostendit. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis v. id. maij anno* III.

5 Reuocatus porro est a legatione in Turcas episcopus Morinensis a Philippi Francorum Regis importunis precibus, & apostolici legati vices datæ Francisco archiepiscopo Cretensi, qui post Henrici patriarchæ necem strenue se gesserat: ad quem & crucesignati exercitus præfectos hæ datæ literæ, b

Clemens, &c. venerabili fratri Francisco archiep. Cretensi vicelegato in partibus Romaniæ & dilectis filijs tam generali quam alijs capitaneis & patronis galearum Christiani exercitus contra Turcos.

Gerentes in præcordijs, & apostolicis prosequentes fauoribus, Dei & catholicæ fidei negocium, quod per vos geritur contra Turcos, non cessamus, nec cessare intendimus illa promouere, quantum cum Deo poterimus, per quæ dictum negocium ad laudem diuini nominis, eiusdem exaltationem fidei, consolationem fidelium, & depressionem prædictorum Turcorum infidelium blasphemorum & persecutorum crudelium Christiani nominis, valeat prosperari. Exultat siquidem cor nostrum in Domino, & eidem in humilitate spiritus gratiarum referimus actiones, quod vos, vt habet fidedignorum de partibus illis venientium grata relatio, tanquam viri constantes & strenui circa dictum negocium, magis salutis æternæ præmium, quam mercedem temporalis commodi expectantes exinde, fideliter & intrepide geritis & constanter. Adijcit etiam huiusmodi lętitiæ in hac parte, quod, vt a multis audiuimus, diuinæ pietatis clementia de sede suæ magnitudinis negocium huiusmodi respiciens oculis gratiosis, pro ipso in diuersis partibus stupenda miracula operatur, quorum coruscatione fideles innumerabiles de diuersis mundi partibus excitati, & illecti nihilominus remissionibus, & indulgentijs per nos concessis iuuantibus negocium antedictum, ad hoc deuotis & feruentibus affectibus & effectibus se accingunt. *Dat. Auin. xv. kal. augusti anno* IV.

Illata a Turcis mala exponit.

Et infaustos eorũ progressus

In-

Clemens nepos in Turcas profectus. a Ann. 3. ep. 945. ad 954. b Ann. 4. l. 2. ep. cur. 2.

6 Intentus itaque submittendo in Asiam auxiliari exercitui Pontifex, Guichardum Combornium nepotem auxiliari militum manu instructum submisit a tum Humbertum delphinum Viennensem crucesignati exercitus ducem creauit, ad quem datæ extant subiectæ literæ b.

Clemens, &c. dilecto filio nobili viro Imberto dalphino Viennensi capitaneo generali sanctæ sedis Apostolicæ, & duci exercitus Christianorum contra Turcos.

Delphin. Viennens. dux exercitus crucesignati.

Diligenti deliberatione præhabita te, vtpote eiusdem fidei feruidum zelatorem id deuote petentem & etiam requirentem, capitaneum sanctæ sedis Apostolicę & ducem exercitus Christianorum contra eosdem Turcos auctoritate Apostolica facimus, constituimus, & ordinamus modo, qui sequitur, generalem. Arripies namque iter, Deo duce, pro transfretando ad Turchiæ partes, quam cito poteris bono modo. Itaque ad longius pones te in mari infra secundam diem instantis mensis augusti, & eris, Deo dante, in dicta insula Nigropontis infra medium instantis mensis octobris, duceseque tecum ad minus centum homines tam milites quam armigeros bonos & sufficientes in factis armorum, quos tenebis ibidem tuis stipendijs & expensis per tempus, quo liga inter nos & Romanam ecclesiam & charissimum in Christo filium nostrum Hugonem Regem Cypri illustrem, ac dilectos filios magistrum & fratres hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, & ducem & commune Venetiarum, & nonnullos alios de certis galeis contra eosdem Turcos tenendis dudum inita durabit. Et si contingat tempus seu liga huiusmodi prorogari, habebis nihilominus inibi tenere dictos homines armorum ad minus per tres annos, a tempore ordinationis huiusmodi computandos, prout hæc omnia in nostra & fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium præsentia personaliter constitutus spontanee promisisti, ac super ijs inuiolabiliter obseruandis præstitisti corporaliter iuramentum per te postmodum viuificæ signo crucis, ac vexillo sanctæ Romanæ ecclesiæ publice de nostris manibus pro his exequendis assumptis. Per hæc autem nolumus nos vel sedem prædictam ad dandum tibi aliud ratione capitaneatus & ducatus huiusmodi quoquo modo astringi. Nulli ergo, &c. *Datum apud Villamnouam Auinionensis diœcesis* VII. *kal. iunij anno* IV.

Tradirum illi vexillum Rom. ecclesiæ.

De creato delphino crucesignati in Turcas exercitus duce certiores facti c Cretensis, Patracensis, Athenensis, Thebanus, Corcyrensis, Colocensis, Nicziensis, Dyrrachinus, Neopacensis, & Neopatrēsis archiepiscopi, eorumq; suffraganei, ac moniti, ne consilio & opera illi deesserent: tum præfecti, tribuni, & centuriones delphini imperijs parere iussi d.

c Reg. post eund. ep.

d 16. ep. 3. e Eund. l. 2. ep. cur. 6.

7 Data eidem est prouincia e, vt Caffæ a Turcis & Tartaris obsessæ suppetias ferre anniteretur.

Dilecto filio Imberto dalphino Viennensi capitaneo generali sanctæ sedis Apostolicæ, ac duci exercitus Christianorum contra Turcos.

Deman data illi ferendæ Caffæ o. pis prouin cia.

Nuper fidedigna relatio ad nostrum deduxit auditum, quod Saraceni, Tartari, & infideles alij crucis hostes ac inimici nominis Christiani in graui multitudine ad ciuitatem Caffensem, quæ nedum Christianis eam inhabitantibus, sed etiam alijs Christifidelibus in illis partibus fore dicitur quodammodo refugium singulare, hostiliter accedentes, eam per terram vndique obsederunt. Cum autem facti experientia te docere possit quid, & qualiter agere debeas circa piam & laudabilem prosecutionem negotij per te feliciter Deo dante assumpti, nobilitatem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus si commode & absque impedimento prosecutionis eiusdem negotij contra Turcos fieri valeat, eidem ciuitati & incolis, maxime de galeis Ianuensium, præstare velis consilium, auxilium, & fauorem. *Dat. Auin. XV. kal. ianuarij anno* IV. Excitati alijs literis Genuenses a, tum eiusdem reipublicæ orientales coloniæ, vt ad Caffam contra barbarorum impetus defendendam prosilirent; propositæque vniuersis, qui sacrum crucis symbolum susciperent, indulgentiæ fuerunt. Denique obsessorum constantia pontificioque studio impetus barbarorum Caffa propulsati fuerunt.

a l. b. ep. cur. 7.

8 Meminere b plures scriptores de susceptæ expeditione in Turcas ab Humberto delphino Viennensi, qui se bello sacro deuouerat, ditionemque Franco Regi tradiderat; qua de re extat diploma pontificium, quo principatus ille primum Philippo Galli Regis filio concessus, deinde ob politicas causas in Ioannem ducem Normanniæ transfusus, apostolica auctoritate confirmatus c est. Cæterum delphinus contractas in Gallijs copias acturus in Italia cōmendatus d est a Pontifice Italis principibus & populis, quos quidem pontificijs monitis morem gessisse Ioannes Villanus indicat e: quadringentos enim circiter Florentinos rubra cruce distinctos, Senenses trecentos & quinquaginta delphinum secutos refert, ac plures alias cohortes ex alijs Italiæ vrbibus ad illius signa concurrisse, confluxisseque Venetias conductos pontificijs stipendijs; ac mense octobri in orientem traiecisse.

b Vita Clem. auct. apud Bosq. MS. Vat. sign. n. 2040. & aliud sign. n. 3765. et alij. c Tom. 4. ep. secr. 116. d Ibid. ep. 135. vsq. ad 143. e Io. Vill. l. 12. c. 38.

E Sicilia citeriore Robertus e S. Seuerino Coriliani comes sacram inire aduersus Turcas semestrem expeditionem cum decem triremibus decreuit; cui Pontifex ad proceres Italos & populos syngrapham dedit f, vt classem apparaturo fauerent: ac Ioannam Reginam Siciliæ hortatus est g, vt necessaria e regno educi permitteret. Tum etiam eidem comiti amplioris naualis exercitus contrahendi potestatem fecit h: cæterum illum obstrinxit vt vrbes arcesque bello Turcis eripiendas Romanæ ecclesiæ nomine custodiret i, ac delphini Viennensis supremi crucesignatorum in Turcas ducis imperijs obsequeretur l. Denique proposita a Clemente sacra indulgentiarum præmia ijs, qui Roberti signis se aggregarent: iusique m Barensis & Amalphitanus archiepiscopi, fideles sacra arma correpturos crucis symbolo humeris appositō distinguere.

Robertus S. Seuerini regulus sacro bello accingit.

f To. 4. ep. secr. 156. g Ib. ep. 160. h Ep. 161 i Ep. 158. l Ep. 157. m An. 4. l. 1. ep. com. 530.

Summis etiam Minoritarum n, Prædicatorum o, Augustinianorum p, & Carmelitarum q præpositis de instituendis in singulis prouincijs quatuor vel pluribus concionatoribus sacra eloquentia florentissimis, qui populos ad suscipiendum crucis symbolum cohortarentur, imperia data. Quibus literis, vbi diras Turcarum excursiones, immanitatemque exercitam in Christianos, initam cum Hugone Rege Cypri, Venetis, Rhodijsque equitibus armorum societatem, vocatos ad crucis signa fideles descripsit, subijcit Pontifex: *Licet, sicut intelleximus, nonnulli ex eisdem archiepiscopis & suffraganeis circa præmissa exequēda satis se reddiderint diligētes; vt prædictum tamen negotium, pro quo sicut habet multorum fidedigna relatio, diuina pietatis clementia in plerisque mundi partibus stupenda miracula ope-*

n To. 4. ep. secr. 173. o Ib. ep. 174. p Ep. 175. q Ep. 176.

Religiosi viri ad fideles accendendos incitati.

ra-

ratur, quodq; feruentibus et finceris affectibus prosequimur, amplius valeat auctore Domino, cuius res agitur, prosperari, &c. De multis prodigijs, quibus fideles ad dandũ sacræ militiæ, accepto crucis symbolo, nomen contra Turcas excitati sunt editis in pluribus orbis Christiani regnis meminit in alijs literis Pontifex, ferturq; in Pistoriẽsi historia [a] apud Aquilã regni Neapolitani vrbẽ in cuiusdã ecclesiæ altari Deiparam gestantem in vlnis filium, qui crucem manu præferebat, videndam se multo circumfusam splendore obiecisse: plures etiam infantes impressam humeris crucem ex vtero tulisse.

[a] Pistorien hist. Cruces diuinitus efformatæ.

9 Vocabat sacris ijs prodigijs Deus ad religiosam in Turcas militiam Christianos, vt hostes teterrimos antequam ingraueſceret magis eorum potentia, religionemque extingueret in tot tantisque regnis debellarent: ac diuino impulsu acti fideles ad sacrum bellum procurrissent, nisi Eduardi Anglorum Regis Gallico sceptro inhiantis ambitio Gallos & Anglos in mutuas cædes concitasset. Quantas porro rei Christianæ calamitates horum Regum dissensio inuexerit, plura iam secula luxere: ad quas auertendas Pontifex Eduardo grauissimis sententijs, accepta e clade Smyrnensium occasione porposuit [b] quantam iniret a diuino Numine gratiam, quantum rei Christianæ præsidium afferret, quantum sibi pareret gloriæ decus, si stricta in fideles arma verteret in Turcas: glorioſiora ab ipso bella geri non posse, quam quibus simul terrenæ cœlesteſque coronæ compararentur; præcipuas ecclesiæ vires in Gallis & Anglis constare, quæ si inuicem se atterant, fideles barbarorum prædæ expositũ iri: conuersos ad ipsos orientalium fidelium oculos, atque expectatione languere: perpenderet animo omnia humana, quæque augustiora somni instar euanescere, æterna diademata habenda in pretio: reponeret Christo e cruce pendenti gratiam, illiusque iniurias ferro vindicaret.

Eduardus Rex Angliæ Turcicam expeditionẽ disturbat.

Rogatur, vt dignioremcælo triumphũ comparet

[b] To. 3. super ep. sec. 909.

Clemens, &c. Eduardo Regi Angliæ illustri.

O fili dilectissime, quam foret Redemptori nostro placibile, quamque Christianitati expediens, ac catholicis Regibus & principibus apud Deum meritorium, & inter homines honorabile, testaretur veritas, & fama celebris prædicaret, si omissis guerris et dissensionibus (in quibus non sine maxima Dei displicentia et offensa, ac animarum euidentibus periculis sanguis illorum funditur, quos redemit pretiosissimi cruoris effusio corporis Iesu Christi) ad pacis et vnitatis concordiam, in qua delectatur Altissimus, conuertentes placabiliter corda sua, aduersus illos, qui Deum blasphemant, Christianitatis vilipendunt gloriam, sanguinem fidelium sitiunt, et ad eorum confusionem et exterminium aspirant, virium suarum potentiam exercerent. Illa quidem propria essent bella catholicorum Regum et principum, per quæ regna temporalia non perderent sed augerent, et regni coronas sibi acquirerent sempiterni.

Solicitatur Eduar. vt ārma in Turcas vertat.

Ab eo & Gallo Rege ampliſicandafidem.

10 Cum autem inter cæteros Reges et principes orthodoxæ fidei professores tu, amantissime fili, et charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Franciæ illustris potentiores ac eminentiores reputemini non indigne; et propterea partes transmarinæ prædictæ, in quibus catholicæ fidei viget cultus, contra hostes eiusdem fidei ipsiusque oppressores et persecutores atroces exerceretis vestram potentiam huiusmodi, diutius expectauerint et expectent; magnificentiam tuam regiam rogamus et hortamur attentius, ac obsecramus per aspersionem pretiosi sanguinis Iesu Christi, quatenus præmissa intra præcordia regia pia consideratione reuoluens, et considerans diligenter, quod mundani honores et pompæ, pro quibus sæpe dissensiones et guerræ fouentur, non sunt nisi quidam vapor ad modicum parens, cum potentia humana, quantacumque sit, in puluerem breui tempore, vt scriptura testatur, et rei manifestauit hactenus et manifestat euidentia, redigatur; quodque illa, quæ ob amorem diuinum recta intentione aguntur, perpetuas præparant mansiones in cælis; circa reformandum cum eodem Rege pacis et vnitatis concordiam mentem regiam emollias, habilites, et inclines, vt ea Deo multum placibili, mundo desiderabili, et necessaria valde Christianitati obtenta de manu Domini, possis sicut feruenter optamus intendere circa defensionem et dilatationem eiusdem fidei, vindicando tui Redemptoris opprobria, qui pro tua redemptione passionis ignominiam sustinuit, et mortem subijt temporalem. Et vtinam, fili dilectissime, tuorum nunciorum, quos ad nostram præsentiam destinare disposueras, missio dilata vel impedita nullatenus extitisset, quia nos, omni excusatione postposita et reiecta, parati eramus, sicut conditum extiterat, super negotio pacis mutuæ fideliter et sedule laborare. *Dat. Auin. xv. kal. aprilis anno* III.

Propoſitdiuinæ præmiã.

11 Auersus erat a pacis consilijs Eduardus, seque a Philippo fuisse lacessitum obtendebat: significauitque Clementi a, pertentata excurrente inducias spatio in Britannia reuocata non fuisse; præterea Carolum ducem Britanniæ et alios nauale exercitum contra rem Anglicam instruxisse. De quibus Clemens Philippum Regem certiorẽ fecit [b], monuitq; vt Anglici oratores pontificia aula abscessissent: proinde rebus ipse suis strenue contra hostium impetus consuleret. Cæterum Eduardum triplici nauali exercitu Aquitaniam, Britanniam et Flandriam adortum, refert Io. Villanus [c] cumq; filium, pulso duce Ludouico, præficere Flandriæ anniteretur, illius fœderatum Iacobum Arteueldam vna cum fratre nepote ac amicis obtruncatum: atque ita iustissimas de sceleratissimo viro, qui Eduardo Gallica insignia ad committendas in mutuas cædes florentissimas duas nationes, confirmandamque inter eos tumultus tyrannidem suaserat, pœnas sumptas fuisse: audita vero illius cæde Eduardum sua delusum spe in Normanniam impetus vertisse. Dum ita furerent Angli in Gallijs, Scoti Francorum fœderati ad Anglorum distrahendas vires, contractis triginta millibus armatorum, in Angliam irruptione facta hostilem in Anglos furorem exercuere [d]. Cum vero tot malorum funestus rumor increbresceret in aula pontificia, Clemens Eduardum ac Philippum Reges eorumque proceres iterum plurieſque obsecrauit [e] vt pacis consilia amplecterentur, tum, vt refert Villanus [f], duos Cardinales ad eos in concordiam adducendos legatos creauit [g]. Extat de horum legatione regestum Clementis [h], in quo singula mandata, quibus instructi sunt, describuntur. E multis pauca hæc delibanda visa.

Instauratum bellum Anglicum.

[a] To. 3. sect. 905.

[b] Ead. ep.

[c] Io. Vill. 12. c. 46.

Arteueldi proditor cæsus.

Eduardus re infecta Anglia repetit. Scotorũ in Angliã irruptio.

[d] Thom. Walsing. in Eduard. III.

[e] Tom. 4. ep. sec. 268. 330. 353. ad 371. 373. 645.

[f] Io. Vill. sup. cap. 8. Tom. 4. ep. sec. 354.

[g] An. 1. pag. 4.

Clemens, &c. venerabili fratri Anibaldo episcopo Tusculano, & dilecto filio Stephano tit. SS. Ioannis & Pauli presbytero Card. Apostolicæ sedis nuntijs.

Propter guerras prædictas, quæ quotidie nimium

mium inualeſcunt, animus noſter dolet acerbius non immerito vehementer; & eo potius intima noſtri cordis amaricant acerbius, & durioris punctionis affligunt aculeo, quo periculoſas huiuſmodi diſcordiarum & guerrarũ circumſtantias nobis intentioris conſiderationis diſcuſſio efficacius repræſentat. Attendimus etenim paternæ ſolicitudinis ſtudio incommoda immenſa, quæ ingerunt, & commoda, piaque Dei negotia, quæ impediunt, & vtinam non extinguant. Quis enim dubitat, quod ex diſcordijs atq; guerris non ſolum Babylonicus hoſtis, ſed etiam alij Reges & reguli Agareni de partibus Africæ ad occupandas terras Chriſtianorum, & religionem Chriſtiani nominis extinguendam ſumpſerunt, ſicut facti euidentia docuit, audaciam transfretandi: & quod continue acriores ſolito, & paratiores moleſtias inferre Chriſtianorum Regibus atque regnis & populis machinantur? Quis etiam quantumlibet ſtudioſus concipere poterit, quantum tantorum principum, tanta ſanguinis propinquitate & affinitate iunctorum, pernicioſa & proh dolor! inueterata diſſenſio, ſi inualeſcat vlterius, & hoſtilis congreſſio, Chriſtiani ſanguinis hauriet, prout exhaurit? quas hominum ſtrages ingeſſit & ingeret? quæ animarum pericula, quot rerum damna produxit etiam & producet? quot profluuia ſumptuum & expenſarum abyſſos tantorum principum horribilis grauiſq; commotio & eius proſecutio exegerunt hactenus & exigunt inceſſanter? &c.] Subdit Pontifex, ſe incitatum ſtudio apoſtolico, vt tot tantaque mala in fomite præfocet, ac diſſentientes Reges in concordiam redigat Cardinales nonnullos in Galliam & Angliã decreuiſſe inſtruxiſſeq; mandatis ampliſſimis, vt coitiones armorum ſoluerent, atque aduerſa paci conſilia ſacramento firmata reſcinderent. *Dat. Auin.* 11. *kal. decembris anno* 1v.

Libertas eccleſiaſt. ordinis la befactata.

12 Aſſerendæ etiam cauſa libertatis eccleſiaſticæ, quæ ob tot ingentia bella tum in Gallijs tum in Anglia labefactabatur, ijdem internuntij miſſi fuere: quamquam enim Petrus tit. S. Praxedis, & Bertrandus tit. S. Mariæ in Aquiro a Benedicto legati eſſent, vt Reges ab opprimendo iure eccleſiaſtico reuocarent; tantus tamen in mutuum exitium Reges furor agebat, vt ad comparandas copias populorum & ſacerdotum opes, nullo ſacri profanique diſcrimine, exugerent: quare iterum Clemens de violato iure eccleſiaſtico eadem pene, quæ Benedictus formula ſuo loco allata, nouas querelas fudit a. Nec tanti ab iniurijs regiorum Eduardi adminiſtrorum Cardinales, quorum ſacerdotalia vectigalia inuaſere; ad quos reprimendos, & ordinis eccleſiaſtici dignitatem in ſuum ſplendorem vindicandam, data hæc Cardinalibus internuntijs imperia fuere.

a Rod. l. 2. p. 2. pag. 4

Monitus efficij Eduardus

Clemens, &c. Cum vos ad dictum Angliæ regnum pro magnis & arduis negotijs deſtinemus, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfato Regi diligenter expoſito, quod ſingularis ad perſonam ſuam nos vrget affectio, ſpecialis afficit charitas, vt in præcauendo ſibi non ſolum a noxijs, ſed etiam ab ijs, quæ ſaluti ſuæ derogant, & excellentiæ regalis honori non congruunt, nil perſuaſiſſe ſufficiat, ſed per ſuaſis ſemper exiſtimemus addendum; ſibique per ſalubris ſuggeſtionem conſilij ſolertius oſtendentes, quod quanto inclytum genus ſuum ab olim plenius fouit & exaltauit eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, manutenere ac illibatam ſeruare ſtuduit eccleſiaſticam libertatem, tanto amplius in ipſo notatur, ſi eccleſias vel eccleſiaſticas perſonas opprimi, aut contra libertatem eccleſiaſticam violari permittit; quodque per hoc non leue pondus adijcitur præeminentiæ ſtatus ſui, cum exceſſus in ſublimioribus tanto damnabilior habeatur, quanto facilius quantoque periculoſius deriuatur in alios per exemplum; et ideo minus ab eccleſia debet, minuſque poteſt vrgente conſcientia tolerari; eundem Regem, quod officiales, miniſtros, familiares, ac nobiles, & gentes prædictos a præmiſſis, per quæ Dominus offenditur vltionum, ſuæ ſaluti, detrahitur, honoris gloria maculatur, grauis nobis & dictæ ſedi paratur offenſa, pro diuina & ipſius ſedis ac noſtra reuerentia ceſſare faciat, & penitus abſtinere, ac in ſtatum debitum reuocet, & quidquid contra integritatem libertatis eiuſdem in dictis regno & terris dignoſcitur attentatum; ſolerter inducere & efficaciter exhortari cum prouida perſuaſionis inſtantia ſtudeatis, eoſdem miniſtros, officiales, familiares, nobiles, ſubditos, ac gentes ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam & alias pœnas & ſententias, de quibus expedire videritis, ſuper quibus plenam vobis & vnicuique veſtrum liberam poteſtatem præſentium tenore concedimus, per vos, vel alium, ſeu alios, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. *Dat. Auin.* 11. *kal. nouembris anno* 1v.

De aſſerẽdo ſacerdotiorum. iure.

Fulti etiam ijſdem mandatis ſunt Cardinales, vt Philippum Francorum Regem ad temperandas a ſacris opibus manus adducerent a, neue regij tuendi iuris, vel eccleſiarum clientela ſua tegendarum ſpecie, eas expilaret, neue cauſas eccleſiaſticas ad profana tribunalia rapi permitteret: tum cenſuris adminiſtros regios infenſos immunitati ſacerdotalis ordinis coercerent. Iuſſi etiam b Gallum Anglumque obſecrare, vt funeſto bello modum ponerent, ex quo res Chriſtiana collaberetur, & Babylonij Saraceni præferociores inſoleſcerent & Afri Hiſpanijs imminerent: tum pangere inducias, deque fœdere paciſci; ornati vero ampliſſimis fuere prærogatiuis c, vt maiori cum dignitate demandatum munus exercerent.

a *Ib. ep. 4. pag. 6.*

b *Ib. ep. 7 pag. 7.*

c *Ib. vſq ad ep. 67.*

Præmittendum vero his Cardinalibus archiepiſcopum Rauennatem, v11. id. ſeptembris cenſuit d Pontifex: ac nonis octobris, Hugo archiepiſcopus Biſuntinus miſſus e, qui induciarum violatores cenſuris percelleret f. Abruptas porro eas inducias in Occitania & ducatu Britanniæ queritur Clemens. Hactenus de Francorum & Anglorum bellis: iam alias Regum diſcordias, quas Pontifex conciliandas ſuſcepit, aggrediamur.

d *Sup. ep. 352.*

e *Ib. ep. ſecr. 472.*

f *Super ep. 472.*

Balearis regnum recuperare molitur

13 Exutus Balearico regno & Ceritaniæ & Ruſſinonis principatu a Petro Aragonum Iacobus Balearium Rex g, cum ſe a victore, cuius fidei, Petri de Exerica principis blandis promiſſis deluſus, dedito vltro Perpiniano ſalutem tantum & libertatem pactus, ſe ſuaque permiſerat, indigne habitum regnique iacturam ferre æquo animo non poſſet; in Gallias ad Clementem confugit h, vt illius auctoritate regno reſtitueretur: libellumque ſupplicem in Cardinalium conſiſtorio porrexit, quo ſummum Pontificem commune omnium Regum perfugium orabat, vt clientelam ipſius contra Petri Regis Aragonum vim & potentiam ſuſciperet. Affici illius calamitate Clemens viſus eſt, ac Petro Regi libellum Iacobi transmiſit, nec legum & æquitatis præſidia imploranti deeſſe poſſe ſignificauit i.

g *Io. Maria l. 16. c. 12.*

h *M. S. bibl. Vat. ſign. n. 2040. in Clem. VI. De illata ſibi iniuria querit. apud Pont.*

i *To. 3. ep. ſecr. 669.*

Pe-

Petro Regi Aragonum illustri.

Nuper ad sedem veniens Apostolicam charissimus in Christo filius noster Iacobus Rex Maioricarum illustris, in nostra & fratrum nostrorum præsentia constitutus, aliquibus per eum propositis & suppliciter postulatis, quandam supplicationem exhibuit in effectu proposita huiusmodi continentem, &c. [illius se petita ad ipsum transmittere ait, vt quid ea in re deliberandum sit exploret, tum subijcit:] Quid liceat, deceat, & expediat diligenter attendens, infra kal. instantis mensis martij, infra quas aliquid aliud circa hoc innouare, sicut eidem Regi diximus oretenus, non intendimus, quæ tuæ saluti animæ, salubri statui regni tui, & domus tuæ regiæ honori congruunt, plene prospicere deliberatione matura procures. Scire quidem tuam magnificentiam minime dubitamus, quod nos, qui ex iugo seruitutis apostolicæ desuper nobis impositi sumus omnibus in iustitia debitores, quamuis velimus, vt præmittitur, quantum commode possumus, tuæ sublimitati deferre, Regi tamen præfato denegare iustitiam, salua conscientia, non valemus, &c. *Dat. Auin.* XIV. *kal. februarij anno* III. Non regnum modo Iacobo Balearico eripuerat Petrus Rex Aragonum, verum etiam coniugem Constantiam sororem suam, quam viro Pontifex restitui iussit a.

Monitus Aragoni⁹ vt clemen ter agat.

a To 4. ep. secr. 41.

Refert porro Mariana b, Balearem ad Gallicam aulam, ex qua exitij primordia emanarant, supplicem confugisse, ac pretio centum millium aureorum Philippo Montempessulanum ac ditionē circumiectam, de quibus contentio erat, vendidisse: auctum deinde viribus, ac Regis Gallorum & Pontificis fretum patrocinio Ceretaniam & Ruscinonem repetijsse. Cum vero nonnulli, qui antea iugum excusserant, ad eiusdem imperium redire parati essent, Pontifex Ceritano episcopo permisit c, vt eos periurij labe & noxa liberaret. Recuperare regnum Iacobus non potuit, quem in ipso conatu oppressum ab Aragonijs suo loco dicetur.

b Maria l. 16. c. 12.

Mons pessullanus Gallo Regi diuendi tur.

c An. 4 l. 4. p. 2. ep. de indul 636

Interea rem non prætermittendam addemus, Iacobum Regem, dum apud sedem apostolicam ageret, in Cardinalium consistorio necis a se filio Arnaldi domini e Roccafolio illatæ pœnitentiam publicam egisse, sassumque ex præcipiti iracundiæ impetu in eum irruisse, sequo occisi parenti *alte & basse*, id est dato in regium caput vitæ necisque imperio, submisisse. Quibus gestis Clemens Arnaldum monuit d, vt ad clementiam erga Balearem Regem animum flecteret, cum acta in Cardinalium consistorio magno illius honori verterentur.

Balearis Regis publica pœnitentia ob cæsum virum nobilem.

d Ead. ep.

14 Eodem anno ad ingentia auertenda mala, quæ ex bellis inter Ioannem Boemiæ & Casimirum Poloniæ Reges emersura erant, Pontifex inter ipsos concordiam omni studio reuocare nisus est. Initæ inter eos Reges communium amicorum opera ad sacrum D. Martino diem hoc anno recurrentem induciæ fuerant e, quæ antequam efluerent. Pontifex Guillelmum e Pusterla præpositum ecclesiæ Possonienſis diœcesis Strigonienſis Apostolicę sedis internuntium ad Casimirum & Ioannem Reges legauit f, vt pacem inter eos redintegraret instruxitque auctoritate g, vt si Reges a coeundo fœdere aures auerterent, apostolica potestate fultus inducias inter ipsos indiceret, atque anathemate earum violatores defigeret, ditionemque sacris interdiceret h.

e To. 4 ep. secr. 528. Missus internunti⁹ ad pacem inter Boemiæ & Polon. Reges conciliandam.

f Ib. ep. sec 526.

g Sup. 527.

h Ead. ep. 528.

15 Ne autem interea infestis signis concurrerent Reges, antequam internuntius apostolicus in prouinciam perueniret, hortatus est Boemiæ Regem Pontifex a, vt inducias ad illius aduentum protraheret. Eademque verborum forma conceptæ literæ Carolo filio b & Casimiro c Regi Poloniæ, tum Ludouico d Regi Vngariæ, vt auctoritatem, qua inter dissentientes Reges florebat, ad eos conciliandos adhiberet, transmissæ.

a Ead. ep. 528. b Ib. 530. c Ep. & 531. d Ep. & 532. e Ep. Initæ lono qua hostib ecclesiæ fœdera fAlb. in chr.

Cæterum Casimirus vt maiora in eo bello auxilia contra Boemos sibi compararet e, sua commoda religioni prætulit, atque vna cum Lithuanis fidei hostibus, quos in Prussia fideles magnis cladibus afflixisse refert Albertus Argentinensis f, contra Christianos fœdus percussit, deque iungenda cum Ludouico Bauaro ecclesiæ aduersario affinitate egit: cumque eius fama ob hæc iniqua fœdera in pontificia aula traduceretur, ipse ad abstergendam labem sibi aspersam, datis ad Clementem excusatorijs literis, rescripsit se quidem a Ioanne Rege Boemiæ, a quo magnis viribus erat lacessitus, ad faciendum cum schismaticis fœdus tractandamque cum Bauaro affinitatem adactum; nunquam tamen ad illorum gratiam in ecclesiam arma correpturum: immo si Boemico bello implicitus non esset, Bauaro & Lithuanis illud illaturum. Cui Clemens nonnullis verborum officijs de egregio illo studio gratulatus significauit, Ludouicum Bauarum ob hæresim & schisma in sacro Cardinalium senatu damnatum fuisse, omnique iure, quod electionis ambiguæ ratione ad imperium obtinebat, spoliatum; & ab ipsius dignitate abhorrere, vt iuncta cum damnato hæretico affinitate regiæ Polonicæ stirpis gloriam inquinaret. Adiecit apostolicam se operam pro concilianda inter ipsum & Ioannem Regem Boemiæ pace defixurum, atque internuntium ea de causa legasse: conuelleret itaque agitata cum schismaticis fœdera, neque illis auxilia contra catholicos submitteret; quibus literis XV. kal. nouembris dies adscripta.

Officia lenocin excusa flagitia.

16 Exarsisse id bellum referunt g inter Boemos & Polonos, cum Ioannes Rex Boleslaum Suidnicensium principem, qui adhuc in Silesia cum Polonis sentiebat, bello petijsset: Casimirus vero Vuschouensem tractum e Polonico regno olim auulsum Poloniæ restituisset, Zeganensemque ducatum flammis fœdasset: vnde tantum irarum Ioannes Rex concíperit, vt quamuis cœcus & senex ab expeditione non rediturum sacramento affirmaret, nisi Cracouiæ mœnia victrice manu palpasset; inferiorem vero bello fuisse, cum Ludouicus Vngariæ Rex Polonum auunculum magnis auxilijs instruxisset, ac Ioannem Regem demum bello Polonico abstinuisse, cum filium maiorem natu Carolum Morauiæ principem euehere ad imperiū meditaretur. Ex quibus pontificia opera conciliatam inter Reges concordiam facile colligas, quamquam nauatæ ab illo pro sopiendo eo bello diligentię, ac missi internuncij apostolici ijdē auctores non meminerint. Agit de eodem inter Casimirum & Carolum principem Morauiæ bello Ioannes Villanus h hoc anno, apud quem insignis error irrepsit, cæsum fuisse acie Casimirum, ac Ludouicum Pannoniæ Regem, audita illius nece, vt Stephanum fratrem ducem Transiluaniæ, vti conuenerat, ad Polonicum regnum eueheret, Dalmatia, in qua bellum gerebat cum Venetis, in Poloniam præcipiti cursu se recepisse.

g Mich. l. 4. c. 11. Cron. 12. in Casimiro. Belli hius cau

h Io. V. 12. c. 4

17 Eruperat Dalmaticum bellum, vt referunt ple-

plerique scriptores a, cum Iadertini Venetorum iugum excussissent desciuissentque ad Vngaros; debellatos vero demum a Venetis, appendicis ad historiam Andreæ Dandali auctor enarrat b, qui Iaderæ expugnationem inter præclara Andreæ Dandali ducis facinora collocat, vbi hęc ipsius elogia affert: *Hic mirabilis facundiæ fuit, diuinæ & humanæ scientiæ peritissimus, iustitiæ & reipublicæ amantissimus: Iaderam rebellem, propulsatis Vngaris, longa terrestri maritimaque obsidione deuicit.* Implicari facile hoc potuit bello Bertrandus patriarcha Aquileiensis, quem 111. id. decembris Pontifex ad pacem cum Venetis ineundam est adhortatus c. Cæterum Ludouicus Vngariæ Rex, Neapolitanam expeditionem cogitans, fœdera cum Ludouico Bauaro agitauit, atq; illius filiam Stephano fratri duci Transyluaniæ, quem in Polonici regni ordinum comitijs Casimiri Regis auunculi successorem designatum vidimus, matrimonio iungere est meditatus. Quæ discutere consilia Clemens studuit d: *Regalem*, inquit, *tuam rogamus magnificentiam & in Domino attentius exhortamur, quatenus diligenter attendens quod pœnæ ac sententiæ, per processus promulgatæ prædictos, omnes & singulos participantes, seu communicantes cum Ludouico prædicto, aut ipsum pro Rege vel Imperatore habentes seu ei respondentes aut obedientes vt tali, apprehendunt et penitus includunt; & in serenitate tui nominis & eiusdem prosapiæ nitore regalis nequaquam ponens maculam deturpantem, tractatus super ijs non admittas; sed eos, si forsan ignoranter admiseris, quandiu præfatus Ludouicus sic extra communionem fidelium & gratiam eiusdem ecclesiæ tanquam putridum & infectum membrum extiterit, abijcias & repellas, etc.* Dat. *Auin.* IV. *kal. nouembris anno* IV.

Acerba accidere pontificia monita Vngaro Regi, cum fratris Andreæ Regis Siciliæ necis crudelissimæ dolore percitus, illiusque vlciscendæ cupiditate, tum amplissimi regni potiundi spe elatus Germanos principes ad belli societatem trahendos putaret; de quo dicendum erit inferius. Nunc de Bauari tandiu expectata frustra reconciliatione nonnulla addamus.

18 Allexerat is plerosque principes ad suas partes, dum ecclesiæ gratiam consectari præseferebat: cumq; Philippum Francorum Regem florentē gratia apud Clementem, sermonum interpretem adhibuisset, ac prolixa protraxisset cum Rege oratorum opera colloquia, quos triennium tenuisse scribit Rebdorfius e, promissorum immemor Pontificem spe sua & expectatione delusit, ac minora longe quam antea sibi vel prædecessoribus spopondisset, ad promerendam ecclesiæ gratiam obtulit; de quibus Clemens apud Philippum hisce literis questus est. f

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Regiam volumus excellentiam non latere, quod licet nos propter salutem animarum, & obtentu precum regiarum nobis pro Ludouico de Bauaria sępius directarum, reconciliationem ipsius ad vnitatem sanctæ matris ecclesiæ, a qua suis detestandis delictis enormissimis tanquam membrum infectum & putridum est exclusus, optauissemus sinceris desiderijs & adhuc (cum iustitia tamen, ac honore Dei, & ecclesiæ totiusque cœtus fidelium) desideremus feruenter; ipseque sępius deuotionem confingens, ad eandem reconciliationem & vnionem se velle redire, sicut præmissum est, asseruerit sicut rei probat exitus fraudulenter; & nos, quod in nobis erat, super his expectando, cum de mansuetudine sedis Apostolicæ, sicut regalem ignorare non credimus celsitudinem, fecerimus bona fide; ipse tamen missis nobis nouissime literis & nuncijs, quasi nihil respectu illorum, quæ antea nostro & prædecessorum nostrorum temporibus promiserat, obtulit: sed potius tanquam in profundum malorum, & laqueum desperationis demersus, omnino videtur diuertere quoad reconciliationem huiusmodi ab incœptis, nobis & sedi deludendo prædictis. Promissa seruare spreuit. Super quibus omnibus venerabilis frater noster Petrus episcopus Claromontensis, & dilecti filij nobilis vir Ludouicus de Pictauia, ac magistri Firminus de Coquerello decanus ecclesiæ Parisiensis, & Petrus de Verberia consiliarij Regij, per nos instructi plene super ijs, quibus copiam articulorum a nobis per nuncios dicti Ludouici petitorum dedimus, sublimitatem regiam reddere poterunt viuæ vocis oraculo certiorem. *Dat. apud Villamnouam Auinionensis diœcesis v. id. maij anno* III.

Ex hisce pontificijs literis Alberti Argentinensis a mandacia confutantur: is enim historiam ad Ludouici gratiam conscripsit, quem vt magnum auctorem sequitur & ostentat Heruuartus. Refellitur Albert. Argent. a Argent. in chron.

19 Scripsit idem Albertus commentarium de rebus Bertholdi episcopi Argentinensis, vtque hostium viribus attritus, Ludouici Bauari iugum post varios conatus subierit: vt vero demum collectis viribus seruitutem Bauari suis ceruicibus depulerit, leuiter perstringit. Visæ autem nobis sunt eiusdem episcopi afferendæ literæ, quibus ille facinus, quod multis coloribus subornat Albertus, Argentinensis, Christiana demissione damnat b. Bertold. epise. Argentin.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo benignissimo domino Clementi, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, deuotus & humilis vester Bertholdus, Dei & Apostolicæ sedis gratia Argentinensis episcopus, cum omni humilitate deuota pedum oscula beatorum. b Ext. apud Clem an. 4. l. 4. p 2. cap. de indulti 662

Vestræ, pater sancte, clementissimæ sanctitati notifico per præsentes, quod ego sapientem virum magistrum Henricum Schoerlin officialem curiæ meæ Argentinensis, meum certum, verum, & legitimum procuratorem, ac nuntium specialem tenore præsentium facio & constituo; & specialiter ad promittendum & præstandum in animam meam, tactis sacrosanctis Dei euangelijs, corporale iuramentum, quod in omnibus stabo & parebo humiliter mandatis sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac vestris & successorum vestrorum canonice intrantium, nec non super omnibus & singulis transgressionibus, iniurijs, contumacijs, rebellionibus, fautorijs, & alijs inobedientijs, directe vel indirecte, publice vel occulte, per me quomodolibet commissis: ac super quibuscumque pœnis & sententijs, quas incurri ab homine vel a iure propter supra & infrascripta, & ea quomodolibet tangentia, stabo & parebo sanctitatis vestræ omnimodæ voluntati. Nec non ad petēdum humiliter & obtinendum ab eadem sanctitate vestra beneficium absolutionis, relaxationis, & dispensationis pro me, & commissionem per sanctitatem vestram faciendam pro hominibus, ecclesijs, & terris ecclesiæ vestræ Argentinensis subiectis: nec non a sententijs & processibus excommunicationum, suspensionum, vel interdictorum, irregularitatibus, & pœnis alijs a quondam bo- Eius ad Pont. literæ. De securis Ludouici partibus veniam poscit.

bonæ memoriæ domino & patre meo domino Ioanne Papa XXII. vel alijs quibuslibet prælatis, quas vel quos ego vel ipſi homines eccleſiæ vel terræ incurrimus, & quibus ligati ſumus pro eo, quod ego dictus Bertholdus poſt obitum prædicti domini Ioannis Papæ & tempore felicis recordationis domini mei domini Benedicti Papæ XII. propter metum iuſtum & legitimum, qui poterat cadere in conſtantem, corporis & bonorum ac iurium & bonorum ac eccleſiæ meæ periculum & euerſionem, quam aliter euadere non valens non ſponte, ſed cum magna cordis amaritudine, cum finaliter amplius reluctari non poſſem, indebite feuda & regalia ipſius Argentinenſis eccleſiæ de facto ſolum, cum tam propter dictos proceſſus quam ob alias iuſtas cauſas non poſſem nec deberem, recognoui illicite a domino Ludouico de Bauaria tanquam a Romanorum Rege & Imperatore, eidemque indebite homagium feci, prout pro huiuſmodi regalibus eſt ſolitum; cum proteſtatione tamen expreſſa, publice in ipſo actu per me facta præſentibus pluribus fidedignis, & per eum admiſſa, quod per hoc non minus domino meo ſummo Pontifici & Apoſt. ſedi in omnibus obediam & parebo, nec ſibi contra Romanam eccleſiam dabo conſilium, auxilium, vel fauorem. Et etiam ad ſubijciendum me & ipſos homines, eccleſias & terras meas, & ipſius eccleſiæ Argentinenſis prædictas omni voluntati & diſpoſitioni & gratiæ eiuſdem ſanctitatis veſtræ ac eccleſiæ Romanæ prædictis; & pro me & ipſis pœnitentiam, emendam, & ſatisfactionem omnimodam ſubeundum, & meo nomine promittendum, & ad illa me efficaciter obligandum. Nec non ad promittendum, confitendum, & recognoſcendum publice pro me, quod ego tenui, teneo, & tenebo fidem catholicam, ac credo & teneo quod credit & tenet ac docet ſancta mater Romana eccleſia, & quod credidi & adhuc firmiter credo & ſcio, quod non ſpectat ad Imperatorem Papam ſeu ſummum Pontificem deponere, & alium eligere vel creare; immo illud hæreticum reputo, & per eccleſiam Romanam iuſte damnatum.

Metu iuſto oppreſsũ ſe fuiſſe excuſat.

Se ſuaque imperijs pontificijs ſubijcit.

Profitetur non ſpectare ad Cæſarem creare vel exauctorare Pontificẽ.

20 Item & ad præſtandum in animam meam ſuper ſacroſancta Dei euangelia corporale iuramentum, quod vobis dicto domino meo Clementi Papæ, qui nunc eſtis, ac veſtris ſucceſſoribus canonice intrantibus, & dictæ Romanæ eccleſiæ fidelis ero de cætero, vobiſque & ipſis debitam reuerentiam ex nunc & obedientiam exhibebo; nec cum præfato domino Ludouico de Bauaria, quandiu ſtabit in rebellione ſanctæ matris eccleſiæ, ſeu quibuſcumque hæreticis vel ſchiſmaticis, aut eorum ſequacibus per ipſam eccleſiam denotatis, vel in poſterum denotandis, deinceps ero eis vel quibuſcumq; alijs dando conſilium, auxilium, vel fauorem, directe vel indirecte, publice vel occulte: quodque nec dicto domino Ludouico obediam, nec adhærebo, niſi ipſe prius fuerit per ſanctam Romanam eccleſiam approbatus; nec etiam cum eodem domino Ludouico aut cum quocumque alio in prædicta rebellione exiſtenti obligationem, conſpirationem, ſeu ligam faciã, aut aliud quodcumq; iuramentum his contrariũ præſtabo. Et generaliter ad faciendum, promittendũ, offerendum, & iurandum omnia & ſingula, quæ in premiſſis & circa præmiſſa, ac dependentia ex eiſdem fuerint opportuna, etiam ſi mandatum exigant ſpeciale, & quæ ego facere poſſem, ſi præſentialiter præſens eſſem; promittens per ſolemnem ſtipulationem notario infraſcripto, vt publicæ perſonæ nomine Romanæ eccleſiæ, ac omnium quorum intereſſe poteſt ſtipulanti, & ſub iuramento a me in præſentia dicti notarij & teſtium ſubſcriptorum præſtito corporali, me grata & rata perpetuo habiturum ſub obligatione & hypotheca omnium bonorum meorum quidquid per eundem procuratorem pro me & dicta mea eccleſia actum, geſtum, & procuratum fuerit quomodolibet in præmiſſis. In cuius rei teſtimonium præſentes literas fieri feci per notarium publicum infraſcriptum, & ſigilli mei appenſione muniri. *Actum & datum in caſtro meo Sultz Baſilienſis diœceſis non. menſis nouembris hora poſt cantatas veſperas, pontificatus veſtri, pater clementiſſime, anno quarto indictione* XIV. *ſub anno vero natiuitatis* MCCCXLV.

Non adhęſurũ ſe Bauaro, dum rebellabit eccleſiæ.

21 Audiuit proximo anno memoratum oratorem Pontifex, atque illius lapſum non voluntarium miſertus veniam clemẽter dedit a ea lege, vt duo ſacella, quæ condiderat in Argentinenſi eccleſia, vectigalibus idoneis ad diuinam rem faciendam cultumque diuini Numinis vrgendum locupletaret.

Clemens, &c. Bertholdo epiſcopo Argentinenſi.

Attendentes ijs, qui non per affectatam nequitiam, vel alias ex prauitate animi deliquerũt, fore ignoſcendum facilius, & gratioſius prouidendum; huiuſmodi confeſſionibus, ſubiectionibus, promiſsionibus, obligationibus, ac iuramento ab eodem Henrico procuratore, tuo nomine vt præmittitur factis; & præſtito ab ipſo Henrico procuratore tuo, & prædictæ eccleſiæ Romanæ nomine receptis, te in perſona prædicti Henrici procuratoris tui ab omnibus & ſingulis ſententijs ac pœnis ſupradictis, quas propter præmiſſa, vel aliquod prædictorum tu & prædicta eccleſia Argentinenſis quomodolibet incurriſti, de dictorum fratrum conſilio apoſtolica auctoritate abſoluimus: eaſque & interdicta quælibet, propter te in hoc & dictam eccleſiam Argentinenſem, & terras & loca quæcumque tua, & Argentinenſis eccleſiæ prædictæ & eidem eccleſiæ ſubiecta poſita, relaxamus, & tecum ſub irregularitate & cuiuslibet infamiæ & inhabilitatis nota, quas contraxiſti propterea, diſpenſamus, teque habilitamus & reſtituimus in integrum. Pro pœnitentia autem omnium præmiſſorum exceſſuum & delictorum, a te vt præmittitur commiſſorum, tibi imponimus & iniungimus, ac volumus, vt tu in capella, quam in latere prædictæ Argentinenſis eccleſiæ ad honorem Dei & B. Mariæ virginis ſub titulo & vocabulo B. Catharinæ virginis conſtruxiſſe diceris, vltra illas capellanias inſtituere & ordinare de nouo, & pro ſuſtentatione duorum perpetuorum capellanorum, qui in eiſdem duabus capellanijs inſtituendis & ordinandis de nouo, perpetuo ſeruianr laudabiliter in diuinis, ſufficienter dotare, videlicet cuilibet dictarum duarum perpetuarum capellaniarum inſtituendarum & ordinandarum triginta florenorum auri de Florentia annui & perpetui reddi-

Solatio cenſet.

tus aſſignando, infra biennium proxime ſecuturum de bonis tuis tenearis. *Dat. Auin.* XI. *kal. aprilis anno* IV. Inclinabant b etiam Baſilienſes ad excutiendum ſeruitutis iniuſtæ a Ludouico Bauaro impoſitæ iugum, & iam ante ad vnius anni flexum eccleſiaſtici interdicti ſeueritatem laxari obtinuerant: ſed cum promiſſa eccleſiæ nondum præſtare potuiſſent, iterum ad aliquot menſes extracta dies eſt, vt ea clementiæ ſignificatione prouocati ad officium procumberent.

b Vide 592. Baſilienſes deſcribunt ad eccleſiam ſuam [illegible]

Affe-

22 Afferebat interea Italiæ grauissimas calamitates diuturnum interregnum, cum magnates auaritiæ & ambitionis furijs acti, fundendoque humano sanguini assueti, continuis bellis ac rapinis populos affligerent, inuicemque sæuirent. Et quidem Patauij, vbi Carrarienses nouum condiderant principatum, defuncto Vbertino Carraria, Marsilietum illius consortem dominationis ac successorem Iacobus eiusdem Vbertini nepos obtruncauit a. Genuenses inuicem de principatu digladiabantur. Luchinus Vicecomes Mediolanensis potentia auctior Pisanos in Etruria, Ioannam Reginam in Pedemontio, Scaligeros in Insubria oppugnabat. Similiter marchiones Atestini, Gonzagæ Mantuani, Thadæus Pepulus Bononiensis, alijque mutuis cædibus temperare non poterant. Quibus malis vt mederetur Clemens, plures internuntios apostolicos in Italiam legauit: ac primum vt Genuenses dissentientes sub Monterena duce, qui Genuæ & Saonæ patritios pellendos curauerat b; vnde atrox bellum exarsit, cum exules armis patriam recuperare niterentur, in concordiam reuocaret, Ildebrandinum episcopum Patauinum misit c. Meminit de Patauino episcopo ad Genuenses tumultus componendos legato, dum Genua ab exulibus magnis viribus obsidione premebatur, Folieta d (quamuis in eo erret, dum illum Cardinalem legatum vocat, vt e literis pontificijs constat) atque illius opera pactas inducias ait: deinque soluta obsidione, Luchino Vicecomite Mediolanensi pacis arbitro, fœdus redintegratum mense iulio ijs legibus, vt patriæ & fortunis exules restituerentur.

Intestina seditio or'a Patauij ale. Vill. l. 12. c. 4. Corius. istj l. 9. c. 1

Varij in Italia dissensionũ motus.

b Folie. l. 7

c To. 3. ep. secr. 660. Ligurum turbæ.

d Folet. hist. Gen. l. 7.

Missus etiam a Pontifice e apostolicus internuntius Guillelmus episcopus Carnotensis, vt discordias inter Pisanos & Luchinum Vicecomitem nondum sopitas conciliaret; præterea demandata III. kal. februarij eidem episcopo prouincia, vt Insubriæ regulos a mutuis inferendis cladibus abduceret f. Denique anno extremo, cum recrudescerent odia, Pontifex legatos Cardinales in Italiam ad eam pacandam mittendos censuit, ac Luchinum Mediolanensem aliosque fœderatos, quibus Iacobus Carraria accesserat, solicitauit g, vt arma ponerent, donec Cardinales legati composituri ipsorum controuersias accessissent; cum tumultus Siciliæ citerioris ipsos cogerent, vt eo diuerterent.

e To 3. ep secr. 745

f Ib. ep. secr. 744.

g Ep. 674. ad 679.

23 Reuocatus h fuerat ex Siculi regni administratione Aymericus Cardinalis legatus, quamuis illa ad Pontificem ob Ioannæ Reginæ imparem rebus gerendis ætatem spectaret: sed cum eidem legato verbis tantum paritum esset, atque importunis Ioannæ Reginæ, quæ Francorum Regem ea in re sermonum ministrum adhibuit, precibus vrgeretur Clemens, soluta de pupillis lege, ipsi regni gubernacula permisit. Cum ea vero regni opes ac iura contra imperia apostolica dissipare pergeret, Pontifex regno consulturus factas a Regina post obitum Roberti donationes conuulsit, & Aymerico Cardinali regno discessuro i, & Guillelmo l episcopo Carnotensi Apostolicæ sedis internuntio partes dedit, vt edicta ea de re pontificia in regno vel finibus diuulgarent. Ioannam etiam intentato anathemate regia iura alienare, atque iam distracta rescindere iussit m. At neque censurarum religione leuis adolescentula deterrita est a dissipandis regni iuribus, ac possessionibus alienandis: quocirca Pontifex iniquas illas donationes rescidit,

h To 3. ep. secr. 1049

Soluta per pram lex de pupillis a Ioanne gratiam.

i Ib. ep. sec. 746. 748. l Ib. ep secr 747. & To. 4. ep. secr. 430.

m Ead. to. 4 ep secr. 113. 114.

atque ad regiam coronam reuocauit a: *Non obstante*, inquit, *quod ipsa Ioanna, propter iuuenilem ipsius atatem ad regimen & gubernaculum regni & terrarum prædictorum minus idonea existente, ad nos, qui superiores eius existimus, & totius regni & terrarum ipsarum directum & altum dominium obtinemus, gubernatio & regimen de iure & diuersorum prædecessorum nostrorum* Romanorum *Pontificum obseruantia pacifica pertinebat, diuersas donationes & alienationes fecerat in ipsius Reginæ & regni & terrarum prædictarum notabile detrimentum; nos ipsius Reginæ & reipublicæ regni et terrarum prædictarum volentes indemnitatibus prouidere, omnes donationes, infeudationes, & cuiuscumque generis alienationes in quascumque personas factas in consistorio nostro publico, præsente fidelium multitudine copiosa, tanquam indebite factas de fratrum nostrorum consilio cassauimus, etc. Dat. apud Villamnouam Auin. diœcesis* XII. *kalend. octobris anno* IV. Fœminea etiam superbia & leuitate virum a publicarum rerum tractatione indigne repellere Ioanna non erubuit: de quibus conquestus Pontifex Francorum Regem rogauit, b vt ex sorore neptem præceptis salubribus informaret.

a Ib. ep. 430. Donationes Ioannæ Reginæ rescissæ.

b To. 3. ep. secr. 1049.

24 Redigendi illa in seruitutem viri cupida, ad disturbandam illius regiam inunctionem suam extrahere decreuit. At Pontifex redintegrandi Ioannam inter & Andream amoris solicitus, Ioannem causarum sacri palatij auditorem ea de causa legauit, ac Reginam hortatus est c, vt virum debito amore complecteretur, nec se eorum susurris, qui auctores erant, ne vna cum illo regia ornamenta acciperet, subornari pateretur; neue tamdiu inunctionis pompam differret. Andreæ vero XII. kal. octobris leges, quibus solemni ritu corona cingendus erat, præscripsit: & Guillelmo episcopo Carnotensi Apostolicæ sedis internuntio prouinciam dedit, vt regia illum inunctione liniret, vbi ex pontificio rescripto sacramentum nuncupasset.

Monetur a Pont. vt viro se conciliet.

c To. 4. ep. secr. 92.

25 Eo porro decreto sanciebat Clemens, nullum ius ex nomine regio inunctioneque Andream comparaturum: ac si casus contingeret, vt Ioanna sine liberis Andrea superstite e viuis abscederet, Siculum sceptrum ad Mariam Ioannæ sororem eiusque liberos ex initis cum Carolo I. pactionibus deuoluendum; dataque Andreæ imperia, vt tum regios apices poneret: præterea intentatum anathema, si in eodem casu regnum affectaret, ac deuincti obiectis censuris proceres, vt ab Andrea discederent. Imposita etiam Andreæ lex, vt antequam regia consecratione afficeretur, iureiurando profiteretur, regnum si nullis susceptis liberis Ioanna obiret, ad Mariam & Dyrrachinos transfundendum, Neapolitanique regni ordines idem sacramento firmare iussi: quod diploma Clementis XII. kal. octobris consignatum.

26 Hactenus varijs artibus Andreæ regiam inunctionem aduersarij extraxerant: cumque Pontifex amplius non prorogandam pluribus literis decerneret, & Ioannam, Mariam, Dyrrachinum, Tarentinum, aliosq; proceres ad id vrgeret d imperijs, barbara immanitate necatus fuerat; in Baronianis enim notis. De quo hæc reperio e: *Die* VIII. *mensis septem. obiit Andreas Rex Ierusalem & Siciliæ filius Caroli Regis Vngariæ et Elisabeth, quæ ante obitum filij Romam veniens ad limina Apostolorum calicem aureum gemmis ornatum donauit eidem basilicæ: tabulam etiam argenteam*

d Ib. ep. sect. 405. ad 429. Andreæ Regis nex

e Baron. in not. M. S. ad hunc an. Bonfin dec. 2. l. 9.

gemmis confectam, in qua inerat depicta figura Apostoli: multas insuper est elargita eleemosynas, ob idque statuta illi dies anniuersaria pro ipso Andrea *defuncto, & pro felici statu regni Vngarici. Hæc habentur in appendice ad martyrologium eiusdem basilicæ Vaticanæ scilicet ea die, qua supra*; nimirum quartadecima kal. octobris, biduo antequam quo Andream regio diademate insigniri iussum vidimus.

27 Describit infandum & crudele mortis Andreæ illatæ genus inter alios Petrarcha[a] oratorio stylo: *O breui*, inquit, *multum mutata* Neapolis! *O infelix Auersa: vere auersa, nomen ex re sumptum! Auersa, inquam, prorsus ab humanitate ac fide, quarum prima homini, secunda Regi & iusto domino debebatur: in te vtriusque spreta reuerentia, vtriusque in te sacrum gentibus fractum fœdus. In te enim fraude impia perÿt Rex tuus, ferro vtinam aut virili morte alia, vt hominum manibus interfectus, non ferarum dentibus atque vnguibus laceratus videretur. O iniquo condita sydere, infausto signata vomere, cæmentis extructa sanguineis, & vipereis habitata cultoribus, magistra vrbs crudelium exemplorum. Abunda impietatis, & criminum erat, animantam principis sacrosanctam effigiem, ad imaginem Dei factam, violare tam atrociter, tam superbe: nunc id scelus non in homine quolibet ausa es, sed mitissimum innocentissimum hominum, & dominum tuum, & ante annos tui solicitum, tui amantem, raræ indolis puerum, magnæ spei Regem, truculentissime laniasti. Immo non tu, sed in te acres & immites, dicam homines an belluæ? an quod aduentitÿ genus monstri, qui orbem Italicum barbarica feritate maculantes, tuum suumque* Regem *non gladio, non veneno, dura licet ac solita regum morte, sed velut incendiarium aut latronem infami laqueo peremerunt, & cuius vertici debitum ac speratum diadema, diu perfida tergiuersatione distulerant, eius collo restem & nodos miserabiles iniecerunt: vt exe quiarum genera alia, & vita longiore dignissimi corporis ludibria indigna præterea; quæ nostro forte silentio posterorum notitiæ subtrahuntur. Tu quidem misera ciuitas, hæc perpessa tuis in penetralibus, quæ omnes terras, & omnia secula tristi sint inquinatura memoria. Cæterum & culpæ expers, nisi quod patientia criminum sæpe consensui proxima est, & nec obstare poteras, nec vlcisci; miseratione potius digna, quam odio, &c.*

[a] Petrar. ep. famil. l. 6. n. 5. Patratum Auersæ flagitium.

28 Causam tanti sceleris alij Ioannæ adulterijs & ambitioni tribuunt, alij improborum hominum audaciæ, qui iactatis temere ab Andreæ vocibus fuerant lacessiti, inter quos est Clementis vitæ auctor b: *Occasio*, inquit, *huius sceleris specialiter fuisse dicitur, quia ipse tanquam virtuosus & audax verbo & facto mõstrabat se velle punire multos, quos videbat criminosos & male se habentes, quamprimum dominium dicti regni ad ipsum peruenisset: de quo male sibi conscÿ, & merito formidantes cogitauerunt aduersus eum, & modo præmisso sibi ipsis præcauere.*

[b] Io. Vill. l. 12 c. 50. Intempestiuæ minæ peperere ipsi exitium.

In quo discant noua dominia acquirentes, quod a principio non exasperent, molestent, aut terreant subditos suos, etiam quantumcumque demeritos, neque pandant inieriora sui cordis; sed dissimulent, & potius tales alliciant, eisque blandiantur, donec habeant dominÿ sui firmitatem, dederintque ordinem, per quem aduersum eos procedere valeant absque sui periculo, & scandalo aliorum; quia ex oppositio modo simili, aut crudeliori perÿsse, aut a dominÿs suis deiecti fuisse leguntur.

29 Haud ita paulo post Ioannæ, ad secundas nuptias transuolare meditanti, edixit Clemens, ne ex pactionibus cum Carolo I. initis inconsulta sede Apostolica virum acciperet, ne sceptrum in principem ecclesiæ non studiosum aut regiæ imparem dignitati transfunderetur, regnique amissionem exauctorationemq; regij apicis, si contra tenderet, pro summo in Siciliam imperio intentauit, repetito Clementis edicto a: *Clemens Papa IV. prædecessor noster prudenter attendens, in conuentionibus inter eandem Romanam ecclesiam & claræ memoriæ Carolum I. Regem Siciliæ in concessione regni eiusdem per ipsam ecclesiam sibi facta initis & habitis illud inter cætera expressius voluit contineri, quod si forte deficientibus masculis contingeret fœminam innuptam in regno succedere memorato, illa maritaretur personæ, quæ ad ipsius regni regimen & defensionem existeret idonea*, Romano *tamen Pontifice prius super hoc requisito; nec nuberet nisi viro catholico & ecclesiæ Romanæ deuoto: & si contra hæc fieret, quod liceret eidem Romano Pontifici, contra ipsam ad priuationem regni & terrarum citra pharum sine figura iudicÿ, & absque iuris solemnitate, in quacumque ætate ipsa consisteret, procedere si hoc expedire videretur eidem, &c. Dat. Auin. xi. kal. decembris anno iv.*

[a] To. 4. Conc. sect. 107.

30 Cæterum expetiere inter reliquos a Pontifice iusta de fontibus supplicia Massilienses, flagitij indignitate commoti; quorum libellus b supplex Clementi porrectus his cõceptus verbis extat in pontificijs literis exaratis ix. kal. decembris: *Ad pedes sanctissimi & beatissimi in Christo patris & domini nostri domini Clementis, digna Dei prouidentia sacrosanctæ ac vniuersalis ecclesiæ summi Pontificis, ad honorem & fidelitatem illustrissimæ dominæ nostræ dominæ Ioannæ, Dei gratia Ierusalem & Siciliæ Reginæ, venientes & constituti Bernardus Gasqui, Petrus de Cepeta ambassiatores, & Petrus Amelij notarius, electi & missi per nobilem virum dominum* Berengarium Audeberti *militem vicarium, & generale consilium nomine & pro parte totius vniuersitatis vicecomitatus Massiliæ, mœstis expositionibus, & diræ punctionis flagellis dictæ pontificali beatitudini flexis genibus denunciarunt humiliter & deuote quod, sicut murmur præanxians personas vniuersas dictæ ciuitatis reginalis fideles planctibus & vlulatibus tristitiæ sauciauit, vir altissimus memoriæ recolendæ dominus Andreas Ierusalem & Siciliæ* Rex, *reuerendissimus dominæ nostræ Reginæ maritus, fuit nouiter in partibus regni proditionaliter, inhumaniter, & nefandissime interemptus: quo euentu tristissimo reginalis honor, & fidelitatis Massilienses, & aliorum reginalium fidelium radicata deuotio, plusquam exprimere valeant, iniuriantur, læduntur, & doloribus quippe afficiuntur de tanto innocente domino morti dato.*

Massilienses de Andreæ interfectoribus supplicium impositum postulant. Horum supplex libellus.

[b] Ex ms. ep. sec. 559.

31 *Vnde eidem sanctitati deuote & humiliter supplicant, quatenus scrutari & reperiri mandare dignetur de casu tam horribili veritatem; & reperta tanquam vniuersalis dominus prouideat punitionem acerbam tali effectu fieri, rigiditatis metas excedendo vt conuenit contra auctores, & culpabiles quomodolibet dictæ mortis, adeo quod, quantumcumque vindicta agenda tanto sceleri læsionibus, doloribus, iniurÿs, et offensis, proh dolor! æquiparari non possit aliqualiter, licet insufficienter exequenda punitione satisfiat iniurÿs, offensionibus, doloribus, et læsionibus anteactis; quam vtique mortem Massilienses vniuersi, proprias iniurias et offen-*

sio-

siones clamantes, reputantes, et habentes, optant præ desiderijs, vt satiari possent in vindicta mortis tanti domini innocentis, haberi et dici singulares vltores, eorum fidelitatem intrinsecam operibus propalantes ad honorem reginalis celsitudinis, et ventris sui remanentis, vt fama tenet, prægnantis; paratos se offerentes nomine vniuersitatis prædictæ ciuitatis Massiliæ, ordinationes et mandata dictæ sanctitatis dominicæ super his et alijs reuerenter exequi, verendo neminem animose.

Præsertim etiã supplicant sanctitati prædictæ, vt reginalem excellentiam et prægnatũ suum, quo in Dei potentia speratur tantæ percussionis haberi cõsolationis leuamen, nec non terram et fideles suos vniuersos, et signanter dictã ciuitatem Massilien sem habere dignetur in sui fauore protectionis et benedictionis gratia propitius cõmendatos. De quibus cum responsione, si quam facere placuerit dicta dominica sanctitati petierunt dicti ambassiatores per dictum Petrum Amelij notarium eis coelectum fieri pro parte dictæ ciuitatis Massilien sis publicum et publica instrumenta, vt semper pateat et clareat fidelitas et deuotio hominum prædictæ ciuitatis Massiliæ. De iusto sequẽti anno de proditoribus & carnificibus Andreæ Regis sumpto iussu Pontificis supplicio, dicetur inferius: nunc a lugubri humanorum casuum narratione ad diuina miracula sermonem traducamus.

32 Hoc anno Amsterodami Eucharistia in ignem proiecta in medijs flammis integra nocte illæsa permansit, qua de re Renerus Snoi hæc breui stylo affert a: *Amsterodami inuenta Eucharistia vomitu a valetudinario eiecta, inque ignem proiecta, mirum relucens: quam ex eo in templum illatam magna hodie mortales in veneratione habent.* Scribebat hæc ille sub Lutheranæ hæreseos initia, antequam illa pestis Batauos inficeret. Describit accuratius eandem historiam Ioannes a Leydis b, ac diem, quo ea res admirabilis contigit, nimirum feriam tertiam præeuntem sacrum palmarum diẽ huius anni consignat. Ob egregiũ porro Odonis ducis Burgundiæ erga sanctissimum hoc sacramentum pietatis sensum, tum ob eximium in ecclesiam studium, Pontifex illum ea ornauit prærogatiua c, vt dum in humanis esset, quoties sacratissimum Christi corpus sub speciebus panis acciperet, etiam sacerdotum more sub speciebus vini, inter missarum solemnia sanguinem hauiret: *Tuis*, inquit, *deuotis supplicationibus inclinati, vt dum per confessorem tuum, vel sacerdotem alium sacra communio corporis domini nostri Iesu Christi tibi ministrabitur, possit etiam tibi per eundem confessorem vel sacerdotem poculum sanguinis, constitutionibus, statutis, consuetudinibus, & obseruantijs quibuscumque contrarijs nequidquam obstantibus ministrari, deuotioni tuæ, quandiu vixeris, de speciali gratia tenore præsentium indulgemus. Volumus autem, quod idem confessor vel sacerdos, qui tibi communionem huiusmodi ministrabit, circa hoc sic secrete se gerat & caute, quod in ministratione tibi facienda huiusmodi de sanguine nihil extra vasa sacra effundi de illo valeat, nec scandalum exinde quodlibet generari. Dat. Auin. v. kal. decembris anno* IV.

33 Postremo neque illud prætereundum videtur, Clementem Papam vergente hoc anno, cum rem Christianam maximis bellorum concussam turbinibus fluctuare plangeret, scissam nimirum factionibus Germaniam, Galliam Angliamque mutuo cruentatas sanguine, Hispaniam dissensionibus turbidam, Italiam præter veterea mala Neapolitani Regis cæde infectam vltoris iras metuere, orientem a barbaris oppugnatum, solemnes precum formulas pro concilianda diuina ope indixisse, atque ad eas repetendas, propositis indulgentijs, fideles allexisse a.

aAn. a. l. 3 ep. cur. 7.

Ad perpetuam rei memoriam.

Commotum mare mundi huius, impellente flatu diabolico, procellosis aspicientes turbinibus, odijs videlicet, dissensionibus, & guerris in plerisque orbis inter catholicos Reges, principes, & magnates periculose nimium partibus suscitatis, discipulorum Saluatoris nostri gestis instruimur, vt pro sedandis intumescentibus, ac strepentibus vndis tempestatum huiusmodi, quibus commissa regimini nostro Petri nauicula, ecclesia scilicet sancta Dei, cœtum cunctorum comprehendens fidelium, non parum concutitur, Saluatorem ipsum, cuius imperio maria & venti obediunt & quiescunt, deuotis precibus excitemus. Sane dudum felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædecessor noster, pie considerans super similibus & alijs turbationibus, hoste procurante humani generis, tunc imminentibus diuina clementia mitigandis esse ad diuinum auxilium recurrendum; & diligenter attendens, quod in missarum solemnijs deuotius ad Deum preces consueuerunt effundi, certa orationum suffragia in eisdem solemnijs fieri, vt sequitur, ordinauit; videlicet quod in eis, post dictam a celebrante missam: *Pater noster, &c.* [describit earum precum formulam, quam suis conceptam verbis iam ante inseruimus b annalibus.] Idemque prædecessor Christi fideles ad exequendum prædicta promptius donis volens spiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confessis celebrantibus & eis assistentibus, obseruantibus supradicta, & alijs præsentibus Domino deuotas preces effundentibus, pro prædictis missis singulis, quibus hæc facerent, viginti dies de iniunctis eis pœnis misericorditer relaxauit.

De indictis a Ioãne XXII. publicis precibus.

bAnnal. to xv. ann. Chr. 1328 n. 46.

Et propositis indulgentijs eas repetituris.

Nos igitur his temporibus, quibus fluctus procellosi odiorum, dissensionum, & guerrarum, peccatis exigentibus, in diuersis Christianitatis partibus ingruunt, proh dolor! & quasi vniuersa catholicorum regna concutiunt, non minus quam tunc fundere preces deuotas ad Dominum pium, immo necessarium probabiliter existimantes; auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio tenore præsentium ordinamus, vt preces huiusmodi, prout per eundem prædecessorem ordinatæ fuerunt, vt præmittitur, in missis celebrandis, addita prædictis duabus orationibus hac, quæ sequitur: *Deus a quo sancta desideria, recta consilia & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione trãquilla. Per Christum Dominum nostrum*; deuotius effundatur. Nos enim insuper Christifideles ad prædicta promptius exequendum donis volentes etiam spiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confessis celebrantibus & eis assistentibus obseruantibus supradicta, ac alijs præsentibus preces deuotas Deo effundentibus pro præmissis, in singulis missis, quibus hæc fecerint, præter viginti dies prædictos de omnipotentis Dei misericordia & dictorum beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, decem dies de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer relaxamus. *Dat. Auin. id. nouembris anno* IV.

Eius exẽplo instauratæ a Clem. solemnes preces.

IESV CHRISTI annus 1346.

CLEMENTIS PP. VI. VAC. IMP. OCCID. 33.
5. IO. PALÆOLOGI IMP. ORIEN. 6.

1 POst diuturnum ac funestum interregnum quo imperium continuis bellis laniatum, & ecclesia suo orbata defensore a schismaticis concussa est, principes electores summi Pontificis iussu anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo septimo indictione decimaquarta Romano imperio iustum Regem Carolum Boemũ dedere, cuius virtute religio ac pietas, quę in Germania obsoleuerant schismaticorum furore, reflorueruṫ. Agitatum sæpius a Pontificibus fuerat de conciliando ecclesiæ Ludouico: sed is solita incõstantia quæ pactus erat, reuocarat. Cuius rei indignitate permotus Clemens, ineunte anno IV. nonas ianuarias archiepiscopis & episcopis Germaniæ, Italiæ, Siciliæ, & Galliarum imperia dedit [a], vt Ludouicum Bauarum hæreseos & schismatis conuictum damnatumque, iectum e fidelium consortio, omni iure ad Romanum imperium obtenso deiectum, ducatu Bauariæ & palatinatu Rheni Ioannis XXII. & ipsius Clementinis edictis priuatum solemni ritu diebus festis diuulgarent: & Austriaco concordiæ interpreti adhibito respondit [b], paratissimam sedem Apostolicam ad Ludouicum amantissimo sinu excipiendum, si se ad pœnitentiæ leges Dei & ecclesiæ honori consentaneas demitteret: sed illum, proh dolor! terga vertisse diuino Numini, salutis suæ immemorem, atque in tractando cum Romanis Pontificibus fœdere fallacem inconstantemque se præbuisse.

Lud. Bauarum anathemate dãnatũ promulgari iubet Pont. Bauarus interpretem concordiæ adhibet Austriacum.

[a] To. 4 ep. secr. 753. ad 757. et 878. ad 907.

[b] Ib. ep. 779.

Clemens, &c. Alberto duci Austriæ.

Circa negotium reconciliationis Ludouici, tua intentio ad finem rectum & debitum dirigitur incessanter: ad hoc tamen ipsius Ludouici propositum tendere non videtur, cum ipse tanquam auersus a Deo, proh dolor! de suæ animæ salute, vt apparet, non curans, nec sui & posteritatis suæ status imminens præcipitium aduertens, alias super tractatu reconciliationis nobis, & prædecessoribus nostris, & ecclesiæ Romanæ prædictæ illusit multipliciter, repertus sæpius (quod displicenter referimus) varius, delusorius, & inconstans: quamuis nos & ipsi prædecessores voluerimus, & nos adhuc desideranter vellemus, ipsum, vijs honestis & debitis, prout ad honorem Dei & ipsius ecclesiæ valeret fieri, de periculo mortis æternæ, cui subiacere noscitur, eripere; ac vnitati corporis eiusdem ecclesiæ, a qua velut membrum mortuum & putridum præcisus est, misericorditer reunire.

Ludouici inconstantia & fraudes expositæ.

Sed tuam volumus prudentiam non latere, quod idem Ludouicus tam nobis quam eisdem prædecessoribus ea, quæ continentur in eisdem articulis vel maiorem partem illorum, & alia multa sine detractionibus quibuslibet per suos procuratores & nuntios obtulit, prout etiam per literas suas, quas penes nos habere dignoscimur plene patet: suique procuratores, & nuntij eius super hoc mandato suffulti ea pro ipso coram nobis & fratribus nostris obtulerunt etiã solemniter se facturos; & fecissent libenter, si ad illa recipienda noster & fratrum eorundem consensus tunc temporis accessisset. Vnde his circumspectis, & diligenter attentis, tua prudentia considere & penset, quantum honorem vel vituperium tibi Ludouicus ipse fecerit, suggerendo tibi, teque inducendo, vt prædictos articulos petendo illa de ipsis detrahi, quæ alias oblata per ipsum, vt præfertur, fuerant destinares, &c. *Dat. Auin. v. id. ianuarij anno IV.* Non inconstantiæ modo notam susceperat Ludouicus Bauarus, dum promissa antea ad expianda crimina reuocabat, verum etiam maioribus se contaminasse queritur Pontifex in literis datis a ad Regem Francorum, qui pro ipso conciliando interfuerat.

Oblata iã ante ab ipso quæ recenter exiguntur.

2 *Quamquam*, inquit, *nos feruentibus & ardentibus desiderijs affectauerimus conuersionem dicti Ludouici salutiferam, et reductionem ad eiusdem ecclesiæ sinum, extra quem non est alicui gratia neque salus; & nihilominus tuis, fili charissime, pro reductione prædicta nobis affectuose sæpe porrectis precibus inclinati eundem Ludouicum expectauerimus diutius, et ad tractatus super his duxerimus fauorabiliter admittendum; ipse tamen, repertus varius et inconstans, nobis et ecclesiæ, immo potius sibimet illudere non expauit, nihil de ijs, quæ cum procuratoribus suis eius nomine tractata fuerunt solemniter, attendendo: sed ad peiora tanquam venundatus, vt malum faciat, se contra ecclesiam & fidem catholicam, tenendo in suis comitiua & consortio viros nequissimos de hæresi et schismate denotatos, et alia nonnulla horrenda et detestabilia committendo, absque nostræ conscientiæ et honoris eiusdem ecclesiæ lesione ipsum non poteramus amplius expectare.* Ex his ac superioribus refellendus Albertus Argentinensis, quem plures alij sunt secuti, qui non perpensis iustissimis rationibus, ob quas Ludouicus Bauarus in ecclesiæ gratiam admissus non fuerit, temere in Pontificem vt crudelem, ac Francorum Regem tanquam Ludouici causæ proditorem inuehuntur.

Perperam postulari, vt ea detrahantur.

Desperata igitur Ludouici Bauari conuersione, Clemens ne apostolico muneri deesset, recurrente sacro cœnæ dominicæ die, edicta a Ioanne XXII. in Ludouicum lata renouauit [b], omnique iure ad imperium, ducatum, & palatinatum exuit, prius illius criminibus, ac præcipue hæresi & schismate percensitis, quæ Nauclerus breuiter perstringit. Noua pœnarum adiectione vetera in Ludouicum edicta repetita, addit Clementis vitæ auctor [c] atq; principibus electoribus de designando iusto Romanorum Rege imperia dedisse; quod M.S. Vaticanum confirmat his verbis [d]: *Dominus Papa processus contra Bauarum prædictum innouans, ipsum penitus reprobauit, monuitque electores, vt ad electionem procedant, alioquin sedes Apostolica prouideret, a qua ad ipsos ius eligendi peruenerat.* Assentiuntur his auctores alij, quorum dicta ex subiectis literis ac publicis monumentis e illustrabuntur.

Ad certitudinem præsentium et memoriam futurorum.

3 Olim, videlicet II. idus aprilis pontificatus nostri anno primo, nonnullos processus, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum contra Ludouicum de Bauaria dudum in Regem Romanorum indiscordia, vti dicebatur, electum successiuis temporibus habitos, vt ipsorum in recentiorem memoriam credentium ignorantia vel diuturnitate temporis obliuio ab aliquibus nequiret prætendi, multitudine fidelium copiosa succincte duximus recitandos; monentes nihilominus eundem Ludouicum, vt infra trium mensium spatium, quod ei pro peremptorio termino assignauimus, ab omni

ni administratione regni imperij Romani omnino desisteret, nomen & titulum Regis seu Imperatoris, ducis, & cuiuscumque dignitatis deponeret; administrationem, nomen, seu titulum huiusmodi nullatenus absque sedis Apostolicæ licentia vlterius resumpturus: ab omni fauore quorumcumque hæreticorum prorsus abstineret: intrusos per dictum Ludouicum, seu mandato ipsius in quibuscumq; dignitatibus & beneficijs ecclesiasticis prorsus amoueri procuraret: beneficia & dignitates illis, quos ipsis dignitatibus & beneficijs spoliauerat, instituere: interdicta, auctoritate apostolica & a quibusuis iudicibus competentibus apposita, obseruaret inuiolabiliter, & nō prohiberer directe vel indirecte ab alijs obseruari; ac ad sanctæ matris ecclesiæ, a qua multiplicatis hæresibus & schismatibus erat præcisus, rediret corde contritus & vere pœnitens vnitatem: nec non pro diuersis & maximis iniurijs & damnis Romanæ & alijs ecclesijs illatis satisfaceret, ac pro tot sceleribus, blasphemijs, contumacijs, & grauissimis culpis, per ipsum Ludouicum aduersus Deum & sanctam ecclesiam commissis, nostris & ecclesiæ prædictæ beneplacitis & mandatis veniret humiliter pariturus, & facturus & recepturus quod suaderet iustitia, & nobis expediens videretur: nihilominus aperte prædicentes eidem, quod si in obstinata malitia, & pristina contumacia perseuerans prædicta non curaret infra prædictum terminum realiter & fideliter adimplere, & nostris & ecclesię prædictæ parere beneplacitis & mandatis, nos ad pœnas alias, exigente ipsius Ludouici contumaci pertinacia & pertinaci contumacia, procederemus prout expedire videremus, ac excessuum suorum ac contumaciarum, in præfati prædecessoris nostri processibus contentorum, enormitas suaderet, prout in nostris literis, huiusmodi recitationem & monitionem continentibus plenius continetur.

Sed quamquam recitationem & monitionem prædictas publice fecerimus, vt præfertur, ac literas proxime dictas ostijs seu superliminaribus ecclesiæ Auinionensis appendi, & etiam ipsas literas in nonnullis Alamanniæ & diuersis alijs mundi partibus mandauerimus solemniter publicari; tamen supradictus Ludouicus, monitionis huiusmodi sic publicatæ verisimiliter non ignarus, infra & post terminum in dicta monitione eidem præfixum monitioni contempsit parere prædictæ, prout etiam fama publica manifestat. Et insuper mala malis accumulans, & in leges diuinas impie agens, nonnullas leges, seu potius legum corruptiones, vltra alias, quas ante monitionem prædictam temere condiderat, dignoscitur edidisse, & prohibitiones ac præcepta feciſſe contra ecclesiasticam libertatem, & in grauem diuinæ maiestatis offensam, ac in nostrum & Apostolicæ sedis & vniuersalis ecclesiæ præiudicium non modicum & contemptum. Habet etiam fama publica, hic & in diuersis partibus diuulgata, ipsum Ludouicum nonnullas colligationes, confœderationes, & conspirationes inijsse pro defensione suæ pertinaciæ & rebellionis aduersus nos, & sedem ac ecclesiam memoratas post lapsum termini supradicti.

4 Nec silentio duximus omittendum, quod post terminum ipsum dilecti filij Marquardus de Randegge iuris canonici professor & Ebrardus de Tummarte Augustensis ecclesiarum præpositi, ac nobilis vir Imbertus dalphinus Viennensis, nec non Vlricus de Augusta familiaris Ludouici præfati tanquam eiusdem Ludouici nuncij, ambaxiatores, & procuratores comparuerunt in publico consistorio coram nobis, exhibentes pro ipso Ludouico quandam literam pro procuratorio ipsorum subscriptam & signatam, vt legebatur in ea, manibus Othonis Immeldof & Ronacij Hemelin de Karthom clericorum Bambergensis & Constantiensis diœcesis publicorum auctoritate sedis Apostolicæ notariorum, & sigillo, quo dictus Ludouicus vtebatur communiter, sigillatam, inter alia continentem, quod Ludouicus sæpedictus constituebat suos procuratores, ambaxiatores, & nuncios speciales prænominatos præpositos, dalphinum, & Vlricum, dans eisdem plenam, meram, & liberam potestatem & speciale mandatum confitendi coram nobis singulos excessus per eum commissos & perpetratos contra Ioannem prædecessorem prædictum, & sanctam Romanam ecclesiam, ac legatos, officiales, & ministros ipsius quoscumq; & res & personam ac statum eius absolute & liberaliter in manibus nostris ponendi ac ordinationi & dispositioni nostræ non solum in præmissis, sed alijs quibuscumq; volens, vt in dicta litera continetur, ordinationi & dispositioni nostræ totaliter & in omnibus obedire, nihil sibi proprij arbitrij reseruando, prout hæc & alia multa in dicta litera, quam in nostris & ecclesiæ Romanæ archiuis conseruari fecimus, latius exprimuntur. Cuius literæ seu procuratorij virtute ipsi Ebrardus & Marquardus præpositi, ac Imbertus dalphinus & Vlricus pro omnibus malis, excessibus, criminibus, delictis per dictum Ludouicum contra prædictum Papam Ioannem, Romanam ac etiam vniuersalem ecclesiam, & libertatem eiusdem ecclesiæ commissis, & pro emenda ac satisfactione omnium præmissorum ipsi ecclesiæ facienda; & pro alijs in dicta litera contentis absolute & liberaliter eiusdem Ludouici personam & statū, nec nō & bona, prout in mandatis habebant, in manibus nostris posuerunt, ipsaque nostris ordinationi & dispositioni submiserunt nihil in ijs proprij arbitrij ipsius Ludouici reseruando eidem.

5 Et ad maiorem roboris firmitatem prædictorum procuratores, ambaxiatores, & nuncij prænominati, & quilibet eorum tactis sacrosanctis euangelijs iurauerunt ibidem coram nobis in animam Ludouici sæpedicti, prædicta omnia & singula, vt præfertur, posita & submissa, ac quidquid super prædictis duceremus ordinandum, attendere & complere & effectualiter obseruare, & non contra facere vel venire per se vel per alium seu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, aliqua ratione seu causa. Et quamuis huiusmodi submissio, vt præmittitur, facta fuisset; tamen ipse Ludouicus a propria & inueterata malitia excœcatus, & cor impœnitens se ostendens habere, nobisque, sed sibi magis illudens, post submissionem prædictam, quasi ipsius oblitus, iniquitates, blasphemias, culpas, rebelliones, contumacias, & scelera prædicta continuauit ad multa alia detestabilia damnabiliter procedendo.

6 Nos igitur præmissa diligentius attendentes, & tantis erroribus, ne non resistendo approbare videamur eosdem, obuiare volentes; omnes & singulas leges, prohibitiones, omniaque præcepta, nec non colligationes, confœderationes, & conspirationes prædicta nullas & irritas, nullaque & irrita pronuntiamus & declaramus: & nihilominus leges, prohibitiones, præcepta,

Vt Cæsareos apices ponere.

Intrusos pelleret.

Interdicta obseruaret.

De commissis rite veniam posceret.

Spreta hæc a Ludouico superia.

Initæ ab eo aduersus Ponti ficem coi gines.

Deoratoribus ab eodem inuisis.

Mandatis ijsdem datis.

Vt stare arbitrio pontificio iurauerint

Cōtrarijs operibus promissa hæc mox corrupta.

Reseissæ Ludouici coitiones.

confœderationes, colligationes, & conſpirationes huiuſmodi, quatenus de facto proceſſerunt, caſſamus & irritamus, ac caſſa & irrita nunciamus, iuramenta ſuper ijs vel aliquibus ex eis de ipſis obſeruandis præſtita, cum vincula iniquitatis eſſe non debeant, relaxantes de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis. Et inſuper vniuerſis, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, & alijs eccleſiarum prælatis atque rectoribus; nec non Regibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, militibus, alijſque ſingularibus perſonis eccleſiaſticis & ſecularibus, cuiuſcumque conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant; communitatibus quoque, vniuerſitatibus & collegijs quibuſcumque eccleſiaſticis & ſecularibus interdicimus, ipſoſq; omnes & ſingulos præſentiũ tenore monemus, ne leges, prohibitiones, præcepta, colligationes, confœderationes, ſiue conſpirationes prædicta vllatenus obſeruent directe vel indirecte, publice vel occulte: alioquin leges, prohibitiones, ſeu præcepta ipſa contra interdictum & monitionem noſtram obſeruantes ſcienter, ſingulares perſonas excommunicationis, vniuerſitates vero, communitates, & collegia, terras & loca ipſorum ſingularum vniuerſitatum, communitatum, collegiorum interdicti ſententijs, ac etiam pœnis & ſententijs, in ſupradictis proceſſibus dicti prædeceſſoris contentis, eos volumus & decernimus ſubiacere: non obſtantibus, ſi prædictis vel eorum aliquibus a ſede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari vel eorum caſtra, terræ, ſiue loca quæcumque interdici non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem; & quibuslibet priuilegijs, indulgentijs, & literis apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus quibuſuis perſonis, locis, vel ordinibus ſub quacumque forma vel expreſſione verborum conceſſis, etiam ſi de illis eſſet ſpecialis & expreſſa ac de verbo ad verbum in præſentibus mentio facienda, per quæ nullum præmiſſis vel præmiſſorum alicui nolumus afferri præiudicium, vel obſtaculum interponi.

Intentatæ cum eo ſcientibus pœnæ.

7 Sane cõſiderantes attentius, quod præfatus prædeceſſor noſter in proceſſibus ſuis antedictis Ludouicum ſæpedictũ declarauit ſchiſmaticum & hæreticum manifeſtum, ac ipſum velut hæreticum reprobauit & etiam condemnauit, declarans eundem in omnes pœnas inflictas ſchiſmaticis & hæreticis per ſacros canones & catholicorum principum leges incidiſſe, eaſque omnes & ſingulas incurriſſe, aliquas ex pœnis ipſius tenore præſentium ad cautelam duximus exprimendas. Siquidem ſecundum condemnationem & declarationem prædictas prædeceſſoris eiuſdem præfatus Ludouicus infamis exiſtit, nec ad publica officia, vel ad eligendos aliquos ad ea, aut ad teſtimoniũ perhibendum, vel ad hereditatẽ ſeu ſucceſſionem alicuius eſt admittendus, nec teſtamenti habet liberam factionem; nulluſque ipſi ſuper quocumque negotio, ſed ipſe alijs eſt reſpondere cogendus: nullæ cauſæ ad ipſius ſunt audientiam deferendæ: ſententiæ quoque per eum latæ nullam obtinent firmitatem: nullus aduocatus in cauſis eius patrocinium præſtare, nulluſque notarius pro factis ſiue cauſis ipſius publica debet confice re inſtrumenta. Omnis audientia eſt ipſi in quocumque negotio deneganda, omniſque proclamationis & appellationis beneficiũ ei eſt ſpecialiter interdictũ: vniuerſa eius bona ſunt perpetuo confiſcata, eiuſque filij & nepotes ad nullum ſunt vnquam beneficium eccleſiaſticum, nullumque publicum officium admittendi. Cunctis fidelibus cum dicto Ludouico, niſi pro ipſius conuerſione & animarum ſalute, eſt communio interdicta; ipſeque moriens carere debet eccleſiaſtica ſepultura. Omnes ſeculares poteſtates ipſum Ludouicum de terris eorum iuriſdictioni ſubiectis pro viribus exterminare tenentur.

De Ioannis in Ludouicum edictis.

Vt autem dictus Ludouicus, qui tam grauiſſime per contenta in proceſſibus ſupradictis, & alia poſtmodum cumulata per ipſum, diuinam maieſtatem & Apoſtolicam ſedem & vniuerſalem eccleſiam offendit, fidem violauit catholicam, & libertatem eccleſiaſticam conculcauit, remque publicam pernicioſe nimium perturbauit, virus ſuæ feritatis in ipſas effundens, ac furenti rabie furens continue contra eas, nedum in pœnas prædictas & alias a canonibus & legibus, & a prædeceſſore noſtro prædicto per ſupradictos proceſſus eidem inflictas, ſe incidiſſe cognoſcat ſed & Dei vltionem, quam multipliciter vt prædicitur offendit, & noſtram maledictionem incurrat; diuinam ſuppliciter imploramus potentiam, vt Ludouici præfati confutet inſaniam, deprimat & elidat ſuperbiam, & eum dexteræ ſuæ virtute proſternat, ipſumque in manibus inimicorum ſuorum & eum perſequentium concludat, & tradat corruentem ante ipſos. Veniat ei laqueus quem ignorat, & cadat in ipſum. Sit maledictus ingrediens, ſit maledictus egrediens. Percutiat eum Dominus amentia & cœcitate, ac mentis furore. Cælum ſuper eum fulgura mittat. Omnipotentis Dei ira, & beatorum Petri & Pauli, quorum eccleſiam præſumpſit & præſumit ſuo poſſe confundere in hoc & in futuro ſeculo exardeſcat in ipſum. Orbis terrarum pugnet contra eum: aperiatur terra & ipſum abſorbeat viuum. In generatione vna deleatur nomen eius, & diſpereat de terra memoria eius. Cuncta elementa ſint ei contraria. Habitatio eius fiat deſerta, & omnium ſanctorum quieſcentium merita illum confundant, & in hac vita ſuper eum apertam vindictam oſtendant, filijque ipſius eijciantur de habitationibus ſuis, & videntibus eius oculis in manibus hoſtium eos perdentium concludantur.

Formidæ in Pontificum commissione.

8 Porro quia Romanum imperium propter tyrannidem, iniquitates, & impedimenta Ludouici ſæpedicti adeo iuſto iudicio reprobati & abiecti, iam per longa tempora dignoſcitur vacauiſſe, prout & vacat ad præſens; & ob hoc ſancta Romana eccleſia per tempora ſuo caruit, prout adhuc caret, ſpeciali aduocato & defenſore in fidei catholicæ & eiuſdem Romanæ, aliarumque eccleſiarum & eccleſiaſticæ libertatis ac reipublicæ grande & multiplex detrimentum, multarumque periculum animarum; nos hoc vlterius tolerare nolentes, prout nec velle debemus, ac tantis malis carere cupientes, omnes & ſingulos principes eccleſiaſticos & ſeculares, ad quos Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum, ius pertinet eligendi, præſentium tenore apoſtolica auctoritate monemus, diſtrictius iniungentes eiſdem, quatenus ſine morę diſpendio pro electione Regis in Imperatorem poſtmodum promouendi de perſona idonea facienda conueniant, & ad electionem ipſam procedere non poſtponant. Alioquin ſedes ipſa, a qua ius & poteſtas electionis prædictæ ad principes peruenit eoſdem, ſuper hoc de opportuno remedio prouidebit.

Vt renouata a Clemẽte fuerint.

Sanctionum Cæſarem creand.

Cæterum volumus & auctoritate prædicta decernimus, quod præſens proceſſus noſter præfatos

tos

tos Ludouicum & electores & alios omnes & singulos, quos præsens processus noster contingit & contingere poterit, adeo apprehendat & arctet ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset, quacumque constitutione contraria per prædecessores nostros Romanos Pontifices edita non obstante. Vt autem processus noster huiusmodi, & omnia in eo contenta ad dictorum Ludouici & electorum ac aliorum, quorum interest vel interesse potest, communem notitiam deducatur, chartas siue membranas processum continentes eundem, maioris ecclesiæ Auinionensis appendi vel affigi ostijs siue superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, vt ipsi, quos processus ipse contingit, aut contingere poterit, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eos non peruenerit, vel ignorauerint eundem: cum non sit verisimile, quod apud ipsos remaneat incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. *Actum in palatio nostro Auinionensi id. aprilis anno* IV. Transmissum hoc edictum est non ad Germanos & Italos præsules modo, verum ad alios etiam, insertumque literis encyclicis [a], quibus addita imperia, vt illud rite vulgarent.

[a] Ann. 4. Ia. ep. cur. 67. & 68.

9 Proximo tempore a celebritate cœnæ dominicæ, in qua moniti de creando Rege catholico ecclesiæ ac fidei defensore principes electores publice fuere, Clemens literas ad ipsos eo argumento hortatorias misit [b], quibus extrema pericula, in quæ res Christiana adducta esset, exposuit: Christianos Reges plerosque in mutuas cædes consurgere, serpere hæreses, schisma grassari religionem obsolescere, insolescere infideles, magnam Christianorum multitudinem ob Ludouici Bauari amplexa studia deuinctam censuris ecclesiasticis in æternum exitium trahi: aduersus tot mala strenuum & catholicum principem ad vacans imperium euehendum. Conuenirent itaque pro celebranda electione constituendis loco & tempore; ac si qui censuris deuincti ob præstita Ludouico studia essent, ab archiepiscopis solutum iri: omnia vero sacramenta, quibus Bauaro se obstrinxissent, rescissa atque irrita pronuntiata; vetiti tamen Ludouicum Bauarum iuniorem ad electorum numerum admittere, cum marchionatum Brandeburgensem iure & legibus non obtineret.

[b] Iussi electores creandũ nouum Cæsarem. Tom 4. p. 1042.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, & dilectis filijs nobilibus viris principibus electoribus imperij.

Impositum nobis desuper apostolicæ seruitutis officium pulsare non desinit continue mentem nostram, vt circa remouenda pericula & scandala de medio populi Christiani curæ nostræ commissi, eique quietis & pacis procuranda commoda, intentæ meditationis studijs, & operosis solicitudinibus, quantum nobis ex alto permittitur, intendamus. Sed dum intra præcordia nostra reuoluimus, & profundis cogitationibus attendimus vtiles fructus & vberes, quos ex iusto & recto regimine Imperatoris Romani catholici, Deo & ecclesiæ sanctæ suæ fidelis & deuoti, si præsideret imperio, tam ecclesiæ Romanæ, cuius Imperator ipse aduocatus & defensor esse debet præcipuus, quam fideli populo & toti reipublicæ prouenirent; cum per ipsius potentiam regiminis, prout ad eum pertinet, exercendi libertas defensari possit ecclesiastica, fides dilatari catholica, improborum excessus reprimi, iustitiæ cultus coli, & pacis serenitas defensari; ex debito solicitamur pastoralis officij, vt prouideri super his, quantũ ad nos spectat & cum Deo possumus, mente vigili procuremus.

Datæ co gnomen literæ.

Dispositus reipub. Christianæ miser status vacante imperio.

10 Ideoque considerantes attente, quod per prolixam vacationem eiusdem imperij per obitum claræ memoriæ Henrici vltimi Romanorum Imperatoris Ludouico de Bauaria, qui post obitum huiusmodi dicebatur discorditer in Regem Romanorum electus, suis detestandis & horrendis excessibus, delictis, criminibus, culpis, rebellionibus, contumacijs, & inobedientijs exigentibus, per processus felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. prædecessoris nostri solemniter & publice dudum factos & habitos, diuersis excommunicationis & alijs spiritualibus & temporalibus pœnis & sententijs innodato; ac iure, si quod sibi ex electione huiusmodi competere poterat, nec non ducatu Bauariæ omnibusque priuilegijs, feudis, bonis, honoribus, & iuribus, quæ a Romana vel quibuscumque alijs ecclesijs vel imperio quomodolibet obtinebat, iusto priuato iudicio; ac de diuersorum hæresum & schismatum criminibus, quibus damnabiliter se inuoluit, condemnato sententialiter, & etiam denotato, tam ecclesia Romana, quam vniuersitas fidelium & tota res publica diutinis temporibus, quibus (sicut præmissum est) prædictum vacauit imperium, prout adhuc vacare noscitur, huiusmodi commodis caruerunt, quamquam eis indigerent plurimum; his præsertim temporibus, quibus peccatis exigentibus inter nonnullos Reges, principes, & magnates catholicos orbis terræ fremunt, proh dolor! in diuersis Christianitatis partibus variæ dissensiones & guerræ, hæreses & schismata pullulant, & fides catholica per infideles & hostes Christiani nominis in plerisque partibus periculose nimium impugnatur; intuentes quoque non sine dolore cordis & anxietate mentis nimia tam Alamanniæ, quam partes alias circumpositæ regionis nonnullos Christicolas degentes in eis propter fautoriam, adhæsionem, & participationem Ludouici prædicti, attentis grauibus spiritualibus & temporalibus pœnis & sententijs, aduersus quascumque personas ecclesiasticas vel seculares, cuiuscumq; præeminentiæ, dignitatis, ordinis, status, vel conditionis existant, etiamsi pontificali, regali, aut maiori vel inferiori præfulgeant dignitate; nec non communitates & vniuersitates, quæ præfato Ludouico adhærerent, assisterent, aut præstarent directe vel indirecte, publice vel occulte, consilium, auxilium, vel fauorem, per processus prædictos inflictis, magnis animarum & statuum periculis expositos, eisque paterno compatientes affectu; vias & modos libenter exquirimus, per quos super prædictis omnibus posset, diuina suffragante gratia, huiusmodi supradictis periculis & scandalis vtiliter & salubriter prouideri. Et tandem in examine maturæ deliberationis adducto, quod ad hoc facilius & vtilius pandi poterit, & via salubrius aperiri, si vir aliquis strenuus, catholicus, & deuotus ad imperij regimen præficeretur prædicti; per nostros processus die cœnæ Domini proximo præterita, præsente fidelium multitudine copiosa, de consilio fratrum nostrorum aduersus eundem Ludouicum suosq; fautores, adhærentes, valitores, cõplices & sequaces solẽniter habitos, vos commonendos duximus & hortandos, vt ad electionem Regis, in Imperatorem Romanum postmodum promouendi, dante Domino, celebrandam conuenire absque morosę dilationis obstaculo, quæ secum, vt ex præmissis

Mala ex diuturno interregno obortа.

Strenui Cæsaris necessitas

col-

colligitur, periculosa traheret dispendia, & ad eam procedere curaretis.

11 Quocirca vos rogamus, requirimus, & attentius in Domino exhortamur, quatenus his, quę præmissa sunt, in scrutinio rectæ considerationis adductis, ad vocationem venerabilis fratris nostri Gerlaci archiepiscopi Maguntini [De eo in locum Henrici exauctorati suffecto agetur inferius] conuenire pro electione celebranda huiusmodi, & ad eam, habendo præ oculis solum Deum, procedere, assistente vobis diuinæ virtutis clementia, studeatis; ita quod a Deo præmium æternæ retributionis consequi, & ab hominibus laudis & commendationis attolli preconijs mereamini non indigne, ac nos & sedes Apostolica prouidere de alio in hac parte remedio non cogamur.

Brandeburgensis iure electionis ex clusus,

Cæterum cum marchionatus Brandeburgensis vacauerit diutius, & adhuc vacare noscatur, nequaquam nostræ intentionis existit, quod detentor illius, qui nullum ius habet in eo, vocetur ad electionem huiusmodi vel etiam admittatur. Nos autem, qui feruenter in votis gerimus, quod tam pium tamque necessarium & vtile reipublicę negotium auxiliante Domino prosperetur, taliter prouidimus ordinandum, quod illi ex vobis, qui propter fauorem, adhęsionem, & participationem eiusdem Ludouici essent forsitan prędictis ex. communicationum sententijs innodati, dummodo ab illis desistant omnino de cętero, & illi, quem eligi contigerit (dum tamen gratiam & communionem apostolicę sedis obtineat) consilijs, auxilijs, & fauoribus opportunis assistant, ne dictum negotium impediri valeat propter hoc, absoluentur iuxta formam ecclesię consuetam.

Proposita alijs Ludouicum de ferturis venia.

Nec vos credimus nec volumus ignorare, quod quęcumque colligationes, confœderationes pactiones, seu ligę, per quoscumque sub quauis forma vel conceptione verborum initę cum Ludouico prędicto; nec non tam fidelitatis & homagij, quam alia quęcumque iuramenta eidem prestita, cum sit, vt prefertur, extra communionem fidelium hęreticus & schismaticus manifestus, nulla, cassa, & irrita declarata esse ac fuisse per dictos processus fuerunt, nullumque ad eorum obseruationem teneri quomodolibet vel astringi, & quatenus de facto processerunt, extiterunt annullata, cassata, irritata, & iuribus penitus vacuata.

a Eod. 10. 4 ep. secr. 1047. 1049. ad 1070. Sacramęta præstita Ludouico rescissa.

Dat. Auin. IV. kal. maÿ anno IV. Qua etiam die consignatę sunt literę a eodem argumento ad singulos principes electores, proceres, & populos prępcipuos scriptę, quos omnes hortatur, ne electoribus consilio & industria desint, atq; designando Regi, dummodo catholicus extiterit, obtęperent: si quo forte iureiurādo fidem Ludouico deuinxerint, illud dissolutum fuisse ac grauiores etiam pœnas cum ipso in posterum sentientibus intentatas.

12 Vocandi erant ad imperij comitia a Moguntino archiepiscopo principes electores, atque ab eo locus ac tempus ex veteri more designandi: sed cum Henricus Varnemburgensis, a Romanis pontificibus ad Moguntinum principatum contra hostium potentiam euectus, sedi Apostolicę atrocissimas reposuisset b iniurias, & ad schismaticos defecisset, iamque ad expiandum crimen edicto pontificio, quod suo loco attulimus, solicitatus vocatusque in ius pontificias censuras spreuisset, seque hostem Romanę ecclesię esset professus; pontificia sententia VII. idus aprilis in Cardinalium cōsistorio est damnatus contumacię atque archiepiscopatu deturbatus. Extat ad perpetuam rei memoriam editum pontificium decretum a, sententiam complectens ante triennium latam, quam ijsdem ferme verbis repetijt Clemens, obiecitque hæc inter alia.

b Ibid. ep. secr. 1025 1033. 1036. Rebdorf Argentin. in chro. Naucler. vol. 2. gener. 45. Serar. l. 5. Mogunt. rer. in Henr. III & alij. Henricus Moguntino archiepiscopatu deiectus.

Clemens, &c. Ipse prefato Ludouico de Bauaria subsequenter [nimirum post acceptum beneficio sedis Apostolicę Moguntinum archiepiscopatum] adhęsit, ipsumque pro Imperatore, cum tamen nec Imperator nec Rex sit habendus, tenendo, vocando, & exhibendo sibi tanquam tali reuerentiam; & vt in suis excessibus, erroribus, schismatibus, culpis, inobedientijs, & contumacijs perduraret, consilia & fauores exhibendo, ac ligas & confœderationes, immo potius coniurationes & conspirationes, cum eodem damnabiliter ineundo. In multis quoque parlamentis seu damnatis conuenticulis, in quibus multa contra Deum & honorem eiusdem sanctę Romanæ ecclesiæ damnabili machinatione ordinata fuerunt, cum eodem Ludouico inique interesse præsumpsit, adhærendo, fauendo, & consulendo eidem, quamuis multi prælati & principes illarum partium, qui per eundem Ludouicum ad huiusmodi conuenticulas vocati fuerant, illuc ire contemnerent, sicut nec ire etiam tenebantur: alios etiam detestandos excessus, qui breui non possent sermone concludi, in diuinæ maiestatis contumeliam, grauem dictæ sedis offensam, & multorum perniciem committere non expauit. [Addit Clemens se, sumpto primum post Benedicti obitum pontificatu, illum intentato iudicio redigere ad officium, clementiaque flectere tentasse, ipsumque vocatum in ius pœnituisse in speciem, ac promissa inanibus diffugijs, & apertademum perfidia fefelliſſe].

Clementis sententia adu. ep. eor. pag.

Ouerni Henr. ingrati mil.

De imitato iudicio antea dicto.

Pendente termino citationis ipsius, Ioannes præpositus Xanctensis germanus dicti Henrici & Conradus scholasticus S. Petri Aschaffenburgensis ecclesiarum Colonienſis & Maguntinæ diœcesum, coram nobis & dictis fratribus nostris in consistorio comparentes, & asserentes se procuratores eiusdem Henrici, & per eum ad sedem Apostolicam destinatos, dictæque citationis processum ad eorum notitiam plenarie peruenisse, humiliter supplicarunt vt huiusmodi terminum prorogare ipsi Henrico de speciali gratia dignaremur, promittentes præpositus, vt frater & coniuncta persona, [& scholasticus prædicti tanquam familiares iuratus dicti Henrici per proprium iuramentum, se curaturos & facturos, quod idem Henricus infra terminum, per nos prorogandum eidem, coram nobis personaliter compareret; & quod ipsi interim eidem Henrico literas apostolicas & processum citationis huiusmodi præsentarent, intimarent, & realiter assignarent, prout in quodam instrumento publico inde confecto plenius continetur.

Missi a eo procuratores.

13 Et licet idem Henricus expresse recognouisset & asseruisset, se a data literarum nostrarum apostolicarum fuisse citatum, ac citationem ad eius notitiam peruenisse; & nihilominus promissionem per dictos præpositum & scholasticum factam ratificasset, approbasset, ac etiam acceptasset, confecto super hoc publico instrumento sigillo dicti Henrici etiam communito; tamen Henricus ipse nec in huiusmodi termino prorogato, nec ante, nec post ipsum etiam de benignitate sedis expectatus ipsius comparere curauit: sed dictum Ioannem de sancto Trudone & Henricum dictum Batzeman canonicum ecclesiæ Fritzelarienſis Leodienſis & Maguntinæ diœcesum pro-

Vt prorogata ab ipsa haberetur.

Deum compareret in iudicio.

procuratores constituit ad petendum, terminum comparitionis suæ huiusmodi, vt dicitur prorogatum sibi denuo prorogari. Sed quamuis huiusmodi terminus de benignitate dictæ sedis fuisset ad certum tempus aliud iterum prorogatus, idemque Henricus recognouisset infra illud se præmissarum citationis, promissionis, & prorogationis plenam habuisse notitiam & habere, ac eas acceptasset, & gratas etiam habuisset, prout in quibusdam alio publico instrumento, & patentibus literis ipsius Henrici sigillo munitis nobis super hoc directis, luculenter apparet; tamẽ idem Henricus in huiusmodi termino, aut ante vel post ipsum etiam contumaciter comparere neglexit, quamquam dicti Ioannes de S. Trudone & Henricus dictus Batzeman mandatum aliud procurationis eorum pro parte dicti Henrici archiepiscopi, nec non certas patentes ipsius literas quasdam excusationes continentes, coram nobis & eisdem fratribus nostris in consistorio produxerint, petentes concedi aliam dilationem eidem Henrico archiepiscopo de vberiori clementia dictæ sedis. Nos vero excusationes huiusmodi reputauimus, prout erant, frustratorias & non veras; ipsumq; Henricum archiepiscopũ, in huiusmodi termino aut ante vel post ipsum diutius expectatũ de benignitate sedis ipsius, nõ comparentem merito contumacem. Et tandem, cum ipse in huiusmodi sua contumacia pertinaci animo perduraret, ipsum de dictorum fratrum consilio, præsente tam prælatorum quam clericorum & laicorum multitudine copiosa fidelium, ab officio & beneficio duximus suspendendum.

Ioannis capearii diffugia.

Contumaciæ damnatus sit.

In ea obdurauerit.

14 Et quamuis, attentis huiusmodi contemptibus, contumacijs, inobedientijs, alijsque excessibus & culpis prædicti Henrici, potuissemus iuste, ac deberemus digne acrius procedere contra eum; volentes tamen adhuc sibi prolixioris temporis spatium indulgere, si forsan ipse ad cor rediens pœnitentiæ signa prætenderet, & ipsius sedis misericordiam in humiliatione spiritus imploraret, dilecto filio nostro Bernardo tit. S. Cyriaci in thermis presbytero Cardinali oraculo viuæ vocis, licet ex superabundanti, commisimus vt super huiusmodi excessibus, criminibus, delictis, inobedientijs, contemptibus, rebellionibus, atque culpis auctoritate nostra ex officio diligenter inquireret, & se etiam informaret, & quidquid per inquisitionem huiusmodi inueniret, nobis postmodum referre curaret: dictusque Cardinalis huiusmodi commissionis vigore præfatum Henricum ad respondendum quibusdam articulis, excessus, crimina, & culpas continentibus supradicta (super quibus iuxta formam dictæ commissionis intendebat inquirere contra eum) citari fecit in audientia publica literarum contradictarũ ad certum peremptorium terminum competentem: & cum præfatus Henricus in eodem termino vel post coram ipso Cardinali minime comparuisset, dictus Cardinalis præfatum Henricum reputans, prout erat, exigente iustitia contumacem, ipsum ad videndum iurare quosdam testes, per quos de veritate contentorum in dictis articulis se volebat plenius informari citari fecit ad certum peremptorium terminum in audientia supradicta.

Indictum illi propter ea iudicium a delegato iudice.

15 Et tandem in contumaciam dicti Henrici in dicto termino vel post coram ipso Cardinali comparere contumaciter non curantis, eorundem testium iuramenta recepit: ac deinde, per dictum Cardinalem dictis testibus examinatis & eorundem attestationibus in scriptis redactis, ac postmodum publicatis in contumaciam ipsius Henrici ad videndum publicari attestationes ipsas ad certum peremptorium terminum in audientia prædicta citati, nec tunc vel post coram eo comparere curantis; dictus Cardinalis eundem Henricum ad dicendum quidquid vellet contra attestationes easdem, nec non ad concludendum in causa ipsa vel dicendũ causam rationabilem, quare concludi non deberet in ea, citari fecit in eadem audientia ad certos peremptorios & competentes terminos succesiue. Et quia dictus Henricus in neutro dictorum terminorum coram ipso Cardinali comparere curauit, dictus Cardinalis, reputans ipsum Henricum, prout erat, merito contumacem in eadem causa, in dicto termino ad hoc statuto concluſit & habuit pro concluso.

Spreta illius seueritas.

16 Subsequenter vero facta nobis per dictum Cardinalem super his omnibus & singulis relatione plenaria & fideli, nos cum tam per relationem huiusmodi, quam etiam alias de huiusmodi eiusdem Henrici excessibus, criminibus, inobedientijs, contemptibus, rebellionibus, atque culpis nobis plenarie constaret; & propterea non valentes illa, salua conscientia, vlterius relinquere impunita, præfatum Henricum ad comparendum coram nobis, & ad audiendum sententiam per nos ferri super prædictis, per eundem Cardinalem citari fecimus peremptorie ad hanc diem in audientia supradicta. Et demum, præfato Henrico dicta die vel post coram nobis comparere contumaciter non curante, nos eis, quæ super huiusmodi criminibus, excessibus, ingratitudinis vitijs, delictis, contemptibus, rebellionibus, atque periurijs coram eodem Bernardo Cardinali probata sunt, cum diligentia recensitis; & tam super ipsis, quam alijs quampluribus eiusdem Henrici nefandis excessibus, tam in Romana curia quam in partibus illis notorijs adeo, quod nulla possint tergiuersatione celari, habita cum eisdem fratribus nostris deliberatione prouida & matura, aduersus eundem Henricum propter ipsius grauem multiplicis inobedientiæ contumaciam, perfidiam in Deum, infidelitatẽ in ecclesiam manifestas, illicitæ amicitiæ fœdam confœderationem cum dicto Ludouico hæretico & hoste Dei & ecclesiæ prædictorum, fautorias & adhæsiones damnabiles eidem hæretico per dictum Henricum factas, contemptum clauium apostolicæ potestatis, quibus paruipendit se a consortio catholicæ communionis excludi; nec non irregularitatum notas per profanam ministerij sacri contrectationẽ ligatum, et pluries super dictam periurij labem ac bonorum ecclesiasticorum dilapidationem intolerabilem et damnosam, pro gloria confusionis opprobrium eligentem, et irreparabilis ruinæ periculum; disciplinæ zelum ad piaculum vltionis acrimus. Et ne arbor, non tam infructuosa, quam pestilens vmbra damnabili terram vlterius occupet, præsente tam prælatorum quam clericorum et laicorum multitudine copiosa fidelium in radicem eius securim perpetuæ succisionis injecimus; et in ipsum Henricum archiepiscopum absentem corpore, præsentem tamen spiritu de dictorum fratrum nostrorum consilio perpetuæ depositionis sententiam proferentes, eum omni honore, dignitate, potestate, ac pontificali priuamus; infeudationes, alienationes, quas de bonis eiusdem ecclesiæ Maguntinæ præsumpsit post latas in eum excommunicationis et suspensionis

Inflauratum propterea a Pont. iudicium.

Exauctoratur de eretoria sententia Henricus

sen-

sententias, in irritum reuocantes. Nulli ergo, etc. nostræ prolationis, priuationis, et reuocationis infringere, etc. *Dat. Auin. VII. id. aprilis anno IV.*

Suffectus in eius locum Gerlacus.

17 In Henrici exauctorati locum suffectus est Gerlacus Nassouij comitis filius apostolica auctoritate, vt refert Naucletus [a]: extatque ea de re diploma pontificium [b]. Narrat vero Serarius [c], Henricum, in pertinaciam & impietatem actum, præcipitem, ad confirmandam potentiam Cunonem e Falkenstein vi & iniuria dignitatis & muneris socium sibi asciuisse contra Gerlacum, pluraque ex hisce duobus æmulis secuta bella, ac mala emersisse, queruntur nonnulli Germanici scriptores: quorum sane culpam catholicus & prudens lector non in Romanum Pontificem, sed in schismaticum & periurum Henricum deriuandam agnoscet. Quid enim aliud Pontifex molitus est, quam hæreses abolere, religionem suo splendori restituere reuocareque ad sinum ecclesiæ schismaticos? ad quos censuris soluendos ex concepta subiectis verbis formula, quam pœnitentes professuri essent, Gerlaco prouincia imposita est [d].

[a] Naucler. vol. 2. generat. 45. [b] An. 4. l. 2 ep. de promot. 56. Henrici pertinacia [c] Ser. l. 5. rer. Mogu. in Henr. III.

[d] To. 4. ep. secr. 1095

Formula Ludouici Bauari sequacibus, ad ecclesiæ gratiã redeuntibus, proposita.

Ego N. *confiteor, me tenuisse & tenere fidem catholicam, & credere ac tenere quod credit, tenet, & docet sancta mater ecclesia, & credidisse & adhuc firmiter credere, quod non spectat ad Imperatorem Papam seu summum Pontificem deponere, & alium eligere vel creare: sed hoc hæreticum reputo & hæresim damnatam per ecclesiam prælibatam. Insuper ad sancta Dei euangelia iuro, quod stabo & parebo mandatis ecclesiæ & domini nostri Papæ super illatis iniurijs, contumacijs, rebellionibus per me confessatis, & sententijs, quas incurri ab homine vel a iure propter præmissa & ea tangentia; & quod domino nostro Papæ, qui nunc est, & eius successoribus canonice intrantibus fidelis ero de cætero, & eis debitam reuerentiam & obedientiam exhibebo; nec cum Ludouico de Bauaria, quandiu stabit in rebellione dictæ ecclesiæ, seu alijs hæreticis & schismaticis, aut cum eorum sequacibus per dictam ecclesiam denotatis deinceps ero, nec eis seu quibuscumque alijs dabo contra Romanam ecclesiam consilium, auxilium, vel fauorem directe vel indirecte, publice vel occulte; quodque nulli vt Imperatori obediam vel adhærebo, nisi ille prius fuerit per eandem ecclesiam approbatus, &c.* Adiectæ erant aliæ leges, non adhæsuros Henrico e munere deturbato, Gerlacum archiepiscopum agnituros, atque ecclesiæ Moguntinæ iura defensuros. *Dat. Auin. IV. kal. maij anno* IV. Terruit plures Henrici tyrannis, ne ad ecclesiæ castra impietatem execraturi reuerterentur. Quamquam vero tũ Gerlacus toto Moguntino archiepisc. viuo Henrico potiri non potuit, non parum tamen schismaticorum vires repressit, atque ad creandum catholicum Romanorum Regem, quæ res maxime erat in piorum votis, operam strenuam collocauit.

Ioannis & Caroli Boemor. ad sedem Apost. accessus.

18 Accessere e hoc anno ad Apostolicam sedem Ioannes Rex Boemiæ & Carolus maior natu filius marchio Morauiæ, vt summo Pontifici fidem obstringerent, se rem catholicam & iura ecclesiæ tutaturos, ac bellorum causas cum Regibus Siciliæ, Francorum, & Poloniæ amoturos, si studijs apostolicis imperium Boemicæ regiæ inferretur. De Henrici quidem cum Neapolitana regia simultatibus, nec non de controuersis aliquibus iuribus in imperij limite Gallum inter Germanosque alias dictum est. Quod vero ad Polonicam rem attinet; gesserat diuturna bella Boemiæ Rex Ioannes cum Vladislao & Casimiro Polonis Regibus, de quibus suis locis meminimus ac Polonis periculum conflari poterat, si Boemus imperio augeretur, eoq; metu perfusus Casimirus cœperat ad Bauari partes inclinare. Vt Casimirum itaque abduceret a Ludouico Pontifex, Ioannem Regem & Carolum sceptri Boemici heredem sacramento adegit, ipsos omnes suas controuersias, quæ intercedebant cum Polonis, Apostolicæ sedis arbitrio permissuros. Pronum se ad pacis consilia Casimirus exhibuit ac pollicitus est oratorem se pro iungendo fœdere missurum; cui Clemens gesta cum Carolo & Rege Boemiæ significauit a.

[e] To. 5. ep. secr. 25. et 44. Baron in not. M. S. ad hunc an. Argent in chron. Naucler. gener. 45. & alij.

Contr. Boem. inter & Polon. permiss. Pontif.

[a] To. 5. ep. secr. 25.

Clemens, &c. Casimiro Regi Poloniæ illustri.

Polonus de eo certior.

Serenitatem tuam volumus non latere, quod nuper Rege prædicto & dilecto filio nobili viro Carolo eius primogenito marchione Moraviæ apud sedem Apostolicam in nostra præsentia constitutis, nos ipsos super huiusmodi reformatione pacis & concordiæ commonendos duximus & exhortandos. Qui tandem nobis beneuole respondentes, se super hoc ordinationi & voluntati nostræ pro se ac omnibus vassallis & subditis suis & ipsorum quolibet super quibuscumque quæstionibus, quas ipsi coniunctim vel diuisim tecum habent, vel habere possunt ex quibuscumque causis vel occasionibus totaliter submiserunt, sub pœna decem millium marcharum auri nihilominus promittentes efficaciter, & ad sancta Dei euangelia manu tacta iurantes, eidem ordinationi & voluntati stare, parere, ac tenere, perficere & complere quidquid duximus super his ordinandum, confectis nihilominus exinde publicis instrumentis. Quocirca tuam regalem excellentiam rogamus, requirimus, & hortamur attente, quatenus his, quæ præmissa sunt, consideranter attentis, reformationi pacis & vnitatis huiusmodi tuum dirigens animum; & nihilominus procuratores tuos ad submissionem & obligationem similes, tuo nomine faciendas idoneo mandato suffultos ad nostram præsentiam e vestigio destinare procures, &c.] Addit preces, vt inducias cum Boemis ineat. *Dat. XI. kalen. iunij pontificatus nostri anno V.* Alijsque literis a Gnesnensem archiepiscopum ac Ludouicum Regem Vngariæ Casimiri ex sorore nepotem hortatus est, vt Poloniæ Regem ad induciarum & pacis fœdera cum Boemis incitarent.

Commonitus, vt mittat o ratores.

[a] To. 5. ep. secr. 27.

19 Dũ Regum vtilitatibus ac publicæ paci in eo cum Ioanne Rege Boemiæ & Carolo colloquio de inferendo regiæ Boemicæ imperio prospiciebat Clemens, iura Romanæ ecclesiæ, ne a Carolo, acceptis imperij Romani sceptris læderentur, negligere non debuit; qua in re ipsum muneri suo non defuisse, testatur Card. Baronius [b] in manuscriptis Vallicellanæ nostræ bibliothecæ ab ipso relictis: *Eodem*, inquit, *anno ipse Carolus assumendus in Imperatorem in publico consistorio iuramentum plenissimum præstitit de tuendo iura ecclesiæ Romanæ: quod iuramentum iterum replicatum ab eodem anno* MCCCXLVIII. *vt infra. Hæc habentur libro priuilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Producenda in lucem nobis visa sunt ea publica monumenta tum ad ornandam historiam, tum ad ecclesiæ Romanæ iura illustranda: subiectis vero verbis concepta sunt [c].

[b] Baron. M. S. ad hunc ann. Spondet Carolum curatum se ius pontificium

In Nomine Domini. Amen.

Nouerint vniuersi & singuli, quod anno a natiuitate eiusdem MCCC. XLVI. *indictione* XIIII. *die* XXII. *mensis aprilis, pontificatus sanctissimi in*

[c] Exst. in priu. Reg. eccl. ro. pag. 38

Chri-

Christo patris & domini nostri domini Clementis, diuina prouidente clementia, Papæ sexti anno quarto Auinione in camera eiusdem domini nostri Papæ, præsentibus reuerendis in Christo patribus dominis Petro *Penestrino, Bertrando Ostiensi & Velletrensi, Gaucelino Albanensi, & Ioanne Portuensi episcopis, Talayrando tituli S. Petri ad vincula, Petro tit. S. Clementis, Bertrando tit. S. Marci, Bernardo tit. S. Cyriaci in thermis, Guidone tit.* S. *Cæciliæ, Aymerico tit. S. Martini in montibus, Hugone tituli S. Laurentij in Damaso presbyteris, & Guillelmo S. Mariæ in Cosmedin diacono S. R. E. Cardinalibus; nobis notarijs & testibus infrascriptis, nec non serenissimis principibus dominis Ioanne Boemiæ Rege illustri & Carolo eiusdem domini Regis filio primogenito principe Morauiæ præsentibus, de mandato eiusdem domini nostri Papæ volentibus, requirentibus, & consentientibus, fuerunt ibidem lectæ & publicatæ duæ notæ, & vna litera imperialis bulla aurea bullata per magistrum Ioannem de Pistorio decanum ecclesiæ S. Saluatoris Traiectensis, quarum notarum & imperialis literæ successiue tenores sequuntur sub his verbis.*

In nomine domini. Amen. Nouerint vniuersi præsentes pariter & futuri, quod nos Carolus primogenitus Regis Boemiæ marchio Morauiæ, in præsentia sanctissimi patris, & domini nostri domini Clementis sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis ecclesiæ summi Pontificis constituti, eidem domino nostro Papæ, nomine suo, & ecclesiæ Romanæ recipienti; ac nihilominus notarijs infrascriptis nomine omnium & singulorum, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, recipientibus & stipulantibus, promisimus & promittimus, fecimus & facimus in forma, quæ sequitur, & iuramenta præstitimus, tactis sacrosanctis euangelijs, & præstamus.

Caroli iuramentū

Ego Carolus primogenitus domini Regis Boemiæ illustris marchio Morauiæ vobis sanctissimo patri ac domino nostro domino Clementi sacrosanctæ & vniuersalis ecclesiæ summo Pontifici, pro vobis & ecclesia Romana recipientibus, promitto bona fide & iuro, quod si Deo fauente continget, me in Regem Romanorum eligi, *in Imperatorem postmodum assumendum, faciam, præstabo, concedam, & promittam omnia iuramenta, omnes obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, confirmationes, & cætera omnia, quæ claræ memoriæ dominus Henricus vltimus Imperator auus meus per se vel per alium vel alios fecit, præstitit, promisit, concessit, & confirmauit: nec non & omnia alia iuramenta, obedientias, promissiones, concessiones, donationes, ratificationes, & confirmationes, & cætera omnia, quæ olim electi in Reges* Romanorum *& assumpti ad Imperium, siue etiam non assumpti, siue ante quam assumerentur, siue post per se vel per alios summis Pontificibus & sanctæ Rom. ecclesiæ, seu eorum alteri, per se vel per alios recipientibus seu recipienti, reperientur suis temporibus præstitisse, fecisse, confirmasse, seu quomodolibet concessisse.*

Iuramenta pollicitationes ad Henr. imp. præd.

De gestis Ludo Baua nō reuocandis.

20 *Item promitto & iuro, quod omnes processus factos, et quaslibet sententias latas, et quæcunque alia, quocunque nomine censeantur, Romæ seu vbicunque alibi gesta per Ludouicum de Bauaria, per ecclesiam de hæresi et schismate iusto iudicio condemnatum, ac priuatum omni iure, si quod per electionem in Regem Romanorum de ipso factam ei fuerat acquisitum, seu per alios eius nomine vel auctoritate sub imperiali titulo, quem sibi vsurpauit indebite; nec non et omnia, quæ per se seu alium in Italia fecit seu gessit, etiam sub regali nomine, et cætera etiam omnia vbicunque gesta ab eo per se vel alium, quæ ex defectu iurisdictionis vel potestatis facere sibi non licuit, nulla esse, ac cassa et irrita pronuncio et declarabo; illa etiam, quatenus processerunt de facto, annullando et penitus reuocando.*

Non occupanda ditione ecclesiastica.

Item promitto et iuro, quod si contingat me eligi, vt præfertur, non occupabo, nec recipiam, nec acquiram, nec quouis modo vsurpabo Romam, aut prouincias, ducatus, comitatus, Ferrariam, ciuitates, oppida, castra, terras alias, seu territoria vel loca ecclesiæ Romanæ, *seu ad ipsam mediate vel immediate spectantia in Italia vel vbilibet extra Italiam, sicut est comitatus Veneysini, qui ad* Romanam *ecclesiam pleno iure noscitur pertinere, et plura etiam alia ad eandem ecclesiam pertinentia extra Italiam constituta: et specialiter nec Regna Siciliæ, Sardiniæ et Corsicæ, quæ de directo dominio, iure, et feudo eiusdem Romanæ ecclesiæ esse noscuntur; nec alia feuda, retrofeuda, seu quælibet alia loca, ad eandem ecclesiam mediate vel immediate spectantia; nec iura, personas, vel res aliquas in eisdem: nec aliquibus inuadentibus seu occupantibus, vel quouis modo vsurpantibus, seu inuadere, occupare, vel quomodolibet vsurpare tentantibus, seu volentibus prædicta regna Siciliæ, Sardiniæ, vel Corsicæ, seu Romam, ac prouincias, ducatus, comitatus, Ferrariam, ciuitates, oppida, castra, terras alias, seu territoria vel loca ecclesiæ Romanæ, seu ad ipsam ecclesiam mediate vel immediate spectantia, siue sint intra Italiam, siue extra Italiam, seu aliqua prædictorum, non iuuabo, nec eis adhærebo, nec etiã ipsis dabo aliqualiter auxilium, consilium, vel fauorem; quinimmo quoscunque inuadentes, occupantes, seu quomodolibet vsurpantes, seu inuadere, occupare, vel vsurpare volentes, seu attentantes dicta regna Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, & vrbem Romanam, ac ducatus, comitatus prouincias, ciuitates, castra, & terras, seu quæuis alia loca Romanæ ecclesiæ, vel aliqua ex eisdem, retrabam & impediam posse meo eisdem, cum armis me opponendo, & ne conatus talium effectum habeat, cum tota mea potentia resistendo: ac vobis & ecclesiæ Romanæ, pro defensione regnorum, prouinciarum, & terrarum, & locorum prædictorum, contra quoscunque occupatores, inuasores, seu occupare, inuadere, seu vsurpare attentantes, fideliter assistendo; nec dabo, nec concedam vllo vnquam tempore in perpetuum vel ad tempus aliquid de prædictis sub colore, conditione, vel titulo quibuscumque: quodque prædictam* Romanam *ecclesiam, aut vos dominum nostrum Papam, seu successores vestros, vel officiales, ministros, vassallos, & subditos vestros non inquietabo, vel quomodolibet molestabo in dictis regnis Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ, nec in vrbe* Romana, *terris, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, castris, oppidis, & alijs terris & territorijs supradictis, seu aliquo prædictorum: sed nec extra loca prædicta, ratione quorumlibet delictorum, vel excessuum, in locis eisdem commissorum vel committendorum, aliquem vel aliquos puniam, vel alias persequar, nisi hoc ad me pertineret de iure ex alia ratione quam territorij, cum territorij ratione hoc ad Regem vel Imperatorem Romanum, quantum ad loca prædicta, nullo modo valeat pertinere: & hoc casu promitto & iuro, quod tales contra iustitiam non grauabo, nec eis in casu etiam aliquo Reges prædictorum regnorum, aut ministros, vassallos, & subditos eorundem in regnis prædictis, seu pro eis, vel quolibet eorum parte aliqua-*

Non affectanda Sicilia vel Sardinia.

De non ambiendo Vrbis & aliarū terrarum imperio.

quatenus molestabo : nec aliquod dominium, iurisdictionem, superioritatem, seruitutem, potestariam, capitaneatum, vel aliud officium, quocunque nomine censeatur, accipiam vel vendicabo, vel per me vel per alios exercebo in prædictis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, villis, terris, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdem : nec etiam fidelitatem, recognitionem, vel aduocationem, aliquam quouis modo recipiam per me vel alium seu alios pro me in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, terris, & territorijs supradictis, vel pro aliquo eorundem : nec etiam pro quibuslibet rebus vel iuribus in præmissis Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, locis, terris, & territorijs supradictis, vel in eorum, seu aliquibus pertinentijs constitutis, etiam si mihi a quibuslibet communitatibus, vel personis singularibus offerrentur : nec ius etiam aliud qualecunque vendicabo, acquiram, vel occupabo, seu quomodolibet per me vel alium seu alios vsurpabo, recipiam, vel exercebo ; nec concedam etiam recipi, vel haberi in Roma, regnis, Veneysino, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, locis, terris, & territorijs supradictis, vel in aliquo de eisdem ; & specialiter in prouincijs, ciuitatibus, terris, & locis expressis in quibusdam literis dicti domini quondam Henrici Imperatoris, quarum tenor inferius est insertus.

De non arrogando sibi in pontificiã ditionem vllo iure.

21 *Ad euitandum quoque occasionem veniendi contra prædicta, vel aliquod prædictorum promitto vt supra, quod ante diem, mihi pro coronatione mea imperiali præfigendam, non ingrediar vrbem* Romanam : *quodque eadem die, vero & legitimo impedimento cessante, imperialem recipiam coronam ; & quod siue illa die, siue vere ac legitime impeditus die alia dictam recipiam coronam, ipsa die, qua coronam huiusmodi recepero, dictam vrbem, vero ac legitimo impedimento cessante, exibo cum tota etiam, quantum in me fuerit, gente mea : & cessante etiam impedimento legitimo, continuatis moderatis diatis extra totam terram Romanæ ecclesiæ me recto gressu transferam versus terras imperio subiectas, nunquam postmodum ad vrbem, regna prædicta Siciliæ, Sardiniæ Corsicæ, prouincias, ciuitates, vel alias terras* Romanæ *ecclesiæ, nisi de speciali licentia sedis Apostolicæ accessurus. Iuro quoque super sancta Dei euangelia, per me corporaliter manu tacta, quod super his vel eorum aliquo nullum impedimentum fingam aut præstabo, aut fingi aut præstari per alium vel alios, quantum in me fuerit, permittam. Item promitto, quod contra prædicta, vel eorum aliquod nullatenus per me vel alios veniam : etsi contrarium quouis modo contingeret fieri per me vel alios meo nomine quandocumque statim cum hoc ad meam notitiam deductum fuerit, illud reuocabo, & faciam, quantum in me fuerit, effectualiter reuocari, & pro non facto volo & decerno haberi, et etiam reputari.*

Promissũ eadem die abiturum Vrbe qua coronam acceperit.

22 *Item si per præfatum quondam dominum Henricum* Imperatorem *auum meum, vel per iam dictum Ludouicum, seu per quemcunque alium, seu alios ipsorum, vel alterius eorum nomine seu auctoritate, aliquæ sententiæ fuerint promulgatæ, seu processus aliqui facti, seu arrestationes personarum aut rerum, vel aliqua ad iurisdictionem pertinentia, attentata in Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus immediate vel mediate subiectis, promitto & iuro, quod illa omnia decernam & pronunciabo esse nulla : quodque si aliquæ fidelitates, homagia, obedientiæ, recognitiones, donationes, aduocationes, occupationes, seu concessiones qualescunque, a prædictis domino Henrico & Ludouico, vel eorum altero per se vel alium, seu alios factæ fuerint, vel receptæ pro Roma, regnis, prouincijs, ducatibus, comitatibus, ciuitatibus, oppidis, castris, locis, terris, & territorijs supradictis, vel eorum aliquo, vel pro quibuslibet rebus vel iuribus in eis vel sub eis etiam constitutis a quibuscunque vniuersitatibus vel personis singularibus quouis modo, illa omnia nulla fore pronuntiabo, & quatenus processerunt de facto, totaliter reuocabo, & etiam pro non factis volam & decernam haberi. Item promitto & iuro, quod si in Regem Romanorum assumptus fuero, ad imperium postmodum assumendus, antequam ingrediar partes Italiæ, & antequam in eis vel de eis per me vel alium seu alios aliquid disponam, aut quomodolibet administrem, apud sanctitatem vestram prædictam, & sedem Apostolicam, approbationem personæ mee & cætera, quæ electus in* Regem Romanorum *promouendus in Imperatorem habet prosequi, prosequar cum effectu.*

Iniqua Henrici acta iudiciaria abolitum iri.

23 *Item promitto & iuro, quod quandocunque post approbationem prædictam in Lombardiam & Tusciam, vel earum alteram aliquem vel aliquos mittam pro terris & iuribus imperij gubernandis, quotiens illum vel illos transmittam, faciam eum & eos iurare, vt adiutor vel adiutores domini Papæ sint ad defendendum terram S. Petri & Romanam ecclesiam secundum suum posse. Item promitto & iuro quod si contingat me eligi, vt præfertur, infra octo dies electionem meam immediate sequentes omnes supradictas & infrascriptas promissiones & iuramenta renouabo, & iterum faciam plene, singulariter, & expresse, videlicet quod omnia & singula suprascripta & infrascripta per me promissa, & per me præstito iuramento vallata, post approbationem meam per sedem Apostolicam factam bona fide & inuiolabiliter obseruabo, faciam, implebo, & integraliter attendam iuxta præsentium continentiam & tenorem : quodque cum mittam ad sedem Apostolicam pro dicta mea approbatione habenda, mittam etiam ad sedem eandem certos procuratores meos cum pleno, sufficienti, expresso, ac speciali mandato de omnibus promissionibus, concessionibus, donationibus, & omnibus etiam alijs supradictis, vobis nomine vestro & ecclesiæ Romanæ recipientibus, per eos pro me ac meo nomine faciendis : qui procuratores, meo nomine omnes promissiones, concessiones, donationes, & omnia alia suprascripta & infrascripta in præsentia plene & specifice faciant, & adimpleant & adimplere, & facere teneantur : et post approbationem prædictam infra octo dies, ex quo de approbatione ipsa literas apostolicas recepero, omnia & singula per eosdem procuratores, vt præmittitur, meo nomine facta expresse & singulariter approbabo, ratificabo, & per me ipsum etiam renouabo, & iterum faciam hæc de nouo : & nihilominus post consecrationem & coronationem meam imperialem infra octo dies, consecrationem & coronationem eandem immediate sequentes, pro maiori firmitate omnium prædictorum ipsa omnia & singula ratificabo & etiam renouabo singulariter & expresse : & super præmissis omnibus & singulis, & pro qualibet vice de prædictis iuxta præmissam distinctionem temporum dabo literas meas quadruplicatas eiusdem tenoris patentes & sufficientes, ac sigillo, quo dictis vtar temporibus, communitas.*

24 *Item super sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iuro, quod nullam omnino promissionem,*

nem, nullum pactum, nullumque iuramentum, nec aliquid aliud feci, per quod præmissis, vel eorum alicui possit in aliquo quomodolibet derogari. Et nihilominus super sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iuro, præmissa omnia & singula me facturum & completurum, & nullo vnquam tempore per me vel alios contra illa, vel aliquod de illis quouis modo venturum. Etsi (quod absit) contingeret me facere, dicere, promittere, vel iurare aliqua vel aliquid, quæ præmissis, vel eorum alicui possent quomodolibet obuiare, vel me ad aliquid secus agendum inducere, vel mihi occasionem agendi contra prædicta, vel eorum aliquod quomodolibet ministrare; nihilominus, illis nequaquam obstantibus, prædicta omnia et singula complebo et inuiolabiliter obseruabo, et ad ea complenda et inuiolabiliter obseruanda ex promissionibus et iuramentis præmissis semper me volo remanere efficaciter obligatum. Et ex nunc etiam attestor et protestor, me velle et intelligere præmissa omnia et singula sic exclusa fore ab omnibus factis et promissionibus ac iuramentis specialibus et generalibus, per me quomodolibet faciendis, per quæ præmissis, vel eorum alicui posset quomodolibet derogari, quod illorum prætextu vel occasione mihi nullo modo liceat, licereue possit mutare aliquid in præmissis, vel facere contra ea vel aliquod de eisdem.

De intrusis in ecclesias pel lendis.

Promitto etiam bona fide, quod intrusos in ecclesijs infra prædicta regnum et imperium consistentibus, et qui eas contra ius et libertatem, superioritatem et auctoritatem ecclesiæ Romanæ *detinent occupatas, vel detinuerint in futurum, si super hoc per vos dominum nostrum Papam, vel sedem Apostolicam fuero requisitus, expellam ac pro posse faciam expelli de illis: et prouisos per sedem Apostolicam iuuabo et faciam iuuari, vt ad ecclesias, quibus de eis per sedem Apostolicam prouisum est vel fuit in futurum, realiter admittantur, suisque iuribus libere vti possint. Tenor autem supradictarum literarum domini quondam Henrici Imperatoris sequitur sub his verbis: Sanctissimo, etc. Feruenti, etc. Dat. Lausanæ anno* MCCCX. Insertæ sunt eæ literæ a nobis superiori annalium tomo a suis conceptæ verbis quare iam repetendæ non sunt visæ: confirmatis vero sponsionibus de tuendis ecclesiæ iuribus, quæ in ijs literis continentur, subdit Boemus Rex.

a Tom. annal. xvi. an. Christi 1310. n. 3. &c.

Cõfirmat Io. Rex præmissa a filio Caro lo.

25 *Sane quia ego* Ioannes, *Dei gratia Rex Boemiæ, præmissa omnia & singula, in præsentibus literis contenta, per dictum Carolum filium meum marchionem Moraviæ promissa & iurata, ipsis per me plenius intellectis, reputo & credo vtilia, licita & honesta, & ob hoc per ipsum Carolum, si in Romanorum Regem assumptus fuerit, desidero compleri & irrefragabiliter obseruari in eiusdem sanctitatis vestræ præsentia pariter constitutus, vobis nomine vestro & Romanæ ecclesiæ, ac omnium in præsentibus literis expressorum, ac omnium aliorum, quorum interest vel intererit seu interesse poterit in futurum, recipientibus promitto, & super sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta iuro, me toto posse meo facturum & curaturum bona fide, quod præfatus Carolus omnia & singula, per eum in literis suprascriptis promissa & iurata, plene, realiter, & inuiolabiliter faciet & complebit, & quod contra ea vel eorum aliquod non faciet per se vel alium quouis modo: & si secus agi contingeret, illud pro posse procurabo ad statum debitum celeriter reuocari.*

Quibus notis & literis imperialibus, vt præmittitur lectis & publicatis, præfati domini marchio primus omnia et singula in prima nota et literis imperialibus, et subsequenter dictus dominus Rex omnia et singula contenta in secunda nota gratis & sponte promiserunt, et ad sancta Dei euangelia, tacto libro, ipsorum quilibet iurauerunt, se tenere et complere omnia et singula contenta in notis et imperialibus literis prædictis suo posse, prout in ipsis plenius continentur. Et nihilominus promiserunt præfati dominus Rex et marchio et ipsorum quilibet, nobis notarijs publicis infrascriptis tanquam publicis personis stipulantibus et recipientibus pro omnibus et nomine omnium, quorum interest vel interesse poterit in futurum, omnia et singula suprascripta per ipsos promissa, et iurata plene et integre et inuiolabiliter obseruare, perficere, & complere, & in contrarium aliqualiter non venire. De quibus omnibus & singulis sic promissis & iuratis præfatus dominus noster Papa *mandauit, & præfati domini Rex et marchio requisiuerunt per nos subscriptos notarios fieri vnum, duo, vel plura publica instrumenta. Acta fuerunt hæc anno, indictione, pontificatu, mense, die, et loco prædictis, et præsentibus supradictis dominis* Cardinalibus, *nec non venerabili patre domino Gasberto Narbonensi archiepiscopo domini Papæ camerario, nobili et potenti viro domino Guillelmo Rogerij vicecomite Bellifortis, dominis* Bernardo Stephani, *Raymundo de Valle notarijs domini nostri* Papæ, *Gasberto de septem fontibus canonico Ilerdensi, Nicolao decano Olomucensi, Nicolao de Lucemburgo præposito Sacezensi Pragensis diœcesis, Rodolfo Losse cantore ecclesiæ Cardonensis, ad præmissa testibus vocatis & rogatis.*

26 Se præterea, initis alijs cum Pontifice pactionibus, Boemus Rex & Moraviæ marchio sacramento obstrinxere, rescindere omnia fœdera quæ antea cum Ludouico Bauaro sanciuerant, seque illum bello insectaturos, neq; vnquam amicitiam, affinitatemue cum eo contracturos, dum fidelium consortio pulsus esset; neque vllos fucos aut prætextus ad hæc promissa labefactanda accersituros: qua de re publica hæc sunt documenta confecta a.

a Ext. in arc. S. Ang. & in lib. grisl. Rom. eccl. to. 2. pag. 350 ex inter coll. Plac. to. 3. pag. 17.

Aliæ Ioannis Regis pactiones cũ Pont.

In nomine Domini. *Amen.*

Nouerint vniuersi & singuli, quod anno a natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, indictione quartadecima, die vicesima secunda mensis aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Clementis, diuina prouidente clementia, Papæ sexti anno quarto, constitutis personaliter Auinione in camera eiusdem domini nostri Papæ coram dicto domino nostro summo Pontifice, præsentibus reuerend. in Christo patribus dominis, miseratione diuina, Petro Penestrino, Bertrando Ostiensi & Velletrensi, Gaucelino Albanensi, Ioanne Portuensi episcopis, Talayrando tituli S. Petri ad vincula, Petro tit. S. Clementis, Bertrando tit. S. Marci, Bernardo tit. S. Cyriaci in thermis, Aymerico tit. S. Martini in montibus, Guidone tit. S. Cæciliæ, Hugone tit. S. Laurentij in Damaso presbyteris, & Guillelmo S. Mariæ in Cosmedin diacono Cardinalibus S. R. E. nobis notarijs & alijs testibus subscriptis ad infrascripta vocatis, & rogatis; præsentibus etiam serenissimo principe domino Ioanne Rege Boemiæ illustri, ac domino Carolo eiusdem domini Regis filio primogenito marchione Moraviæ de mandato eiusdem domini nostri Papæ, volentibus, requirentibus, & consentientibus præfatis dominis Rege & marchione, fuit ibidem lecta & publicata quædam papyrea cedula per magistrum Ioannem de Pistorio decanum ecclesiæ S. Saluatoris Traiectensis

ctenſis, cuius tenor de verbo ad verbum ſequitur ſub bis verbis.

Ioannis & Caroli literæ.

Vniuerſis præſentes literas inſpecturis Ioannes Dei gratia Rex Boemiæ, & Carolus eius primogenitus marchio Morauiæ ſalutem.

Cum, ſicut eſt per diuerſas orbis partes longe, lateque diffuſum & notum ac etiam diuulgatum, Ludouicus de Bauaria, propter multiplices, graues, execrabiles, & enormes, atque notorios eius exceſſus, offenſiones, iniurias, rebelliones, contumacias, & contemptus, ac hæreſes, & ſchiſmata, aliaque nonnulla deteſtabilia crimina notorie commiſſa per eum, ac exigentibus ſuis demeritis & culpis horrendis, fuerit & ſit per ſedem Apoſtolicam pluribus varijs & diuerſis excommunicationum & anathematum, ac alijs pœnis & ſententijs innodatus, ac omni iure, ſi quod vnquam ſibi in regno & imperio Romano competere potuiſſet; nec non omnibus feudis, quæ tunc a Romana vel alijs eccleſijs, vel dicto imperio obtinebat, & ſpecialiter ducatu Bauariæ, ac etiam bonis ſuis alijs mobilibus & immobilibus, iuribus, & iuriſdictionibus priuatus perpetuo, iuſtitia ſuadente, ac de hæreſi & ſchiſmate, & alijs diuerſis criminibus & exceſſibus condemnatus, ac hæreticus & ſchiſmaticus publice nunciatus; & propterea in pœnas & ſententias diuerſas tam in proceſſibus dictæ ſedis huiuſmodi occaſione habitis contra eum contentas, quam in iure contra tales inflictas incidiſſe, & eas omnes incurriſſe, ſit & fuerit declaratus, ac etiam Chriſti fidelibus expoſitus impugnandus; nos prænominati Ioannes Rex & Carolus primogenitus tanquam deuoti ſanctæ Romanæ eccleſiæ filij, verique cultores catholicæ fidei, obſtinatam & pernitioſam nimium Ludouici præfati pertinaciam & perfidiam abhorrentes; & conſultius attendentes proceſſus ſedis eiuſdem, vt præmittitur, habitos contra eum; & conſiderantes etiam, quod hæretici & ſchiſmatici ſunt a catholicis pro iuribus expugnandi, & quod eiſdem fidelibus non licet cum ipſis hæreticis vel ſchiſmaticis amicitias, ſocietates, confœderationes, pactiones, colligationes, vel ligas aliquas facere vel habere; ob zelum Dei & eiuſdem fidei, ac ad honorem ipſius ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris noſtræ, & ob deuotionem, quam habemus ad ipſam, ac etiam conſcientia merito nos vrgente, intendentes Ludouicum præfatum iuxta ipſorum proceſſuum ſeriem, prout nobis erit poſſibile, impugnare; bona fide promittimus, & ad ſancta Dei euangelia per nos, & noſtrum quemlibet corporaliter ſponte tacta, iuramus, quod ad quemcunque ſtatum peruenerimus nos vel alter noſtrum, quamdiu idem Ludouicus in huiuſmodi perfidia, hæreſi, ſchiſmate, pertinacia, exceſſibus, & criminibus permanebit, & quamdiu ſubiacebit pœnis & ſententijs ſupradictis, & quandiu erit extra gratiam dictæ ſedis, nullam amicitiam, ſocietatem, confœderationem, pactionem, colligationem, vel ligam cum eo faciemus: & ſi aliquam hactenus feciſſemus, eis de cætero non vtemur.

De Ludouici Bauari perfidia

Et Pontificum iuſtis in eum edictis.

Reſcindũt quæuis inita cum eo fœdera.

27 Item promittimus, & iuramus, quod nullam parentelam, conſanguinitatem, vel affinitatem cum Ludouico præfato, nec matrimonium, vel ſponſalia aliqua, aut parentelam, conſanguinitatem, vel affinitatem cum aliquo vel aliqua ſeu aliquibus, ab eodem Ludouico per maſculinam vel fœmininam lineam deſcendentibus, contrahemus Romano Pontifice inconſulto, & abſque ipſius ſedis licentia ſpeciali: nec eidem Ludouico conſilium, auxilium, vel fauorem impendemus per nos, vel alium ſeu alio directe vel indirecte, publice vel occulte: quinimmo eundem Ludouicum iuxta ipſorum proceſſuum continentiam totis noſtris viribus impugnabimus, expugnabimus, & perſequemur, & ſuper his faciemus totaliter, realiter, & efficaciter poſſe noſtrum. Quæ quidem omnia & ſingula, ex cauſis prędictis & ob eas modo prędicto recta & pura fide ſine omni dolo & fraude promittimus, & ad ſancta Dei euangelia corporaliter ſponte tacta iuramus, nos efficaciter ſeruaturos & completuros toto poſſe: & quod contra prędicta vel eorum aliqua per nos, vel alium ſeu alios directe vel indirecte, publice, vel occulte, aliqua ratione, occaſione, vel cauſa, ingenio vel colore nullatenus veniemus.]

Eundem armis petituros ſponderunt.

Nullo ſub eo violandos promiſſa.

Qua cedula lecta, publicata, & eiſdem domino Regi & marchioni expoſita, præfati domini Rex & *marchio & ipſorum quilibet, omnia & ſingula contenta et narrata in eodem approbantes, et rata et firma habentes, promiſerunt et conuenerunt ac iurauerunt, prout in eadem continentur, ſe facturos et ſeruaturos, et non contra facere vel venire aliqua ratione, occaſione, ſeu cauſa. Et nihilominus promiſerunt et iurauerunt et ipſorum quilibet, ſe acturos et procuraturos bona fide, quod dominus Ioannes pater dicti domini marchionis prædicta omnia et ſingula promittet et iurabit modo et forma prædictis. De quibus omnibus, vt præmittitur, fic actis, promiſſis, et iuratis præfatus dominus noſter* Papa *mandauit per nos notarios infraſcriptos fieri vnum, duo, et plura publica inſtrumenta. Acta fuerunt hæc anno, indictione, pontificatu, menſe, et die prædictis, præſentibus dominis Cardinalibus, nec non venerabili patre domino Gasperto* Narbonenſi *archiepiſcopo domini Papæ camerario, nobili et potenti viro domino Guillermo Rogerij vicecomite Bellifortis, venerabilibus viris dominis Bernardo Stephani, Raimundo de valle notarijs domini noſtri Papæ.*

28 Profeſſi etiam ſunt coram ſacro Cardinalium ſenatu ijdem Rex et marchio, ſi in bello Ludouico Bauaro inferendo aliqua damna contraherent, vel ſumptus maximos ſuſciperent, nunquam ſe vel præmij, vel pactorum, ſarciendiue damni cauſa quidquam ab Apoſtolica ſede repetituros: qua de re ſubiectę tabulę confectę a.

a Extat in eod. lib. priuil. Ro. eccl. tom. 2. pag. 315. & in M.S. bibl. Vall. ſign. lit. B. n. 13 pag. 504.

Vniuerſis præſentes literas inſpecturis Ioannes Dei gratia Rex *Boemiæ, & Carolus eius primogenitus marchio Morauiæ ſalutem.*

Nuper Ludouicum de Bauaria hęreticum & ſchiſmaticum, perſecutorem catholicę fidei, hoſtem Dei ſuęque ſanctę eccleſię manifeſtum, de hęreſi & ſchiſmate, ac alijs multiplicibus execrandis criminibus et exceſſibus condemnatum, ac alijs pluribus et diuerſis excommunicationum et anathematum ligatum ſententijs, et priuatum omnibus mobilibus et immobilibus bonis ſuis, ac declaratum prędictas aliaſque nonnullas ſpirituales et temporales pœnas et ſententias incurriſſe, ac etiam Chriſti fidelibus expoſitum impugnandum per proceſſus ſedis Apoſtolicę habitos contra eum; nos ipſius Dei et eiuſdem fidei zelo ſuccenſi, ad honorem etiam ſanctę Romanę eccleſię, ac ob deuotionem, quam habemus ad ipſam, et etiam vrgente nos conſcientia, promiſimus impugnare totis noſtris viribus iuxta ſeriem proceſſuum prędictorum, etiamſi ad ſtatum imperij vel alium quemcumque nos vel noſtrum

Edita de eo publica documenta. Indictum Ludouico Bauaro bellum a Boemo.

ſtrum alterum contigerit deuenire, et ad ſponte nos adſtrinximus vinculo iuramenti, prout in patentibus noſtris literis inde confectis, ſigillorum noſtrorum appenſionibus communitis, hęc et alia ſerioſius continentur.

Cum itaque ob feruorem zeli et deuotionis huiuſmodi noſtri firmi et inconcuſſi propoſiti, et inuiolabilis intentionis exiſtat, impugnationem huiuſmodi Ludouici prędicti proſequi et exequi noſtris proprijs ſumptibus et expenſis; nos Ioannes Rex et Carolus primogenitus prędicti coram vobis ſanctiſſimo in Chriſto patre et domino noſtro domino Clemente VI. diuina prouidentia ſacroſanctę Romanę ac vniuerſalis eccleſię ſummo Pontifice, propterea perſonaliter cōſtituti, volentes ad cautelam veſtram, & ſucceſſorū veſtrorū Rom. Pontificum et ipſius ſanctę Rom. eccleſię intentionem et propoſitum noſtra huiuſmodi expreſſius declarare, et ſuper his cauere idonee, vobis et ſucceſſoribus veſtris et eccleſię memoratę promittimus bona fide, vobis prędicto nominato domino ſummo Pontifici prędicti & nomine veſtro & ſucceſſorum ac eccleſiæ prædictorum ſtipulanti ſolemniter & recipienti, & ad ſancta Dei euangelia per nos et noſtrum quemlibet corporaliter ſponte tacta iuramus, quod ratione impugnationis prædictæ et proſecutionis negotij impugnationis eiuſdem, ſeu quantumcumque prolixitatis, durationis, aut difficultatis impugnationis et proſecutionis ac negotij huiuſmodi, vel ſumptuum et expenſarum, vel damnorum aut intereſſe realium et perſonalium, et quorumcumque aliorum per nos vel noſtrum alterum propterea ſubeundorum et ſuſtinendorum, aut ratione deſtructionis vel amiſſionis quorumcumque bonorum noſtrorum mobilium vel immobilium, quantæcumque quantitatis ſeu quanticumque valoris fuerint nullam reſtitutionem, refectionem, ſatisfactionem, vel emendam aut recompenſationem, nec aliquod ſubſidium pecuniarium, vel aliud quodcumque, etiam ſi ad imperialem vel alium quemcumque ſtatum nos vel alter noſtrum deueneri-mus, petemus per nos, vel alium, ſeu alios directe vel indirecte aliquo tempore a vobis prædicto domino ſummo Pontifice, vel aliquo ſucceſſorum veſtrorum prædictorum, aut a Romana eccleſia memorata: volentes et conſentientes expreſſe, quod vos vel ſucceſſores veſtri, et eccleſia ſupradicti propter præmiſſa, vel eorum aliqua ſeu alia quæcumque, ea contingentia quoquomodo nobis vel ſucceſſoribus noſtris, in nullo penitus teneamini, nec ſitis propterea in aliquo obligati; ac ex nunc ab omni eo, quod ratione vel occaſione præmiſſorum a vobis vel ſucceſſoribus veſtris ſeu eccleſia prædictis nos vel ſucceſſores noſtri poſſemus petere, vos et ſucceſſores veſtros ac eccleſiam prædictos omni modo, iure, et forma, quibus melius et efficacius poſſumus, liberamus, abſoluimus, et quitamus.

Adhibita, ſi bellum non ſuccedat, cautio.

Quas quidem liberationem, abſolutionem, et quitationem, et omnia alia et ſingula ſupradicta promittimus bona fide, et ad ſancta Dei euangelia corporaliter ſponte tacta iuramus, perpetuo rata, grata, et firma habere, tenere, et etiam obſeruare; et contra in aliquo per nos, vel alium, ſeu alios nullo tempore facere vel venire directe vel indirecte aliqua ratione, occaſione, vel cauſa, ingenio vel colore. In quorum omnium fidem et teſtimonium præſentes literas fieri mandauimus, et fecimus ſigillorum noſtrorum appenſionibus communiri. *Dat. Auin. die xxii. menſis aprilis anno a natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti* MCCCXLVI. *indictione* XIV. *pontificatus veſtri præfati ſanctiſſimi domini noſtri Papæ anno* IV.

29 Eximio adeo et ſingulari in eccleſiam ſtudio Boemiæ Rex et marchio Morauiæ promeruerunt, vt flagitantibus iis a Clemente apoſtolica ſtudia in exornando Carolo imperialibus inſulis, ſi a principibus electoribus Romanorum Rex ſalutaretur, Pontifex ampliſſimis verbis ſua officia ſit pollicitus, et omnibus honorū ornamentis quibus Imperatores catholici redimiri ſolent ipſū condecoraturū: quę ex arcano geſta inconſulto Francorum Rege ob ſuperiora ab ipſo cum Bauaro inita fœdera, de quibus ſuo loco egimus, pluresque alias cauſas. Ex quo emendandi hiſtorici, qui paſsim Carolum a Francorum Rege elatum ad imperium referunt. Subiectis vero literis Clemens factum excuſauit apud Philippum a, qui magnis precibus expetierat, vt Bauarus in gratiam ſedis Apoſtolicæ admitteretur.

Promiſſū a Pont ex arcano, Carolo imperiū.

Gallus Rex pro Bauaro pacis interpretem agit.

a *To. 5. ep. ſecr. 44.*

Clemens, &c. Aduertentes, quod tam eccleſiæ, quam reipublicæ vtilitati expediens reputatur, quod Romanum imperium, quod diutinis temporibus vacationis ſuſtinuit incommoda, præſidio regiminis alicuius viri catholici fulciatur; tandem præfatis Regi et marchioni reſpondimus, nos eidem marchioni, ſi electio prædicta de ipſo celebrari contingeret, huiuſmodi fauorem et gratiam impenſuros.

Neceſſitas inſtituendi noui Cæſaris

Hæc autem, fili dilectiſsime, antequam faceremus, reſponſionem huiuſmodi tuæ celſitudini omiſimus intimare, confiderantes aliqua, quæ inter te ac eundem Ludouicum, pro cuius reconciliatione affectuoſe apud nos literis & nuncijs inſtiteras ſæpius iteratis, dudum prolocuta vel acta fuiſſe dicuntur; quodque præfati Rex & marchio, habentes feſtinanter recedere de curia, expectare tanto tempore non valebant; & quia nos, & felicis recordationis Ioannes Papa XXII. prædeceſſor noſter principes electores imperij inſtanter diuerſis temporibus duxeramus commonendos, & inſtantius requirendos, vt ad electionem Regis Romanorum, promouendi in Imperatorem, de viro catholico, idoneo, & eccleſiæ Romanæ prædictæ deuoto celebrandam procedere procurarent: & etiam eorundem Regis & marchionis petitio adeo innitebatur iuſtitiæ, cum ſolum fauorem debitum peterent, quod nec debebat nec poterat eis quomodolibet denegari. Quare ſuper hoc nos habeat regalis excellentia, quę ſumus, excuſatos. *Dat Auin.* III. *non. iunij anno* V.

Solicitatos iam ante electores, vt eum crearent.

30 His conſtitutis cum Ioanne Rege Boemiæ & Carolo Morauiæ marchione, Pontifex Vvalramo Colonienſi & Balduino Treuirenſi archiepiſcopis, ac Rodulpho Saxoniæ duci perſuaſit, vt Carolum in comitijs a Gerlaco Moguntino archiepiſcopo indicendis ad ſceptra Romanorum vocarent; quo argumento datæ hortatoriæ literæ b in quibus poſt nonnulla de Ludouico Bauaro exauctorato expoſita ſubdit Clemens: *Cum multum reipublicæ vtilitati expediat, quod vir ſtrenuus, deuotus, & catholicus & fidelis, cui nos & eccleſia Romana tanquam ſpeciali aduocato & defenſori eiuſdem eccleſiæ debeamus fauores & gratias impertiri, ad tanti culminis faſtigium aſſumatur; & inter cæteros principes & magnates earum partium dilectum filium nobilem virum Carolum primogenitum chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ioannis Regis Boemiæ illuſtris marchionem Morauiæ, attentis multis virtutibus, quibus ipſum decorauit Altiſſimus, ad hoc aptum et idoneum exiſtimamus; acce-*

Rogati electores, vt Carolum eueherēt ad imperium.

b *lib. ep. 1089. 1090. 1091.*

ptum Deo & expediens vtilitati publicæ crederemus ac nobis & Apostolicæ sedi admodum proculdubio gratum esset, si præfatus marchio in Regem promouendum in Imperatorem Romanorum postmodum assumatur. Quocirca fraternitatem, hoc verbo compellat archiepiscopos, laicos vero principes altero consucto, nobilitatem, *tuam plenis affectibus deprecamur, quatenus ad electionem de ipso marchione celebrandam operosis affectibus & effectibus intendere studeas diligenter, sciturus, quod ex hoc præter mercedem perennis præmij, quod inde mereberis, nostrã & eiusdem sedis gratiam tibi plenius et vberius vendicabis, etc. Dat. Auin. IV. kal. maij anno IV.* Conceptæ sunt ijsdẽ pene verbis literæ ad comitem Palatinum Rheni ducem Bauariæ datæ, quibus eum adhortabatur [a], vt in Carolum suffragium conferret si septemuiratus ius spectaret, nulloq; ad illud exercendam impedimento teneretur. Segregatus is erat e fidelium cõmunione, cum in Ludouici schismate sordesceret; neq; monitis apostolicis morem gessit, vt videbitur inferius, quamuis ei [b] ac Ruperto [c] & Adolpho [d] Bauaræ stirpis principibus data essent imperia, ne Ludouico studerent.

[a] To. 4. ep. sacr. 1092

[b] Ibid. ep. 1037.

[c] Ibid. ep. 1040.

[d] Ep. 1041

31 Vt rite Regis Romanorum electio celebraretur, Clemens episcopum Acconensem misit [e], qui Balduinum archiepiscopum Treuirensem anathemate deuinctum censuris exolueret ad serenandam illius conscientiam, atque asserendam dignitatem; causas vero non exprimit Pontifex: sed non abest coniectura, archiepiscopum ipsum ob partes Ludouici in nonnullis principum conuentibus iniuste defensas eadem censuras contraxisse. Treuirensi vero partes iniunxit [f], vt principes electores, qui censuris obstricti essent, cum ad electionem celebrandam conuenissent, fidelium communioni restitueret. Ex ijs Rodulphus dux Saxoniæ, qui etiã tũ ab ecclesiæ gremio exularat, vt ex Clementis literis [g] patet, quibus spiritum consilij sanioris comprecatur, atque ad piorum consortium allicit, pontificijs monitis est obsecutus: quem pecunia corruptum vna cum Colonienſi, perperam queruntur Albertus Argentinensis & Hervvartus; quasi animæ suæ salus, restituendæ in Germania pietatis reique catholicæ studium, diuini Numinis timor, suæ dignitatis tuendæ cura, atque apostolica monita ipsum ad id impellere non potuerint: Colonienſem vero sine pecuniarum illecebra ad iussa apostolica semper pronum vidimus.

[e] Ep. 1093. Treuirensis archi. censuris solutus.

[f] Ep. 1094

Rodulphus saxo fauet Boemo.

[g] Ep. 1050 & 1091.

Et Colonienſis archiep.

Vocati itaque electores principes catholici Rentzam a Gerlaco archiepiscopo Mogũtino Regem Romanorum renuntiaturi, primum ex pontificia sententia in literis plurimis a nobis expositа, orbatum esse rectore suo imperium Romanum pronuntiarunt, vt refert memoratus Argentinensis [h]: *Imperium*, inquit, *diu vacasse decernentes*. Quo decreto aperte ijdem electores Ioannis XXII. & Clementis contra Ludouicum Bauarum sententias iustas professi sunt, illumque iure omni ad imperium ex electione quæsito ob sua scelera apostolica auctoritate exui potuisse, iusteque fuisse spoliatum: & si quæ antea edicta contraria in Francofurtensi & Renſensi conuentibus iniqua condiderant, plane ac iuridice damnarunt. Progressi deinde ad electionem principes in Carolum marchionem Morauiæ, vt in aula pontificia agitatum fuerat, mense iulio circa diem S. Margaritæ sacram, vt scribit Rebdorfius [i], siue feria quarta ab eodem festo euoluto, vt clarius designat Argentinensis [l] suffragia contulerunt; qua de re hæc M. S. Vaticanum refert [a] in Clemente: *Hic ratificauit atque roborauit processus, & sententias latas contra Bauarum: nec non viuente ipso ordinauit cum suis fratribus Cardinalibus de creatione noui Imperatoris, quod & factum est, & priuato archiepiscopo Moguntino, qui dicto Bauaro hæretico adhærebat. Nec non electores, ad quos electio Romanorum Imperatoris spectabat, de consensu & voluntate sedis Apostolicæ elegerunt atque nominauerunt in Regem Romanorum & Alamanniæ, & pro Imperatore dominum Carolum IV. filium Regis Boemiæ: quam electionem dictus Papa ratificauit & approbauit.*

[h] Argent. in chron. Decernũt principes, iuste Bauarum a Pont. exauctoratũ

[i] Rebdorf. in annal.

[l] Argent. in chron.

[a] M. S. Vat. sign. n. 2040. Clem. VI. Caroli creatio ex ea habita a Pont.

32 De electo ad Romanum imperium Carolo felix nuntius ad Clementem celerrime aduolauit: III. enim kal. augusti eo accepto, ingenti lætitia delibutus Pontifex, nactam demum ecclesiam pium & strenuum defensorem gratulatorias ad principes electores Ioannem Boemiæ Regem [b] Balduinum archiepiscopum Treuirensem [c] huius patruum, Rodulphum ducem Saxoniæ [d], Gerlacum Moguntinum [e], & Vvalramum Colonienſem [f] archiepiscopos de egregio principe Romano imperio dato tum ad nouum Regem Romanorum Carolum literas dedit: quibus, vt demisse de se ex Christiana pietate sentiret, spem locaret in Deo, regijs animum excoleret virtutibus, hortatus est [g]: tum prosperos illi successus, ac diuturnum imperium est comprecatus.

Gratulatur electoribus Pontifex.

[b] To. 4. ep. sacr. 1095.

[c] Ep. 1096.

[d] Ep. 1097.

[e] Ep. 1098.

[f] Ep. 1098. Et Caroli Regi.

[g] Ep. 1099.

Charissimo in Christo filio, Carolo in Regem Romanorum electo.

Lætis & iucundis rumoribus ad Apostolicam sedem perducto, electionem de te, fili charissime, in Regem Romanorum, promouendum in Imperatorem, fuisse solemniter & concorditer celebratam, exultauit cor nostrum in Domino, & immensi rore gaudij, & lætitia perfusa fuerunt præcordia mentis nostræ, sperantes in eo, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, quique cælestia simul & terrena suæ omnipotentia moderatur, quique in te sic feliciter suæ clemẽtia pietatis incepit, ipse qui opus imperfectionis abhorret, prosperis perficiet successibus, solidabitque vsque ad perfectionem votiuam; ita quod ecclesia sancta sua te defensorem & pugilem habebit strenuum & fidelem ad confundendum & extirpandum schismata, hæreses, & errores, ac dilatandum cultum fidei orthodoxæ: regnabitque sub tuo felici, pio, & prouido regimine pacis & iustitiæ pulchritudo: excessibus, crimi nibus, & delictis claudetur aditus; & te sedente in solio regalis & imperialis culminis, dissipabitur omne malum. Talem namque filium diutinis temporibus auide desiderauit eadem mater ecclesia, quem se, vt firmiter credimus, cum repletione consolationis & gaudij lætabitur his temporibus recepisse.

Conc. præcepta regno

Rogamus itaque serenitatem tuam, & hortamur attentius in domino Iesu Christo, quatenus ad illum, in cuius manu & potestate omnium iura regnorum consistunt, & nihil boni vel prosperi esse potest alicui, nisi de suæ bonitatis clementia largiatur, dirigens in humilitate spiritus iugiter vota tua, & anchoram spei tuæ in eo solo figere non desistens; ad illa, quæ præmisimus, & alia opera virtuosa, per quæ Deo semper fieri merearis acceptior, intendere continue, tuarumque operationum studia conuertere non postponas; sciturus pro certo, quod si hæc, vt confidimus, egeris tecum Deo tenueris incessan-

Monitur vt amplectatur fuã Deo ferat aptam.

santer, ipse actus tuos prosperare non desinet, tuum exaltando super terram solium, & protrahendo in dierum longitudinem cum prosperitatis votiue successibus vitam tuam; tandemque post decursum huius laboriosi certaminis de temporali regno & corruptibili te cum corona immarcescibili ad regni gloriam prouehet sempiterni. *Datum Auin. III. kal. augusti anno V.* Adiecit alia in ijsdem literis [a] monita ad firmandum solium, vt Italos in suas partes pelliceret, ac fœdera cum Insubribus percuteret, de quibus Ioannem Regem etiam præmonuit [b], vt Ludouici cum Insubribus coitiones inire meditantis conatus occuparet, ipsumque omnes sinistras suspiciones de Luchino Vicecomite Mediolanensi conceptas ex animo delere iussit.

Italos ad suas partes allic. a Ead. ep. 290. b Super. ep. 294.

33 Confirmandæ etiam amplificandæque Caroli dignitatis solicitus Pontifex, vt regijs ornamentis quantocius cingeretur, operam dedit; ac vigesimam septimam diem augusti ad peragendam celebritatem constituit [c], sanxitque Apostolica auctoritate, vt si Aquisgrani instrui non posset, Coloniæ perageretur. Cæterum rem peractam referunt Ioannes Villanus [d] & Rebdorfius [e] mense nouembri die S. Catharinæ sacro, cuius retardatæ celebritatis gemina contra Leodienses tum contra Eduardum Angliæ Regem prælia causæ extitere: *Mense nouembri*, inquit idem auctor, *suprascriptus Carolus electus in Regem Romanorum coronatus est prima corona in oppido Bonna Coloniensis diœcesis (quia ciuitas Aquensis eam intromittere noluit) in die B. Catharinæ, elapsis iam XXXII. annis a tempore coronationis prædicti Ludouici.*

c Ib. ep. 334. d Io. Vill. l. 12. c. 77. e Rebdorf. in annal. Die D. Catharinæ sacro peracta celebritas.

Antequam Bonnæ corona cingeretur [f] Carolus, oratores Ernestum Pragensem archiepiscopum, Ioannem e Pistorio decanum, Nicolaum e Luxemburgo præpositum, Geraldum e Magnaco, atque Ademarum de Pictauia auratum equitem ad aulam pontificiam auctoritate instructos misit. Qui exposuere vt Carolus ab omnibus principibus electoribus, qui debuerant & potuerãt interesse, communibus suffragijs Romanorum Rex salutatus fuisset: Ludouicus enim Bauarus iunior, cum nullo iure marchionatum Brandeburgensem obtineret, ad comitia admitti erat vetitus: Henricus Moguntinus exauctoratus, suffecto in eius locum Gerlaco, omni honore ac iure exciderat: Palatinus Rheni comes & dux Bauariæ dubio & ambiguo iure erat præditus, vt ex literis pontificijs indicauimus, in quibus ea adiecta erant verba, *si ad te & in quantum ad te pertinet*, cũ ad eligendũ Carolum solicitabatur; præterea schismaticos nexus excutere detrectauit, atque ideo, licet ius ad ferendum suffragium obtinuisset, tunc tamen eo vti non potuerat. Ex quibus confutandi sunt ij, qui Caroli electionem vt non iustam traducere nituntur: qui si nefaria ironia ab impijs Carolum Imperatorem presbyterorum, cum annitente Pontifice creatus esset, dictum effutiant; næ Carolum magnum pluresque alios potiori iure Imperatores presbyterorum appellauerint. Sed ad institutam narrationem redeamus.

Decreta a Carolo ad Pont. legatio. f Io. Vill. l. 12. c. 77. Clem. ta. 5 ep. sec. 738. Confutatur impio nom. in Carolum dicteria.

Cum oratores adderent preces, vt Clemens pontificia studia Carolo impenderet, illumque imperialibus insignibus constituto tempore exornaret, tum in illius verba Caroli nomine iurare paratos se offerrent, coniunxissentq; cum ijs suas preces alij noui oratores, Põtifex solẽni ritu (quãquam id antea egerat, dum Coloniæ corona illum redimiri iussit) discussa Caroli electione, explora-

tisque eius virtutibus, ipsum iustum Regem Romanorum ad imperiale fastigium prouehendum pronuntiauit, atque oratores fidei sacramento in sua & successorum Pontificum verba adegit: qua de re certiorem hisce literis Carolum fecit, ac fausta omnia illi precatus ad dignas imperio virtutes excitauit [a].

Carolus confirmatur Cæsar a Pontifice.

Charissimo in Christo filio Carolo Regi Romanorum illustri.

34 Romanus Pontifex, cui Rex æternus & summus in persona beati Petri Apostoli, æternæ vitæ clauigeri, cœlestis simul & terreni iura imperij & plenitudinem potestatis concessit, super cunctos fideles suæ curæ commissos inuigilans, & intendens circa ea, quæ fidelibus ipsis ampliora pacis & iustitiæ afferre commoda existimat; tanto diligentioribus se tenetur impendere studijs, quanto ad hoc iniunctæ desuper apostolicæ seruitutis officium ipsum stimulat & perurget. Et quia regnantium recte ordinata regimina nutrire consueuerunt iustitiam, & Christiano populo pacem dare, Pontificis eiusdem auctoritas, cui dictum legimus a Domino per prophetam: *Ecce constitui te super gentes & super regna, vt euellas & destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes*; ad erigenda & dirigenda huiusmodi regimina, prout ad suam spectat solicitudinem, nequaquam debet tepescere; sed potius operosas apponere, cum expedire conspicit, manus suas. Sane dudum imperio Romano per obitum claræ memoriæ Henrici vltimi Romanorum Imperatoris vacante, duo videlicet quondam Fredericus Austriæ & Ludouicus tunc Bauariæ duces in Reges Romanorum in discordia electi, vt dicitur, extiterunt: deindeque Frederico prædicto rebus humanis exempto, Ludouicus prædictus propter ipsius excessus, culpas, crimina, & alia demerita detestanda, quasi totum diuulgata per orbem, per felicis recordationis Ioannem Papam XXII. prædecessorem nostrum de fratrum suorum consilio extitit omni iure, si quod eidem Ludouico ad regnum vel imperium Romanum ex electione discordi prædicta, vel alias competere poterat quoquomodo, iudicio iusto priuatus, & subsequenter de hæresi & schismate sententialiter condemnatus.

Pontificis ea de re diploma. a An. 3 l. 3 ep. cur. 27. & ep. cam. 738.

De Lud. Bauaro damnato hæreseos.

35 Nos autem postmodum, licet insufficientibus meritis, ad apicem summi apostolatus assumpti, attendentes quod ex his regnum & imperium prædicta diu vacauerant & vacabant, & ob hoc sancta Romana mater ecclesia per longa tempora suo caruerat & carebat speciali aduocato & legitimo defensore in catholicæ fidei, & eiusdem Romanæ ac aliarum ecclesiarum, & libertatis ecclesiasticæ, reique publicæ grande præiudicium, multiplex detrimentum, & multarum periculum animarum; ac huiusmodi discordijs & periculis, quæ tolerare salua conscientia non poteramus vlterius, occurrere paternæ solicitudinis studijs cupientes, principes tam ecclesiasticos quam seculares, ad quos ius eligendi Regem Romanorum in Imperatorem postmodum promouendum pertinebat, apostolica auctoritate monuimus, eis districtius iniungentes, vt pro electione Regis Romanorum in Imperatorem, vt prædicitur, promouendi de persona idonea facienda conuenirent inuicem, & ad electionem huiusmodi procedere non differrent: alioquin Apostolica sedes, a qua ius & potestatem huiusmodi electionis ad principes peruenisse constat eosdem, super hoc de opportuno remedio prouide-

Vt vacãte imperio consulendum fuerit.

deret. Præfati vero principes, ſalutaribus monitis noſtris huiuſmodi deuota ſe promptitudine conformantes, ac certis die & loco pro electione huiuſmodi celebranda, illi videlicet qui debuerunt, potuerunt, & voluerunt intereſſe, conuenientes in vnum; poſt diligentem deliberationem & tractatus, prout tanti magnitudo negotij requirebat, habitos inter eos te marchionem Morauiæ, nunc etiam Regem Boemiæ, in Regem (promouendum poſtmodum in Imperatorem) Romanorum vnanimiter & concorditer elegerunt: tuque deliberatione habita ſuper hoc, ad inſtantiam electorum prædictorum & aliorum multorum electioni huiuſmodi conſenſiſti.

Renuntiatus ſit Carolus Roman. Rex.

36 Poſt hæc autem venerabilis frater noſter Erneſtus archiepiſcopus Pragenſis, & dilecti filij magiſtri Ioannes de Piſtorio decanus S. Ioannis Traiectenſis, & Nicolaus de Luczemburgo præpoſitus Saczenſis Pragenſis decanus, ac Geraldus de Magnaco archidiaconus de Baltheſio Conſtantienſis eccleſiarum capellani noſtri, nec non nobilis vir Ademarus de Pictauia miles, procuratores & nuncij tui ad noſtram præſentiam ſuper hoc deſtinati (habentes ad infraſcripta omnia plenum, ſufficiens, & ſpeciale mandatum, ſicut per patentes literas tuo ſigillo munitas nobis extitit facta fides coram nobis & fratribus noſtris S.R.B. Cardinalibus in ſolemni & publico conſiſtorio, præſente tam prælatorum & clericorum aliorum quam laicorum multitudine copioſa fidelium) conſtituti, pro parte tua inter cætera proponere curauerunt, electionem ad Regem Romanorum de te, ad imperium poſtmodum promouendo, ab omnibus principibus tunc in electione huiuſmodi vocem habentibus, qui vt præfertur debuerunt, potuerunt, & voluerunt intereſſe, fuiſſe concorditer & vniformiter celebratam: teque vt prædicitur, electioni huiuſmodi conſenſiſſe, filialem reuerentiam & deuotionem, quam tu ad nos & eandem Romanam eccleſiam matrem tuam geſſiſti, gerebas, & geris & proponis gerere in futurum, ſinceris affectibus exponentes; ac inter alia ſupplicantes, tibi noſtros fauores & gratias exhiberi, nec non inunctionem & conſecrationem per manus noſtras impendi, teque imperiali diademate coronari; offerenteſque ſe paratos & promptos ſuper te & animam tuam præſtare debitæ nobis & eidem eccleſiæ fidelitatis & cuiuslibet alterius generis iuramentum. Tandem autem prędictis procuratoribus per ſe & vna cum dilectis filijs & nobilibus viris Henrico comite de Salmis, Gaucherio de Montilio, Geraldo de Vffa, & Ioanne de Aſperomonte militibus Treuirenſis, Valentinenſis, & Virdunenſis diœceſis, ac Rudolpho dicto Loſſe officiali Treuirenſi, procuratoribus & nuncijs tuis vna cum eis per alias literas tuas ſimiliter conſtitutis, hæc omnia pluries petentibus, ac deuote offerentibus coram nobis; nos, præmiſſis per eoſdem procuratores & nuncios tuos propoſitis diligenter auditis, factaque nobis de huiuſmodi electione concordi & vnanimi plena fide, eaque nec non perſona tua, in quantum tua patiebatur abſentia, diligenter examinatis, ac de tuis fide, probitate, ac conditionibus omnibus, quæ requiruntur in illo, qui eſt electus ad imperialis culminis apicem ſublimandus, cum pluribus prælatis & alijs magnæ auctoritatis viris, qui tuos mores, conditiones, & ſtatum plenius nouerant, inquiſito; ad laudem & gloriam omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & beatæ ac glorioſæ ſemperque virginis Dei genitricis Mariæ, beatorum quoque Apoſtolorum Petri & Pauli, ac exaltationem & honorem eccleſiæ & bonum & promotionem imperij prædicti, & proſperum ſtatum mundi, de fratrum eorundem conſilio te in ſpecialem noſtrum & eccleſiæ filium ſuſcepimus, tibi noſtros, fauorem & gratiam concedentes; perſonaque tua, cuius nos & ijdem fratres noſtri ſpecialem prius notitiam habebamus, idonea reputata, te nominauimus, denunciauimus, declarauimus, & aſſumpſimus in Regem Romanorum, promouendum in Imperatorem, eandem tuam approbantes perſonam, ac ſufficientem & habilem declarantes ad ſuſcipiendam imperialis celſitudinis dignitatem; ac decernentes vnctionem, conſecrationem, & coronationem imperialis diadematis, tibi per manus noſtras opportunis loco & tempore impendendas: ſupplentes quoque omnem defectum, ſi quis aut ratione formæ, ſeu tuæ aut electorum prædictorum perſonarum, qui electioni tuæ interfuerunt, ſeu ex quauis alia ratione, ſiue cauſa in eadem electione interuenerit quouis modo ex certa ſcientia, & de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis: præcipientes etiam omnibus fidelibus & vaſſallis regni & imperij prædictorum, vt tibi tanquam Regi Romanorum, in Imperatorem promouendo, pareant efficaciter & intendant, & nihilominus ibidem a prædictis procuratoribus & nuncijs tuis ad hæc, vt præmittitur, plenum, ſufficiens, & ſpeciale mandatum habentibus, prout ipſi nobis frequenter obtulerant, fidelitatis recepimus iuramentum.

Promiſſio eidem imperialis apex.

Exactum ab eius procuratoribus ſacramentū fidei.

Concors principū electio fuerit.

37 Attende itaque, fili chariſſime, quęſumus, & intra præcordia tua diligenter reuolue dona magnifica, & multiplicia beneficia, quibus te largitor bonorum omnium in ſuis benedictionibus dignatus eſt præuenire: illaque ſibi deuotione humili, & operoſis affectibus recognoſcens, ad eius mandata & beneplacita in omnibus te coapta, & vitare ſtude ſummopere quæ ſuæ offenderent oculos maieſtatis. Pone greſſus tuos ſemper in ſemitis mandatorum ipſius, & eius miniſtros condigna honorificentia proſequi non omittas. Præfatam quoque Romanam eccleſiam matrem tuam, quæ internæ charitatis officio & affectu de tui ſtatus & honoris augumento ſolicita redditur, filiali venerari reuerentia ſemper ſtude: iuſtitiam dilige: veritatem ama: ſectare pacem: æquitatem ſerua; & clementiam (quæ amicos & deuotos multiplicat) amplexare, vt inde lætentur cæli & exultet terra, & de tuis benignis & virtuoſis actibus vniuerſæ reipublicæ populus nuncuſque vehementer afflictus hilareſcat: iugo tuæ dominationis, ſuperbæ mentes hoſtium comprimantur: contriti & depreſſi ſubditorum tuorum animi ope tuæ miſericordiæ releuentur: te virtus cæleſtis gratiæ terribilem tuis inimicis faciat, pietas ſubditis benignum oſtendat; tuiſque felicibus temporibus in pulchritudine pacis populus Chriſtianus ſedeat, in fiducia tabernaculis habitet, & in requie opulenta quieſcat: tuque his & alijs tuis bonis operibus in conſpectu diuinæ maieſtatis acceptus poſt multorum annorum curricula de terreno ac temporali regno ad cæleſtis & æterni regni prouehi gloriam merearis. Nulli ergo, &c. *Dat. Auin. VIII. id. nouembris anno* V.

Præcepta imbuitur a Pont.

Vt ea corroborata a Pont.

Conſulturus iuribus Romanæ eccleſiæ Clemens, exacto a Caroli Regis Romanorum oratoribus fidei ſacramento, magiſtrum Geraldum e Magnaco archidiaconum e Balteſio Conſtantienſis diœceſis capellanum pontificium, de quo paulo

Miſſus ad ipſum ſuper

an-